BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
L
H
18
NAPOLI

L
H
18

MARTYROLOGII GALLICANI PARS POSTERIOR TRIMESTRIS,

OCTOBREM, NOVEMBREM ET DECEMBREM COMPLECTENS.

CVM SVPPLEMENTO, APPENDICIBVS, Apologetico, Kalendario, & tabulis.

Auctore ANDREA DV SAVSSAY, Pariſino, S. R. E. Protonotario, Concionatore Regio, & Eccleſiæ SS. Lupi & Ægidij in vrbe Paſtore.



LVTETIÆ PARISIORVM,
Sumptibus SEBASTIANI CRAMOISY, Typographi Regij ordinarij, viâ Iacobæâ, ſub Ciconiis.

M. DC XXXVII.

Cum Priuilegio Regis, & Theologorum approbatione.

OCTOBER.

Kalendis Octobris. Luna

1 A xxii.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
26	27	28	29	1	2	3	4	3	4	5	6	7	8			

TORNACI Neruiorum Paſſio ſancti PIATONIS Epiſcopi & Martyris, qui patria Beneuentanus, Romæ diuini muneris ſuſcepto honore, in Gallias ad regnum Dei propagandum cum Quintino, Criſpino, Criſpiniano, Chryſolio, Euberto qui & Eugenio, aliíſque Chriſtianæ pietatis præconibus proficiſcens, Tornacum, ciuitatem Chriſtum hactenus neſcientem ſolus adiit: vbi vanitatem Numinum, quæ incolæ cæco errore deluſi adorabant, Apoſtolico vigore inſectatus, humanæ redemptionis myſterium primus annunciauit: propalatáque veri ac vnici rerum conditoris ac reparatoris gloria & bonitate, ciues quà ſapientiæ diuinæ argumentis, quà ſignis virtutibúſque admirandis, magna ex parte, ad religionem Verbi incarnati, itidémque paſſi pro omnium ſalute, conuertit. Quibus verbo vitæ & gratiæ lauacro regeneratis, ad Chriſtiani ritus obſeruantiam, diuiníque obſequij officium, ædiculam *in Irenæi* primi credentis fundo, ſub præſidio ſanctæ Virginis Deiparæ, conſtitutis ad miniſterium Sacerdotibus, Diaconis & Clericis addixit & ſacrauit. Euocato, poſt hæc ad ſe Chryſolio & Euberto, hunc quidem ferendæ lucis gratia ad Inſulenſes delegauit. Illum ſibi ſuffragatorem in promouendo Tornaci diuino opere adhibuit. At cùm in dies maior credentium fieret ad Chriſti legem acceſſio, liuidus Dei gloriæ æmulator, adeo proſperos non ferens viri beati progreſſus, infidelium animos furore tanto in eum inflammauit: vt atroci perſecutione concitata, ipſe cum Chryſolio fideliúmque potiori numero vrbe excedere compulſus ſit. Verùm non SS. PIATO.

longè perrexit cum ouibus pius paſtor. Nam ferè è veſtigio ab inſequentibus lictoribus, quos Rictius Varus ſæuus Præſes, ad hoc carnificium miſerat, comprehenſus eſt. Móxque
Strages Martyrum plurimorũ. ſub eius oculis QVOTQVOT cum ipſo erant CREDENTES, trucidati; ipſe inquiſitioni agoníque acerbiori deſtinatus, ferreis reuinctus nexibus, omni cum opprobrio reductus eſt in vrbem. Detruſus hinc in carcerem, poſt elapſos aliquot dies ad lanienam eductus, quòd traditæ diuinæ doctrinæ aſſertor, magis præconia Chriſti efferret, aſtantibúſque incuteret inſtantius fidem illius ſalutarem: flagellis primùm immaniter cæſus, candentibúſque clauis manuum pedúmque digitis infixis perfoſſus, ac demum ab infœlici emiſſario, qui ſenem tanta vi animi perpeti tot cruciatus non ferebat: abreptus ictúſque gladio, abſciſſo capite Chriſti teſtimonium conſummauit, illuſtríque martyrio nobilitatus, ſpiritum beatum cœlo emiſit ad coronam. Sepultus fuit Seclinij, quo deciſum verticem, victor poſt necem incedens in triumpho, detulerat athleta glorioſus: cuius ſacratiſſima membra eleganti ac pretioſo lipſanodochio ſanctus Eligius poſtmodum decorauit; merita autem egregia beatus Fulbertus Carnutenſis Antiſtes, poſt tranſlatas hinc Carnutum ipſiuſmet Martyris venerandas exuuias, nobili præconio celebrauit.
Fremerivs. Vaſati Natalis ſancti FREMERII Martyris, qui factus hoſtia pietatis, iuſtitiæ coronam forti agone recepit à Domino.
Germana. In caſtro Barrenſi natalis ſanctæ GERMANÆ Virginis. Cui ſponſus ſanguinum Chriſtus, ob effuſum pro ſuo nomine pretioſum cruorem, ſpecioſam æterni decoris clamydem in victoriæ præmium donauit & coronam gloriæ immarceſſibilem.
Remigivs. Ipſo die Remis feſtiuitas ſancti REMIGII huius Metropolis Epiſcopi, & Francorum Apoſtoli, ac Baptiſtæ glorioſi. Qui cùm omni ſanctitatis genere illuſtriſſimus, dierúmque pleniſſimus, purum Deo ſpiritum reddidiſſet, in paruula ſancti Chriſtophori Eccleſia, in qua nemo adhuc ſepultus fuerat diuina ſignificatione tumulatus, prodigiis ibidem magnis ſuſceptæ in cœlo gloriæ emicuit. Vnde propter frequentem populi concurſum, ampliatâ illâ Eccleſia, facta eſt ibidem crypta retro altare, in quam cùm nullo humano conatu potuiſſet transferri, ſacrum eius corpus manibus, vt creditur, Angelicis illatum eſt, ſuauiſſimo, è feretro eiuſdem, promanante odore. Deinde creſcente iterum ſignorum diuinorum illic magnificentiâ, ab Hincmaro Archiepiſcopo, qui geſta ſancti Pontificis ſtylo aureo poſteris conſignauit, maiorem in cryptam ornatiorémque delatum fuit, locello inditum argenteo

genteo, marmoreóque ſepulchro incluſum, aſſiſtentibus comprouincialibus primæ ſedis Remorum Epiſcopis. A quibus integrum adhuc repertum & brandeo rubeo inuolutum fuit: cuius pars velaminis cum reliquiis de capillis eius, & caſula tunicáque ipſius in pignus patrocinij & venerationis, ſcriniolo inſita eburneo ſecus altare repoſita eſt ſummæ baſilicæ ſanctæ Deigenitricis. Qua in bina tranſlatione eodem die 1. Octobris poſt diuerſos annorum excurſus peracta; editis multis diuinæ virtutis inſigniis, meruit beatus Chriſti amicus clarificari. Verùm ob ingruentem Danorum infeſtationem Sparnacum in oppidum deinde tranſuectum venerabile eius corpus, inde ad Orbacenſe Monaſterium, hinc per Fulconem Archipræſulem relatum collocatúmque in pontificali Eccleſia Remenſi, annos octodecim ibi requieuit. Quouſque Heriueus Antiſtes ad nouam Eccleſiam, quæ veteri euerſo ſacello ſancti Chriſtophori in honorem ipſius ſancti Remigij ſuperſtructa fuerat, ſacrum referens pignus, decoro reclinatorio impoſuit. Ceterùm anno demum 1049. ad ſupplicationem Herimari Abbatis, qui nobiliori opere, ampliorique ambitu baſilicam ſancti Remigij inſtaurauerat à ſancto Leone IX. Papa Concilium Remis celebrante, qui ipſam Eccleſiam dedicauit, rurſus tranſlatum fuit, magnáque ſolemnitate, humeris ipſius ſummi Pontificis aſſiſtentiúmque Archiepiſcoporum quatuor: Remenſis, Viennenſis, Lugdunenſis, & Veſuntionenſis, aliorúmque ſacrorum Procerum, in ſacrarium mira pulchritudine decoratum cum diuinis laudibus illatum, & digniſſimè repoſitum fuit, ſexto Nonas Octobris. Cuius rei vt eſſet perennis memoria, idem Pontifex Apoſtolico diplomate ad omnes Epiſcopos & fideles regni Francorum directo conſtituit, vt quotannis Kalendas Octobris (qui dies ob tres anteriores tranſlationes, iam Remis celebris erat) ſancti Remigij quaſi Apoſtoli ſolemnis feſtiuitas vniuerſo in Regno ageretur: *quia etſi* (vt ait) *aliis gentibus non ſit Apoſtolus, Francis tamen proprius eſt, qui ſunt primitiæ Apoſtolatus eius in Domino.* Eodem die Autiſſiodori reuectio corporis beatiſſimi GERMANI illius ciuitatis Epiſcopi, GERMANVS.
Apoſtolici meriti & gloriæ. Qui cùm Rauennæ diem extremum obiiſſet anno Epiſcopatus ſui trigeſimo; Placidiæ Auguſtæ propriis manibus ſepultus, móxque ſicut excedens petierat, in Galliam ad ſedem ſuam relatus: omnium cum ciuium veneratione ad Eccleſiam Cathedralem deportatus eſt. Inde verò tranſlatus ad baſilicam ſancti Mauricij (quæ nomine eius poſtea enituit) perenni illic pollet meritorum ſplendore. Auguſtæ Tre-

NICETIVS. uirorum S. NICETII Epiſcopi & Confeſſoris, à Deo prædilecti. Hic enim ab ipſo ortu diuina benedictione præuentus, clericali corona inſignitus dum naſceretur apparuit. Quamobrem à piis parentibus diligentius obſeruatus, Abbati S. Maximini ſedulò ad erudiendum in Dei timore & liberalibus diſciplinis commendatus fuit. Cuius ſub diſciplina, aſpirante ſuperna ope, ad tantum doctrinæ & pietatis decus proceſſit, vt ex aſcera, loci illius Abbas, deinde & Archiepiſcopus nobilis illius Metropolis creatus fuerit. Quod officium adeò diligenter & ſtrenuè executus eſt, vt aulicis & ipſi etiam Clothario Regi terrori eſſet. Nemini etenim vir Dei adulabatur. Cùm autem apertiſſimè pro iure Eccleſiaſtici gladij Regi reſiſteret, eumdémque de iniuſtis operibus affectu charitatis ac iuſtitiæ redargueret: ab ipſo adulatorum Epiſcoporum impulſo liuore, in exilium, vno tantùm ſibi adhærente diacono, miſſus eſt. Sed Clothario mortuo, Sigeberti Regis qui ſucceſſit authoritate reuocatus, cum gloria & honore reſtituitur: confuſiſque his à quibus derelictus fuerat, omnes in charitate recepit. Potens adeo erat verbis & exemplis, vt ſuæ ſanctitatis exiſtimatione omnes percelleret. Fortis ſiquidem erat ad prædicandum, terribilis ad arguendum, conſtans ad ſuſtinendum, & prudens ad docendum. Ieiunus, dum cuncti pranderent, capite cucullo contectus ne agnoſceretur Sanctorum Eccleſias ferè diebus ſingulis circuibat, orationibus ſuam populíque ſalutem beatis patronis commendans: nec ſanctis tantùm his operibus, ſed & miris gratiam qua præditus erat Deo volente prodidit. Nam energumenum ſigno crucis ſanauit, aliáque multa edidit ſupernæ virtutis teſtimonia. Idem S. Pontifex Conciliis Aruernenſi & quintæ Aurelianenſi interfuit. Cùm autem ſuæ migrationis tempus imminere cognouiſſet, hoc quibuſdam fidelibus referens: poſt paucos dies modica pulſatus febre ſpiritum Chriſto reddidit, ſepultúſque in ſancti Maximini baſilica, diuinis virtutibus in tumulo illuſtratus eſt. Quæ eius mirabilia, cum meritorũ præconiis ſanctus Gregorius Turonenſis in vitis Patrum digna commendatione

VVANVLPHVS. proſecutus eſt. Ipſo die in Hannonia Condato oppido S. VVANVLPHI, qui genere Scotus, dignitate Epiſcopus, Monachus profeſſione, vt in peregrino ſolo ignotus Deo ſeruiret, eo loco virtutum cultos conſtitit. Multiſque ad pœnitentiam ſuo hortatu & exemplo perductis, ciuis cœlorum effectus eſt. Tumulatus fuit eo loco vbi nunc extat Canonicorum collegium, eius inuocatione inſigne: qui patroni ſui miraculis clari corpus aſſeruãt multa reli-

BAVO. gionis inſtantia. Gandaui S. BAVONIS Confeſſoris, qui Agulfi Haſbaniæ Comitis filius, primùm ſub Imperatore Mauricio militauit.

Hinc ſub Franciæ regibus. Deinde contemptis opibus & ſæculari gloria, hortatu ſancti Amandi Traiectenſis Epiſcopi ſoli Chriſto crucifixo militare ſtatuit. Pecuniam & theſauros in pauperes diſtribuit; terras & prædia, quæ in Brabantinorum agro alibíque poſſidebat, ad pios vſus contulit. Gandæ ad Scaldis & Legiæ confluentiam, in honorem ſancti Petri monaſterium extruxit, egregiéque dotauit: in quo recluſus annos decem in ſepulchro quod ſibi in Eccleſia fodi curauit, verè mundo mortuus, Deo vixit. Denique omni ſanctitate perfectus, vitam cum morte commutans, beatam immortalitatem feliciter adeptus eſt. Tot verò poſt tranſitum miraculis enituit, vt illorum celebritate, priſtina templi nuncupatio in eius nomen tranſierit. Quæ baſilica demum etiam è cœnobitica in Cathedraticam, ob ipſius honorem fuit per Paulum IV. euecta. Apud Ferrarias cœnobium in tractu Senonenſi, ſanctæ MONTANÆ Virginis, quæ cœnobij Cauenſis Abbatiſſa, per ſtudia caſtitatis multas Chriſto ſponſas progenuit. Cui & ipſa cum lampade puritatis & fidei occurrens, in cœleſte palatium, conſors æternarum nuptiarum admiſſa eſt. Ipſo die in diœceſi Nannetenſi ſancti BENEDICTI Eremitæ, qui apud Patras Achaiæ ciuitatem vbi S. Andreas in curru dominico triumphauit, ordine Senatorio natus, patriam, parentes, honores, facultates Chriſti amori poſtponens, vnà cum ſorore & nouem eiuſdem voti ſociis, Carolo Magno Imperatore, in Britanniam Gallicam transfretauit, & Maceracum diœceſis Nannetenſis ſolitudinem ingreſſus, (ſociis Deo commendatis: ſorore Chriſti obſequio cum ſacris Virginibus mancipatâ:) vitam illic Angelicæ æmulam inſtituit ac exegit. Sícque curſu feliciſſimè conſummato, migrauit ad coronam. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confeſſorum, atque Sanctarum Virginum.* MONTANA. BENEDICTVS.

PRVMIÆ animam efflauit feliciter piæ memoriæ LOTHARIVS Imperator Ludouici Pij filius primogenitus, qui factorum pœnitens abdicato Imperio, pro diademate cucullum, pro clamyde cilicium induit, humilitatéque, obedientia, abſtinentia, caſtitate, pietate ad extremum vſque diem exercitatus, quin & admirabilis in omni religionis obſeruantia, beatè quieuit in Chriſto. Laudunii in ſancti Martini cœnobio viam ad cœlos iniit pia morte, beatæ memoriæ THOMAS cognomine LAVRENTIANVS, ob peculiare in ſanctum Laurentium Martyrem ſtudium. Qui religioſæ huius domus ordinis Præmonſtratenſis Canonicus, diuina inſpiratione ad loca ſancta profectus, Hieroſolymis piè luſtratis: pro obedientiæ quam ſupernæ iuſſioni exhibuit munere, in reditu pignore pretioſo, nempe brachió ſancti ipſius Laurentij Martyris cœlitus locupletatus: hoc cum inſigni theſauro Laudunum regreſſus, Anſelmo Epiſcopo nunciauit quantum pignus ex Dei dono adducheret; qui multis in via miraculis, ipſas Martyris ſui reliquias clarificauerat. Indicta ſolemni ſupplicatione prodiit obuiam Epiſcopus cum Clero ſuo & Vvalteto ſancti Martini Abbate *Lotharius Imp. I.* *Thomas dictus Laurẽtianus.*

eiúſque aſcetis: exceptúmque omni venetatione brachium tanti Martyris, in ſacrario illius cœnobij digno cultu repoſuit conditum ferculo aureo gemmis interſertis exornato. At Deus Martyrem ſuum ampliori decore illuſtrauit, editis hac in tranſlatione & ſuſceptione innumeris propè miraculis, quæ cùm germanitatem pignoris ſacri comprobarunt, tum magnam populi in Martyrem beatum deuotionem excitârunt. Cæterùm Thomas pretioſæ ſarcinæ vector, fide, charitate, raráque patientia & humilitate pollens: vigiliis, ieiuniis, orationibus exercitatus, ac miro religionis zelo inſignis, beato fine quieuit, cœleſtiſque Sion municeps (cui per merita iam adſcriptus erat) ſancti Laurentij cuius deuotus cliens fuerat, factus eſt in gloria conciuis. Hoc ipſo die perrexit

Vlricus. ad Dominum VLRICVS Preſbyter & Monachus Villarienſis, vir Angelicæ puritatis. Super cuius caput dum diuinam Hoſtiam immolaret, igneus globus viſus eſt, index caſtæ & feruentis animæ, quam demum exitus ſui præſcius, lætus ad cœlum tranſmiſit: ſigníſque vt in vita claruerat, ſic poſt mortem refulſit.

Sexto Nonas Octobris. Luna

2																	B xxi.
a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ	
10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	
t	u	A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P				
27	28	29	1	2	3	4	5	4	5	6	7	8	9				

SS. LEODEGARIVS. IN agro Attrebatenſi paſſio ſancti LEODEGARII Epiſcopi Auguſtodunenſis & Martyris glorioſi. Is ex Francorum nobiliſſima progenie ortus, in primis ætatis initiis à parentibus, Didoni Epiſcopo Pictauienſi auunculo ſuo, literarum ſtudiis traditus eſt imbuendus. Qui Præſul optimæ eius educationis ſollicitus, probato moribus & doctrina ſacerdoti puerum erudiendum commiſit: ſub cuius diſciplina adeò profecit vt eloquentia, iuríſq. ſacri ac profani notitia, ſcripturæq. in primis diuinæ cognitione, doctis quibuſq. literatæ huius vrbis incolis antecelleret. Igitur anno ætatis vigeſimo cùm morum puritate ac pietate niteret, Diaconus ordinatus, móxque ætatem virtute vincente Archidiaconus creatus, Antiſtiti eo ſolatio fuit, vt *oculus & baculus* eius non tam officio quàm merito diceretur. Mortuo interim S. Maxentij Abbate, Leodegarius cuius religio, prudentiáq. iam plurimùm conſpicua erat, vicem illius ſuſcipere ab auunculo Epiſcopo iuſſus eſt. Cœnobium ſex annis ea laude gubernauit, vt fama eius ad Clodouæi II. aures peruecta, illum in aulam euocârit, eiúſque in Deum pietatem, in rebus gerendis ſolertiam expertus, morum quoque eius candore delectatus, plurimam illi in regni adminiſtratione authoritatem tribuerit. Quem & obeundo diem filiorum curatorem, Bathildíſque vxoris ſanctiſſimæ fœminæ, in imperij regimine adiuuam, & Maiorem domus Regiæ conſtituit. Qua ex clara dignitate, Ebroini implacabile odium incurrit, qui

equitum Præfectus, principatum aulæ ambierat. Vſus eſt tamen hoc munere feliciter Leodegarius, ſub Clotharij iunioris & Bathildis Reginæ auctoritate: quorum etiam iuſſu poſt Ferreoli Æduenſis Epiſcopi fatalem diem, ad Præſulatum illius vrbis multa cum Præſulum ac Procerum gratulatione promotus eſt: qui ſuſcepti ſacri honoris ſic onus ſuſtinuit, vt quæ Paſtoris digna ſunt munera, ſedulò exequendo: nihil tamen curæ aut operæ publicis regni rebus, ſibi ex Maioris Regiæ officio demandatis, derogaret. Enituit toto in Præſulatu eximius Antiſtes tot virtutibus, vt non tam gemmis ornata eius tiara, quàm decore omnis gratiæ, vita eius & conuerſatio coruſcaret. Erat ſiquidem mente tranquillus, corde benignus, eloquio dulcis, prædicatione ſuauis, doctrina fidelis, humilitate ſublimis, caſtitate perfectus, cunctis denique ſanctitatis operibus exornatus. Æduis omnis felicitas acceſſit, cùm tanto Pontifice fruebantur. Interim fatis conceſſit Clotharius, poſt cuius mortem renitente quamuis Ebroino, qui Theodoricum defuncti fratrem minorem natu, præferre ſatagebat: ſagaci Leodegarij prouidentia, iuri æquóque & publicæ vtilitati conſulentis, cunctis quoque regni Proceribus ſuffragantibus, Childericus proximior Clotario ætate germanus, qui Auſtraſiæ iam regnum laudabiliter moderabatur, ſummum Francorum imperium, iam iure ſuum, conſequitur. Qui Leodegarij Præſulis quamdiu conſiliis vſus eſt, rem Gallicam proſperè adminiſtrauit. At viri Dei Rex ille cùm ſana monita cœpit abiicere, in faſtum & luxum abreptus, paulò pòſt interiit funeſto occubitu. Sic igitur Theodoricus ad regnum euectus eſt. Ad quem Ebroinus qui in cœnobio Luxouienſi Monachum iam ab aliquot annis profeſſus fuerat, violata voti religione mox properans, ab eo ſummam Regni præfecturam recepit. Hac verò ſuprema poteſtate potitus, nihil priùs ſibi agendum ſtatuit, quàm Leodegarium perdere. Miſſis igitur Diddone & Guaimero ducibus (qui vindictæ cupidum eius animum exſatiare promittebant) ex Æduenſi vrbe Præſulem ſanctum abſtrahi, dirísque ſubiici tormentis mandauit. Illi igitur profecti cum exercitu Æduorum agros & ſuburbia vaſtare cœperunt, ciuibus acerbiora interminati, ni Epiſcopum mox vrbe extruderent. Qui vir beatus melius ducens animam ſuam pro ouibus ponere, quàm cum earum diſpendio ſuam tueri ſalutem, collecto totius ciuitatis clero, cum reliquiis, crucibus, & pſallentium choris proceſſit obuiam hoſtibus ſuis, qui contempta omni religione eum pontificij inſignibus vallatum nihilominus comprehenderunt: vtque iuſſerat, Ebroinus mox illius oculos

eruerunt. Ductus ſic ab illis in cœnobij cuiuſdam ergaſtulum, illic annis duobus detentus hæſit, omnis patientiæ & humilitatis exemplum præferens. Cæterùm cum *Gairinus* frater beati viri, qui ob metum Ebroini ab aula ſeceſſerat, ad palatium reuerti compulſus eſſet, ſimul & beatus Pontifex ex monaſterio in quo abditus tenebatur regiam iuſſus eſt in curiam adduci. Vbi cùm ambo multis contumeliis & opprobriis eſſent ab Ebroino affecti: ipsíque è contra pacato animo calumnias, quibus onerabantur refellerent: tandem impietatis miniſtri *Gairinum* ad palum alligatum, lapidibus obruerunt, Deo ſpiritum committentem in magna innocentiæ fiducia. Et beatus quidem Leodegarius ſanguinem cum fratre fundere cupiebat: vt coronam iuſtitiæ (quam ambo propugnabant) ſimul cum eo promereretur. Sed horrenda nequitia Tyrannus necem eius protelabat, quòd exiſtimaret per pœnas diù productas, illum tot pœnarum impatientem per ſpiritum murmurationis abreptum in æternos cruciatus ruiturum. Iuſſit igitur eum per quandam piſcinam inſtructam clauorum cuſpidibus, pedibus nudis traduci. Audiens autem quod in his tormentis Deum laudare non ceſſaret, linguam eius quoque & labra fecit incidi. At exſectâ linguâ, vſum ſermonis vir beatus non amiſit: quin Deum benedicere & populo ſalutis dare monita non deſinebat. Tam cœleſti prodigio Ebroinus exterritus, ſanctum Præſulem ad Fiſcanum duci cœnobium, cui *Childomara* ancilla Chriſti Virginum mater præſidebat, per Vuaningum quemdam mandauit. Vbi tamdiu ſub militum cuſtodia, moratus eſt: donec tandem Ebroinus truculentam vt rabiem impleret, inde abductum per ſatellites iuſſit interfici. Nec mora feri emiſſarij quatuor, diuinum pugilem per loca ignota omni cum immanitate traducentes: demum in ſylua, villæ quæ Sarcin dicitur adiacenti, in Cameracenſis Epiſcopij & Morinenſis confinio, illum vt ſibi mandatum erat gladiis conficere decreuerunt. Verùm horum tres pacificis viri Dei concuſſi affatibus, ad pedes eius accidentes veniam compuncti poſtulârunt. Quartus ferocior, nec lucem quæ ſupernè beatum Pontificem circumfulſit veritus, nec voce Deum inuocantis delinitus, gladium ſtrinxit, proſtratíque in oratione diuini Athletæ, caput abſcidit. Erexit ſe mortui exanime corpus, & quaſi horæ ſpatio ſtetit, donec cum pede trudens qui percuſſerat, concidit in ſolum. At non impune tam nefandum ille peregit ſcelus: mox enim in furorem abreptus, ſeſe flammis iniecit, quibus extinctus ad æternos miſer deſcendit ardores. Cæterùm beatus Martyr in propinqua villa ſepultus eſt. Quo

in loco cùm innocentiam & merita eius, in dies repetita prodigia declararent, pia orta eſt tres inter Epiſcopos de ſacro eius corpore contentio. Enimuero *Anſoaldus* Pictauienſis illud ſibi vendicabat educationis ac conſanguinitatis priuilegio. *Vindicianus* Attrebatenſis iure martyrij & ſepulchri. *Herminarius* Æduenſis, Epiſcopatus intuitu, quem geſſerat vir beatus. Sed facta in communi oratione, Pictauienſi Epiſcopo ſacrum corpus concedendum diuinis indiciis declaratum eſt. Sícque euectum ad cœnobium ſancti Maxentij Pictauienſis, quod ante Pontificatum rexerat, digno ibi honore fuit repoſitum. In itinere Deus Martyrem ſuum mirificis virtutibus illuſtrauit, multis infirmorum amotis languoribus, eiectis dæmoniis, ac mortuis etiam pleriſque ſuſcitatis. Caput huius ſancti Martyris nihilominus ſanctus Vindicianus in pignus & monimentum pietatis ſibi vendicauit: quod hodiéque Attrebati ſeruatur in ſcrinio argenteo antiqui operis, in monaſterio ſancti Vedaſti, apud Bronium non procul à Namurco coluntur etiam nonnullæ eius reliquiæ. Lutetiæ Pariſiorum in ſuburbicano monaſterio ſancti Victoris obſeruatur eiuſdem annulus, cuius in aquam immerſione miracula ferè perennia eduntur: nam oculorum infirmitate laborantes, conſecratæ aquæ ipſius perfuſione, recuperant paſſim ſanitatem. Ipſo die Natalis eſt præfati ſancti GAIRINI fratris ſancti Leodegarij, celebris: cuius mors in Dei conſpectu propter innocentiam pretioſa, ab Eccleſia pro martyrio cenſita eſt: hócque titulo eius memoria priſcis tabulis adſcripta, ſacris anniuerſariis honoratur. Eodem die apud Belnam in Vaſtino depoſitio ſancti PIPIONIS Leuitæ, ſocij ſancti Mathurini. Hic eodem ſolo editus opilione patre, & ipſe primam ætatem in ouium cuſtodia exegit: interim cœleſtia cogitans, quorum deſiderio ardebat. Mortuis parentibus quibus opem ſuo ex labore impenderat, Aurelias profectus, literis, quibus ſacræ Scripturæ ad cognitionem perueniret, incubuit; cœlebs, peruigil, ieiunus, deuotus, cultor animæ, corporis caſtigator ſtrenuus. Delibatis igitur cum multo pietatis profectu illic ſapientiæ fluentis, Liricantum ad ſanctum Mathurinum virtutibus & religione pollentem, ſe contulit, quo cum inde ad ſanctum POLYCARPUM Archiepiſcopum Senonenſem venit, benedictionem eius ſuſcepturus. At ille agnita qua induti erant cœleſti gratia, ambos honore Eccleſiaſtico decorauit. Et Mathurinum quidem prouexit ſacerdotio: Pipionem qui altiorem gradum recuſaret, diaconatu tantùm inſigniuit. Delatæ porro dignitatis decore vir humilis nil elatus, quin demiſſior magis factus: quo hominum exi-

Gairinus. Pipio. Polycarpus.

ſtimationem vitaret vili ſub ſchemate longè peregrinari conſtituit. At cùm in Regni vſque extimos fuiſſet terminos progreſſus, morbo in Toloſæ partibus correptus eſt. Deinde valetudine recepta, voti cauſa Romam proceſſit: vbi Mathurinus clarus ſignis nuper obierat, cuius ſacram glebam, magnarum virtutum officinam, in Galliam reuexit ad domum paternam. Redux ſe diuinis exercitationibus magis quàm vnquam addixit: præſciúſque mortis, quàm Angelus beatitudinis ipſi paratæ ſponſor proximam annuntiauerat, ſepulturam ſibi diſpoſuit in ſubterraneo ſacello, in quo ſecretus à frequentia hominum, Chriſto intentus ſeruierat. Sicque febre exeſus, at Chriſti amore magis accenſus, ſpiritum ornatum virtutibus efflauit. Cæterùm dono perenni opitulationis à Deo in tumulo honoratus, meritorum gratia, mirabilia magna in dies operatur. Febre decoctos, alióque languore tabeſcentes, pretioſis interceſſionibus ſanans, atque procellas & quamlibet aëris intemperiem, terræ quoque ſiccitatem

LEVDOMIRVS. fauſta inuocatione depellens. Cathalauni ſancti LEVDOMIRI Epiſcopi & Confeſſoris mirifici. Is ſancti Elaphij Epiſcopi frater, inuitus eidem defuncto ob clara virtutis teſtimonia, electione Cleri, petitione populi, Sigeberti Regis iuſſione ſubrogatus, hanc Cathedram nouo lumine illuſtrauit. Ea enim micuit ſanctitatis gloria, vt cùm ineuentum ſacrificium aliquando in baſilica ſancti Stephani celebraret: dum pro more benediceret populo, efformato ſigno crucis nonnullos energumenos à vexatione liberauerit: in híſque puellam venuſtate corporis æquè ac generis nobilitate inſignem, quam plerique ſacerdotes exorciſmis ſanare nullis potuerant. Luem etiam exitialem precibus ſuis à populo auertit. Mulierem cæcam quæ meritis eius confiſa, opem ipſius implorabat: miſſo Subdiacono qui Chriſti charactere palpebras eius ſignaret, illuminauit. Tantæ enim humilitatis erat, vt ad vitandum laudis rumuſculos, eiuſmodi diuinæ virtutis opera, non per ſe ederet: ſed in his alieno miniſterio vteretur. Mira præditus erat ſimplicitate & innocentia, adeo vt aues beſtiæque in iuſtitiæ ipſius indicium, ei ad libitum obſequerentur. Eiuſmodi meritorum ſignificationibus clarus, anno ætatis trigeſimo quinto, vir cui ſolus vita Chriſtus erat, felici morte defunctus, ad immortalitatem emigrauit. Andaini in Arduenna & Sarchi-

BEREGIRVS. nij ad S. Trudonem in Haſbania, depoſitio ſancti BOREGIRI Abbatis & Confeſſoris. Qui nobili ſtirpe progenitus, ſæculum alta mente cum fucis & deliciis quibuſque aſpernatus, ſe à puero Chriſti ſeruituti, in qua ſola regnatur ſubdidit. In monaſterio ſancti Trudonis ſanctæ religionis tyrocinium executus: ſtu-

diis deinde & actib. pietatis florẽs, ſacerdotio inſignitus eſt. Hinc ob famam ſancti nominis aſcitus à Pipino Heriſtallio Maiore domus regiæ: eam apud ipſum & Plectrudem illius coniugem gratiam iniit, vt ob ſpectatæ religionis dotes, quicquid ſuadebat efficeret, quicquid poſcebat impetraret. Solitudinis igitur cupidus ab ipſa Plectrude locum in media ſylua Arduenna, qui Andainum dicebatur, dono accepit, & in eo monaſterium à fundamentis (cui poſtea ſancti Huberti illic tranſlati nomen inditum eſt) excitauit: vbi multis ſuo exemplo ad piè viuendum collectis copioſaque parta meſſe iuſtitiæ, felici conſumptus ſenio, vitam cum morte commutauit: imo à morte, ad vitam Chriſto vocante profectus eſt, ſanctitatíſque & gloriæ patentia (quæ æternæ venerationi eius memoriam iampridem conſecrârunt) teſtimonia reliquit. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confeſſorum, atque Sanctarum Virginum.*

Hac die celebratur feſtum Angeli cvstonis ex decreto Pauli V. Quæ *Angelus*
ſolemnitas Pariſiis mox recepta, in Eccleſia Sanctorum Confeſſorum Lupi & *cuſtos.*
Ægidij, ipſius Pontificis auctoritate, & Henriei Cardinalis de Retz nuncupati
vrbici Antiſtitis permiſſu, inſtituta eſt. Vbi quotannis eximia deuotione, non
modo parœcianorum, ſed & multorum aliorum inſignium ciuium, qui tutelæ
Angelicæ præſidia expetunt, ipſa hæc feſtiuitas peragitur. At pridem ante ſanctus Ludouicus ſe vt Angelica clientela muniret, Catnuti in ſummo Deiparæ
templo capellam in honorem Sanctorum Angelorum fundauerat. Claromonte autem Aruernorum antiquiſſima exiſtunt altaria Angelis cuſtodibus nuncupata: vt iſta deuotio apud Galliæ populos non nupera, ſed vetuſta ſatis, fluénſque è religionis ſanctiſſimæ fontibus, qui à maioribus ad poſteros emanarunt,
meritò videatur. Ipſo die Remis facta recolitur ſolemni admodum celebritate,
dedicatio nouæ baſilicæ Archimonaſterij ſancti Remigii ad ſupplicatio-
nem Hetimari Abbatis per S. Leonem Papam nomine nonum, qui ſancti Re- *Remigius*
migij corpus nouam in abſidem, magno cum honore tranſtulit. Deinde & Con- *iterum.*
cilium ibidem cum Epiſcopis Galliæ & Germaniæ, qui ipſi dedicationi interfuerunt celebrauit. Ad quæ dedicationis, repoſitionis, ſynodicæque indictionis ſolemnia, innumerabilis ferè multitudo confluxit hominum, non ex ſingulis duntaxat Galliæ prouinciis ſed ab extremis quoque finibus Germaniæ, Angliæ & Hiſpaniæ, qui cum benedictione Apoſtolica ſanctíque Confeſſoris, (cuius tunc mirificè coruſcarunt meritorum inſignia) protectione, læti ad ſuos quique lares redierunt. In territorio Viennenſi, Romano oppido ad Iſaram, dedicatio baſi-
licæ cœnobij illic fundati per ſanctum Barnardvm Archiepiſcopum Vien- *SS. XII. A-*
nenſem. Qui ipſam à ſe conſtructam Eccleſiam conſecrauit in honore duode- *poſt. & III.*
cim Apoſtolorum & Sanctorum trium Martyrum Seuerini, Exupetij & Fe- *Mart. Se-*
liciani, aſſiſtentibus ſibi octo ſuis ſuffraganeis. In hac verò, deinde glorioſus *uerinus, E-*
ipſe Fvndator ſepultus, fulgore miraculorum quibus in tumulo reſplen- *xuperius &*
duit: eiuſdem ſibi patrocinium demum vendicauit, veteri nuncupatione in *Felicianus.*
ſui nominis titulum, iampridem per vſum communem conuerſa. Abiit ad *Barnardus.*
præmium pientiſſimus Princeps Theobaldvs Comes Campaniæ, merito *Theobal-*
dictus pater orphanorum & Iudex viduarum, oculus cæcorum & pes claudo- *dus.*
rum. Suſtentatis enim multis egentium gregibus ædificatis ac dotatis plurimis monaſteriis, triumphato denique ſæculo, & terreno principatu (quem, aſſumpto tandem Claræuallis religioſo habitu, abdicauit,) Chriſti famulatu

commutato, in quo ad extremum vſque ſpirirum perſeuerauit, regnum beatitatis æternum conſcendit. Eodem die exceſsit è carne pio tranſitu, GODEFRIDVS cognomento PACHOMIVS eiuſdem ordinis & cœnobij alumnus, vir mirum in modum humilis, præclariſque prodigiis illuſtris.

Godefridus dictus Pachomius.

Quinto Nonas Octobris. Luna

3																	XX.
	a	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	p	q	r	ſ
	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27
	t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
	28	29	1	2	3	4	5	6	5	6	7	8	9	10			

SS. DIONYSIVS Areopagita.

NATALIS ſancti DIONYSII Areopagitæ, Athenis, vbi à Paulo Apoſtolo illuminatus eſt, primúſque ſedit Epiſcopus, eſt hodie Græcorum more celebris. Qui tametſi in Gallia paſſum virum hunc Apoſtolicum fateantur: ne tamen erga eum viderentur ingrati, memoriæ eius & peculiarem cultum referrent, venerationi eius coronæ, hunc diem (qui alius ab eo eſt, quo Latini agonem eius celebrant,) ſignatum ſuis diptychis, perpeti deuotione conſecrarunt. Ipſo die Natalis Sanctorum Martyrum AMBORVM EVVALDORVM, qui germani fratres, natione Angli, dignitate Presbyteri, ſocietate religioſi, in VVeſtphaliam (quæ antiquæ Saxoniæ pars eſt:) vt genti Chriſtum neſcienti lumen fidei afferrent profecti: ob Euangelij prædicationem illic à Paganis occiſi ſunt. Horum corpora ab homicidis illis in Rhenum proiecta, contra impetum fluuij decurrentis, per quadraginta fere paſſuum millia, ad eiuſdem profeſſionis ſocios aliquot, radio lucis permaximo deſuper ſe illuſtrante, tranſuecta ſunt, & digno Martyribus honore ſepulta. Quo comperto glorioſus Dux Francorum Pipinus, adducta ad ſe Sanctorum corpora, ſplendidè admodum, Coloniæ in collegiata ſancti Cuniberti Eccleſia recondidit. Apud Bronium in Namurcenſi Præſulatu antiquæ Metropolis Remenſis portiuncula depoſitio ſancti GERARDI Abbatis fundatoris illius cœnobij, viri miræ ſanctitatis. Qui apud Stablecellas vicum, patre Stantio ex proſapia Aganonis Auſtraſiorum Ducis, matre Plictride Stephani Tungronum Epiſcopi ſorore, procreatus; ſpiritualia corporalibus anteponens, Berengarij Comitis Namurcenſis, cui intimè dilectus erat, relicta aula, ad ſancti Dionyſij monaſterium, pone Auguſtam Pariſiorum Lutetiam contendit: ibíque monaſtica veſte ſuſcepta, prima ſolidæ pietatis elementa inſtar pueri quinquennis didicit: & paulatim ad religioſæ perfectionis inſignia aſſurgens, presbyterio decorari pro-

Ambo Evvaldi fratres.

Gerardus.

meruit nono à conuerſione ſua anno. Deinde memor oratorij quod in Bronio fundo auito, diuino monitu conſtruxerat: ſancti Eugenij Toletani Archiepiſcopi, glorioſi Martyris Dionyſij Symmyſtæ, cuius corpus ipſo in cœnobio quieſcebat; reliquias aliquot impetrauit. Quibus pretioſis pignoribus ditatus, aſſumptis ſecum aliquot ſuæ profeſſionis monachis, Bronium paternam domum repetiit, vbi ſacris illis exuuiis ſua in ædicula collocatis, auctoritate Stephani Papæ, pro clericis monachos ſubſtituit. Abbatiſque munere perfunctus tanta illic emicuit pietate, vt virtutum fragrantia illectis ad puriorem regulæ obſeruantiam circumuicinis aſcetis, octodecim monaſteria ad perfectæ cultum religionis perduxerit. Quorum omnium factus Abbas, peruigilem iiſdem impendit curam. Demum ad Bronienſe cœnobium, vnde orſus erat pietatis opus, reuerſus, ibidem munitus ſalutis æternæ præſidiis, feliciter in Domino obdormiuit: miraculiſque clarificatus, monaſterio ſuo, cuius apud Deum perpetuum patrocinium gerit; cum tumuli honore, nominis quoque indidit qua etiamnum pollet nuncupationem. In Campania ſancti IOVINI Confeſſoris & Eremitæ, qui ex agro Re- IOVINVS.
menſi oriundus, ſeruili ſorte, per ſyncerum Dei famulatum, ad libertatem quam intuitu pietatis & inſignium gratiæ ei contulit Marcus Comes Stadunenſis, peruenit. Hácque vt Apoſtolus monet bene vſus: multos è ſeruitute peccati ad Dei filiorum libertatem ſtrenuo conatu perduxit. Deinde cùm in ſeceſſu multa mira patraſſet, placido exceſſu, perrexit ad Dominum. Corpus eius poſt edita eius in funere multa prodigia, tandem in ipſo oratorio cellulæ quam incoluerat ſepultum eſt: vbi crebreſcentibus ſignis, inſignis condita eſt baſilica, cui adiunctus vicus ſenſim in oppidum excreuit, propter tanti Confeſſoris opitulationem iam ipſius nomine conſpicuum. Ipſo die depoſitio itidem ſancti GILBERTI fundatoris & primi Abbatis Monaſte- GILBERTVS.
rij B. Mariæ nouem fontium in Claromontenſi diœceſi. Hic clara priſcæ nobilitatis ortus ſerie, armis æquè ſtrenuus, ác opibus pollens; felicíque potitus connubio, at nihilominus pietate impensè affectus: zelo propugnandæ Chriſti gloriæ, aduerſus Saracenos cum Rege Ludouico Iuniore in Orientem perrexit: datâ antequam diſcederet operâ, vt quantum diebus ſingulis ſibi præſenti conſueuiſſet tribui alimenti, tantum quamdiù abeſſet pauperibus impertiretur. Ea autem magnanimitate hac in expeditione præcelluit, vt propter bellicæ virtutis induſtriam à Rege totius exercitus regimini præficeretur. Tanta erat in duce fortiſſimo moderatio, tanta rectè viuendi agendíque con-

ſtantia, vt qui ſtrenuum ſe foris & inuictum militem præbebat, domi clericum prorſus agere videretur, ſuiſque verendus, hoſtibus terribilis, omnibus amabilis fieret. Improſperè tamen cùm Regi res ceſſiſſent, cum eo in Galliam reuerſus, domi ſe recepit: atque concepto rerum humanarum faſtidio, vxorem PETRONILLAM & PONTIAM filiam eo accendit pietatis æſtu, vt ſimul calcato ſæculi faſtu & amore, ſe ſuáque Chriſto penitus dedicârint. Sic igitur facultates diſpertiendas decreuerunt, vt partem alteram ſubleuandæ mendicorum egeſtati, alteram duobus extruendis Præmonſtratenſis inſtituti Monaſteriis impenderent. Parthenonâ itaque ædificata apud Scholam Aruerniæ ſub inuocatione Sanctorum Martyrum Geruaſij & Protaſij: Petronilla Gilberti vxor amicta ſacro velamine, primam illius curam ſuſcepit: ea probitate & ſuauitate morum ac religionis obſeruantia, vt nobiles quaſque puellas à mundi illecebris reuocaret, alliceretque ad ſanctæ vitæ inſtitutum. Suffragabatur matri Poncia filia, virgo haud impari ſanctitate: ipſique poſt felicia funera, ſucceſſit. Galterus verò ad locum qui vulgo Nouem fontium dicebatur ſeceſſit, tanquam in eremum, vbi ordinis Præmonſtratenſis militiæ adſcriptus, rudi veſtitu & cilicio, victúque aſpero; charitate, humilitate, patientia, cæteriſque virtutibus inſignis, abſoluto tandem vitæ potiùs Angelicæ quàm humanæ decurſu, miraculis clarus, ad ſupernæ patriæ, quam intimis præcordiis ardebat, tranſiuit fruitionem. Ad cuius tumulum multi confluentes (pellecti multitudine diuinarum virtutum quæ cùm circa omnes, tum maximè circa pueros fiunt) ſanitatum ſolatia conſequuntur. Colitur vir beatus ſuo in ordine & cœnobio iam ſuo nomine inſigni, repetitis ſacris octauo Idus Iunij, qui eſt dies depoſitionis; & iſto die, qui eleuationis. Petronilla verò eius beatiſſima vxor, cum Poncia filia meritiſſima tertio Idus Iulij. Auriliaci ſancti GERALDI Comitis & Confeſſoris admiranda ſanctitate illuſtris: cuius decora ſanctus Odo Abbas Cluniacenſis, quatuor libris celebrauit. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confeſſorum, atque Sanctarum Virginum.*

PETRONILLA & PONTIA.

GERALDVS.

Godefridus. MORTE hodie exemptus eſt piæ memoriæ GODEFRIDVS Monachus Villarienſis, Angelica puritate, (ob quam à cœli ciuibus viſitari non ſemel demeruit) miraculis ac prophetiæ lumine conſpicuus. Hoc ipſo die Societas IESV, magno Reipublicæ Chriſtianæ bono, fuit à Paulo III. Pontifice Maximo primùm confirmata anno 1540.

Quarto

Quarto Nonas Octobris. Luna

4 D xix.

a b c d e f g h i k l m n p q r ſ.
12 13 14 15 16 17 18 19 20 21 22 23 24 25 26 27 28
t u A B C D E f F G H M N P
29 1 2 3 4 5 6 7 6 7 8 9 10 11

TRANSLATIO S. BARTHOLOMÆI Apoſtoli, cuius caput Toloſæ in ſacrario ſancti Saturnini: brachium alterum in Gerciacenſi Parthenona Pariſienſis diœceſis pridem repoſitum: alterum Bethuniæ in collegiato ipſius Apoſtoli templo conditum, condigno honore ſeruatur. Ipſo die Lutetiæ Pariſiorum natalis ſancti LISBII Pariſiorum Eccleſiæ Protomartyris, qui primus è Gallica nobilitate ſalutiferis baptiſmi aquis à ſancto Dionyſio expiatus, & Chriſti nominis gloria extitit inſignitus. Hic vir illuſtris & locuples, ingreſſum Pariſios Dionyſium cum Ruſtico Preſbytero Eleutherióque Diacono, primus audiuit, ſuſpexit, ſuóque hoſpitio excepit. A quo viciſſim plenè edoctus quæ Chriſti ſunt, tanta fidei ſuſceptæ rependit obſequia, vt in promouenda Lutetiæ pietate, beato ipſi Dionyſio præcipuus poſt ſacros illos myſtas ſuffragator fieret. Huius autem inſignis benignitas, pelliciendis ciuium animis; tuendis nouæ religionis præconibus authoritas; opes ſtruendis ſacellis & oratoriis, in quibus myſtici cœtus Chriſtiano ritu agerentur, mirum in modum profuit. At pius vir ex quibus fomentis Chriſti gloriam prouehebat, ex iiſdem accepit cauſam & perſecutionis & coronæ. Larcia enim eius coniux, tantarum impenſarum quibus dilapidari rem familiarem arbitrabatur, impatiens, virum tanquam ſummæ in Deos impietatis reum, fautorémque Dionyſij quem magiæ incuſabat, detulit ad Feſcenninum Præſidem, qui Dionyſium iam cum ſociis in vincula coniecerat. Hunc Larcia deprecabatur, vt ſumpto de Dionyſio præſtigiatore (vt aiebat) ſupplicio, maritum qui ad Chriſtianam diſciplinam ipſam perpetuò vrgebat, quà authoritate, quà ſuaſione ſatageret ad auita ſacra reducere. Et verò Præſes ſperabat ſe facili negotio rem cum Liſbio tranſacturum. At contra quam ſibi perſuadebat prorſus euenit. Mox enim adfuit tribunali Liſbius, & pro Chriſto eiúſque fide rupis inſtar inmotus ſtetit, nulliſque argumentis, nec minis, nec blandiciis moueri de ſententia potuit. Cùm Præſes igi-

SS. BARTHOLOMÆVS.

LISBIVS.

Mmm

tur inuictum pugilem fruſtra ſe cerneret impetere: à quo etiam cæcitatis in deorum religione ſe ſentiret redargui, ſubtilibúſque inſpiratarum de cœlo rationum aculeis ſe ad viuum pungi non ſuſtineret, hinc factum eſt, vt ſui impotens, mortis in eum præcipitârit ſententiam: dúmque vitam putat eripere, immortalem ei gloriam præparârit. Breui ſiquidem poſtea pro Chriſtiani nominis propugnatione capitis ſupplicio affectus Liſbius, æternam martyrij lauream, plaudentibus è cœlo Angelis conſecutus eſt. Ita magiſtros ſuos & doctores, nimis quàm felici ſorte diſcipulus anteceſſit: & ita quidem, vt ſuæ in ipſos Deo acceptiſſimæ hoſpitalitatis (qua primùm in territorium Pariſienſe ingreſſos, excepit, iuuit, protexit) triplex à Domino benigniſſimo receperit præmium. Quorum primùm quidem illa fuit nobiliſſima martyrij aureola. Secundùm Larciæ vxoris (pro qua tot ad Chriſtum gemitus preceſque viuus fuderat) ad eamdem fidem eamdémque palmam, vocatio. Tertiùm denique totius poſteritatis ſuæ perennis in Chriſtiana fide conſtantia. Ipſo die Treuiris Paſſio Sanctorum Martyrum THYRSI ducis & SOCIORVM militum: qui ſancti Mauricij Thebeæque legionis exempla præclara imitantes, tanta conſtantia Idolorum ſacrificia execrati, quanta fide & fortitudine ſacratiſſimam Chriſti religionem profeſſi, iubente Rictio Varo piorum teterrimo in Galliis carnifice: gladiis militum ethnicorum impetiti, trucidatíque ad internecionem deleti ſunt. Horum corpora feris & auibus relicta ſunt deuoranda. Cæterùm ex his *innumeris heroibus* tanta multitudo ad littus Moſellæ iuxta Capitolium iugulata eſt, vt ſanguinis riuuli defluentes aquas fluuij in ſuum colorem conuerterent, & naturali claritate neglecta, peregrino magis quàm proprio colore ruberent. Porro Deo athletas ſuos glorificante in honore ſanctiſſimæ Virginis & ipſorum hoc idem Capitolium dedicatum eſt: & locus in quo agonem peregerunt ad eorum memoriam, *littoris ad Martyres*, vocabulum accepit. Item apud Turones ſancti QVINTINI Martyris, qui Chriſti nominis feruentiſſimus propugnator: ſanguinem pro eo libenter profudit, mortéque immortalitate commutata, de ſupplicio ad triumphum perennem euectus eſt. Ipſo die Natalis Sanctorum AMELII & AMICI, qui patria Aruerni, fortitudinis pollentes bellicæ gloria, nec minus pietatis & iuſtitiæ decore: in defenſione Eccleſiæ pugnantes ſub Carolo Magno, felici agone occubuerunt. Sícque, qui in vita, moribus & forma perſimiles dilexerunt ſe: ita nec in morte fuerunt ſeparati.

THYRSVS & ſocij ferè innumeri.

QVINTINVS.

AMELIVS & AMICVS.

Nam in eodem certamine enecti, in eodem quoque tumulo prope Papiam, diuino nutu ſepulti ſunt. Veroduni in Lotharingia ſancti MAGDALVCI illius ciuitatis Epiſcopi & Confeſſoris. Hic eadem in vrbe natus, ab ineunte ætate eruditus literarum ſtudiis, maximè verò diuinarum ſcripturarum ſcientia, Chriſto carnis ſuæ integritatem conſecrauit. Obque caſtiſſimos mores in Clerum cooptatus, obeunte diem Agronio Virdunenſi Præſule, Pipino Rege omnium votis annuente eius in locum ſuffectus eſt. Sedem quam deſolatam inuenit bellorum turbinibus, ſanctorum operum admirandorúmque ſplendore, priſtino decore reparauit. Hinc deuotione feruens, Chriſti cunabula ac funera profectus Hieroſolymam viſitauit: vbi ſuſceptus ab Euſebio Patriarcha, ob ſpectatam ſanctimoniam, religioſis muneribus honoratur. Quæ reuerſus ad propriam ciuitatem, in ſacrario ſummi templi Deiparæ vbi decenter collocaſſet, tandem virtutes virtutibus accumulans, vir Deo dignus, in beatæ mortis requie obdormiuit. Mox ac ſpiritum efflauit ſanctus Præſul, duæ columbæ niue candidiores ab æthere cunctis videntibus lapſæ ſuper crucem, quæ ante corpus eius poſita erat ſederunt: & per omnes exequiarum moras, vſquequo traditum eſt ſepulturæ manſerunt: ſicque intuentibus qui aſtabant iterum poli ſecreta petierunt. Cùm autem ſepulchrum eius quotidianis virtutum prodigiis coruſcaret, & crebris populorum frequentaretur excubiis, quadrageſimo poſt obitum ſuum anno, ſacrum eius corpus à Petro Antiſtite exhumatum, velut ſoporatum & viuens, candoréque liliorum ac roſeo rubore reſperſum, miróque fragrans odore inuentum eſt: quibus indiciis, meritorum eius magnitudo decúſque gloriæ qua beatus fruitur apud Deum apparuit. Natalis ſancti FRANCISCI, viri Seraphici, Chriſti crucifixi tubæ & ideæ; Minorum, quorum Galliæ hactenus vberes fructus ſenſerunt, Patriarchæ: in quem ita deuotus extitit ipſis ab ephœbis ſanctus Ludouicus Francorum Rex, vt cum ipſo anno quo inunctus eſt Remis, minores ex Aſſiſio ceruical humile quo ſub morte vir ille beatus vſus erat, ad ipſum miſiſſent: id quidem pro dono magno ſuſcipiens Ludouicus, magna religione ad obitum vſque penes ſe habuerit. Piam verò ſobolem tanti Patris toto affectu complexus, paulò pòſt in Franciam euocauit, cœnobiis auxit. Regulam inſuper quam tertiam vocant, ab ipſo beato Franciſco in gratiam fidelium laicorum inſtitutam, amplexus, ſic in regno & coniugio ſub hac diſciplina vixit, vt qualis præceptor pietatis fuerit ſanctus Franciſcus palam actibus prodiderit: ſub cuius reſſera perfecti

MAGDALVCVS.

FRANCISCVS.

Mmm ij

religioſi, beatus ipſe Ludouicus formam induerit, & nihilominus quæ abſoluti Principis ſunt munia, egregio prorſus ac felici regimine præſtiterit. Ipſo die Lutetiæ Pariſiorum ſanctæ
AVREA. AVREÆ Virginis, quæ natione Syra, ſtirpe edita illuſtri, præſtantíque forma; cùm præter caſtæ mentis cœlóque addictæ decora, ſupernis dotibus rutilaret: humilitatis & caſtitatis amore, ſe mari permiſit, & in Gallias Deo auſpice ducta, Pariſios vſque venit. Vbi à ſancto Eligio ob diuinæ gratiæ quæ in ea micabant inſignia, paterno ſuſcepta affectu: ab eo locum à ſtrepitu & turbis ſecretum petiit, in quo puræ mentis exercitationibus, quibus delectatur Virginum ſponſus IESVS, eidem omni vitæ decurſu famularetur. Cui vir beatus, obtentu pietatis reſignata domo propria, inibi ſacram illi parthenonam ædificauit, & trecentis quas virtutum fragrantia mox illa ad ſe pertraxit virginibus, ipſam præfecit fidei religioníſque magiſtram. Hîc Aurea ſanctiſſimæ vitæ exordium duxit: omnibúſque exemplo velut ſol quidam inter ſidera facem ſanctitatis prætulit: aureis veluti radiis virtutum, patientia vtique ieiuniis, orationibus, ſanctíſque inſtitutionibus & documentis, quæ ex ſacrorum librorum meditatione hauriebat, commiſſo ſibi gregi prælucens. Contigit interim vt cùm in villa ageret ſancta Abbatiſſa, cellaria monaſterij vrgenti morbo victa, carnem exuerit. Cui ſorores iam funebria præſtiterant, cùm Aurea fuſa in preces tantum ſuis meritis apud Chriſtum effecit, vt defunctam à mortuis triduanam, obſtupeſcentibus cunctis ſuſcitaret. Deinde accepta ab ea commiſſorum ratione: Aurea ipſa iubente, in ſomno pacis iterùm eadem cellaria obdormiret. Aliis miraculis fulſit permaximis. Nam & prunas in gremio, illæſo corpore & veſtimento, virgo quæ omnem ardorem puritate Angelica extinxerat, aſportauit. Zelo tamen Dei intentiſſimo flagrabat: quo incenſa cùm aliquando Diaconus in diuina actione Euangelium incongruè legeret: illa de collo eius ſtolam auferens ſacram lectionem peregit. Quamobrem increpata ab Angelo, pœnitentiam ſibi aſperam grauémque adeo indixit, vt depoſita religionis præfectura, arctam in cellulam ſe retruderit, vbi incluſa perſtitit annos ſeptem, tanta in abſtinentia vt pane vix ſe refocillaret, & ne aquam quidem niſi cinere percollatam deguſtaret. His ſanctæ vitæ actibus perfuncta chara Deo Virgo, præſcia obitus curſum feliciter impleuit: graſſante enim Pariſiis lue peſtifera, nominatim cum centum & ſexaginta ſororibus vocata ad præmium à ſancto Eligio, qui iam defunctus adoleſcenti cuidam oranti in templo apparuit: collegium Virginum conuocauit,

quibus poſt ſalutaria exhortationis verba ſigillatim valedicens, ſéque crucis ſigno muniens, tandem ab hac luce caduca, ad æterna gloriæ lumina migrauit. Cuius ſplendores mirificos exeruit in cœmeterio ſancti ſepulta: vnde poſtea diuino nutu reducta ad Monaſterium ſuum, quod S. Eligius condiderat ſub nuncupatione Sanctorum Martialis & Valeriæ, ibidem fixa requie, magno cum honore hactenus perſeuerat. Et ſæpè quidem Pariſienſes ciues beatæ huius cœlitis opem publicis in calamitatibus experti ſunt, potiſſimum cùm ab immani incendio, ſubinde ab illuuione formidabili, quibus regia vrbs alternis vicibus periclitabatur, ſanctæ ipſius Virginis patrocinio, ciuitas ipſa mirabiliter erepta eſt. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confeſſorum, atque Sanctarum Virginum.*

Vrbanus Papa IV.

OBIIT Peruſij beatæ memoriæ VRBANVS Papa IV. qui ſolemnitatem auguſtiſſimi Sacramenri quotannis toto orbe agendam, feria quinta poſt Octauam Penrecoſtes inſtituit: officiúmque in ea vſurpandum concinnatum ſuo iuſſu à beato Thoma Aquinate, Apoſtolica auctoritate approbauit. Erat hic beatiſſimus Papa natione Gallus, parria Trecenſis. Cùm autem ſub Chriſti diſciplina ab infantia fuiſſet educatus, ob morum nitorem & doctrinæ præſtantiam, primùm Leodienſis Eccleſiæ Archidiaconus: inde quod maioribus honorum titulis merita dignum indicarent, ab Alexandro IV. Ponrifice Maximo, Patriarcha Hieroſolymitanus, & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis creatus eſt. Hincque mortuo Viterbij ipſo Alexandro, omnium Cardinalium ſuffragiis in eius locum ſubrogatus 4. Kalend. Septembris, ſedit in Cathedra Apoſtolornm principis glorioſiſſimè, annos tres menſem vnum, duóſque dies. Sicut verò vniuerſam Eccleſiam admirandis virtutibus illuſtrauit; ita & lachrymabili præmaturóque obitu mœrentem reliquit. Parriæ autem memor Optimus Maximus hic Pontifex, Trecis natali ſolo templum ſub S. Vrbani Papæ, & Marryris titulo excitauit, in ipſo meditullio vrbis paternarúmque ædium fundo, in quo poſuit duodecim Canonicos ſacris operanres, quibus reliquias Sanctorum pretioſas, in híſque cranium DANIELIS Propheræ & Martyris religioſè aſſeruandas commiſit. *Daniel Propheta & Martyr.* At verò illam Baſilicam, eò quod intendebat ſplendoris, breui Pontificatus rempore deducere non potuit: ſed pium eius inſtitutum *Ancherus* eius nepos, Cardinalis tituli ſanctæ Praxedis perſecutus eſt, qui ſua munificentia ipſius Eccleſiæ prouentus plurimùm ampliauit, & luculenris priuilegiis à ſummis Pontificibus impetraris eamdem Eccleſiam exornauit. Abiit hac ipſa die ad beatorum optatum contubernium. *Franciſcus Titelmanus.* FRANCISCVS Titelmanus, religioſiſſimus ordinis ſancti Franciſci, cuius nomen ferebat, aſcera Theologúſque egregius: qui cùm Louannij, vbi teſſeram ſacram acceperat, apud ſuos ſymmyſtas ſacras literas diù explicuiſſet, & exurgentes hæreſes, quà voce quà libris editis inrer primos acriter oppugnaſſet: inde Lutetiam lirrerarum arcem, Romámque ſanctitatis domicilium profectus, audirò rigidiorem ſui ordinis regulam in vſum reuocari, ad ſupremum pietaris apicem anhelans, Capucinis ſacra in vrbe adſcriptus, in xenodochio curandis lepra aliſque morbis laborantibus ſe applicuit. Vbi cùm agnitus à conterraneis rogaretur, cur non Romæ ſicut Louannij ſacras literas quarum ſcientia eminebat profiteretur. Ille eos ad Leproſos deducens. *Ecce* (inquit, oſtenſis ægrotis) *hic meus Auguſtinus, Hieronymus, Chryſoſtomus & Baſilius eſt.* Subindicans ſtudiis quibuſque doctrinæ, charitatis officium præferendum eſſe. Mortuus eſt vir verè pius Anticoli Romano in agro relicta ſanctitatis ſuæ magna exiſtimatione: quæ altiùs incuſſa eſt ho-

minum mentibus, cùm detectum ipſius corpus poſt annos aliquot incorruptum repertum eſt. Ad quod exinde etiam fieri cœpit poſtulantium beati viri opem fidelium frequens concurſus. Feliciter etiam hodie in Chriſto obdormiuit piæ memoriæ ERVEVS Abbas Vrſicampi: quam Valeranus eius deceſſor Monachum fecit: Sanctus autem Bernardus futurum in religione magnum diuinitus præſciuit & prædixit. Eodem die Nannetis piè admodum defuncta eſt, beatæ memoriæ FRANCISCA Amboſia, ex præpotenti Duciſſa Britanniæ humilis Monialis, fundatrixque religioſarum Carmelitarum, æquè ſanctitatis operibus ac inſigniis gloriæ, quam admirabili vita promeruit, conſpicua. Sancti Francisci natalem, dignus eius fœtus hodie fortunata coronide decorauit ADAMVS Sasboldus Louanienſis Theologus, vir non minùs actibus pietatis, quàm ſapientiæ Chriſtianæ ornamentis inſignis, cœlóque dignior quàm ſolo, vnde ad requiem Dei filiorum euectus eſt ætatis anno trigeſimo ſexto, relictis miræ ſuæ eruditionis & mentis deuotæ raris ac præclaris monimentis. Ipſo die Dedicatio Eccleſiæ ſacræ Inſulæ Lerinenſis, in honorem ſanctæ Deigenitricis. Item Eccleſiæ maioris ſancti Honorati, & capellæ ſanctæ Crucis infra turrim.

Eruens. *Franciſca Amboſia.* *Adamus Sasboldus.*

Tertio Nonas Octobris. Luna

ſ E XVIII.

a b c d e f g h i k l m n p q r ſ
13 14 15 16 17 18 19 20 21 22 23 24 25 26 27 28 29

t u A B C D E f F G H M N P
1 2 3 4 5 6 7 8 7 8 9 10 11 12

SS. PALMATIVS, MAXENTIVS, CONSTANTIVS, CRESCENS, IVSTINVS, LEANDER, ALEXANDER, SOTHERS, HORMISDA, PAPIRIVS, CONSTANS, IOVINIANVS.

AVGVSTÆ Treuirorum Natalis Sanctorum Martyrum PALMATII Proconſulis, MAXENTII, CONSTANTII, CRESCENTIS, IVSTINI, LEANDRI, ALEXANDRI, SOTHERIS, HORMISDÆ, PAPIRII, CONSTANTIS & IOVINIANI virorum Patritiorum, quos Rictius Varus impius Præſes, ob fidei aſſertionem gladio necauit: cùm euocatus à Maximiano Imperatore ad lanienam piorum militum edendam, ciuitatis huius nobiliſſimæ muros & agros, Chriſti athletarum cæde immaniſſima, cruentauit: vt die præcedenti commemoratum eſt. Valentiæ Segalaunorum ſub Viennenſi prima, ſancti APOLLINARIS Epiſcopi illius ciuitatis & Confeſſoris, viri miræ ſanctitatis & ſigniferæ virtutis. Qui Iſicij Senatoris Viennenſis ſubindéque Præſulis, filius, frater verò ſancti Auiti eiuſdem Metropolis Archiepiſcopi: poſt longum Valentinæ ſedis interpontificium (quam Maximus ſectator Manichæorum hæreſis ſuæ impietate & turpi vita fœdauerat, eámque ob remiuſſu Bonifacij primi Papæ ab Epiſcopis Galliæ præſulatu fuerat Synodica condemnatione deiectus:) vt poſt diutinam caliginem ſidus perlucidum lumen ferè illic extinctum pietatis repararet, meritis ſanctimoniæ & raræ eruditionis illuſtris, ad illius vrbis Epiſcopatum diuino conſilio promotus: expanſis Apoſtolici ſpi-

APOLLINARIS.

ritus & virtutis radiis, ciues deſolatos lætificauit. Affluenti ſiquidem doctrina, flagranti in Deum amore, ouium eximia dilectione, & ſanctiſſimæ conuerſationis exemplis, ſigníſque etiam admirandis id præſtitit, vt vindicata mox Chriſtiana religio, vires & decus priſtinum reſumeret: incolæque in vias pacis & iuſtitiæ vnanimiter ambularent. Non id gratè tulit liuidus piorum hoſtis, viarúmque Dei perpetuus aduerſator. Cùm enim immiſiſſet in cor Stephani Curatoris fiſci Sigiſmundi Regis, tantum libidinis æſtum, vt defunctæ coniugis ſororem ſibi illicitò coniugio copularet: vírque Dei Apollinaris zelo iuſtitiæ & honeſtatis ſicut pridem Ioannes incenſus: ſcelus nefandum poſtquam ſæpè reprehendiſſet, inceſtuoſum illum pertinacem in fœtore luxuriæ, in Synodo quam cum Auito fratre metropolitáque ſuo & comprouincialibus Epiſcopis eam ob rem habuerat, gladio anathematis percuſſiſſet: permouit tùm dæmon per illum perditum peccatorem ita Regis animum, vt ſanctis conſidentibus Præſulibus, potiſſimum verò beato Apollinari dira quæque interminaretur, ni excluſum ſacris hominem protinus in communionem reciperent. Tamen remiſſo nonnihil (ne ſimul tot Eccleſias orbaret paſtoribus) furore: Epiſcopos quidem cæteros adhuc in Synodo reſidentes iuſſit ad propria reuerti. Sed cùm Apollinaris qui primarius in cauſa videbatur, ſua in ſententia perſiſteret, nec vllis illiciis aut terroribus poſſet ab illa deduci: tum Rex in eum omne odij euomuit virus: & quà iniuriis, quà inſidiis petitum, ſolo & ſolio coëgit excedere. Cum fidis igitur aliquot aſſeclis beatus Pontifex deſertum in locum ſe recepit: vbi cùm illi, arente humo ſiti ingenti laborarent, oratione ſua fontem aquæ viuæ leuando ſuorum ardori obtinuit: qui eo abcedente hinc cum ſociis mox exſiccatus eſt. Contigit interim vt Rex ipſe qui beatum Præſulem nec videre volebat, nec audire, cuius in perniciem iurauerat: Deo volente in febrim adeo grauem incideret, vt exitio proximus à medicis crederetur. Eo in diſcrimine inualuit Reginæ fides: quæ pietatis alis ſubuecta, ad Pontificem beatiſſimum properans, feruida ipſum deuotione orauit, vt iniuriæ immemor, gratis ſuis Deo precibus Regi incolumitatem impetraret. Qui deſperatione fletibúſque religioſæ Principis concuſſus, cucullam ſuam ipſi dedit, cuius attactu febrilis ardor protinus reſtingueretur. Rediit Regina tanto fulta pignore: firmáque fide, vbi veſtem viri Dei ſuper Regem expandiſſet, protinus is, effugata infeſtatione morbi, gratiam percepit perfectæ ſoſpitatis. Multa alia edidit prodigia vir diuinus, vtcùm Rhodani tumentes fluctus auráſque ve-

hementes repreſſit, quæ nauim in qua erat quatiebant: túmque Aliphium puerum à dæmone obſeſſum liberauit, & Presbyterum eadem infeſtatione vexatum. Poſtremò poſt glorioſum excurſum ad ſedem rediit: vbi micans iuſtitiæ teſtimoniis & dominicis præmunitus ſacramentis, feliciter migrauit ad præmium. Præfuit Eccleſiæ Valentinenſi annos triginta quatuor, interfuit Concilio Epaonenſi, cui præfuit frater eius Auitus, conſederúntque præcipui Galliæ Epiſcopi: demúmque ſancto fine conſummatus, ſepultus eſt in baſilica Sanctorum Petri & Pauli in ſuburbio ſuæ ciuitatis. E qua deinde leuatum ob fulgores gloriæ, ad principem ædem ſancti Stephani per Dambertum Præſulem tranſlatus fuit. Verùm conditâ poſt hæc maiori baſilicâ ſuo nomini conſecrata, venerandum eius corpus in eam illatum eſt per Remigarium Epiſcopum nouo miraculo excitum, cum pretioſis exuuiis Sanctorum Martyrum Felicis, Fortunati & Achillei Patrum Eccleſiæ Valentinenſis: & in ſummo altari collocatum, vbi cum ſummo decore permanſit & veneratione, vſque ad Caluinianæ ſectæ erumpentis in Galliæ perniciem funeſtos motus, quibus & baſilicæ ſolo æquatæ & ſacra lipſana Sanctorum, voracibus conſumpta incendiis. Sueſſione ſancti DIVITIANI Epiſcopi & Confeſſoris. Qui ſancti Martyris Sinicij ſucceſſor, ita meritis vicinus, quàm tempore remotus, Eccleſiam primus in pace gubernauit, quam in tramitem iuſtitiæ ſanctis monitis & exemplis feliciter deduxit, & ita peruenit ad gloriam. Autiſſiodori Sanctorum germanorum FIRMATI Diaconi & FLAVIANÆ Virginis Deo ſacratæ. Qui pura caſtitatis & fidei obſequia Chriſto toto vitæ decurſu impendentes: virtutum locupletati meritis ad ſempiternæ gloriæ gaudia commigrârunt. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confeſſorum, atque Sanctarum Virginum.*

DIVITIANVS.

FIRMATVS & FLAVIANÆ.

Valtherus. OBIIT placido fine Præmonſtrati piæ memoriæ VALTHERVS de ſancto Mauricio, ſancti Norberti eximius diſcipulus, à quo conſtitutus ſancti Martini Lauduni Abbas, cùm merita in dies ampliora, per ſanctitatis inſignia proderet, deponente pedum cum tiara Bartholomæo Epiſcopo Laudunenſi, inuitus in eius locum ſuffectus eſt: ſuſceprúmque bonorem virturum Epiſcopalium perfecto decore cumulauit, pauperum pater, Eccleſiæ reparator, cœnobiorum fundator, auctórque rerum laudabilium indefeſſus, clarus etiam diuinis reuelationibus, quo lumine irradiatus migrationem ſuam prænuntiauit: ſumptíſque magno cum pietatis ſenſu ſacramentis, circumfuſus ſplendore, ad beatam immortalitatem profectus eſt. Perrexit ipſo die ad Dominum beatæ memoriæ

Aymardus. AYMARDVS Abbas Cluniacenſis. Qui filius Comitis Engoliſmenſis, Chriſti amore ſpreto terreno principatu à teneris, vt aiunt vnguiculis, in ſancti Odonis diſciplinam apud Cluniacum ſe commiſit: tantóſque emiſit hoc cultore ſacræ obſeruantiæ fructus, vt illo ad Dominum abeunte, eximias ob religionis

quibus affluebat dotes Cœnobiarcha illius loci fuerit renuntiatus: quod munus annos vndecim in magna morum innocentia administrauit. At Deo patientiam eius quam coronaret exercente, cæcitate percussus, sacræ præfecturæ renuntiauit. Hácque tribulatione per annos nouem æquanimiter pro Christi amore tolerata, cùm perfectum exemplar fratribus patientiæ, humilitatis, pietatis extitiſſet; conuerſatione ſanctiſſima perfunctus veræ lucis filius, ad Sanctorum indeficientes ſplendores euolauit. Sepultus fuit in veteri Eccleſia retro altare ſanctæ Mariæ Virginis. Felici itidem exceſſu defunctus eſt hac die IOANNES ex Abbate Bonæuallis Epiſcopus Valentinenſis. Qui gratiam Dei miro priuilegio vocantem toto animo ſecutus: magna ei fœnora in religionis cultu, carnis maceratione, ſæculi contemptu, & prouectione pietatis rependit. Euectúſque ad Epiſcopalem ſedem, eam per plurimos annos magna vigilantiæ paſtoralis laude gubernauit. Multis denique pro defenſione iuſtitiæ ſuperatis perſecutionibus, ſanctis operibus clarus, quieuit in pace. Qua eadem die potitus eſt beatæ memoriæ ENTO cœnobij horti beatæ Mariæ ordinis Præmonſtratenſis ſub Vltraiectenſi Præſulatu Abbas II. vir raræ eruditionis & eximiæ ſanctitatis: ábſtinentiæ præſertim, deuotionis & charitatis operibus intentus. *Ioannes.* *Ento.*

Pridie Nonas Octobris. Luna

6 F xvii.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	1
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
2	3	4	5	6	7	8	9	8	9	10	11	12	13			

IN territorio Lingonenſi Natalis ſancti PRVDENTII Martyris ibi à Vvandalis pro teſtimonio IESV trucidati. Huius corpus in tumulo glorioſum diù poſt agonem Gerlo piiſſimus Epiſcopus Lingonenſis, in Atornenſe Monaſterium ad Fontem Bezuæ tranſtulit, condigna veneratione percolendum. Agenni Nitiobrigum paſſio ſanctæ FIDIS Virginis & Martyris: quæ eadem ex ciuitate oriunda ſplendida nobilíque ſtirpe: pietate Chriſtiana & ſalutari lauacro imbuta iam erat per ſanctum Capraſium, cùm Dacianus Præſes in Aquitaniam miſſus ab Imperatoribus Diocletiano & Maximiano, ad indagandos percellendóſque Chriſti cultores, Agennum venit. Cui cùm ob ipſum Chriſti nomen delata fuiſſet, crucis ſe ſigno muniens vltro ſe impauidam ſatellitibus obtulit. Ac blandiciis primùm tentata à Præſide, vt Dianæ ſacrificaret, conſtanter impio operi aduerſata eſt. Quare ipſo iubente in craticula impoſita, catenulis ferreis coarctata, prunis recèns ardentibus ſubinde ſubiectis, adipe etiam perfuſa, quo vſtulatis membris flammis magis hærerent: ignis, ferri & tormentorum immanitatem, diuina virtute ſuperans, trophæum inſigne de perſecutore reuexit; ornatáque Virginitatis monilibus, & palma victoriæ, ad nuptias agni cœleſtis, pro cuius amore fudit animam, ouans triumphánſque euo- *SS. Prudentius.* *Fidis.*

CAPRASIVS. lauit. Ipſo die ibidem natalis ſancti CAPRASII Epiſcopi & Martyris, qui Euangelij lucem primus huic vrbi inuexit: pellectíſque verbi diuini ſuauitate in iugum Chriſti aliquot ciuibus, ſalutis iiſdem ſubſidia, cooperante ſibi *Vincentio* quem ordinauit diaconum ſedulo miniſtrauit. Sed paulò pòſt exorta in ipſum & pios ſectatores ſæua admodum perſecutione: gentilium lupina rabie preſſus, paſtor cum ouiculis ab vrbe ſecedens, per abrupta eremi ac fragoſas conuallium cotes vagari, cultúque ac habitu agreſti deliteſcere cœpit. Porrò diffuſis huc illuc Chriſticolis, Capraſius ipſe peragratis circumquaque ſcopulorum diuerſoriis, tandem cliuum montis cui Pompeiaci tum erat nomen, latenter conſcendit. Hiatum ſpeluncæ ſub ipſa rupis fronte inuenit, quæ deſuper pendentibus ſcopulis opacum præbebant ſeruo Dei ingreſſo receptaculum. Qui illic recluſus opperiebatur in ieiunio & orationibus, magnáque cum ſolicitudine, quis exitus agoni Fidis puellæ, in vrbe decertantis virili animo pro ſacra Chriſti religione, ſuccederet. Cæterùm ſic hærenti anxióque Deus columbam cœlitus delapſam oſtendit, quæ coronam gemmis radiantem, Fidis triumphanti capiti imponendam ferret. Quo ſpectaculo, alióque miraculo quo è ſilice aqua limpidiſſima, ipſo orante manauit, diuinitus ad martyrium animatus, deſerto latibulo, in locum proceſſit in quo ſancta Virgo adurebatur, Chriſtúmque palam profeſſus eſt. Ampliſſimorum prædiorum pollicitatione Præſes tentauit primùm Venerabilem ſenem (à cuius exemplo cæterorum Chriſtianorum penderet ſalus vel ruina) ſuo à propoſito abducere. At cùm is inconcuſſus ſua in confeſſione perſtaret, magnificóque veritatis diuinæ præconio, credentes in pia inſtitutione confirmaret; alios ſpectatores ad cultum Chriſti incitaret: prolata capitali ſententia, gladio ſanctum Epiſcopum cum ipſa Fide Virgine, quæ flammarum victrix & domitrix pœnarum ſtupenda animi fortitudine, palæſtram glorioſi certaminis nunc vſque percurrerat, percuti iuſſit. Quo ſupplicio non vtrique excidium vt putabat intulit, ſed nomen immortale præmiúmque conciliauit ſempiternum. Eodem die

PRIMVS & FELICIANVS. ibidem Natalis Sanctorum PRIMI & FELICIANI fratrum. Qui Fidis & Capraſij inuictum animi robur admirantes, Chriſtum vnicum Deum Seruatorémque illico profeſſi, ſe beatis his pugilibus & pietatis & certaminis ſocios adiunxerunt. Ob quam confeſſionem comprehenſi: cùm nullis machinis poſſent à ſententia auelli, variis diriſque ſubinde excruciati tormentis, demum capite itidem cæſi, coronas honoris & gloriæ immarceſſibiles ab æterno rege, nobili prælio promeruerunt. Ipſo die eadem ci-

uitate, Natalis QVINGENTORVM Martyrum. Hi ex duodecim mille ſpectatoribus, qui athletarum prælibatorum glorioſam pro Chriſto pugnam intuebantur: concuſſi tantæ fidei ſpectaculo, diuinóque lumine intus irradiati, eiurato vnanimi vociferatione impio pſeudonuminum cultu: Chriſtíque altè enuntiato præconio, à concitata ethnicorum multitudine imperio Præſidis, ſaxis, lignis, & gladiis impetiti, acerrimum teſtimonij, glorioſa morte, immobilem, ipſo in ſtadio quo victores occubuêre, erexerunt. Qui omnes ſepulti fuerunt in crypta illa, quæ viſitur etiamnum in ſancti Capraſij xenodochio, *Martyrium*, ex vſu maiorum, idcirco nuncupata. Treuiris Natalis INNVMERABILIVM MARTYRVM, qui in perſecutione Diocletiani, biduo poſt ſancti Thyrſi & ſociorum agonem, ſæuiente in vniuerſam ciuitatem (quæ Chriſto adicta reperta eſt) Rictio Varo Præſide, vario mortis genere necati ſunt. Tanta è ſtrage qui ſuperfuerunt pauci fideles, ſacra beatorum conciuium cadauera, poſtquam Tyrannus abiit, ſepulturæ pro poſſe mandauerunt. At cùm numero vincerentur, in puteum quemdam ingentis capacitatis iniecerunt, qui repletus ad ſummum vſque, pignora veneranda, quibus, pluſquam fodina quæuis auro vel gemmis ditatur, ſinu ſuo excepta, ab hinc repoſita in diem gloriæ conſeruauit. donec ſcilicet Felix nomine ſecundus Treuirenſis Archiepiſcopus conſtructa grandi baſilica in honorem ſanctæ Deigenitricis quam cognominauit ad *Martyres*, pretioſa eorum ſpolia, in hanc omni cum veneratione inuexit ac recondidit. Autiſſiodori ſancti ROMANI Epiſcopi & Confeſſoris. Qui medius inter Eleutherium & Ætherium ſuſpiciendos ſanctitate Præſules, & ipſe eadem gloria præſtans, Eccleſiam illam rexit: piæque conuerſationis abſoluto decurſu, ad cœleſte Domini gaudium ſeruus fidelis vocatus eſt. Vltraiecti ſancti RINFRIDI Epiſcopi & Confeſſoris, qui Ludouico pio Imperatore Eccleſiæ huius gubernacula geſſit, religionis zelo, & cura gregis, ſuo æuo præcipuus. Póſtque ſedulam paſtoralis muneris operam Deo charus, hominibus reuerendus, in Chriſto felix requieuit: & in ſancti Saluatoris Eccleſia conditus, gloriæ ſignis refulſit. Lemouicis ſancti PARDVLPHI Abbatis & Confeſſoris, qui à pueritia vtriuſque oculi lumine orbatus, at gratiæ interno fulgore à Deo illuſtratus, filiũ ſe lucis omni conuerſatione demonſtrauit, carnis maceratione ſtupendus, in pauperes charitate profuſus, miraculis etiam conſpicuus. Siquidem infirmos quoſque manuum impoſitione ſanabat: abigebat infuſo benedicto oleo dæmones, prodigiáque innumera ſanctarum orationum efficacia operaba-

Quingenti Martyres Agennenſes.

Martyres Treuirenſes hac vna die innumerabiles.

ROMANVS.

RINFRIDVS.

PARDVLPHVS.

tur. Factus igitur quamuis multum renitens noui cœnobij Garactenſis Abbas, alumnos ſuſceptos iis inſtitutionibus informauit, quibus in cœlum præparauit aditum. Octogenarius denique oſtenſa ſibi à Michaële Archangelo ſcala gloriæ, per quam ad meliorem aſcenderet patriam; inter verba orationis & benedictionis qua populo benè precatus eſt, æterna in pace obdormiuit. BRVNO. Ipſo die Natalis ſancti BRVNONIS ex doctoe Pariſienſi, Carthuſiani ſanctiſſimi ordinis Patriarchæ, & Confeſſoris glorioſi, cuius diuina vocatio, mira conuerſio, vita prodigiis plena, mórſque in conſpectu Domini pretioſa, orbi vniuerſo ſole inſignior illuxit. Progenies verò ſanctiſſima æternum religioni Chriſtianæ decus peperit: quæ abhinc toto diffuſa orbe Chriſtiano viget, floret, pullulat vigore diſciplinæ, decore religionis, & fructu ſanctæ operationis, non minùs nunc, poſt tot annorum curricula, quàm in ipſo ortu ſuo, ſuſpicienda & celebris. Eodem die MODESTA. Treuiris ſanctæ MODESTÆ Virginis, & ſecundæ monaſterij ſanctæ Mariæ in Horreo Abbatiſſæ, ſanctitate & miraculorum gloria claræ. Auriniani monaſterio ad Æſiam amnem in territo- BENEDICTA. rio Laudunenſi tranſlatio ſanctæ BENEDICTÆ Virginis & Martyris, cuius corona rutilat in agone octauo Idus huius menſis. ENYMIA. In territorio Mimatenſi ſanctæ ENYMIÆ Virginis monaſterij virginum ſui nominis vbi quieſcit fundatricis. Quæ Clotharij magni filia, forórque Dagoberti Regis, mundum & pompas eius aſpernata, ſpinoſum Chriſti diadema coronæ gemmatæ prapoſuit. Carnémque crucifigens mori ſibi vt Chriſto viueret voluit. Quibus piis ſtudiis intenta, ad cœleſte regnum tranſiuit, quod terreni principatus contemptu emeruerat. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confeſſorum, atque Sanctarum Virginum.*

Quintinianus. Pariſiis in Eccleſia ſancti Pauli Inuentio & tranſlatio corporis beati QVINTINIANI Abbatis. *Balduinus.* Pio fine obiit Piſis in Tuſcia religioſæ memoriæ BALDVINVS illius ſedis Archiepiſcopus, & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis creatus ab Innocentio II. ex Monacho Claræuallenſi, ob virtutum inſignium, maximè verò doctrinæ & pietatis ornamenta, quibus auctis cum dignitatis incremento in magna opinione ſanctitatis, vitam laude plenam conſummauit. *Odo.* Exuit hoc ipſo die mortalitatem ODO Monachus Ciſtercienſis, diſcipulus ſancti Roberti, religione multa & auſteritate ferè incredibili ſpectabilis.

Nonis Octobris. Luna

7 G xvi.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	p	q	r	ſ
15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	1	2
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
3	4	5	6	7	8	9	10	9	10	11	12	13	14			

NATALIS Sanctorum Martyrum SERGII & BACCHI in Oriente hac die ſub Maximiano, glorioſo agone coronatorum. SS. SERGIVS & BACCHVS. Horum ſacratiſſima lipſana in Gallias dudum aducta, partim Carnuti in baſilica ſanctiſſimæ Virginis, partim Andegauis, in cœnobio nuncupatione ipſorum inſigni, multa veneratione recondita ſeruantur. Ipſo die in ciuitate Santonenſi ſancti PALLADII Epiſcopi & Confeſſoris, qui Didymo meritorum ſuffragiis ſuccedens, ſanctitatis & doctrinæ gloria Cathedram cui inſedit illuſtrauit. PALLADIVS. Decoris domus Dei amator & cœlitum cultor egregius, ſancti Stephani baſilicam, cuius decora pangit Fortunatus miro opere extruxit. Eccleſiam inſuper condidit inſignem in honorem beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli; necnon Sanctorum Martyrum Laurentij & Pancratij, quorum reliquias miſſo ad ſanctum Gregorium magnum Lupárico Preſbytero, Apoſtolico munere, cum elogio pietatis, Româ receptas, in eadem baſilica, omni cum veneratione collocauit: ſingulorum ipſorum cœlitum pignoribus propriis altaribus attributis, quæ in eorumdem memoriam conſecrauit. Et ita nouem aris quas in eadem baſilica conſtituit, proprios tutelares cum patrociniis ſingulorum aſſignauit. Multis preſſuris pius Antiſtes poſtea exercitus eſt: ſic Deo volente vt qui Sanctorum merita honorabat, veſtigia teneret, & ita præmia eorumdem conſequeretur. Tandem igitur cum ſancti Eutropij glorioſi Pontificis & Martyris reliquias, æuo & hominum obliuione non minùs quàm humo ſepultas, cœleſti beneficio reperiiſſet, emeritæ in Chriſti obſequio militiæ, & ipſe demum percepit donatiuum. In pago Remenſi, Vico Buxiolo depoſitio ſancti HELANI Preſbyteri & Confeſſoris, qui ſæculi vanitatibus abiectis, ſpontanea ſui ipſius abnegatione Chriſto ſe immolauit, in cuius aſſiduo famulatu editis copiòſis animarum lucris & collectis immenſis meritorum iuſtitiæ manipulis, lætus ad repromiſſam perrexit beatitudinem. HELANVS. Carnuti Inuentio corporis ſancti CALETRICI ipſius vrbis Epiſcopi & Confeſſoris, quem colit annuis ſacris Eccleſia octauo Idus huius CALETRICVS.

Nnn

PAPPOLVS. menſis. Toloſæ Inuentio ſancti PAPPOLI Epiſcopi & Martyris, necnon Sanctorum Confeſſorum paritérque Pontificum HONORATI, HILARII ſenioris, & SILVII in baſilica ſancti Saturnini quieſcentium. Bituricis depoſitio ſancti AVGVSTI Preſbyteri & Confeſſoris, qui totus charitatis igne inflammatus Dei gloriam in hominum ſalute ſollicitè exquiſiuit: ſanctæque conuerſationis fragrantia redolens, operum ſuorum dignam à Chriſto (quem dilexit ſuper omnia) mercedem adeptus eſt. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confeſſorum, atque Sanctarum Virginum.*

HONORATVS, HILARIVS ſenior & SILVIVS. AVGVSTVS.

Virginis beatiſſimæ Roſarium. SOLEMNITAS ſacratiſſimi Roſarij, quam decreuit Gregorius XIII. ad honorem BEATISSIMÆ VIRGINIS MARIÆ, quotannis Dominica prima, huius menſis celebrari, in memoriam victoriæ, ope ipſius ſanctiſſimæ Deigenitricis, hoc die anno ſalutis 1572. à Chriſtianis, bello nauali de Turcis reportatæ ad Sinum Corinthiacum, hoſtium fidei ſtupenda claſſe diſſipatâ: ſicque Republica Chriſtiana ab extremo diſcrimine, quod imminebat, non tam armis, quàm precibus, quibus iratus Deus placatur, glorioſa Virgine intercedente, mirabiliter erepta.

Octauo Idus Octobris. Luna

8 A xv.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	1	2	3
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
4	5	6	7	8	9	10	11	10	11	12	13	14	15			

SS. SIMEON. NATALIS ſancti SIMEONIS Sacerdotis & Prophetæ, qui ſenex probatus & coronatus, Dominum in templo ſuis vlnis excepit: viſóque & adorato ipſo deſideratiſſimo hominum ſaluatore, felix quieuit in pace. Eius brachium quo Chriſtum amplexus eſt, à Carolo Magno, cum multis quæ ſollicitè toto orbe conquiſiuit, precioſis pietatis Chriſtianæ monimentis, & cœlitum memorandis pignoribus, Aquiſgrani in baſilica ipſi glorioſo Regi dilectiſſima almæ Deigenitricis collocatum: à Carolo Caluo eius nepote, ex nobilis ædis ſacrario depromptum, ad Cœnobium regale ſancti Dionyſij prope Auguſtam Lutetiam, perpetuo honore colendum, magna deuotione delatum eſt, atque ſuper altare impoſitum, quod propter ſacrorum munerum ibi conditorum excellentiam, *Altare ſanctum*, ab hinc cœpit paſſim appellari. In quo etiam ex dono eiuſdem Caroli, collocatum. Seruantur omni religione brachium S. Iacobi Apoſtoli; necnon brachium S. Stephani Protomartyris;

Vincentij quoque brachium egregij Martyris & Leuitæ. Cæterùm alterum ſancti Simeonis brachium; dudum in Liſbornenſi Abbatia ordinis Benedictini Monaſterienſis diœceſis conditum, integrum illic ſeruatum fuit, donec dimidia eius pars ab illius loci Abbate dono data, Alberto & Iſabellæ Auſtriacis Archiducibus, in Galliam Belgicam aduecta, & condigna reuerentia in ſacrario Bruxellenſi repoſita eſt, vbi hactenus piè & decorè adſeruatur. At verò reliquum tanti beati corpus, in baſilica Metropolitana Iadetenſi quieſcit, quæ vrbs eſt & Inſula Venetorum in Liburnia. Auguſtæ Treuirorum natalis ſancti METROPOLII Epiſcopi illius Metropolis & Martyris. Hic calamitoſis temporibus regimini tantæ ſedis præfectus: cùm laniena fidelium vbique aperta, maximè in Gallia, cuius tum Treuiris primaria erat ciuitas, exerceretur ſæuiente Decio: pro lege & grege Chriſti fortiter decertans, ore & opere glorioſè propugnata pietate, cruento at felici triumpho, æthereas ad ſedes, præmio immortalitatis à Rege gloriæ munerandus, euolauit. In territorio Senonenſi ſanctæ PORCARIÆ Virginis & Martyris, quæ egregia pietatis concertatione nobilis, cæſa ab impiis, ad Virginitatis aureolam, palmam inclyti agonis adiungens, admiſſa ad cœleſtis agni nuptias, feliciter in aulam gloriæ introiuit. Ipſo die in territorio Laudunenſi ſub Metropoli Remorum, vico Autiniaco ad Æſium amnem, natalis ſanctæ BENEDICTÆ Virginis & Martyris, quæ Romæ ex illuſtriſſima Senatorum familia progenita, ſpretis ſæculi ſibi blandientis illecebris, & adiuncto ſibi duodecim Virginum æquè nobilium comitatu, in Galliam venit, vt gentilis ſui Quintini glorioſi Chriſti athletæ, qui paſſus in Viromanduis, multis in tumulo prodigiis renidebat, ſacra trophæa inuiſeret & coleret. Primùm igitur Lugduni aliquandiù ſubſtitit cum aſſeclis, veſtigia Martyrum quorum agonibus glorioſis illa pollet Galliæ Metropolis, venerata. Hinc vt animum colligeret & prærpararet ad ardua, pertæſa ciuitatis & frequentiæ in villam Myriniacam agri Lugdunenſis, ſe cum ſodalibus contulit, ibíque iuxta nemus, Chriſto purarum mentium amatori, deuotæ ſeruitutis obtulit, quà prece, quà ieiuniis, & ſanctis meditationibus ac actibus religioſos famulatus. At inde non diù à Macrobio Iudice, qui pios Chriſti cultores vndique inſectabatur, multis technis exagitata, propoſitæ peregrinationis tramitem repetens, de Celtica in Belgicam Galliam trânſmeauit: atque ad Veromanduos progreſſa, ſancti Quintini mauſoleum, quaſi ſpeculum diuinæ gloriæ & fidei

Metropolius.

Porcaria.

Benedicta.

ac puritatis aſylum religioſè viſitauit. Cuius cœlitis præſidiis munita, inflammatáque exemplis, Redemptoris ſe totam conſecrauit obſequiis. Primúmque hinc digreſſa cum *Leoberia* collectanea ſua, Laudunum (quam vrbem ad diſcrimen ponendum inter *Lugdunum Seguſianorum*, Maiores *Lugdunum clauatum* cognominauêre) adiit, Virginis beatiſſimæ cuius oratorium tunc in crypta piis ſolemne erat, auxilium deprecatura. Inde zelo Dei accenſa, cùm in vico Auriniaco ad Æſiæ ripam, falſorum numinum audiiſſet impios feruete ritus, quóque locus ipſe amœnior erat fluminis iucunditate, feracitate arborum & nemorum copia: eo Idolorum magis etiam vicum ipſum inquinatum eſſe ſpurcitiis; intrepidè illic acceſſit, monitíſque ſalutis incolas adhortata, à vanitate ſimulachrorum ad veri vnicíque numinis cultum cœpit abducete. Sed prudens Virgo rata, non leui rem tantam conatu peragi poſſe: nec verbis mouendum duntaxat eſſe plebem, ſed exemplis, ſedem ibi fixit: atque in amnis illius crepidine cellula conſtituta extra vici ſeptum, diuinis intenta ſpeculationibus, conuerſationis Angelicæ edidit lumina, quibus ad agnitionem cultúmque Chriſti ſeruatoris in dies pelliciebat ſanctitatis adeo inſolitæ ſpectatores. Ea re delata ad Matroclum Præſidem, qui ex Hebræorum gente delectus Iudex à Iuliano Cæſare, fidei Chriſtianæ cultores infeſtiſſimo odio perſequebatur, ſalutiferæque religionis progreſſus ferre non poterat; ocyus ille ad Virginis tuguriolum accurrit: quare Imperatoris religionem eliminet, Chriſti ſacra gentem edoceat, ab ea perquirit; blandíſque primùm affatibus monet vt memor generis & patriæ, Crucifixi vilem cultum eiuret: auitas ad ceremonias redeat, deceptum à ſe populum vanis quæ imprudens admiſit commentis in priſtinum tramitem auitæ obſeruationis reducat: ita fore vt Imperatoris gratiam promereatur: à quo beneficia immenſa perceptura ſit, próque natalium ſuorum ſplendore, connubio ſpectabili quin & illuſtri honoranda. At dum diuina athleta omnia hæc illicia contemnit, omnémque ethnicorum ſuperſtitionem execrata, ſolum Chriſtum Deum ac ſeruatorem aſſerit adorandum, nec ſperandam vllam quam ab illo vno ſalutem ſeriò conteſtatur: ferox Tyrannus qui Chriſti nomen duplici odio perſequebatur, Iudaica ſcilicet impietate, ſimul & iuridico ſibi à Iuliano Apoſtata delato imperio, totus in tranſuerſum abreptus, à verbis ad verbera tranſilit; Virginem tundi iubet alapis, virgis inde cædi, mox

in equuleo extenſam plumbatis atrociſſimè macerari. Demum cum his omnibus tormentis illa ſuperior, tortores ſua conſtantia fatigaret, Ethnicis circumſtantibus Chriſtum feruentius ingereret, quorum non paucos fidei ardore inflammabat: veritus impius Iudex ne diuturniori ſupplicio, maiora Virgini trophæa ſuccederent, capite eam truncari præcepit. Quæ fortiter datis pro Chriſti fide ceruicibus ad duplicatam Virginitatis & Martyrij lauream euolauit. Sepulta eſt inclyta Virgo in ipſo loco agonis, vbi deinceps fulgentibus ad eius tumulum meritorum eiuſdem glorioſis inſigniis: nobile conditum eſt ſacrarum Virginum collegium ordinis ſancti Benedicti: in quo beatæ illius cœlitis veneranda ſpolia, omni honore conſeruantur. Viſitúrque adhuc ibi ſecuris illa, qua ipſius ſacrum caput deciſum fuit. Nuncupatur paſſim iſtud cœnobium *Auriniacum ſanctæ Benedictæ*, primæ illius virginei ſeceſſus incolæ, & iam glorioſæ tutelaris. Cuius ſectatrix LEOBERIA felici calle veſtigia premens, conſors quoque fieri meruit conſtanti fidei præconio palmæ victorialis & coronæ. ROMANA verò vna ex eiuſdem ſodalibus Bellouacum profecta, ibíque profeſſa Chriſti nomen, pone ſepulchrum ſancti Luciani quod veneratum venerat, in conſtanti pietatis aſſertione necata, puram animam efflauit, Benedictæ, virginei illius cœtus primiceriæ, & aſſeclis, quæ in variis Galliæ locis certantes pro Chriſti ſponſi honore non minùs fortiter quàm feliciter occubuerunt, in æterna gloria ſociandam. Nominantur verò ex cæteris agminis illius liligeri pugilibus, quaſi præcipuæ palæſtritæ ſanctæ IOLANIA & CAMIONIA: at incertum quo loco & die vel pugnam pro fide ineuntes, vel puræ vitæ incruentum perficientes tramitem, ad Solis iuſtitiæ beatum peruenerint intuitum. Rotomagi ſancti EVODII Epiſcopi & Confeſſoris. Hic diuinorum eloquiorum ſcientiſſimus, inſignis prudentia, innocentia, pietate, modeſtia, & pontificalis mentis firmitudine præſtans, Eccleſiæ magno cum animarum fructu præfuit: ſanctíque Gildardi ſucceſſor, locum quem ſanctitate ornatum reperit: propriæ ſanctitatis radiis decoratum *Flauio* dimiſit (qui eum in præſulatu ſecutus eſt:) nouis illuſtrationibus quibus itidem micuit ſanctitatis, cumulandum. Carnuti ſancti CALETRICI Epiſcopi & Confeſſoris: quem ægrotum ſacri linitione olei ſanctus Leobinus Epiſcopus mirabiliter ſanauit: foréque poſt ſe prædixit Antiſtitem. Cuius in locum ſuffectus, ſanctimoniam egregiè imitatus eſt. Póſtque multa lucra pietatis cùm interfuiſſet Pariſienſi Synodo & Turonenſi, æterna abiit ad præmia. Ipſo die depoſitio ſancti AMO-

Leoberia. Romana. Iolania & Camionia. Evodivs. Caletricvs. Amor Diaconus.

ris Diaconi & Confeſſoris, qui ortu Aquitanus, paternam domum, opes, affinéſque Chriſti amore deſerens, in Lotharingiam, vt abſconditam hominibus, notam autem Domino vitam ageret ſe contulit. Sepulchrum ſancti Seruatij viſitauit: hincque aliquandiu in ſolitudine degit gratiarum chariſmata ex diuinis obſequiis & meditationibus hauriens. Sed ſubinde ſalutis proximorum cupidus, quietis ſede relicta, circumquaque progreſſus eſt ſanctis prædicationibus & puræ conuerſationis exemplis aduocans incolas huius tractus, ad frugem meliorem. Quibus ſuo munere dignis exercitationibus magno cum gratiæ cœleſtis incremento perfunctus, miraculis clarus, in Beliſiæ pago Haſbaniæ, Chriſto charam reddidit animam. Ad cuius tumulum Canonicarum collegium poſtea fundatum eſt, vbi hodie ſicut ſpecialis patronus præcipuo honore colitur. Apud Dononium ſecundo milliario à Valencenis ſanctæ REGENFREDIS Virginis, quæ beati *Aldeberti* Comitis Auſtrouandiæ & ſanctæ Reginæ neptis Pipini Francorum Regis filia, cùm Chriſtum ſuper omnia diligeret: omnia itidem poſthabuit vt ipſi vni ſeruiret. Quam parentes piiſſimi videntes in virginitatis propoſito, & Chriſti aſſidui famulatus deſiderio immobilem, ei cellam ſeu aſceteriolum ex ſui iuris poſſeſſionibus fundauerunt: vbi adlectis ad pij inſtituti ſtudium virginibus, prima religionis extitit pædagoga. Póſtque varios labores in ſancto regimine exantlatos fœtibus gratiæ plena, quieuit in Domino. Quæ ibidem anniuerſario natali hodie celebratur. Eleuationis autem feſtum habet ſecunda Septembris, relationis tertio Idus Iunij. Corpus beatæ huius Virginis argenteo feretro concluſum, ſuper aram maiorem illiùs monaſterij cernitur collocatum, medium ſcilicet inter ſacra cadauera parentum. Nempe beati Adalberti in dextro latere, & ſanctæ Reginæ in ſiniſtro exiſtentis. Apud Hunonis Curiam, diœceſis Cameracenſis, feſtiuitas ſanctarum Virginum & ſororum VALERIÆ & POLLENÆ: quæ ſancti Liephardi Epiſcopi Cantuarienſis & Martyris germanæ, peregrinationiſque ſociæ, ac virtutum imitatrices; æterno Regi conſecrato illibatæ Virginitatis flore: continuis lachrymarum imbribus, ciliciis, ieiuniis, diſciplinis & aſſiduis orationibus carnem ſpiritui ſubiugantes, ſummæ perfectionis conſcenſo culmine, Angelicæ conuerſationis conſummato in terris decurſu, ad ſupernæ Sion gaudia, & perennia beatorum ſpirituum contubernia commigrârunt. Quarum corpora diù quieuerunt religiosè condita in præſignato Huno Curtenſi Cœnobio, quod extruxit ſanctus Vindicianus Epiſcopus Cameracenſis:

Regenfredis.

Valeria & Pollena.

vnde Quintinopolim (quæ iam Auguſta eſt Veromanduorum) tranſuecta fuerunt: at bellorum ſub crebris turbinibus euanuerunt, vigente nihilominus etiamnum venerabili Virginum illarum memoria, tam in ipſo Hunonis Curiæ cœnobio, quàm Cameraci in æde primaria, vbi ſancta Valeria, collecta ſpeciali hodie honoratur. Lutoſæ Hannoniæ oppido depoſitio ſancti BADILONIS, Abbatis monaſterij quod ibi condidit ſanctus Amandus Epiſcopus Traiectenſis. Vir ille venerabilis cùm loci præſignati regularem præfecturam, magna ſanctimoniæ claritate gereret, rogatus à Gerardo Roſſillonio Burgundiæ Comite, Carolo Martello Regiæ domus Principi percharo; Aquas Sextias in prouincia Phocenſi (quas nuper Saraceni vaſtauerant) profectus, illo ex tractu reliquias ſanctæ Mariæ Magdalenæ in Burgundiam magna ex parte attulit: atque in cœnobio Vezeliaci apud Æduos conſtructo in hunc finem ab præmemorato Comite dignanter repoſuit. Quod monaſterium tantis inſignitum pignoribus, poſtea Ioannes VIII. Papa, rediens à Trecenſi Concilio, ſolemni ritu & frequenti Præſulum comitatu, in Dei & beatiſſimæ pœnitentis honorem dedicauit. Ad quod etiam demum brachium ſancti huius Abbatis delatum eſt: qui exacto fidelis vilicationis miniſterio demum perrexit beandus ad Dominum. Truncintj ad Lyſam apud Gandauum, aduectio corporis S. GERVLPHI Martyris, ex Merendra, vbi primùm ſepultus fuerat in baſilica ſanctæ Radegundis: facta cœleſti commonitione. Apud Dionantum oppidum ad Moſam Valciodorenſi monaſterio tranſlatio ſancti ELOQVII Sacerdotis ſocij Sanctorum Foillani, Vltani, Ettonis & Bertuini, Abbatiſque ſecundi Latiniacenſis prope Lutetiam Pariſiorum. Vnde (cùm ibi diem clauſiſſet extremum tertio Nonas Decembris) exhumatus ob patentia ſigna beatitudinis, ad dictum Valciodori cœnobium deportatus, atque à beato Foramnano Abbate magna cum veneratione ſuſceptus eſt. Ipſo die in territorio Attrebatenſi, Marcolo aſceterio, Inuentio ſacrarum exuuiarum ſanctæ BERTILIÆ Virginis. Ipſo die Natalis ſanctæ PELAGIÆ. Quæ peccatrix, pœnitentiæ interiore ducta, ad Nonnum ſanctiſſimum Heliopoleos Epiſcopum acceſsit, à quo poſt hortamenta ſalutis baptizata: erogatis in pauperum eleemoſynam amplis quas habebat facultatibus, in Oliuetum montem Chriſti veſtigiis conſecratum ſe abdidit: vbi virilem at vilem habitum induta, inediæ, vigiliis, orationibus, ſanctiſque operibus continenter dedita, tantum apud Deum benignum promeruit, vt multis nobilitata miraculis, atque ſtupendæ pœnitentiæ pretioſis fœnoribus

Badilo. Gervlphvs. Eloquius. Bertilia. Pelagia.

cumulata, migrârit in cœlum. Huius ſacræ exuuiæ poſtea à Francis Chriſti nomen in Oriente vindicantibus in Galliam tranſuectæ apud Iotrum, Virginum inſigne monaſterium collocatæ ſunt: vbi hodie è ſacrario eductæ piorum clientum venerationi exhibentur. Nam & illic felix illa peccatrix celebriter colitur hac die, quæ eſt migrationis, & duodecima Iunij, quæ tranſlationis eſt, ſeu ſuſceptionis. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confeſſorum, atque Sanctarum Virginum.*

Maria Deipara Domina de donis Aueniane dicta. Elias Dunenſis Abbas.

AVENIONE Dedicatio Eccleſiæ Metropolitanæ in honorem ſanctiſſimæ Virginis Mariæ Dominæ noſtræ de donis nuncupatæ. Magna cum teſtificatione ſanctitatis ex hac vita diſceſſit beatæ recordationis ELIAS Sextus Abbas monaſterij Dunenſis in Flandria ſingulari Dei munere electus. Cuius pietas, doctrina & diuini animi dotes, orbem admiratione dum viueret, & poſtquam obijt memoriæ eius benedictione repleuerunt.

Septimo Idus Octobris. Luna

9 B xiv.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	p	q	r	ſ
17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	1	2	3	4
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
5	6	7	8	9	10	11	12	11	12	13	14	15	16			

SS. DIONYSIVS, RVSTICVS & ELEVTHERIVS.

TRIVMPHVS ſancti DIONYSII Areopagitæ primi Lutetiæ Pariſiorum Epiſcopi, & ſociorum Martyrum RVSTICI Archipreſbyteri, & ELEVTHERII protoleuitæ.

DIONYSII ET SOCIORVM AGON ET CORONA.

QVI beatus illius inclytæ Triadis coryphæus, ciuis Athenienſis, opibus, gloria ſapientiáque clarus, vnus erat ex Areopagitis Iudicibus, quo tempore Paulus, cæleſtis orbis terræ magiſter, Athenas venit, vrbem ſi quam aliam omni prauæ ſuperſtitionis genere & deorum, non notorum modò, ſed etiam ignotorum, inſano cultu longè famoſiſſimam. Hic porro cùm ipſe Paulus, haud ſecus quàm alibi fecerat, firmo fidentique animo, Chriſti Euangelium palam annuntiaret, felici prorſus ſorte, nec ſine Deo euenit, vt tum Dionyſius de ſtupenda illa ſolis obſcuritate ſub Tiberio facta, quod olim tantopere deſiderauerat, tandem Pauli præconio certiùs cognoſceret. Ipſum enim Apoſtolum, Chriſti vitam, mortem, reſurrectionem, coram Iudæis, Epicuræis, Stoicis aliiſque quibuſlibet, publicè priuatimque, magna cum libertate atque conſtantia quotidie prædicantem, quidam apprehenſum, tanquam inauditæ auctorem ſuperſtitionis, &

nouorum dæmoniorum annuntiatorem, ad Areopagum, in qua de ſacris diiudicabatur, curiam protinus adduxerunt. Stans Paulus in medio Iudicum conſeſſu, cœleſtem planè ſermonem habuit, quo ſibi antiquas deorum ſtatuas & ſimulacbra diligentius attendenti, ait aram vnam occurriſſe, in qua inſcriptum eſſet Ignoto Deo. *Quare quod ipſi ignoranter colerent, hoc ſe illis annunciare proclamabat: ipſorúmque adeò Poëtarum, quos illi permagni facerent teſtimoniis, & quibuſdam receptæ Philoſophiæ doctrinis vſus, ita ſenſim ad ſapientiorum animos peruaſit, vt cùm alij, tum ipſe Dionyſius aliorum apex, & inſtar multorum, eius adhærere fidei doctrinæque decreuerit. Ad Chriſti igitur cultum perductus, & ſalutari ablutus lauachro, à ſuſcepto initiationis ſacramento, mira regenerationis diuinæ indicia prodidit. Tantáque colluſtrata cœlitus anima quibus perfuſus erat chariſmata: vt abcedente Athenis Paulo, vnus ab ipſo dignus ſit habitus, qui cæteris credentibus doctor & Antiſtes præficeretur. Annus iam à Chriſti paſſione vertebatur quinquageſimus quintus, quo tempore ætatis ipſe Dionyſius annum circiter quadrageſimum ſextum agebat, par nimirum tam regendæ Eccleſiæ, quàm quibuſuis laboribus pro ſuſcepti muneris ratione ſubeundis. Athenienſis igitur Eccleſiæ, puſillæ, adhuc debilis, infirmæ, recepta moderatione & tutela, Dionyſius tanta ſtatim ab initio diligentia ad illius amplificationem, confirmationem, ordinationem incubuit, vt tandem nulli Eccleſiarum Græciæ, neque numero, neque robore, neque apta ſingulorum inter ſe membrorum conuenientia, vlla ex parte concederet. Dixiſſet aliquis aureum illud primæ Eccleſiæ ſæculum, quo Hieroſolymis multitudinis credentium cor erat vnum & anima vna, Athenis Deo auctore, ducéque Dionyſio eſſe renouatum. Qui ad ſeruandam in ſuæ corpore Eccleſiæ concordiam, ordinum mira ac ſuaui harmonia, munera, ac ſeriem cuiuſque ſtatus diſpoſuit. Et Clerum quidem in ſacerdotes & miniſtros diſtinxit. Laicos tres in claſſes diſtribuit. Quorum primus erat Monachorum ſeu cultorum. Secundus dicebatur populus Dei ſanctus. Tertius eorum cenſebatur qui purgandi erant, priuſquam ad diuinorum myſteriorum participationem admitterentur. Triplicem iſti ſortiebantur appellationem; diſtincti nimirum in Catechumenos, energumenos, & pœnitentes. Et Templa quidem Chriſtianis, tum haud erant anguſta: ſed in iis tamen qui erant, ſuum quiſque locum nouerat. Adyta tenebat & ingrediebatur ſolus Pontifex, eique ſubditus ordo ſacer. Proximas penetralibus ſedes, monachi occupabant, qui tum pars populi erant, & patriis in ædibus habitantes, pro ſacrorum magiſtro ſolum Epiſcopum, vel aliquem ab Epiſcopo conſtitutum ſacerdotem agnoſcebant. Secundum Monachos reliquus fidelis populus conſiſtebat, cui ad in-*

ſpicienda & fruenda diuina myſteria ius erat. Paulò ab his longius ſubſidebant, qui immundi cenſebantur, aut qui omnium expertes ſacrorum erant. Præterea Cæremoniarum in ſacris rebus, curam habuit myſta diuinus præcipuam. Hóſque ritus pietatis ac ſanctitatis plenos induxit, vt facilè non humana ratione, ſed diuina inſpiratione inuectos quiſque inſpector ſenſatus aduerteret. Quare Athenienſis Eccleſia tam ſancto regente Pontifice, Chriſtianis quidem ſpecioſa erat ac amabilis, hoſtibus verò ſtupenda & terribilis ſicut caſtrorum acies bene ordinata. Potiſſimum enim vigilantiſſimus Antiſtes oculatiſſimúſque excubabat, vti & religionis exterior ſpecies foris reſpectantibus pietatem excitaret, & interior deuotæ mentis ſanctimonia, diuinas è cœlo gratias deuocaret: adeo vt foris quidem myſtici corporis niteret decor: intus verò fortitudo conſtaret. Nec mirum ſi diuinam hanc Eccleſiæ formam præſtitit Dionyſius, qui cùm ſub Pauli diſciplina, doctrinam ſpiritúmque Apoſtolicum combibiſſet: optimis legibus atque inſtitutis, quæ de cœlo fluxerunt, (vnde Paulus hæc ipſa hauſerat) domum Dei ſibi muniuerit ac decorauerit. Dum his intendit Dionyſius ſacri muneris officiis, Beatiſſimæ Deiparæ Virginis exceſſus, & ad cœlos euectio occurrit. Ad cuius honorandum exequias Apoſtoli per diuerſa terrarum loca antea diſperſi, iam tum diuino nutu, ſiue ab Angelis, vt quondam Habacuc Propheta, aut Philippus ille Leuita Euangelicus, raptus: ſiue leuibus nebulis per ſublime vecti, condicta die Hieroſolymis ſimul vnanimes comparuerunt. Hócque concurſu dignatus eſt etiam Chriſtus, primores poſt Apoſtolos Eccleſiæ ſuæ duces, Hierotheum, Timotheum ac Dionyſium, qui incredibili ſacræ illius atque animatæ arcæ teſtamenti viſendæ atque honorandæ, deſiderio flagrabat. Is igitur cum Apoſtolis & Apoſtolorum paribus ſanctiſſimæ Virginis defixæ lectulo ædiculam ingreſſus: non tantum Deigenitricis ipſius thalamo appropinquare, & ipſam Virginem viuentem cominus intueri; ſed & in diuino vultu effulgentes cœleſtium gratiarum theſauros contemplari, & verba ex ore illius puriſſimo, fortunatis auribus excipere promeruit. Quo conſpectu auditúque feliciſſimo ita affectus eſt: vt, beatorum Chriſti gloriæ in monte Thabor ſpeculatorum more, liquefactus, totúſque quà gaudij, quà gloriæ magnitudine à ſe abſorptus: in hac contemplatione ſummæ beatitatis ſitum eſſe cenſuiſſet obiectum; ni fidei lumine, in ipſum ſummum bonum erigendam mentis aciem, præcognoſſet. Poſteaquam igitur iuſtis beatiſſimæ Virgini ex more perſolutis, ſua vnicuique negotia & ſacer inſtinctus diſceſſum perſuaſerunt; tum & Dionyſius diuinæ conſolationis & cœleſtium opum plenus ad iter ſe accinxit. Reuerſus Athenas Demophilum Terapeutam, qui ſacerdoti in peccatorem vt putabat

indulgentiori, ferociter inſultare auſus fuerat, pœnitentémq. acrius repulerat, increpatoriis literis redarguit: atq. Dei miſericordiæ quanta ſit copia, preſbyterij quãtus honor, quãta deniq. monacho ineſſe debeat modeſtia, humilitas atq. in ſacerdotes reuerentia, aculeato prorſus ſtylo demonſtrauit. Alia pleraq. diuinus Myſta fecit, docuit, ſtatuit, poſt reditum ſuum longè præclara. Tandémque Athenienſis Eccleſiæ rebus ad præſcriptum diuinæ legis ordinatis: eodem incenſus eſt ſpiritu, quo ſui præceptores Apoſtoli: nimirum ad ea excurrendi loca, quæ nondum ſuſcepta fide, aut certè nequedum ſatis firmata, præſentis auxilij magis indigerent. Primo igitur conſtituto Publio Epiſcopatus ſucceſſore, vicina Athenis oppida, vrbéſque obiit, & Chriſti nomen ſicubi hactenus inauditum erat, circumtulit. Vbi verò auditum & prædicatum fuerat nouo præconio firmauit, roborauitque, nec vllis in eo extollendo & in ſpe ſalutis oſtendenda laboribus pepercit. Et magnus quidem in ipſa Græcia patebat induſtriæ exercendæ campus. Itaque Dionyſius in hanc palæſtram contendit. Achaiam nuper Andreæ glorioſo occubitu, orbatam ſidere veritatis, finitimáſque ei regiones adiit, luſtrauit, confirmauit. Nihil enim lucro fidei, ne animam quidem ſuam anteponebat. Vbicumque amplificandæ religionis ſpes aliqua oſtendebatur: mox rupta mora & ſuorum oblitus incommodorum, vir totus igneo pectore, tanquam ad gratiſſimas animo ſuo delicias, illò magno impetu conuolabat. Ad alia igitur atque alia progreſſus in Phrygiam vſque peruaſit: apúdque Troadem curſu tantiſper depreſſo, annos aliquot conſtitit. Inde autem reuerſus iam inter Lacedæmonios verſabatur, & rem Chriſtianam totis viribus promouebat, cùm reducem ab exilio Ioannem (ſicut ei cœlitus afflatus prædixerat) apud Epheſum conuenit: à quo vt occidenti ſuppetias ferret, Galliæque potiſſimum deſtitutæ Euangelicis ſatoribus præſtaret opem, enixè rogatus eſt. Aſſenſit dilecto Chriſti Dionyſius; Romámque profectus, Clementem adiit Apoſtolorum ſucceſſorem, principatum Chriſtiani ſacerdotij tenentem, cui Ioannis conſilia, de Galliæ ocyus præbenda opitulatione, intimauit, ſuique animi affectum in hanc gentem prodidit, cuius ſalutis prouehendæ (ſi accederet Clementis ipſius, cum diuino placito, auctoritas) multùm cupidus eſſet. Clemens qui omnium vnus curam gerebat, gratanter tantum àd ſe miſſum adiuuam, & quod ſuggerebat ſibi datum à magno Ioanne conſilium, excepit. Hominémque, Apoſtolico prorſus ſpiritu & afflatu cohortatus eſt, vt deſignatæ pro Chriſti gloria, & augmento fidei, ac publicæ ſalutis, expeditioni, ſeſe quamprimum accingeret. Illò enim eumdem diuinitus vocari. Galliam & circumpoſitas regiones præſentaneum eiuſmodi expectare, expoſceréque auxilium. Neminem tanto muneri ſibi videri aptiorem, qui

eruditione & ſanctimonia ſic polleat, ſic ordine & auctoritate emineat, quique fortiter adeo & conſtanter, in hoc Dei opus, poßit incumbere. Facta igitur ampliſſima Dionyſio poteſtate, legationem Euangelicam non ſolùm Galliæ, ſed & totius Occidentis Apoſtolatum conceßit. Cuius verba cùm ſecundis auribus ipſe Dionyſius excepiſſet, contractis in pauca verbis ſe libenter cupidéque ſummi Paſtoris pariturum voluntati reſpondit. Nihil enim ſibi magis eſſe in votis, quàm eius qui Seruatoris vices gerebat obſequi imperiis, à cuius ſacro ore & nutu diuino totus penderet. De ſociis denique comitibúſque itineris actum: de quibus vt conuenit, & qui deſtinati erant adfuere. Erant in ſociorum numero præter Ruſticum & Eleutherium, quos Clemens Dionyſio adlexit indiuiduos comites; Saturninus, Marcellus, qui & Eugenius, Lucianus, Regulus, Nicaſius, Quirinus, Jon ſeu Jonas, Taurinus, Sanctinus, Antonius, Eutropius, qui nuper à Gallia Aquitanica ob populi duritiem, deſperatô operê, redierat; aliique ad quos omnes, Apoſtolicus Pontifex ea verba habuit, quæ cunctorum animos, tam ad iter magno animo ſuſcipiendum, quàm ad eos qui inſtarent labores glorioſè pro Chriſto perferendos ſuccederent, tum verò lætas alacréſque in via bona, cum felici apprecatione cunctos dimiſit. Accepta igitur ſanctißimi Pontificis benedictione, in viam lætis ac magna ſpirantibus animis ingreßi ſunt. Et Parmæ quidem cùm in tranſitu aliquantiſper hærerent: Lucianus feruore excitus incitatiori, ſimulachra inſectari adorſus, furentis populi in ſe motum concitauit, à quo pugnis exceptus & fuſtibus, raptatúſque & in carcerem detruſus, nonniſi potentis viri ope, quem benignè ſuſcitauit Deus, extremo ex impendenti capitis diſcrimine, ereptus eſt. Quem in comitatum recipiens Dionyſius, ne agmen ſimilibus pugilum excurſibus ſuum dilaberetur: nauali vehiculo iter conficere, quo tendebat in Galliam, conſtituit. Se itaque commilitonéſque ſuos mari commiſit, quod ſic ipſius obſecundauit votis, vt felici nauigio, quod non tam venti aut vela quàm Spiritus ſancti gratia afflabat ac promouebat, ex Italia in Galliam citiſſimè ſimul placidiſſiméque tranſmiſerit. Quam verò vrbem primo petiuere aiunt fuiſſe Arelatem, inſigne prorſus in Gallia Narbonenſi, & omnium gentium commerciis peropportunum, emporium. Hic fuerat haud ita pridem Trophimus Pauli diſcipulus, à quo ordinatus primus eius vrbis Epiſcopus, humanæ reconciliationis à Chriſto peractæ myſterium, Apoſtolico prorſus zelo prædicans, fidei negotium ſtrenuè prouexerat. Sed hinc Martyr abreptus, in cœlum nuper commigrârat trophæis præclaris nobilitatus. Quamobrem fidelium qui hac in vrbe erant puſillus grex, Paſtoris nece diſſipatus, gemebat, è cœlóque ſolatium opperiebatur. Deſideratam

*tam eis opem attulit, à Deo miſſus cum ſociis, Dionyſius. Sic enim
ouiculis diſperſis colligendis, recreandis, confirmandis, cum aſſeclis in-
cubuit, vt mox redintegrato ouili, magnus etiam recens credentium
numerus accederet. Religionis quam prędicabat Dionyſius puritas,
veritas, quę vi ſua emicabat, prodigiiſque à diuino pręcone maxi-
mis firmabatur: túmque ipſa illius & ſymmyſtarum ſanctimonia,
ac ſapientia tota cœleſtis, id efficiebat, vt plerique Arelatenſium ip-
ſius deguſtare verba, demirari vitam, adamare virtutes, Chriſti
facta, deorum mutorum fabulis anteferre, Euangelium eius ſuſpice-
re, ſuſcipere, tum apertè etiam cœperint profiteri. Erat inibi fanum
quoddam populi cultu ac veneratione imprimis auguſtum ac celebre,
in quo Martis ſtatua publicis impertiebatur honoribus. Hanc Dio-
nyſius quo veram vnius Dei potentiam aſtrueret, ſola diuini no-
minis inuocatione diſiecit, disfregitque. Fanum verò ipſum, omni
hactenus ſacrorum execrandorum turpitudine inquinatum, cùm ri-
tè expiaſſet: non inuito populo factorum eius admiratore, Deo in-
carnato conſecrauit, Apoſtolorúmque eius Petri & Pauli nomini-
bus glorioſis inſigniuit. ibidémque Baptiſterium primum eluendis labis
auitę piaculis collocauit. Poſt hęc diuinus athleta Dionyſius, Arelatē-
ſi Eccleſiâ Regulo commendatâ (quem Pontificem creauerat) diſpoſi-
tiſque in ea ordinibus, & ad ſyncerum Dei cultum & mutua inter
ſe officia fidelibus diligenti oratione concitatis, valedixit; datóque pa-
cis oſculo in interiorem Galliam aſſumptis Ruſtico & Eleutherio
comitibus, ac Luciano, Nicaſióque & Quirino penetrauit. Ablegato
priùs in Hiſpaniam Eugenio; Toloſam Saturnino, Eutropio Santo-
nas; atque etiam ob Belgicę Gallię ſollicitudinem, miſſo Virodunum
(municipium Treuirenſis tractus) Sanctino. Sic diſtributis copiis mi-
litię dux Dionyſius, rectà ad agrum Pariſienſem (quo nihil erat ea
tempeſtate, quantum ad fidem ſpectat pietatemque, incultius) à ſe
excolendum tendit. Et oppidi quidem tenuis moles, at populi qui re-
giunculam incolebat, tum ingens iam erat nomen, cùm Dionyſius ſti-
patus forti Chriſti bellatorum agmine, ſolum hoc adiit. Qui Lutetiam,
Pariſiorum arcem pręcipuam aggreſſus, illic primùm ęternę felicita-
tis nuntium, aperto Chriſtianę veritatis pręconio, inuexit, nec ſine
felici rei magnę omine, omnem prope ſecum tranſtulit Athenarum
(quarum decus erat) imo Gręcię quoque vniuerſę, gloriam. Subſiſtit
parumper in vicino vrbis, vbi piis precationibus, auxilium ſibi di-
uinum, quo res quam auſpicabatur admodum ardua, fauſtè ſibi, ſo-
ciis, incolis, ac poſteris ſuccederet, conciliauit. Pars quam priùs ſa-
cris preſſit veſtigiis, ea nunc eſt, vbi Pariſienſis Academia, Athe-
nienſis ęmula nunc inſidet. Hinc deſtinauit per Vulcaſſini ciuitates
quas alluit Sequana nobilis fluuius, Nicaſium, conciliandę Deo ple-*

bus deſignatum Præſulem, Quirinúmque Preſbyterum & Scubiculum hypodiaconum, diuini ſuffragatores operis. Jonam ſeu Ionium ad pagum Caſtrenſium, Antonium ad Carnutenſes dimiſit. Ipſe verò cum duobus ſociis Ruſtico Preſbytero & Eleutherio diacono, fidiſſimis contubernalibus, conſedit: hîc ſacris operatus eſt, hîc diuina meditatus, hîc cœleſtia contemplatus, hic libros illos incomparabiles, & niſi paucis rariſque ingeniis inacceſſos, eſt commentatus, quos & hodierna Theologorum ſchola, ſecundum ſcripturas, in prima ponit laudátque auctoritate. Hîc denique (quamdiu degit in dilecto ſeceſſu) vt quondam Ioannes in deſerto, concurrentes ad ſe omnis generis homines, fama vitæ & miraculorum excitatos, docuit, abluit, ac teterrima ereptos ſeruituti, in libertatem filiorum Dei vindicauit. Nam cùm virtute polleret miraculorum: & iam viſum cæcis, iam auditum ſurdis, iam ſermones mutis, iam claudis greſſum reformaret, variiſque præterea morborum affectos incommodis ſola diuini verbi inuocatione procuraret, toti genti admirationi fuit: imò & propter facta tam benefica, paſſim apud omnes in amore & honore non vulgari. At vnus præ omnibus eum omni amore ac veneratione complexus eſt Liſbius, qui Vrbicæ nobilitatis apex, Chriſto vbi faſces ſubmiſit, piorum factus ſignifer, diuinos nuntios hoſpitio intra vrbem excepit, auctoritate ſua muniuit, & quà opera, quà opibus florentem impenſe coluit, auxit ac euexit religionem. Huius munificentia fretus Dionyſius, egenorum fidelium fouit greges, ſacella obeundis ſacris, aptáque oratoria condidit. Primum horum fuiſſe creditur quod in campeſtri ſolo, in delubro Mercurij, exturbato eius ſimulachro, Deo vni ac vero ſub auſpiciis dedicauit ſanctiſſimæ Virginis: à qua deinde ab indigenis ad rei memoriam Domina noſtra à campis eſt appellatum. Vbi & partem aliquam veli beatiſſimæ ipſius Deiparæ, cuius ipſe interfuerat exequiis, ad maiorem loci eius ſanctitatem depoſuit. Secundum, paulo vrbi vicinius conſecrauit ſub titulo adorandæ Trinitatis: quod deinde multis pòſt ſæculis in honorem S. Benedicti inſtauratum, retinet adhuc conſpicuum primæ fundationis monimentum. Illic enim cernitur inſcriptio eiuſmodi, lapidi marmoreo inſculpta. In hoc ſacello S. Dionyſius cœpit inuocare nomen ſanctæ Trinitatis. Tertium beatus Pontifex memoria Stephani Protomartyris inſigniuit: quod inde fanum S. Stephani Græcorum appellatum eſt. Alia deniq. aliorum cœlitum titulis conſtruxit ac ſacrauit, Chriſtianæ pietatis domicilia, quorum vt inſignia ſuperſtát: ſic ſingularis foret prolixior recenſio. Cæterùm quemadmodum templa & ſacraria, ſic ſacerdotes & miniſtros conſtituit: variáq. in loca dimiſit. Neceſſarium enim erat, vt multiplicatis gregibus, paſtores quoque multiplicarêtur. Preſbyteros igitur diuiſit per titulos, adiũctis vnicuiq.

miniſtris. Curauit verò imprimis beatus Pontifex, vt ſacrorum miniſtri, exactiſſimè callerent, quæ ſui eſſent officij partes in diuini cultus celebratione. Rectè enim arbitrabatur, nihil in omni mundo eſſe, quod parem curam ac ſollicitudinem requirat, quàm ea ſeruitia, quæ non hominem mortalem tangunt, ſed Deum ipſum ſpectant omnium conditorem. Eam ob rem vt ſacros homines ad omnem religionis perfunctionem diligentiſſimè informaret, quæ à primis Dei Legatis acceperat, maximéque à Paulo magiſtro ſuo in cælis edocto, inſtituta, ritúſque & ceremonias ad maiorem ſacrorum venerationem in librum digeſſit, quem de Eccleſiaſtica inſcripſit hierarchia, quia in eo de Eccleſiæ ordinibus, omniúmque rituum ac ceremoniarum ratione ac praxi, luculenter, intinctóque cœleſti rore calamo, diſſerit & pertractat. Hunc igitur codicem Lutetiæ myſtagogis tradidit, vt eſſet diuinorum officiorum communis regula ac conforme magiſterium. Hac dum ſerenitate Pariſienſis Eccleſia, adeóque tota interior Gallia, ſub felici Dionyſij præſulatu frueretur: in Aquitania ſæua procellæ turbo exortus, Eutropium Santonenſem Epiſcopum, diſcipulum Petri, Symmyſtam Dionyſij ferali ictu abripuit: qui furore gentilium ſub hoc ferme tempore quo iam Dionyſius ipſe vergebat ad occaſum, trucidatus, agone glorioſo prædicationem Chriſti Maieſtatis & ouilis ſui ſollicitudinem conſummauit. Huius inſigne certamen Dionyſius à ſe deſcriptum Græcis literis, miſit paulò pòſt ad ſanctum Clementem, qui Martyrem futurum, Eutropium dum ipſe mitteret in Galliam præſagierat. Acceperat enim dum Româ cum comitatu diſcederet à Clemente in mandatis Dionyſius, vt res à ſe & ſociis gerendas, agonémque maximè cuiuſque poſtremum, literis conſignari, & ad ſedem Apoſtolicam tranſmitti curaret, vt eiuſmodi relatione certior fieret Matrix illa Eccleſia, quis cuiuſque pugnæ extitiſſet exitus, quæ laurea obtigiſſet: quíque ſingulis referendus eſſet honor memoriæ, & meritorum habenda digno cum cultu, exiſtimatio. Quæ cauſa fuit vt etiam dum imminere ſibi videret beatus Dionyſius, ſupremum agonem, Sanctinum, *quem Viroduno abductum ad Carnutenſes primùm miſerat: Inde Meldenſibus præfecerat Paſtorem, ad ſe Lutetiam cum* Antonino *Preſbytero euocauit: quibus ſerio iniunxit, vt ſui & commilitonum certamen attentè inſpicerent, ac quicquid agerent, dicerent vel perpeterentur, ſedulò obſeruarent, quæ omnia ſubinde Romam, ad Apoſtolicum Pontificem vel mittere vel deferre, haudquaquam morarentur. Martyrum ſiquidem res præclarè geſtas pro Chriſti gloria & fidei aſſertione, multùm valere ad præſentium confirmationem, & poſterorum eruditionem, ſapientiſſimè vir diuinus exiſti-*

mabat. Ex cuius inſtitutione morem Gallicanum fluxiſſe reor, quo athletarum pietatis paſſiones & trophæa, breui conſerta elogio in diuina litatione, paulò antè tremendam actionem, publico ſacerdotis præconio recitabantur. Quem morem etiam ex Gallia Romam vſque exinde propagatum, ſatis innuunt antiqui libri rituales ſummæ eiuſdem Eccleſiæ, in quibus agones Martyrum in cuiuſque natali, propria præfatione, eáque tam ſuccincta verbis, quàm luculenta rebus, comprehenſi legebantur. Sed verò Dionyſius huius ſacratiſſimæ praxis auctor, quo proximior coronæ, eo pugnæ auidior, ante extremam luctam circumquaque diſcurrit, nihil vt non Chriſto ſubactum, ſi fieri poſſit relinquat. Igitur ad diſſitas Eccleſias paraneticas ſcribere literas, propinquas luſtrare proprio excurſu, obuias quaſque ciuitates penetrare, ad alias nuntios mittere, ardentiori ſtudio curauit. Nicaſium igitur quem varia iam in loca ablegauerat, ſacratum à ſe Epiſcopum, Rotomagum ire iuſſit adiecto eidem Quirino Apoſtolicæ vitæ & ſapientiæ Preſbytero. ſubiunctóque Scubiculo hypodiacono: quibus Metropolis illius ſic illuminationem commiſit, vt regionis obuiæ & vicinæ præceperit, iiſdem facibus illuſtrandæ, operam nauare ſollicitam. Præterea cognito breui adeſſe tempus quo pertingendum eſſet ad metam, per omnia intimæ Galliæ loca circumfert acuta mentis aciem, & ſi quid vſpiam deſideretur, affulgente de cœlo lumine ſtudioſius inſpicit. Idcirco ad Bellouacos digreſſus, Lucianum de ſuo imminenti martyrio admonitum, in officio corroborat. Taurinum verò (quem hactenus diuerſas in Celtarum partes emiſerat) poſtremo Ebroicas legit, ſacrarum manuum impoſitione, pontificali honore atque cœleſtium chariſmatum copia cumulatum. Rebus ſic prouide diſpoſitis, Dionyſius cum ſociis Lutetiæ reſedit. Cuius Eccleſiæ ſtatu læto huc vſque paſſu procedente, tanti impatiens ſucceſſus, ille eorum & virtutum iuratus hoſtis diabolus, præcipuos inuidiæ ſuæ miniſtros ac ſatellites (quales ferè id temporis plerique omnes erant prouinciarum præfecti & præſides) cùm in Chriſtianos communiter vniuerſos, tum præcipuè in celeberrimum ea tempeſtate Dionyſium, furore & feritate obarmauit. Feſcennini igitur Præſidis, qui nuper Lutetiam Pariſiorum, Druidum inſtigatione, ad animaduertendum in nouæ religionis auctorem ac ſectatores venerat, iuſſu, perquiſitus: ad necem Dionyſius in ipſo Euangelij præconio comprehenſus eſt: & vnà cum illo Ruſticus & Eleutherius cooperarij eius præcipui, ſimul diuina in functione capti, ſimul vincti, ſimul ducti ſunt. Inſignis autem Dionyſij alacritas, animíque fortitudo ad tribunal & ad mortem, quaſi ad epulum gradientis, iunctâ dicendi et religionem propalam confitendi egregia libertate, atque

fiducia ſpectatores obuios quoſque obſtupefecit. Oblatus enim Præfecto, & de genere, de patria, de ſtudiis interrogatus, pro cunctis vnum, ſe Chriſti ſeruum eſſe reſpondit. Quærenti rurſus eſſet ne ille qui populos à Deorum immortalium cultu auerteret, qui arte magica hominum animos faſcinaret, qui inuictis Imperatoribus ſe opponeret, ipſe infracto animo ſe impietatis euerſorem, ſimulachrorum deſtructorem, dæmonum ſupplantatorem, ingenuè intrepidéque confeſſus eſt. Flagitanti denique ecqua eſſet ſua religio, qui cultus, quæ profeſſio, ipſe vnáque bini ſocij ſpiritu & gratia pleni, clariſſimam fidei ſuæ profeſſionem vna voce ediderunt. Qua audita, furore percitus Præſes multa verborum portenta euomit, diráque interminatur Chriſti pugilibus, ni propere Chriſti ipſius religione eiuratâ: numinum cultum cuius deſertores & deſtructores eſſent, ſerio amplexentur. Renuentes tetrum in carcerem mittit. Inde poſt aliquot inducias euocatos, & in pietatis præconio perſiſtentes, aſperioribus verbis obiurgat, iiſque tormenta horrenda minatur. Quæ cùm ſpernunt, ipſos diræ verberationi adiudicat: Mox inſontes Chriſti famulos trahit, raptat, vexat carnifex. Illi interim Deo-gratias agunt. Cruciat acrius, clamat, fodicat tortor; illi nil reſiſtunt: Sed nec ipſis torturis, flagellis, plagis tantillum commouentur. Stabat ſenex centum decem ampliúſque annos natus, canitie venerabili, modeſtia, grauitate, manſuetudine ſingulari. Aſtabant duo eius commilitones, mediæ ætatis viri, nihil in vultu, nihil in ore, nihil in geſtu quàm pudicitiam, ſanctimoniam, pietatem & conſtantiam inuictam præferentes. Quorum in conſpectu (eo loco qui deinceps ob perenne rei monimentum ſancti Dionyſij de paßione dictus fuit) poſitæ erant virgæ, ſecures, cataſtæ, fidiculæ, eculei, aliáque innumera crudelitatis inſtrumenta. At forti animo perſtant athletæ, hæc ſerenis placidíſque obtutibus, ceu roſas, ceu lilia, ceu triumphi deſiderati adminicula letè conſpicientes: iámque lictores ſua in excruciatione fatigatos, inſuperabili ſua pietate, replentes confuſione & ignominia. Igitur tanquam rebus illa die deſperatis retrudi iubet Præſes ſanctos in carcerem, vt ibi grauißimo cathenarum pondere degrauati, & loci ipſius ſqualore & pædore perdomiti, ad ſecundum fidei conflictum imbecilliores redderentur. At quo plura beati viri pro Domino patiuntur: maiora ab eo accipiunt virium ſubſidia. Siquidem alia die productum ſanctum Antiſtitem, & de ſententia quam teneret interrogatum, maiore quàm antehac fiducia, reſpondentem audiuit Præſes: cùm extendi in cataſtam, diréque tam illum quàm ſocios excruciari iuſſos, rupium inſtar ſtare immotos conſpexit. Tum enim omnes vti prius & verbis gaudium teſtari, & Deo gratias agere. Quid igitur? tandem profertur ferrea crates in medium, ignis

copioſus ſubiicitur, thorus flammis excandeſcit, deiicitur in eum vir ſanctus: ſtrident nidéntque vſtulata membra: ſed ſpiritus ſemper ſibi præſens & renidens, in Dei laudem & benedictionem feruentius ſe diffundit. Pugili ſuo adfuit Chriſtus. Nec flammas tantùm fecit vt vinceret, ſed & ferociſſimarum beſtiarum quibus proiectus eſt rabiem, & ingentia clibani incendia, ac membrorum in cruce ſuffixiones. Nam precanti, & beſtiis in ſe incurrentibus ſignum crucis obiectanti, ipſæ quamuis immanes & efferatæ, coram eo, quaſi ſecures & manſuetæ prociderunt. Coniectum etiam in flagrantiſſimos æſtuantis clibani ardores, fuſæ ad Deum precationes, omni auro puriorem ac ſplendidiorem eduxerunt. In crucem deniq. ſublatum, cùm ex ea velut ex ſuggeſtu concionatorem ageret, populúmque circumfuſum aliorſum quàm quæſitores vellent pertraheret, è ligno illum defigere qui affixerant maluerunt, quàm vitæ & ſalutis quos fundebat audire ſermones. Igitur in carcerem (qui tunc Glaucini cuſtodia dicebatur, ad Sequanæ ripam: nunc Eccleſia ipſius beati Dionyſij, vulgo de carcere appellatur) glorioſum fidei bellatorem, cum binis ſociis (quos Præſidis ſæua etiam immanitas, exquiſitis macerauerat ſuppliciis) durè raptatum per viculos ciuitatis tandem retruderunt. Alios etiam pleroſque fidelium apprehenſos cum illis vnà incluſerunt. (Nam necato iam ob pietatem Liſbio, Præſes in pios quoſque iratus efferbuerat.) Hic Dionyſius paſtoris & ducis ſtrenui ſollicitíque munus impleuit. Ipſe omnes ad generosè ac fortiter decertandum cohortatus; ibidem ad maius illis indendum robur, ſacris operari, & cunctos pane illo fortium, qui confirmat cor hominis, reficere conſtituit. Sacrificanti, atque ad ſumendam & cum aliis communicandam immortalitatis alimoniam, ſe accingenti, immenſa quædam lux è cœlo affulget, in qua Chriſtus Dominus multa circumcinctus Angelorum caterua, omnibus qui tali viſo ſe dignos præſtiterunt, intuentibus, ſe aris immiſcet, & acceptam è ſacra menſa hoſtiam diuino Pontifici ſua manu offert, dicítque. Accipe hoc chare meus, quod mox complebo tibi vnà cum patre meo, qui mecum eſt maxima merces tua, & his qui audierunt te, ſalus in regno meo. *Carcer obſcurus tanta maieſtate repletus, inſtar præluſtris regiæ ſubitò promicuit, gaudióque omnes inſpectores perfudit. Sensère cuncti mox in corde ardorem mortis flagrantiſſimum: iámque deſpectu aliis quibuſque illa ſola quærunt, optántque quæ ad extremum agonem ducunt. Aderat iam noui iudicij, noui certaminis tempus. Educuntur Martyres à cuſtodia, ſiſtuntur tribunali, denuo interrogantur mentem ne tandem vexatio illis reddiderit. An in ſua etiamnum damnabili perſiſtant amentia: velíntne diis immortalibus immolare & viuere: an vitam cum morte acerbiſſima*

commutare. Aſt illi multo quàm antè animoſiùs deos execrari, & dicere, non ſe vitam poſtulare quæ inferat mortem, ſed mortem flagitare quæ afferat vitam. Vitam ipſam eſſe IESVM *Chriſtum, pro cuius gloria extrema quæque oppetere parati ſunt. Quibus auditis exacerbatus ſuprà modum Feſcenninus, ſupremam tandem de eorum obtruncatione profert ſententiam. Itaque poſt repetitam ſingulorum duriſſimam diuerberationem, illos ex vrbe ad vicinum Mercurij collem abreptos immaniſſimi tortores, per viam ſanè quam inhumaniter vexant, tandémque fide fortes, ſpeique plenos, & Deo gratias agentes, ſæpè optata, ſæpè expetita pro Chriſto morte, reſectis hebetata ſecuri capitibus (ſic ad acerbiores cruciatus mandatum fuerat) tranſmittunt ad vitam. Sic victus iuſto fidei certamine hoſtibus pietatis, occubuit glorioſè, anno Chriſti circiter centeſimo vigeſimo primo, Hadriano Imperatore, Siſinio Feſcennino Præfecto, egregij martyrij decoratus laurea,* DIONYSIVS *verus non modò Areopagita, ſed Iſraelita, Athenarum Protomyſta, Galliarum Apoſtolus, Pariſiorum Antiſtitum Coryphæus, totius Occidentis Legatus, vtriuſque hierarchiæ cæleſtis & Eccleſiaſticæ, ac diuinorum nominum deſcriptor & interpres eximius, Theologorum ſecundum Apoſtolos & Euangeliſtas apex & anteſignanus. Sic quoque fortiſſimi milites,* RVSTICVS *Archipreſbyter, &* ELEVTHERIVS *Eccleſiæ Pariſiorum primarius Diaconus, Orientis gemmæ, Occidentis ſidera, Galliæ lumina, Lutetiæ columina, cum duce ſuo præclara æmulatione decertantes, victoriæ immortalis, & immarceſcibilis coronæ, æternum decus, triumpho ſanè inclyto reuexerunt, quo polum noua ouatione repleuerunt, ſolum irrigatum pretioſo cruore, inuiolabili religione conſecrârunt. At triadis huius egregiæ, diuina Maieſtas Præſulem, meritis vt gradu potiorem, ſpectabiliori magnificentiæ trophæo honorauit. Quandoquidem Dionyſij truncus licet exanguis, & vitæ expers (res ſanè tam ſenſu noua, quàm admiranda dictu) ſe tamen erexit, & reciſum ab humeris caput in manus ſuas, perinde ac ſi viueret, vt inſigne victoriæ accepit, ac ad duo circiter milliaria duce Angelo, & choris cæleſtibus cum admirabili concentu comitantibus tamdiù deportauit, donec ad locum vbi nunc ſitus eſt, & ſui nominis vrbem & cœnobium habet, peruenit. Atque in nobilis matronæ, cui Catullæ nomen, fundo, quaſi ſe ei daret deportauit. At pia fœmina Dionyſij pretioſis exuuiis haud contenta duorum etiam commilitonum Ruſtici & Eleutherij ſacra cadauera, quæ impij ſatellites in Sequanam proiicere decreuerant, quà prece, quà pretio, quà pio etiam aſtu obtinuit: cúmque venerando Dionyſij corpore, eo in vico ſepeliuit ac condidit, vbi paulò pòſt ſanctus Regulus ædiculam, pro tantorum Martyrum erexit titulo triumphali.*

Quem ſancta Genoueſa poſtea auxit: Deus admirandis prodigiis decorauit: Dagoberus autem Francorum Rex diſſito paulìſper ſitu ſumptuoſo templo ac cœnobio illuſtrauit, vbi poſtea Chriſtianiſſimi Reges tantorum tutelarium patrocinij ambientes, ceu in tutiſſima fidei arce, & ſuaui placidóque animæ reclinatorio, mauſoleum ſuum collocauerunt.

LARCIA. Ipſo die ibidem natalis ſanctæ LARCIÆ Martyris, quæ Liſbij Pariſiorum Protomartyris nobiliſſimi vxor (quem cæco excita infidelitatis feruore, violatæ numinum religionis incuſauerat) prodigia quæ in Martyrum Dionyſij ſociorúmque nece facta ſunt diuinitus, admirata, manus Chriſto dedit, propalámque ſe Chriſtianam profeſſa, ideóque comprehenſa furentis iuſſu Præſidis, & enecta, libenter effuſo in vicem baptiſmi ſanguine, numero Sanctorum Martyrum aggregata eſt. Sícque mariti cuius procurauerat excidium, opem feliciter experta; orationum quas ille pro ipſius ſalute ipſa in morte fuderat, admirando diuinæ miſericordiæ artificio, vim meritúmque perſenſit. Cuius filius

VISBIVS. VISBIVS inſpector felicis conſummationis, ſcriptor etiam extitit paſſionis, paternique agonis, & Sanctorum Dionyſij & ſociorum præco certaminis & victoriæ. Qui Romam inde profectus (vbi ſub tribus Cæſaribus militauit) res geſtas ipſorum beatorum Martyrum retulit ad beatum Euariſtum Apoſtolorum quinto in ordine ſucceſſorem, à quo in Romanæ Eccleſiæ diptychis deſcriptæ ſunt. Tandem verò Viſbius ipſe reuerſus in patriam, ſub ſancto Maſſo tertio à beato Dionyſio Pariſiorum Præſule, Chriſtianæ conuerſationis feliciter decurſo ſtadio, piorum ad parentum felix migrauit conſortium. Eodem die Lutetiæ

Martyres plurimi. itidem Natalis PLVRIMORVM CHRISTI TESTIVM: qui ſignorum quæ ſancti Dionyſij & ſociorum funera illuſtrabat ſplendoribus irradiati, cùm altis præconiis Chriſti nomen efferrent, illico in odium piæ confeſſionis & glorificationis trucidati, receptis repentinæ victoriæ palmis, militiæ cœleſtis cuneos ſua acceſſione ampliârunt. Quo ipſo die & ſequentibus facta eſt Pa-

Strages immanis Sanctorum Pariſienſium, quorũ nomina & numerum ſolus Deus ſcit. riſiis ac circumquaque adeo atrox OMNES IN FIDELES animaduerſio, vt ex eorum laniena cruoris effluentes riui, vicos vrbis & agros ſtupenda ſtrage inundarint. Nec dictum immeritò tunc rurſus Lutetiæ, quod olim Hieroſolymis, propheticum illud fuiſſe impletum. *Poſuerunt mortalia ſeruorum tuorum in circuitu Ieruſalem & non erat qui ſepeliret.* Ipſo die natalis

GISLENVS. ſancti GISLENI Epiſcopi & Confeſſoris. Is monachus ſancti Baſilij in Græcia, factus Athenarum Epiſcopus, Angelica mo-

nitus viſione, relicto Epiſcopatu (vt pridem Dionyſius) Romam venit, Apoſtolicis triumphus celebrem, & inde ſuperno quoque afflatu in Galliam Belgicam digreſſus, in loco non procul à Caſtriloco fretus auctoritate ſancti Autberti Cameracenſis Epiſcopi, & pia munificentia ſanctæ Valetrudis Hannoniæ Comitiſſæ conſtruxit oratorium, cum aſceteriolo quod cellam Apoſtolorum nuncupauit. In quorum honorem aſſumpto ſecum beato Amando, Eccleſiam ibidem conſecrauit. Fideque & doctrina potens ſanctis exhortationibus ita incubuit, vt gentium qui ſupererant in hac regione multitudinem magnam, in ouile Domini introduxerit: quibus, Apoſtolicis chariſmatibus affluens, largis manibus dedit, dominici tritici menſuram. Et ita augmentis diuinæ familiæ, locupletatus exceſſu beato migrauit ad præmium. Fulſit poſt obitum magnificis meritorum indiciis, quibus & fidelium ſibi perennem deuotionem conciliauit; & monaſterio cui impendit tutelam, indidit quoque & oppido quod ſenſim ſub ipſius patrocinio coaluit, felici ex ſuo nomine nuncupationem. Ipſo die ibidem Sanctorum LAMBERTI & BERTERII qui ambo Preſbyteri, & beati ipſius Giſleni cooperatores in prædicatione Euangelica: partis quoque meritorum ex animarum lucratione pretioſis cumulis, æterna ad gaudia tranſmigrarunt. Horum ſacri artus etiam miraculis coruſcârunt: qui in feretro portatili ſimul conditi, in parœciali templo oppidi ſancti Giſleni, magna incolarum veneratione perfruuntur. LAMBERTVS & BERTERIVS.

Metis ſancti ARNOALDI Epiſcopi & Confeſſoris, qui nepos Aigulphi regiæ ſtirpis germinis, Dagobertique Regis præceptor: non ſanguinis nexu, vel regalis beneuolentiæ fauore, ſed meritis præcellentibus vitæ & doctrinæ, nobilis illius ſedis poſt ipſum Aigulphum factus Epiſcopus, ſuſceptam animarum curam omni vigilantia paſtorali exercuit: præſulatúque diutino laudabiliter exacto, in Dei & hominum benedictione, vitam abſoluit innocentia; caſtitate, iuſtitia, ac pietate conſpicuam. Tametſi verò hac die ſtramen mortalitatis abruperit: non hodie tamen merita eius recolit Eccleſia Metenſis, ſed die decimo ſeptimo Aprilis, quo ipſum vnà cum ſancto VILLICO ſedis eiuſdem Epiſcopo religioſè veneratur. ARNOALDVS. VILLICVS.

Ibidem ſancti BONOLI Epiſcopi & Confeſſoris, qui ſancto Vrbicio ſuccedens hanc Eccleſiam annis tribus ad præſcriptum diuinæ legis gubernauit: ſanctitatíſque emeritam gloriam in vita, poſt mortem beatæ memoriæ conſecratione perennauit. BONOLVS.

In tractu Bigoritano ſeu Bigerionenſi, ſancti SABINI Confeſſoris. Is patria Barcinonenſis, quamquam genere Gallus, affinis Eutitij Comitis Pictauienſis, SABINVS.

poſtquam excultus eſt politioribus humanarum diſciplinarum inſtitutis, relicto natali ſolo, ad agnatum illum ſe contulit, diuino amore feruens, vitæque cœleſtis inſtituendæ cupidus. Igitur ab ipſo in ſancti Martini, tum perlucidi religionis ſideris, notitiam inſinuatus, viæ perfectæ ex eius documentis & actibus percepta idæa ad iuga Pyrenæa ſe recepit Eremi ſecreta petens: vbi vili ſub ſchemate, adiuncto vno duntaxat comite, totus in Chriſti amorem effuſus, ipſi carnem & animam aſſiduo ſacrificio immolauit; grato ſuffitu orationum, puro fonte lachrymarum, & omnium virtutum floribus, quin & fructibus ſanctarum actionum, offerens deuotæ mentis obſequia. Quibus dum fruitur diuinæ ſeruitutis deliciis, hinc abſtractus à *Fronomio* Abbate, ſpecie ſpiritualis prouectionis: ſuperno conſilio factum eſt, vt multorum conuerſione procurata, ductorem ſuum ſuam in diſciplinam traduxerit. Quo cùm ad montana regreſſus, in prærupta rupe, à Domino deſignata, è qua manabat riuulus, ſtationem fixit: illícque conſtructa ſeptem pedum cellula ad obitum vſque perſeuerans, conuerſationis quæ humanam ſortem non ferebat, at adæquabat Angelicam, tramitem iniit mirabilem. Non dictis quiſpiam aſſequi poteſt, quantis exercitiis, nuditatis, parcitatis, inediæ, vigiliarum, orationum, omníſque ſanctitatis ſtudiis Dei ſeruus hîc illuxit. Nec itidem prodigia quibus cœlitus honorari promeruit. Dæmones eiecit, infirmos ſanauit, auram validam voce ſiſtit. Cerei extinctam reparauit flammam, ipſe totus ignis: quamquam enim nudus tanto in frigore, quod ſaxa non illæſa ferebant: cinctus niuibus, degeret: diuino tamen amore intus æſtuabat, ita extrinſecus feruebat vt ſi rogo prope aſtans, diù incaluiſſet. Prodigium tantùm ſanctitatis, cum rebus exutum dæmon ſpoliare nequiret, mouere ac detrudere loco, quo nullus perſtaret mortalium, inſano liuore tentauit. Inducto Chromatio, iugi illius horrendi Domino, qui dira interminatus eſt ſeruo Chriſti, ni hinc properè digrederetur. Aſtum inimici perſenſit vir beatus: ſeſéque potiùs extrema quæque perpeſſurum conteſtatus eſt, quàm rupis è qua cœleſtia ſpeculabatur, ſumma quæ incolebat ſecretus à turbis deſerturum. Tredecim igitur hîc moratus annis in puro Dei famulatu, glorioſus Confeſſor, de voluntario carcere, ad libertatem filiorum Dei quam vehementer anhelabat, præſcius mortis, & ſubſequentis gloriæ feliciter euolauit. Iiſque claruit poſt beatum tranſitum meritorum coruſcationibus, vt perpetuæ incolarum deuotionis cultum receperit, apud quos & circumuicinos populos ſacris hodie anniuerſariis celebratur. Ibidem Sanctorum IVLIA-

IVLIANVS & SILVANVS.

NI & SILVANI Diaconorum, quos Fronomius Abbas, leuandi laboris & ferendi ſolatij cauſa in miniſterium ipſius ſancti Sabini iam ſenis delegauit: qui ſe eius obſequiis filiali affectu ſubmittentes, iuxta Domini verbum *officij præſtiti Prophetæ, mercedem etiam Prophetæ acceperunt*. Eius enim irradiati virtutibus & ſanctis documentis informati, adiuti quoque meritis eam ad Euangelicæ perfectionis aſcenderunt ſublimitatem, vt excedentes viciſſim a ſæculo nequam, cœleſtis ad beatitudinis peruenerint faſtigium. Ipſo die in agro Cameracenſi ſanctæ OLLÆ Vir- *Olla.* ginis, quæ loci in quo quieſcit & colitur patrona, ortus quem inde cœpit conterraneis ſuis perennem vicem rependit. Munera quæ apud Chriſtum conſecuta eſt meritis, iis erogans ſuffragiis. In Ambianis monaſterio Centulæ tranſlatio ſancti RI- *Richarius.* CHARII Preſbyteri & Confeſſoris primi illius religioſæ domus Cœnobiarchæ, cuius faſtis ſacris inſcripta claret depoſitio, 6. Kalend. Maij. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum*, &c.

ODO Cameracenſis Epiſcopus, qui patria Aurelianenſis, doctrina & moribus præſtans, primùm Tornacenſis Eccleſiæ fuerat Scholaſticus, hinc ſancti Mar- *Odo.* tini Tornacenſis cœnobij inſtaurator, Abbáſque primus, tandem ob ſplendorem virtutum euectus eſt ad Epiſcopatum Cameracenſem: iniuſtè pulſus ſede ab Henrico IV. Imperatore Eccleſiam perſequente, tandem preſſuris feſſus Aquicincti pio fine deceſſit. Cuius clari ingenij & pietatis ſuperſtant inſignia etiamnum monimenta, nempe, *Expoſitio ſacroſancti Canonis Miſſæ*, & aliquot *homiliæ perutiles*: Sanctorum Patrum documentis inſertæ, cum excellenti tractatu *de Incarnatione Domini* ad Vvilbodonem monachum. Sunt qui illum hoc nomine commendent, quod *omnium, qui Liturgiam Latinæ Eccleſiæ commentariis illuſtrarunt, primus extiterit*. Eodem die religioſè mortuus eſt piæ memoriæ GOS- *Goſuinus.* VINVS Abbas Aquicinctinus, vir ſua ætate, ſanctitatis & prudentiæ ac raræ eruditionis fama celebris: quem idcirco iam ſenem, Eugenius Papa III. ad Remenſe Concilium, vt ſibi ſubſidio eſſet, quà conſilio, quà ſuffragiis pietatis, dignanter euocauit.

Sexto Idus Octobris. Luna

10 Cxii.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	1	2	3	4	5
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
6	7	8	9	10	11	12	13	12	13	14	15	16	17			

AVGVSTÆ Trecarum ſanctæ TANCHÆ Virginis & Mar- *SS. Tancha.* tyris, quæ illo ex tractu nata proſapia illuſtri nobilitatem generis, eximio cultu caſtitatis & piæ mentis affectibus, quibus ab ipſo ætatis flore Chriſto ſe addixit, plurimùm decorauit. Cuius cùm mater ab humanis deceſſiſſet, pater voti conſcius quo

ipſa ſe perpetua virginitate aſtrinxerat, religioſis eiuſdem cedens propenſionibus, de ineundis nuptiis ipſimet nuſquam, etſi rara præſtaret formæ venuſtate, negotium faceſſiuit: ſed cura familiæ eidem commiſſa, quietè ſanctoin propoſito ſinebat eam perſiſtere. Cùm autem ipſe aliquando inuitatus eſſet ab Archienſis caſtri Dynaſta ſibi affinitate coniuncto (qui Virginem Tancham ſacro è fonte ſuſceperat) ad ſolemne conuiuiumab illo amicè reprehenſus eſt quod filiam Tancham (quam is tenerè diligebat) ſecum ad epulas venire non præcepiſſet. Pater eam domus curam gerere, nec libenter adire cœtus non ſacros, reſpondit. Id non gratè cùm acciperet Dynaſta, mox ſe eius iuſſis paratum offerens armiger Vexannius nomine, non morabor, ait, ſi præcipis me puellam iſtic adducere. Annuente illo currit is ocyus ad paternam arcem, blandè Virginem affatur, patríſque ac patrini eius ait voluntatem eſſe, vt Archeiam veniat vnicè ab his & cæteris conuiuis, deſiderata. Virgo abhorrens ab epulis (nam ei conuiuium perenne fermè ieiunium erat) ac neſcio quid doli in loquente ſuſpicata, primùm excuſatione prætexta, ire abnuit. At victa reuerentia patris, cui nefas putabat iubenti refragari, tandem acquieuit, ſéque commiſit inuitantis tutelæ. Equo igitur impoſitam, armiger ex arce eduxit, abſtinuítque omnino à procacitate, donec longiùs virginem abduxiſſet. At vbi ad montem ventum eſt cui Bananiæ nomen, impuri amoris æſtum prodidit quo feruebat. Virginémque de actu turpi ſollicitare aggreſſus eſt. Quæ pauida, pudibundáque nefarios declinans affatus hac in ſolitudine omni deſtituta auxilio humano, ſuſpiriis, lachrymis, ac intimis obſecrationibus opem diuinam cœpit depoſcere. *Domine* IESV (aiebat) *auxiliator meus, ne ſinas quaſi corpus meum à corruptore inquinari. Serua meam à labe animam, vt immaculata tibi valeam occurrere.* Hos dum fudit Virgo pios gemitus, orantem infidus comes interrumpit, acrius vrget; ſiſtere preces iubet, ſibíque obtemperare. Renuit magis enixè Virgo, votáque geminans auxilium ſupernum intenſius aduocat. Qua re exaſperatus procus, affectum cupidinis in iram conuertit: conſtantémque in ſancto caſtitatis propoſito, enſe tranſuerberat; orantem nihilominus & IESVM ſponſum laudantem, quod mortem ſibi potiùs obire conceſſerit, quàm integritatis damnum perpeti, pungit ferocius, tandémque ad collum transfixam perimit. Sic mactata cecidit grata Deo hoſtia, gemini ſimul præmium referens honoris. Sic enim Chriſti amore caſtitatem tutauit, vt vno eodémque agone binum ſertum reciperet, Virginitatis & pietatis. Corpus puræ animæ

animæ domicilium, Deus cuſtodiuit etiam mortuum: vt nec feræ attingerent, nec imber, nec æſtus afficeret. Repertum denique cruore roſeo purpuratum, pater deſolatus collegit, ſepeliuitque multis cum lachrymis in Luſtriæ vici parœciali ædicula: At condita tumulo gemma tam nobilis, non diu iſto in puluere delituit. Eruperunt mox inde miri beatæ meritorum fulgores, qui regionem totam ad eius reuerenda membra excitarunt: tantóque feruentius impulerunt, quanto promptius & vberius, opem quicumque eius ſupplex implorabat, ſuffragiorum conſequebatur præſidia. Viget etiamnum illic beatæ Virginis recordatio & cultus, ſed quod agonis eius hiſtoria paſſim exciderit: hinc minor deferri cœpit ei veneratio, quam meritorum quæ ingentia ſunt ſibi dignitas vendicaret, ſi vt par eſt ab incolis agnoſceretur. Quod facilè ex his conſequentur tabulis. Apud Senonas ſancti ALDRICI Epiſcopi & Confeſſoris, qui ex Principibus palatinis ortus Alcuini diſcipulus, ex Abbate Ferrariarum mortuo Hieremia Archiepiſcopo Senonenſi, per meritorum inſignia, ad Epiſcopatum raptus potiùs quàm prouectus, nihil priùs habuit, quàm Cleri ſui deprauatos mores, ad amuſſim diuinæ & canonicæ legis reuocare. Eiúſque ſuaſione Ludouicus pius Aquiſgranenſem Synodum iuſſit congregari: in qua Clericorum luxus & populi corrupti mores emendati ſunt. Alium Vvormaciæ indici curauit ſacrum conuentum, in quo præclara quoque facta & ſancita. Multa ipſe patrauit laude digna. Siquidem ſacros ritus vindicauit, Eccleſias ornauit, libertatem Eccleſiarum aſſeruit. Foſſatenſe monaſterium dedicauit. Sancti Remigij cœnobium inſtaurauit, híſque titulis pietatis ornatus, felix demum quieuit in Chriſto. Ipſo die in Hannonia Natalis ſancti VENANTII Eremitæ & Martyris, qui filius ſanctæ Amalbergæ & germanus ſanctæ Pharaildis frater, calcatis honoribus, opibus ac deliciis, Chriſto ſeruire pro ſumma gloria reputauit. Ideóque petens ſolitudinem, vt mundus ab ſæculi inquinamentis, immaculatæ vitæ ordiendo tramitem quo ad Dei beneplacitum incederet, in ſaltu vaſtiſſimo qui Areæ oppido imminet, tuguriolum ſibi ſtruxit. Illicque cùm totus cœlo hærens omni ſtudio pietatis animam à terris abſtractam Deo litat, vigiliis, orationibus, legíſque perfectæ meditatione aſſidua ſe exercens, impetitus à latronibus, vt agnus à lupis, ipſo in nemore iugulatus eſt. Mortéque ſua ceu vitalis arbor in cœleſtem paradiſum, tranſplantatus, Dei & Agni deſtinatus deliciis, cum virentibus perpetim lignis quæ fluuio vitæ irrigantur, decoris ſempiterni percepit ornatum. Sacræ beatæ mentis exuuiæ cum ſignis gloriæ renidérent, ho-

ALDRICVS.

VENANTIVS.

norificè conditæ ſunt in loco prope Aream, cui iam ſuperſtructa eius nominis ſacra ædes, memoriam abhinc eius perennat apud accolas & venerationem. In præſulatu Meldenſi Iorro Monaſterio ſanctæ TELECHILDIS Virginis primæque illius Parthenonæ Abbatiſſæ. Quæ illuſtri Francorum orta genere, parte Belfrido, matre Agia: ſancti itidem *Agilberti* Epiſcopi Pariſienſis ſoror fuit: cuius ſanctis documentis exculta, indefeſſo ſtudio, ab exordio ſacræ profeſſionis ad conſummationem vſque vitæ, ad ſponſi cœleſtis, cui ſe dederat, beneplacita indaganda, noſcenda, exequenda; commiſſiſque ſororibus quà dictis, quà factis commendanda, aſpirauit. Nec ſuis duntaxat prodidit lumina ſanctitatis: at longè extra domum radios gratiæ qua affluebat, religioſæ prouectionis deſiderio exerens, propagauit. E' cuius diſciplina prodiit ſancta Bertilia, quæ prima Kalenſis Cœnobij, petente ſancta Bathilde Regina, facta Abbatiſſa: pietatis quam ex maternis Telechildis vberibus ſuxerat, lac, nouæ domus iſtius Virginibus alumnis, inſtillauit. Cæterùm cùm beata ipſa eius informatrix Telechildis ſumma cum prudentia & manſuetudine gregem creditum per annos plurimos gubernaſſet: ditata immenſis gratiæ fœnoribus, magna cum cordis iubilatione ex hac vita diſceſſit. Inque ſacello ſancti Pauli Eremitæ ſepulta retro altare, mirificata eſt profuſis ſplendoribus ſanctitatis. Ob quas beatitudinis propalationes, exhumata, honorificam in capſulam in qua hactenus quieſcit repoſita eſt. Lingonis ipſo die ſuſceptio brachij ſancti MAMANTIS Martyris allatum ex Conſtantinopoli per Raynardum Epiſcopum Lingonenſem, dum rediret à Hieroſolymitana peregrinatione. A quo ſancti Martyris pignore, aliiſque iam antea huc tralatis reliquiis, ipſóque ſacratiſſimo illius capite (quod in eius monaſterio inuentum à Latinis, quando Conſtantinopolis ab ipſis capta eſt, Gualo de Domnipetra Epiſcopus Damaſcenus origine Lingonenſis, concedente id eius votis Petro Capuenſi Cardinale, Apoſtolico Legato, tempore Roberti Præſulis Lingonenſis, religioſo munere Lingonas aduexit, ac Marrici Eccleſiæ obtulit:) ipſa Cathedralis Eccleſia, quæ prius in honorem ſancti Ioannis Euangeliſtæ conſecrata erat: nomen accepit glorioſi huius Martyris. Cuius felicem aduentum hac die magna ſolemnitate recolit & celebrat, Octauíſque etiam ad maiorem venerationem proſequitur. Lemouicis tranſlatio S. MARTIALIS. In Britannia Gallica, tranſlatio S. PAVLI Leonenſis Epiſcopi & Confeſſoris. Auguſtoduni feſtum EPISCOPORVM SANCTORVM, qui Æduenſem ipsã Eccleſiã ſucceſſiuè gubernarunt. Ipſo die Natalis S. CERBONII

TELECHILDIS. MAMAS. MARTIALIS. PAVLVS. SS. Epiſcopp. Æduenſ. CERBONIVS.

Populonenſis in Etruria Epiſcopi, cuius vitam ſanctiſſimam aureo calamo S.Gregorius deſcripſit: ſacras autem exuuias in Gallias attulit frater Robertus Piſanus. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confeſſorum, atque Sanctarum Virginum.*

DEDICATIO omnium Eccleſiarum ordinis Cœleſtinorum per vniuerſum Franciæ Regnum hodie celebranda: ex indulto Alamani Cardinalis Preſbyteri tituli ſancti Euſebij, Piſani nuncupati, Apoſtolicæ ſedis de Latere in Francia Legati: dato Pariſiis Pontificatus Ioannis Papæ XXIII. anno octauo. Ipſo die Namurci colitur pia memoria beati NVNTII Confeſſoris. Obiit etiam piæ memoriæ HVGO ex Abbate Pontiniaci Epiſcopus quinquageſimus ſextus Autiſſiodorenſis æquè moribus ſanctis ornatus ac ſcientia inſignis: cuius corpus ab obitu repertum illibatum, Caluiniſtæ impio furore diripuerunt. Ipſo die dedicatio Matricis Eccleſiæ Ciſtercienſis in honorem ſanctiſſimæ Virginis Deigenitricis Mariæ, sub cuius inuocatione omnes Eccleſiæ eiuſdem ordinis, qui ſub tutela ipſius glorioſæ Virginis Chriſto militat, vbique conſecratæ ſunt. *Nuntius. Hugo.*

Quinto Idus Octobris. Luna

11 DXII.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	p	q	r	ſ
19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	1	2	3	4	5	6
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
7	8	9	10	11	12	13	14	13	14	15	16	17	18			

VESVNTIONE Sequanorum Metropoli Natalis ſancti GERMANI Epiſcopi & Martyris. Hic beati Deſiderati alma in hac ſede ſucceſſor: ante Pontificatum glorioſis ſanctitatis emicuit inſigniis. Cùm enim ad preſbyteratum diuinis ſignificationibus fuiſſet euectus, tremendúmque myſterium celebraret, non ſemel Angeli aſtiterunt, ipſi viſibiliter miniſtrantes. Poſtquam verò Dei ſpiritu promouente, factus eſt Epiſcopus, Apoſtolicæ gratiæ dona vt copioſa prodidit: ſic vitam prorſus Apoſtolicam iniit & agonem. Vnicum ei ſtudium fuit gregem ſuum puro Dei verbo paſcere, docere non tam dictis quàm exemplis, atque quibuſque ſtudiis fouendo, auertere à noxiis, & ad ſalutaria dirigere. At cinctum lupis ouile, cùm ſtrenuè tueretur fidus paſtor, multis perſecutionibus ſe obiecit, quibus demum patientiæ inuictæque fortitudinis promeruit coronam. Fertur hoc de ſancto Pontifice inſigne id elogium. quod *ex quo Epiſcopus fuit, proſperis nunquam vſus eſt*. Aduerſa ſiquidem continuo pro Chriſti amore portauit, & qui ante præſulatum, *Confeſſorem* probatum ſe præſtitit egregiis concertationibus: in Epiſcopatu *vſque ſepties* pro nomine Saluatoris, examinatus, di- *SS. GERMANVS.*

iudicatus, demúmque extremo congreſſu cum impiis, ab iis trucidatus, triumphum peregit glorioſum. Vir ipſe beatiſſimus Veſuntionem ciuitatem mixtam Chriſtianis, ethnicis & hæreticis Arianis, ad vnius immortalis Deitatis, adorandæque indiuiſibilis Trinitatis cultum perducere intenſis curis & viribus, ipſo ab exordio ſacri muneris elaborauit. A ſanctuarióque incipiens, Orthodoxos in fide confirmauit, pióſque ad mores & iuſtitiæ fructus excitauit. Sacra ſupellectili aram inſtruxit. miniſteria ſacerdotum ordinauit, præclaríſque inſtitutionibus ſolerti induſtria editis, & diuini cultus & Eccleſiaſticæ diſciplinæ concinnauit harmoniam. Denique ad ethnicos ciues Apoſtolica ſolicitudine conuerſus, ſua prædicatione & miraculis atque vitæ irreprehenſibilis actibus ad fidem pleroſque pertraxit, Chriſtíque baptiſmo expiatos, ouibus ſuis adiunxit. Hæreticos verò primùm blandimentis & benignis exhortationibus ad viam veritatis conatus reuocare: hinc cùm ſicut tygris melodia exaſperatur, illi paſtoris manſueta voce maiorem in ferociam proſilirent, ſeueris increpationibus illorum peruicaciam dum corripit & inſectatur, odia in ſe illorum immania excitauit. Auctus inde etiam eorum furor, cùm ne ſanas oues læderent ſanioſæ, omnes Arij ſectatores, & quotquot peſtifero dogmate infecti erant, vrbe expellendos digna boni paſtoris prouidentia curauit. Hi enim cùm ad Grandifontem ſe recepiſſent, tum munitiſſimam turribus & muris ciuitatem: in qua perfidiæ conſilia agebant, vir Dei ratus ſui eſſe muneris, etiam poſt oues perditas currere: illic perrexit, ſæpiúſque impios adhortationibus piis conueniens, vt reſipiſcerent, atque ad caulas Domini redirent, admonuit. At illi ſalutiferis ſuggeſtionibus magis exaſperati, in caput eius hæretica prauitate coniurârunt: quémque apertè impetere non audebant, inſidiis ſtatuerunt perimere. Erat in ciuitate vicus per quem ire & redire ſolebat beatus Antiſtes, cùm illam in ciuitatem, prædicaturus Dei verbum, veniebat. Obſeruârunt aliqua die tranſeuntem: túmque de occultis inſidiarum ſpeculis proſilientes, ſaxis & ſagittis obuium aggreſſi, orantem demum capite detruncârunt. Surrexit ſtupentibus ipſis mox corpus exanime, capútque colligens deciſum, cui columba niuea inſidere viſa eſt, manibus ac vlnis amplexus Chriſti Martyr, Angelo duce & lumine præcedente, progreſſus eſt, (multis radians prodigiis quibus Infideles plerique conuerſi ſunt:) vſque ad Palmæ oppidum, vbi declinans ad Virginum ſacrarum quas prope maiorem baſilicam conſtituerat oratorium, ibi delectæ quietis domicilium aſſecutus, reſedit, quieuit, atque in

Chriſti pace conſummatus ſepulturæ condigno honore funeratus: magnis exinde refulſit clarificationibus ſanctitatis. In pago Vulcaſſino Paſſio Sanctorum Nicasii Epiſcopi, Quirini Preſbyteri & Scubiculi Diaconi. Quorum vertex Nicaſius Antiſtes Rotomagenſis à ſancto Dionyſio, vices in Gallja Apoſtolicæ Sedis obeunte deſignatus, & in ſecundam Lugdunenſem, quam Franci ſubinde victores Neuſtriam cognominauerunt, Euangelij promulgandi ergo cum Symmyſtis ſuis ablegatus: mox ac prouinciam ingreſſus eſt diffuſo diuini verbi ſemine, magnam fidelium ſegetem excitauit: atque exturbatis paſſim ſimulacris, quà prædicationis energia, quà prodigiorum fulmine, Crucifixi redemptoris manifeſtata gloria, eius trophæa fretus ope Quirini illo in tractu feliciter erexit. Sed dum in dies igneo pietatis ſpiritu ad maiora progreditur cum ſociis, ſalutiferæ religionis incrementa, à miniſtris Feſcennini Præſidis, qui Lutetiæ nuper necato Dionyſio cum ſociis, ſtragem fidelium immanem ediderat: quadam in valle comprehenſus, in ſancta confeſſione diuinæ Chriſti maieſtatis perſeuerans; cum ipſo Quirino & Scubiculo ſuis cooperatoribus virgis cæſus & gladio percuſſus, capite amputato, curſum peregrinationis conſummauit. Sedémque quam præſentia non attigit, vnda pretioſi ſanguinis conſecrauit. Ad quam etiam fulciendam, caput quod abciſſum mox reuexit manibus, diuino demum munere delatum eſt. Quirinus eodem certamine victor, Scubiculúſque fidus vtriuſque Achates, eodem loco confecti, Antiſtitis ſui veſtigia triumphalia compleuêre. Cum quo poſt lethalem ictum ſurgentes, tranſacto mirabiliter vado, in Inſulam conceſſerunt quæ etiamnum tantorum ſiderum ſplendore conſpicua: memoriæ eorum glorioſæ ipſa ſua nuncupatione perennat venerationem. Cæterùm athletarum Chriſti quieſcentia illic extra furentium impetus corpora, Pientia fœmina nobilis, quam face ſupernæ lucis irradiauerant, magna cum reuerentia ſepeliuit. Quæ primùm poſt ſedatos perſecutionum turbines, diuinitus inſignita prodigiis, ad Meulantum oppidum vbi diuini præcones Euangelij primitias diſſeminauerant, honorificè tranſlata: in delubro ſancti Nicaſij memoriæ propterea conſecrato, multa religione condita ſunt. At verò beata Pientia expleto funere Sanctorum, hoc nomine comprehenſa, ab impij Præſidis emiſſariis contuſa pugnis, flagellis dilaniata, ſecuri denique ſimiliter percuſſa, agonis præclari trophæum reportauit. Cuius ſanctæ reliquiæ virtutis itidem diuinæ illuſtratæ fulgoribus, Abrincas delatæ in Cathedratica baſilica tandem repoſitæ ſunt: vbi cultu congruo conſer-

Nicasivs, Qvirinvs & Scvbicvlvs.

Pientia.

uantur. Memoria Nicaſij præſertim clara eſt in Vulcaſſino Francieo, ad ripam Eptæ vbi meruit laureari. Et Rotomagi quæ Normaniæ Metropolis, vbi Pontificatus colitur apex. Vernoni inſuper, Meulenti & Pontæſiæ, quibus oppidis facem ſupernæ lucis inuexit. At verò Quirini & Scubiculi, extra Galliæ fines ſe diffudit gloria & venerario. Cùm enim anno Chriſti octingenteſimo octauo horum & Nicaſij ſacra pignora è mauſoleo proprio ad Condatenſem vicum agri Pariſienſis eſſent tranſlata, Hildebaldus Epiſcopus Colonienſis tum Pariſiis agens, & Odulphus Præpoſitus Malmundarienſis, à Carolo Magno & Deodefrido Regiæ vrbis Pariſiorum Antiſtite impetrarunt corpus S. Quirini, brachium ſancti Nicaſij & potiores reliquias ſancti Scubiculi: quæ ſacra pignora tranſuexerunt Malmundarium, vbi Quirinus ipſe & Scubiculus potiſſimum frequentibus miraculis claruerunt: quibus totius regionis ad ſe incolarum conciliarunt

Sanctinus. deuotionem. Ipſo die Vireduni in Lotharingia ſancti SANCTINI Epiſcopi. Qui ſancti Dionyſij & ipſe diſcipulus miſſus ad hanc vrbem cum Pontificatus honore: illam primus in Chriſti diſciplina erudiuit. Deinde quod plebs docilis facilè præcepta veritatis audiret, ſacriſque dedita Chriſtianis, immaculatæ religionis lubenter indicatum tramitem ſectaretur: conſtituto Clero, ſuíque in locum *Mauro* Præſule ſubrogato, ad Dionyſium magiſtrum contra ſæculi & Inferi poteſtates intima in Gallia dimicantem, opportunus auxiliarius rediit, à quo Iatinum oppidum Meldorum miſſus: ſalutis nuntium ciuibus afferens, feliciter quæ Chriſti ſunt procurauit: ſtatuta ibi paſtorali ſpecula, in qua poſt copioſum fidei incrementum depoſita carnis mole, æternum migrauit ad præmium. Cooperarium in Euangelico munere ha-

Antonius. buit hic beatus ANTONIVM Preſbyterum, qui eidem demum ſucceſſit. Quo cum à ſancto Dionyſio, inſtante ipſius agonis tempore, Lutetiam euocatus, iuſſus eſt ſermones, geſta & paſſiones quas Dionyſius ipſe & ſocij perpeſſuri erant ſolerter obſeruare, literiſque per ordinem exarare. Quas ad Romanam Eccleſiam ocyus mitterent vel deferrent. Paternis mandatis obſequioſi filij obſecundauere. Peracto enim Dionyſij ac aſſeclarum ſacrificio, Sanctinus comite Antonio Romam petiit Martyrij eorumdem fidelem ferens relationem. Iámque vrbis appropinquabant finibus cùm Antonius correptus morbo animam efflauit. Quem nouus mortuorum medicus Sanctinus, inuocatione Chriſti nominis reuocauit ad vitam. Obtulit inde pro gratiarum actione ſacrificium incruentum redemptoris. Hincque ambo vnà Romam profecti & ingreſſi, Anacletum Pontificem nuper Cle-

menti aucto martyrio ſuffectum, conuenerunt, cui exhibitis dignis Chriſti Vicario honoribus, ſeriem recenſuerunt inclyti Dionyſij, ac commilitonum eius certaminis. Euangelicæque in Gallia propaginis ſucceſſum feracem. Quo peracto negotio in Galliam iubente Apoſtolico Præſule reuerſi, Meldenſis ciuitatis paſtoralem curam Sanctinus rurſus aggreſſus: plenus fide & virtutibus, commendato grege ipſi beato Antonio quem muniuit Epiſcopali benedictione, cœleſte ad regnum tranſiuit. Surrexit mox magno ſpiritu Antonius, ſicut Ioſue alter pro Moyſe. Miráque prorſus operatus in diutino Præſulatu, poſt animarum lucra copioſa, & vberes ſanctarum actionum fructus, & ipſe migrauit, ab aſſiduis Dominici ouilis excubiis, ad quietis æternæ fruitionem. Cæterùm ad decora memoriæ ſancti Sanctini id etiam referri debet: quod à ſancto Dionyſio vt ſecundarius interioris Galliæ Apoſtolus circumquaque miſſus, etiam Carnuti Chriſtum paſſum pro ſalute mortalium annunciauerit: cuius rei monimento, ſupereſt ſacellum & ara in eius recordationem & cultum erecta in Principe baſilica ſanctæ Virginis Deigenitricis. Ipſo die paſſio ſancti ELIPHII Martyris, necnon fratris eius EVCHARII Epiſcopi, & ſororum eorumdem LIBARIÆ & SVSANNÆ, quos patria Tullenſes Saluſtius Galliarum Præfectus, ſub Iuliano Apoſtata, ſæuiſſimas de Chriſtianis exercens quæſtiones: ob conſtantem Chriſti ſeruatoris confeſſionem gladio obtruncauit. Cuius præcipui athletæ oſſa ſanctus Bruno Archiepiſcopus tranſtulit Coloniam, & magno honore recondidit in ſancti Martini aſceterio. In territorio Meldenſi Iotro Virginum Cœnobio depoſitio ſancti AGILBERTI Epiſcopi & Confeſſoris, Apoſtolicis virtutibus ac factis præclari. Is ſolo Pariſienſi ex regali Francorum proſapia, patre Belfrido (Modæ ſancti Autharij vxoris germano) matre Aga ortus, à prima ætate in Dei timore & bonis literis eruditus in diſciplinam beati Columbani tum in Gallia Belgica ac Celtica fama ſanctitatis percelebris, monaſticis moribus imbuendum ſe tradidit. Sub cuius magiſterio, iactis omnium virtutum ſolidis fundamentis: in tantum pietate & doctrina profecit, vt dotis vtriuſque ſplendore, maxima quæque ſui æui lumina coæquaret. Cùm autem ſpiritu Apoſtolico dotatus, zelo Dei intenſiſſimo æſtuatet: amplificandæ fidei & ſalutis humanæ propagandæ ſtudioſus, in Angliam, adhuc magna ex parte infidelitatis ethnicæ tenebris circumfuſam, variáque hæreſeωn & vitiorum colluuie inquinatam, dinina fretus gratia, traiecit. In Hiberniam igitur primùm profectus, Euangelicæ veritatis ibi purum lumen, dudum à Palladio & ſociis accenſum, ſed

ELIPHIVS, EVCHARIVS, LIBARIA & SVSANNA.

AGILBERTVS.

iamiam extinctum denuo excitans, reuexit, depulſáque omni impietatis caligine, populum huius regionis vniuerſum ad Christi fidem & ſuaue iugum admirabili vitæ ſanctimonia, & ſignorum ſtupendorum operatione conuertit. Nuper in Occidentali Britannia Kenuualchus Saxonum Rex ad Chriſti cultum (à quo antè luxu perditus deſciuerat) pia Annæ Regis Eſſexiæ inſtantia redierat, qui audita Agilberti Hibernorum Apoſtoli fama, miſſis nuntiis obnixè eum orauit, vt conſtituendæ ſuo in regno religionis cauſa, eò ocyus progrederetur: annuit Chriſti gloriæ cupidus piis, Regis votis Agilbertus: ibíque appulſus, veritatis pietatíſque ſemina vbíque ſpargens, mox ab ipſo Rege, vt huius prouinciæ paſtoralem curam ſuſcipiat rogatur. Vvintoniæ itaque Epiſcopali Sede reſtituta, anno ſexcenteſimo quinquageſimo, ſecundus poſt Birinum factus Epiſcopus, gregíque ſuo piis doctrinæ inſtitutionibus, copioſíſque virtutum ornamentis prælucens, eo in munere annos nonnullos laudabiliter tranſegit. Sed florente ſub viro Dei tenella hac Eccleſia, humanæ ſalutis hoſtis felices eius progreſſus interturbauit. Kenuualcho etenim Regi, eo quòd pius Antiſtes vernaculum Anglicanum non ſatis calleret, faſtidium ingeſſit, eóque eum compulit, vt ſermonis Agilberti duritiæ pertæſus, alium Epiſcopum Vvinam nomine ordinari curaret, duáſque in partes prouinciâ diſciſsâ, alteram huic ſubderet, alteram ipſi Agilberto relinqueret gubernandam. Pecunia corruptus Princeps Vvinæ hanc Epiſcopatus portionem conceſſit. Quam horrendam nundinationem piè execratus Agilbertus, Epiſcopali derelicto ſolio, patrium in ſolum mox repedauit: Lutetiam Pariſiorum tutum quaſi in portum ſe recepit. Defuncto Antiſtite Importuno, Pariſienſis tunc vacabat Sedes. Omnium votis Agilbertus Apoſtolatu Hibernio, & miris virtutibus inſignis Epiſcopus acclamatur, hácque in Cathedra honorificè collocatur: ad quem ceu perlucidum totius Galliæ ſidus, cùm ſanctus Vvulfridus Eboracenſis delectus Præſul conſecrationis ſuſcipiendæ gratia ex Anglia veniſſet, ab ipſo ſolemniter aſſiſtentibus vndecim Epiſcopis ordinatus eſt. Beatus etiam Theodorus Cantuarienſis Antiſtes Romæ conſecratus, antequam ad ſedem deſtinatam accederet, ex iuſſu Vitaliani Papæ ſanctum Agilbertum in tranſitu viſitauit, déque rebus Anglicanis conſuluit, à quo acceptis monitis, ſuſceptóque in ſubſidium Eleutherio eius nepote poſtea Londini Epiſcopo, in Inſulam, quam totam demum Chriſto ſubegit, tranſmeauit. Cæterùm Agilbertus cùm Pariſienſem Eccleſiam ſanctiſſimè adminiſtraret, Iotrenſe cœnobium, cui ſancta Teutechildis eius ſoror

prima Abbatiſſa præerat, plurimùm dilexit ac prouexit. Ad quod cùm aliquando ex pio more profectus fuiſſet, ſenio confectus tandem admirabilis vitæ decurſu conſummato, in Chriſto obdormiens, ad ſupernæ ciuitatis gaudia feliciter commigrauit. In crypta ædiculæ ſancti Pauli Eremitæ, quam condiderat ſepultus, vbi multis refulſit miraculis. Vceticæ in Gallia Narbonenſi ſancti FIRMINI Epiſcopi & Confeſſoris, qui ipſa ex Narbona alto genere procreatus, afflatu cœleſti parentes ethnicæ ſuperſtitioni deditos deſerens, Chriſti ſalutari lauacro ſe curauit expiari. ætatíſque ſuæ anno duntaxat duodecimo Vcetiam venit ad *Roricum* Præſulem notæ ſanctitatis, vt plenius educeretur, & ſanctis informaretur exemplis. A quo paternè ſuſceptus & Clericus ordinatus: cùm afflante diuina aura chariſmatibus Apoſtolicis renideret, annos agens duntaxat viginti, Preſbyterij honore decoratus eſt. Deinde obeunte diem ipſo Rorico iam ſuprà octogenario, Firminus ob ſpectatæ ſanctimoniæ emicantem gloriam ab omnibus expetitus, à Comprouincialibus Epiſcopis, Vceticenſis Pontifex conſtitutus eſt. Apparuit mox quantam Chriſti flammam in pectore aleret: cuius præconiis noctе diéque celebrandis, inſtruendæ plebi, ornandis Eccleſiis, alendis pauperibus, tuendis viduis, leuandis oppreſſis, monendis & reducendis ad rectam viam deuiis quibuſque, Paſtor ſedulus inuigilabat. Ieiuniis tantum deditus, quantum eleemoſynis profuſus: carnis æſtus perpetua maceratione reprimebat: ſpiritum meditationibus aſſiduis & Angelicæ puritatis æmulatione exercebat. Cœlo denique immaculatis affectibus penitus defixus, actibúſque ſimul & mirabilis & beatus, vitam agebat cœli ciuibus perſimilem. Signa porro tanta operabatur, vt nouus circumquaque Apoſtolus crederetur. Certatim cupiebant infirmi vel fimbriam eius veſtimenti contingere: cuius ex contactu ſanitas effluebat. Demum vir diuinus delecto Ferreolo ſucceſſore, quem ſua ſanctitate imbuerat, ad ſedes beatas benemeritus euolauit. Ipſo die Redonis in Armorica ſancti ÆMILIANI Confeſſoris gratiæ luminibus & iuſtitiæ operibus conſpicui. Lyræ in Brabantia ſancti GVMMARI Confeſſoris, qui genere illuſtris, opibus potens, & pietate præditus, prope Caſtrum cuius Dynaſta erat, Canonicorum monaſterium conſtruxit, vt perennis laudis Deo libamina per os ſacerdotum conſecraret. In pauperes etiam munificus, totúſque in miſericordiæ actus effuſus, nihil vnquam quæſiuit niſi quæ Deo placent, & proximo ſuffragantur. Ob quæ charitatis ſtudia diuinæ virtutis gloria à Chriſto decoratus, ictu baculi fontem de terra arenti exduxit, aliáque mirabilia edidit

FIRMINVS.

ÆMILIANVS.

GVMMARVS.

quæ quam ipſi Domino grati eſſent declararunt pij eius affectus. Denique auctis ad cumulum meritis, ad coronam iuſtitiæ euocatus feliciter in cœlum perrexit. Toloſæ ipſo die Inuentio ſancti Hilarij Epiſcopi & Confeſſoris, cuius feſtum colitur Calendis Iunij. In territorio Rotomagenſi, Pauliacenſi cœnobio, ſanctæ IVLIANÆ Virginis & Abbatiſſæ, quæ ſuccenſa cœleſti igne pietatis, ab infantia ſua Chriſto ſeſe in famulam dedicauit: vtque carnis & ſpiritus ſui holocauſtum perficeret, ſanctæ religionis habitum à Benedicta Abbatiſſa, humiliter inſtantérque flagitauit. A qua ob natalium obſcuritatem & rerum inopiam contemptui habita, perpeſſaque repulſam, in ſanctæ Auſtrebertæ Virginis primæ illius loci Abbatiſſæ iam beatæ clientelam ſe coniecit, opem eius aſſiduè implorans, qua Abbatiſſæ in ſe duritia emolliretur. Cuius tamen interim miſericordiam aſſiduè enixéque interpellabat: donec die ipſo quo feſtum ſanctæ Auſtrebertæ eo in monaſterio agebatur, puella incenſa vehementiori ſancti propoſiti deſiderio, ſupplex ad ſepulcrum ſanctæ ipſius accurrit, ídque fortiter complexa proteſtatur, ſe tametſi membratim diſcerpi oporteat, à tumulo beatæ opitulatricis ſuæ, non brachia, non manus quibus eum ſtringebat laxaturam: quin prius habitu ſancto religionis donetur. Piam cuius pertinaciam Abbatiſſa ægrè ferens, iuſſit à ſepulcro venerando illam auelli, extrudíque mox ſacris liminibus. Sed Deus cui pauperis æquè ac diuitis cura eſt paterna, afflictæ puellæ protinus iniuriam vindicauit, & piam iuuit intentionem. Percuſsâ illico Abbatiſsâ febrili ardore adeo vehementi, vt extremis ſe iam illa crederet proximam, cùm facti pœnitens, voto ſe Deo & beatæ Auſtrebertæ obſtrinxit, ſi ſolatium conſequeretur, ſe pauperculæ puellæ optatis vltro cumulum præſtituram. Vix formata erat ſeria illa deprecatio, cùm repente extincto febris foculo Abbatiſſa conualuit. Quæ ſe extemplò eximens religioſa ſponſione Iulianam veſte expetita indutam ſacrum in cœtum admiſit, intérque ſorores quæ ſanctimonialibus primi ordinis ancillantur, quoniam ea ſic enixè poſcebat, deputauit. Hac in ſorte annos perplures tranſegit deuota filia, tanta humilitate & charitate, vt ſoror de IESV, ob diuinos hos præſertim quibus præſtabat affectus paſſum cognominaretur. Defuncta deinde Abbatiſſa illa, non multum diſquiſitum eſt, quæ virginali choro præficienda eſſet. Omnibus enim mox vna occurrit Iuliana in mentem: cuius diuinæ virtutis, dignitatem hanc ipſi ſingularìter deferebant. Sic omnium facta mater de filia, déq. ancilla domina, onus magis quàm honorem ſubiit, quantóque ex inferiori loco ad maius faſtigium

IVLIANA.

euectam ſe nouerat, eo maiori animi demiſſione ſe deprimens, omnibus humilitatis exemplum præſtitit admirandum, amoríſque & ſollicitudinis maternæ ſtudia officiáque eximia. Itaque in Marthæ & Mariæ viciſſim exercitata, ac demum perfecta muneribus, ſtadium vitæ huius abſoluit, imo è mortis palæſtra ad immortalitatis gloriosæ promeritam tranſiuit vſuram. Cuius corpus puriſſimum è Pauliaco Monſtrolium vſque tranſlatum, incluſúmque honoro conditorio, illic prope ſanctæ Auſbertæ, cuius benigna aſpiratione votis potita eſt, venerandam lipſanothecam requieſcit. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum,* &c.

IN Prouincia Toloſana extremo fidei certamine præclarè perfunctus eſt LEONARDVS TALASIVS, ſacerdos & aſceta ordinis Prædicatorum ab hæreticis pugione confoſſus, & laqueo extinctus. *Leonardus* dictus *Talaſius.*

Quarto Idus Octobris. Luna

12 E xi.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	1	2	3	4	5	6	7
t	u	A	B	C	D	E	ſ	F	G	H	M	N	P			
8	9	10	11	12	13	14	15	14	15	16	17	18	19			

VINTII Neruſiorum ſub Metropoli Ebredunenſi ordinatio ſancti VERANI Epiſcopi & Confeſſoris fidei & virtutum meritis illuſtris: huius, Vencenſis cui præfuit Eccleſia, beatum tranſitum colit quarto Idus Septembris. Bituricis ſancti OPIONIS Preſbyteri: qui Chriſti gloriæ ſedulus propagator talenta gratiæ in fœnora iuſtitiæ & charitatis erogauit: vexillúmque crucis quam iugiter in ſuo corpore tulit ſecutus, regni cœleſtis gaudia fauſtis progreſſibus virtutum ingreſſus eſt. Eikenſi monaſterio ad Moſam Inuentio ſanctarum Virginum HARLINDIS & RELINDIS, quæ Adelardi & Grinuaræ inclytorum parentum filiæ, diſcipulæ Sanctorum Vvillibrordi & Bonifacij, inſtructæ recta fide, charitate feruentes, humilitate decoræ, largitate eleemoſynarum hilares, ac religione plenæ propria in hæreditate præfatum monaſterium conſtruxerunt: in quo rore cœleſtis gratiæ irrigatæ, germina multa virginitatis produxere. Chriſto ſiquidem plurimas ſanctis exemplis & monitis filias genuerunt. Otium beatæ illæ Virgines mortiferam ſemper vt peſtem fugerunt. Quamobrem ne minuta quæque temporis deflueret, diuinas aliquando ſcripturas honorifico opere conſcribebant: ex quibus nonnulla perinde ac ſi recentia eſ-

SS. VERANVS. OPIO. HARLINDIS & RELINDIS.

ſent hactenus conſeruantur. Aliquando palliola ſodalibus induendis, veſtes pauperibus tegendis contexebant. Non defuerunt miracula quibus tantæ pietatis merita Deus benignè declararet. Ad quem demum beatæ Virginis profectæ, inter ſponſas agni in gloria exultantes, feliciter connumerari meruerunt. Horum puriſſima corpora coruſcantia prodigiis leuauit honorificè Franco Epiſcopus Leodienſis die vigeſimo ſecundo Martij anni octingenteſimi quinquageſimi quinti. Feſto vnicuique proprio die aſſignato, ſcilicet Harlindi hoc die; Relindi verò (ſeu Renulæ) ſexto Februarij. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confeſſorum, atque Sanctarum Virginum.*

Euſtachius. Perrexit ad Chriſtum piæ memoriæ Evstachivs Abbas de Flay in Anglia ordinis Ciſtercienſis, qui virrutibus ac miraculis clarus tranſgreſſores Dominicæ diei multis prodigiis perterruir. Fontíque quem benedixir ſanitatum energiam infudit: ex quo bibenres cæci viſum, claudi greſſum, muti loquelam, ſurdi auditum, & quicumque infirmi medelam conuenientem receperunr. Diem in Normania clauſit extremum, ſuæque ſanctitaris monimentum, precibus excitato fonre, dum baculo percuſſir rerram in Chriſti nomine, mirabile prorſus ac perenne reliquit. Ipſo die prope Machliniam obdor-
Maria. miuit in Chʒiſto Maria piiſſima Prioriſſa Muyſenij cœnobij, quæ puritate mentis & ardore chariraris, quaſi ex carne in ſpiritum conuerſa, corpore flammeis ſplendoribus coruſcanti, igneóſque radios ſpiranti ex caſtiſſimis oculis, non ſemel emicuit.

Tertio Idus Octobris. Luna

13 F x.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
21	22	23	24	25	26	27	28	29	1	2	3	4	5	6	7	8
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
9	10	11	12	13	14	15	16	15	16	17	18	19	20			

SS. Lambertvs. Triumphvs ſancti Lamberti Leodicenſis Epiſcopi & Martyris in Steps, toto in Leodicenſi præſulatu, hodie recolitur.
Venantivs. Turonis ſancti Venantii Preſbyteri & Abbatis. Hic ex Bituricenſi territorio ortum duxit: ingenuis parentibus procreatus, à quibus cum ætate florens, ad nuptias inuitaretur, ipſe ſæculi ſectatus mores, veſtium luxui & epulis, puellæquo amoribus quam deſponſauit etiam, ſeſe dedit. Contigit autem vt aliquando Turones Deo inſpirante veniret, vbi concuſſus ſplendore virtutum quæ ex tumulo ſancti Martini rutilabant, repentè mutatus, ad *Syluani* Abbatis illius cœnobij pedes cum lachrymis accidens, feriæ pœnitentiæ inſignia flagitauit. Crinibus igitur, cùm ſponſæ & ſæculi amore depoſitis, indutúſque rudi

rudi vilique ſchemate, gregi aſcetarum accitus eſt. Quos omnes humilitate antegreſſus, complexúſque admirabili charitate, tantum ad faſtigium aſcendit ſanctitatis, vt abeunte ad præmium ipſo Abbate piiſſimo, eidem fratrum vnanimi delectu ſubſtitueretur. Tantæ autem puritatis gratia enituit, vt ei ſecreta cœleſtia panderentur: de quo id memoratu digniſſimum refert ſanctus Gregorius Turonenſis, quòd cùm caligine offuſus *præ ſenio Miſſarum ſolemnia ampliùs peragere non poſſet: petiit à fratribus vt alius ſacerdos, qui agenda è libro legeret, ſui in vicem deligeretur. Cui cùm aliquando in baſilica ſancti Martini proximus aſſiſteret; vbi ad hoc ventum eſt vt ſanctum munus iuxta morem Catholicum ſigno crucis ſuperpoſito benediceretur, repentè apertis oculis conſpexit vir beatus quaſi ad feneſtram abſidis ſcalam poſitam, deſcendentémque per eam virum ſenem ſacro verendum ornatu, qui extenſa dextra ſacrificium in altario benedixit.* His aliiſque gratiæ diuinæ ſignificationibus patuit, quanti apud Deum meriti eſſet Venantius. Nam oleo benedicto liniens puerum membris infirmum confortauit. Febrium æſtus, quibus decoquebantur plerique, ſua oratione extinxit. Venenum malæ puſtulæ ſigno ſalutari diſſipauit. Obſeſſos à diabolo emundauit inuocatione ſanctiſſimæ Trinitatis. Cacodæmones in forma duorum arietum furentium, ſuis foribus inſultantes ſigno crucis fugauit. Agmen quorum numeroſum alia vice cellam ſuam ingreſſum, imperio Chriſti nominis potenter extruſit, atque in fumos abire coëgit. Eiuſmodi denique virtutum diuinarum gratiis pollens, impleto vitæ præſentis curriculo, ad æternæ beatitudinis migrauit tabernaculum. Sepulchrum eius prodigia hinc plurima colluſtrârunt: quibus & diuina virtus, & eius patefacta eſt gloria. Treuiris ſancti LVPENTII Preſbyteri & Confeſſoris, diuinis glorificationibus præclari. Ipſo die in Aquitania ſancti GERALDI Abbatis: qui ſancti Arnulphi Sueſſionenſis Epiſcopi diſcipulus, multorúmque deinde Chriſti ſeruorum pater, in territorio Burdegalenſi Syluæ-maioris monaſterium ædificauit: in quo editis pleriſque ſanctæ conuerſationis operibus, & diuinæ gratiæ receptis claris teſtimoniis, quieuit in Domino. Idibem tranſlatio ſancti LEOBONI Confeſſoris & Eremitæ, qui ſe muliercula procaci ad ipſum tentandum immiſſa, non algore vt ſanctus Franciſcus, non ſpinis vt ſanctus Benedictus, ſed prunis arientibus tutatus eſt: indéque Salaniacum venit, vbi vitam magna ſanctitate finiuit. Item Cluniaci depoſitio ſancti GERARDI Confeſſoris: cuius

LVPENTIVS. GERALDVS. LEOBONVS. GERARDVS.

Qqq

res præclaras ſanctus Odo Abbas Cluniacenſis veraci ſtylo deſcripſit : ex cuius narratione conſtat, quàm Deus ſit in Sanctis benignus & mirabilis. IVSTVS. Lugduni ſuſceptio corporis beati IVSTI, primæ illius ſedis Epiſcopi, Anachoretæ ſanctiſſimi, reuecti ex Ægypto. Ipſo die dedicatio Eccleſiæ monaſterij Claræuallenſis in honorem beatiſſimæ Deigenitricis Mariæ. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confeſſorum, atque Sanctarum Virginum.*

Robertus Caluanus & Petrus Mecreton. Ioannes Picardus & Ioannes Fegen. Gerbrandus.

PATRES ROBERTVS Caluanus, & PETRVS Mecreton religioſi ordinis Prædicatorum, hic conuentus Claromontenſis, ille Ebroicenſis : necnon IOANNES Picard Beluac. & IOANNES Fegen Pruuinenſis, ab hæreticis pro fide Catholica, quam magno zelo tuebantur, crudeliſſimè necati ſunt. Abiit placido fine ad Dominum piæ memoriæ GERBRANDVS Claricampenſis monaſterij Abbas in Friſia, vir iuſtitiæ operibus ſuſpiciendus, quem Angeli viſi ſunt in cœlos deferti.

Pridie Idus Octobris. Luna

14 G IX.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
22	23	24	25	26	27	28	29	1	2	3	4	5	6	7	8	9
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
10	11	12	13	14	15	16	17	16	17	18	19	20	21			

SS. CALIXTVS Papæ & Mart.

NATALIS ſancti CALIXTI Papæ & Martyris, qui Romæ via Aurelia fame diutina in cuſtodia cruciatus, fuſtibus cæſus, demum è feneſtra præceps in puteum deiectus, egregium celebrémque Pontificatum, magnifico inclyti certaminis trophæo conſummauit. Huius corpus deinde à Chriſtianis hinc eductum & religiosè conditum, Notingus Brixienſis Epiſcopus dono accepit à Sergio Papa, ſuáque in Eccleſia multo cum honore collocauit. At precibus compulſus Euerardi Marchionis, id ipſi de Italia benemerito, ob bellum aduerſus Sarracenos fortiter geſtum, pro eximio munere conceſſit. A quo in Galliam tralatum, condecenti cultu, Cyſonij cuius oppidi Dynaſta erat, in cœnobio quod in tanti Martyris venerationem condiderat, repoſitum fuit anno Chriſti triumphantis octingenteſimo quinquageſimo quinto. At paulò pòſt ſcilicet anno octingenteſimo nonageſimo octauo, cùm Normani Gallias miſeranda ſtrage vaſtarent, hinc ne diriperetur ab infida gente, Remos tranſuectum, à beato Fulcone Archiepiſcopo, deinde Martyre, cum ſacris ſancti Gibriani & Sociorum oſſibus reuerenter ſuſceptum, ac in æde Metropolica ſanctæ Mariæ reconditum eſt, iuxta corpus ſancti Nicaſij & beatæ

Eutropiæ. Vbi ad hæc vſque tempora quieſcit: multa cum nominis ſui, quod hodierno ibi natali colitur, celebritate. Seruatur tamen apud Bellouacenſes in ſuburbicario cœnobio ſancti Quintini, brachium dextrum, ſanctiſſimi huius Pontificis, quo Iuo Abbas loci illius primus, poſtea Carnotenſis famoſus Antiſtes, è ſacrario Remenſi acceptum, illic debita cum honorificentia depoſuit. Metis ſancti Coelestii, ſecundi illius Eccleſiæ Epiſcopi, qui cum ſancto Clemente Româ hanc vrbem profectus, eique in ſalutis opere gnauiter ſuffragatus: deinde poſt eius felicem tranſitum ouium curam ex officio ſuſcipiens, difficillimis his temporibus quibus in Chriſti caulas impiorum ira magis fremebat, tutelam gregis ingenti cum virtute ſuſtinuit: póſtque annos quindecim hoc in paſtorali munere ſtrenuè iuxta ac religioſè exactos, nonnihil aucto Domini peculio, ſeruus fidelis migrauit ad gaudium repromiſſum. Sepultus fuit in crypta ſancti Clementis: è qua demum ob rutilantia ſigna beatitudinis, à Drogone Præſule elicitum venerandum eius corpus, ad Mauri-monaſterium in Alſatia delatum fuit, vbi hactenus quieſcens promerita in veneratione habetur. Ipſo die ſancti Donatiani Remenſis Metropolis Epiſcopi & Confeſſoris. Qui ortu Romanus filius Cornelij & Lucinæ, primum ætatis florem, diuinæ ſapientiæ ſtudiis exornauit. Obque virtutum Chriſtianarum dotes ablegatus in Galliam ad religionem promouendam & animas incolarum excolendas: ſancto Materniano Remenſi Archipræſule ad ſedes beatas aſcendente, ſelectus in eius vicem, Eccleſiæ illius nobiliſſimæ gubernacula, ab anno Chriſti trecenteſimo ſexageſimo primo ad annum vſque trecenteſimum-nonageſimum, laudabili moderamine direxit. Demúmque rerum admirabilium cœleſtiúmque virtutum ſplendore coruſcans, filius lucis, pacíſque parens, & pietatis atque iuſtitiæ egregius ſator & cultor, curſu egregiè confecto, ad coronam emeritam properauit. Cuius tumulum miracula inde ingentia illuſtrarunt. Ob quæ cœleſtis gloriæ inſignia vt potens opitulator, à Balduino Ferreo Flandriæ Marchione expetitus eſt, quatenus ſacrorum eius pignorum præſidio tota hæc regio Oceano vicina, aduerſus Danos, Normanos, cæterámque Aquilonis barbariem muniretur. Annuente igitur Carolo Caluo Francorum Rege, ab Ebbone Archiepiſcopo Remenſi, ſacratiſſimum eius corpus in ſcrinio conditum pretioſo, Brugas ad ipſum Balduinum dono tranſmiſſum eſt: hoc cum monitu, vt ab eo congrua veneratione obſeruaretur: *cùm iampridem compro-*

Coelestius.

Donatianus.

batum eſſet virum miræ ſanctitatis, pium exauditorem & promptiſſimum apud Deum interceſſorem ſe conſueuiſſe præbere, tam ſæcularibus anguſtiis occupatis, quàm peccatorum nexibus detentis. Igitur ab ipſo Principe magna cum deuotione ſuſcepto tanti cœlitis corpore: in baſilica ſanctæ Mariæ collocatum eſt eximio cum ornatu. Radiauit autem illic beatus hoſpes tot prodigiis, vt ædem ſacram tandem ſuum in patrocinium & titulum vendicârit, tantâque repleuit meritorum gloria, vt demum ob claram eius ibi memoriam, ipſam Eccleſiam Paulus Papa IV. in Cathedralem erexerit, quæ etiamnum huius beati nuncupatione pollet, perpetuíſque præſidiis gloriatur. Tre-
RVSTICVS. uiris ſancti RVSTICI ſecundi nomine illius ſedis Epiſcopi & Confeſſoris, qui cùm per virtutum gradus eam ad Cathedram conſcendiſſet, lapſus deinde in flagitium carnis, at prodigio infantuli Patrem ex nomine matrémque indicantis, ad pœnitentiam hortante ſancto Goare Preſbytero quem innoxium premebat, inuitatus: Dei non tam iudicio quàm beneficio, è cœno peccati ſe erigens, labem profuſo gemitu expiauit. Adiutúſque ſancti ipſius Goaris, qui ſeptennis orationis opem ipſi pollicitus fuerat, aſſiduis apud Deum precibus, ad tantæ puritatis euaſit gloriam, vt factis iuſtitiæ, & pietatis ſtudiis, actibúſque perfectæ caſtimoniæ, priſtinam non modò recuperauerit religioſi nominis exiſtimationem: verùm & longè vberiorem ſibi laudem probatiſſimæ conuerſationis, quà pontificium mirè decorabat, pepererit. Quouſque tandem Deo & hominibus gratus, meritorum pluſquam dierum cumulis prouectus, ad regni cœleſtis, quod ſolis patet puris mentibus, fruitionem, omni decore nitens gratiæ pertranſi-
ANGADRISMA. uit. Eodem die Bellouaci ſancti ANGADRISMÆ Virginis. Hæc tempore Clotharij ſecundi Francorum Regis in lucem edita; filia Roberti viri nobiliſſimi qui regij annuli gerulus ſummum iuſtitiæ magiſtratum in aula agebat: non modò natalium ſplendore, ſed virtutis ornatu, & raræ venuſtatis decore cæteris ſuæ ætatis puellis præcellebat: cùm Sinuinus Toparcha de Chaſſiaco hanc à patre vt in coniugem traderetur Auſberto filio ſuo paris nobilitatis, nec inferioris virtutis & gratiæ adoleſcenti, popoſcit. Vltro cuius petitis annuente Virginis genitore, ſponſalia vtrimque inita, indictus etiam dies eſt, quo nuptiale ſacrum perageretur. At virgo quæ integritatis florem ſponſo cœleſti deuouerat, nihil de propoſito interim remittebat: ſed ſupernum auxilium implorabat: Dei filium cui puros artus

affectúſque ſeruabat aſſiduè deprecans, vt totam illam qua micabat ſpeciem corporis, eam in deformitatem conuerteret, cuius aſpectum quiſque fugeret: ſic enim futurum, vt carnalis ſponſi nexibus expediretur. Non defuit ſupplici puellæ, ſuæ amatrici, Christus Dominus. Effecit enim vt fœda lepræ ſcabies, totum illius vultum repente cooperiret. Tam ſtupendo caſu attonitus pater, neſcio quid diuinum in filia ſuſpicatus, hanc clam conuenit, ſciſcitatúrque num Deo cœlibem vitam ſpopondecrit. Puella tum diuino igne incenſa, fatetur, Chriſto ſe voto deuinctam, quo illum in ſponſum admiſerat: ipsíque ſacrauerat & mentem & carnem. Cuius beneficio id ſibi datum prodit, vt, ad nitorem animæ ſeruandum carníſque integritatem, tam fœda lepræ macula facies eius deturparetur: quatenus ſub puluere, aurum diuinæ gratiæ ſibi datum tegeret. His auditis pater, filiæ religioſum propoſitum, opúſque in ea diuinæ manus, Sinuino inſinuauit. Qui Deo reniti impium ducens, ſponſalia irrita fieri, mox conſenſit. Non ægrè tulit rem diuinè actam adoleſcens *Auſbertus*, qui & ipſe vitæ purioris appetens, paulò pòſt ſæculo terga vertit: atque in Fontanellæ cœnobio ſub ſancto *Lantſberto* conſobrino ipſius Angadriſmæ virginis ſibi exſponſatæ, inito tyrocinio monaſticæ obſeruantiæ, aſceta factus, eam ad ſanctitatis & ſapientiæ ſublimitatem euaſit, vt molem carnis exuente ſancto Audoëno Archipræſule Rotomagenſi, in eius locum pro meritis ingentibus ſuffectus, Cathedram hanc admirandis ſplendoribus Angelicæ vitæ ac Apoſtolicæ virtutis & doctrinæ, repleuerit: fineque coronatus beatiſſimo, pontificali laminæ aliam addiderit lauream. At verò Angadriſma voto caſtitatis apud ſanctum iam dictum Audoënum emiſſo, ſuſceptóque ſacris eius manibus cum benedictionis xenio religioſo velamine, ſqualorem omnis deformitatis excuſſerat, omníque à næuo libera priſtinam receperat oris venuſtatem. In cœtum igitur ſacrarum Virginum loco cui Oroërio nomen haud procul ab vrbe Belluacenſi, pro voto admiſſa: cum omnibus non ſolùm externa ſpecie, ſed magis virtute planè admirabili anteiret: paulò pòſt ad Abbatiſſæ dignitatem, quaſi omnium humeris ſubuecta eſt. Nihil in eo munere ibi vnquam enituit, quod Chriſti ſponſi moribus propiùs accederet. Fuit enim caſtitate præcipua, patientia, humilitate, charitate, miſericordia adeo inſignis, vt harum virtutum ideam viuam, cunctis actibus ac verbis exprimeret. Martyrij cupida, martyrum etiam ſtudioſa erat obſeruatrix, quo affectu ſæpè beatorum Chriſti athletarum Luciani, Maxiani & Iuliani ſepulchra religioſè viſitabat. Beati

etiam Ebrulphi ſanctiſſimi Confeſſoris, qui in ſuo cœnobio quieſcebat cultui impensè addicta fuit: cuius ope fulta etiam mira aggredi non timuit. Cùm enim ſui monaſterij Eccleſia quæ erat ſub beatiſſimæ Deiparæ titulo, repentino incendio conflagraſſet: flammáque adeo longè protenderetur, vt vicinis etiam cœnobiis ruinam minaretur: fide ſuccenſa Chriſti Virgo, ſepulchrum beati Confeſſoris aperuit, diſtractáque multa cum reuerentia eius oſſa, globis igneis obiecit: qui mox compreſſi tenues in auras, euanuerunt. Multa alia edidit ſancta & ſtupenda, quæ quantùm eſſet apud cœleſtem ſponſum gratiæ conſecuta, affatim propulauerant. Ad cuius optatum demum conſpectum, & complexum meritis fœta, lætáque de beato exceſſu, eodem anno euolauit quo ſanctus Auſbertus eius olim ſponſus, æmulúſque ipſius ſanctitatis & gratiæ, felici fato functus ad ſupernas ſedes itidem profectus eſt. Cæterùm beatiſſimæ Virginis corpus in ipſo quod rexerat cœnobio humatum, illic quieuit: donec irruentibus Normanis in interiorem Galliam, caſtiſſimum eiuſmodi ſpolium maturè in vrbem delatum, ſub ſancti Michaëlis patrocinio depoſitum eſt, vbi ad hunc vſque diem magna cum veneratione ſeruatur. Tantæ verò cœlitis, quam Bellouacenſis ciuitas iam dudum inter primarios ſuos tutelares cenſet & recolit, natalis dies, feſto annuali honoratur ex edicto Ioannis de Marigniaco Epiſcopi Bellouacenſis, qui ſpiritualia etiam munera viſitantibus cum expurgata mente exuuias illius beatæ Virginis, hac qua tranſiit ad Superos die, ſolemni indulto conceſſit.

MANEGILDIS. Ipſo die in agro Catalaunenſi ſanctæ MANEGILDIS Virginis itidem Deo ſacratæ, quæ ſæculum cum pompis & deliciis aſpernata, poſt calcatas carnis & diaboli inſultationes, corpore & ſpiritu ſancta, victoriáque ouans ad palmam quam cœleſtis agnus ſequentibus ſe donat, feliciter properauit.

IVSTVS. Eodem die recolitur Lugduni ſeceſſus in Ægyptum ſancti IVSTI primæ illius ſedis Epiſcopi & Confeſſoris.

RENOBERTVS. Item Oringeij in Veſuntionis finibus tranſlatio ſancto RENOBERTI Epiſcopi Baiocenſis, cuius depoſitionis dies ſacer eſt in diptychis Eccleſiaſticis decima ſeptima Kalend. Iunij.

TEVTECHILDIS & AQVILBERTA. Item in Iotrenſi monaſterio tranſlatio ſanctarum Virginum TEVTECHILDIS & AQVILBERTÆ, illius Parthenonæ Abbatiſſarum: quæ celebritate natali ibidem annuatim coluntur. Nempe Teutechildis decima huius menſis, Aquilberta duodecima Auguſti. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confeſſorum, atque Sanctarum Virginum.*

Obdormivit in Chriſto piæ memoriæ Alanvs dictus Inſulenſis, qui fuerat Autiſſiodorenſis Epiſcopus, & poſtea humilitatis atque latentis vitæ affectu monachus Claræuallenſis: vbi omni ſanctitate conſummatus diem ſupremum exegit. *Alanus.*

Idibus Octobris. Luna

15 A viii.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
23	24	25	26	27	28	29	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10

t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P
11	12	13	14	15	16	17	18	17	18	19	20	21	22

AVtissiodori Paſſio ſancti Galtheri Epiſcopi, qui cùm eſſet Quinciaci Abbas in territorio Lingonenſi, moribus ſanctiſſimis, etiámque miraculis pollens, excedente ab humano tramite Bernardo de Soliaco Autiſſiodorenſi Pontifice, eam ad ſedem aſſumptus: cùm vir in ſancta religione ſtrenuus, iuſtitiæ tenorem aduerſus Eccleſiæ hoſtes zelo ſacerdotali aſſereret; ab iis odio gratis habitus, & dirè impetitus, coronam Martyrij, paſtor pro grege occiſus, glorioſam recepit. *SS. Galtherus.* Lugduni ſancti Antiochi Epiſcopi & Confeſſoris. Qui cùm eſſet illius Eccleſiæ Preſbyter, omni religione præclarus, vitæque inculpatæ ſeueritate inſignis: pio incenſus deſiderio ſanctum Iuſtum, qui ſolium Epiſcopale abdicauerat, inuiſendi, ad Ægypti eremum in quam ille ſeceſſerat migrauit. Cùm autem ſancti Præſulis ſtudio, terras ac maria tranſmitteret, beatus Iuſtus diuino afflatus ſpiramine eius aduentum adeo prænuntiaſſe fertur, vt etiam quibus diebus, quæ loca adiret, ſignanter exprimeret. *Chariſſimus* (aiebat) *Antiochus noſter hodie illic moratur.* Imo verò illum ipſum diem quo ad ſe acceſſurus eſſet prævindicauit. Appulſum verò patulis vlnis excipiens, amore viſcerali complexus eſt, nec niſi ægrè paſſus eſt à ſe diuelli. Qui tamen ob Lugdunenſis Eccleſiæ commoda, Deo duce in patriam rediit: óbque ſpectatæ ſanctimoniæ dotes, paulò pòſt, ad culmen euectus Pontificij, quam receperat in diſceſſu à ſancto Patre benedictionem, magno gratiarum profluuio effudit, ſicque adminiſtrato feliciter Epiſcopatu, placido fine quieuit in Domino. Sepultus fuit in Eccleſia Sanctorum Machabæorum, ad quam aduectum ſancti Iuſti, necnon Viatoris eius Symmyſtæ pretioſum ſpolium, condignæ repoſitionis cultum accepit. Viennæ ſancti Theodati Epiſcopi & Confeſſoris, qui ſancto Gregorio ſuffectus: extinctum pietatis lumen, nouo virtutis ſplendore reparauit. Mira *Theodatus.*

ſiquidem rerum caducarum deſpicientia, abſtinentia & omni vitæ auſteritate: iuſtitiæ rigore, affectu miſericordiæ, religionis ſtudio ſua ætate præpolluit. Denique omni bono opere diues, paſtorali officio fructuoſè exacto, pro meritis euocatus eſt ad præ-

SEVERVS. mium. Ipſo die Treuiris ſancti SEVERI Epiſcopi huius Metropolis & Confeſſoris. Hic beati Lupi ſanctiſſimi Epiſcopi Trecarum diſcipulus, omni religione ab eo & doctrina ſalutari imbutus, tantum decus ex morum munditia promeruit, vt vir totius ſanctitatis paſſim appellaretur. Qua ex gloria exuente hominem Auctore nominis huius ſecundo Treuirenſi Archipræſule, aſpirante Chriſto hoc ad ſolium euectus, immenſos pietatis & ſapientiæ radios exeruit. Apoſtolico indutus ſpiritu, primæ Germaniæ gentibus adhuc in tenebris & vmbra mortis degentibus, vitæ verbum prædicauit. Quo tempore cùm nunciatum eſſet beato Germano Autiſſiodorenſi Epiſcopo viro Apoſtolicæ gratiæ & virtutis, Pelagianam perfidiam iterum in maiori Britannia pullulare: rogantibus per crebras literas Epiſcopis, vt cauſam Dei quam priùs hac in regione feliciſſimo aggreſſu vindicauerat, iterato conflictu tueretur. Horum petitioni vir ille beatiſſimus obtemperans, ſecundam expeditionem in Britãniam adornauit. Euocatóque atque adiuncto ſibi iſto Seuero, quem Apoſtolica inſignia, munúſque cui incumbebat Euangelicæ prædicationis dignum diuini operis adiuuam indicabant: illam in Inſulam tranſmeauit. Ibi ſignis & eloquentia diuina, ambo rem aggreſſi: paulò pòſt rebus ad Dei beneplacitum & gloriam compoſitis, proſperè ad ſedes proprias beati Pontifices redierunt. At verò Seuerus, cui Dei gloria & hominum ſalus intimis fixa præcordiis, perennes aculeos augendæ religionis ingerebat: permultis verbo gratiæ & operibus iuſtitiæ ad ſtrenuum Chriſti obſequium adductis, glorioſis laboribus perfunctus, ex paſtorali ſpecula, ad cœli regnum, cuius cupiditate ardebat, euolauit, dignóque conſepultus funere, tot ſanctitatis reſplenduit in tumulo indiciis, vt iam tunc inter beatos Præſules Treuirenſis Eccleſiæ cenſitus, honores cœli ciuibus deferri ſolitos omnium conſenſu

AVSTRICLINIVS. adeptus ſit. Lemouicis ſancti AVSTRICLINII Confeſſoris. Qui cùm ſancto Martiali (miſſo in Aquitaniam) datus à ſancto Petro, vnà cum *Alpino*, comes: morbo correptus apud Elſam mortuus eſſet: ab ipſo Martiale vitæ reſtitutus, gnauiter ipſi in Euangelio collaborauit. Adeovt etiam pro Chriſti nomine carceres, flagella, & diras alias torſiones perpeſſus ſit. At non ſine fidei & patientiæ fructu. Multos enim à dæmonum cultura ad redemptoris agnitionem & obſequium abduxit. Quibus heroicis

facinoribus inclytus, ad cœleſtis regni ptoperauit gloriam. Lugduni Conuenarum ſancti BERTRANDI Epiſcopi & Confeſſoris. Qui alto ſtemmate progenitus, filius Ottonis Raymundi præpotentis Toparchæ, & natæ Guillelmi dicti Taillefer Comitis Toloſæ: nepos verò Guillelmi Archiepiſcopi Auſciorum: tam ſplendida natalia, ſtudio veræ virtutis & eximio religionis cultu inumbrauit. Spretáque pompa ſæculi atque deliciis, diuinis obſequiis à florenti ætate dedicatus, Archidiaconus Eccleſiæ Toloſanæ creatus eſt. Hinc non conſanguineorum ambitu, ſed meritorum ſuffragio ad ſedem Epiſcopalem Conuenarum prouectus, ſolidæ vittutum ideæ, & omnis paſtoralis vigilantiæ viuum actibus ac verbis præſtitit ſpeculum: cui àffuſa mitaculorum gloria, perfectæ ſanctitatis decus abſolutum indidit. Suſcepto itaque præſulatu prima cura & ſolicitudo, ei fuit, vt in omnibus Dei placitum & gloriam quæreret: ouibus verò ſuæ clientelæ creditis omne exemplum pietatis, atque paſtorale quoduis ſolatium prætendetet. Magna ſiquidem beneuolentia & humanitate ſubditos proſequebatur: & peccatores tanta commiſeratione, vt delicta eotum profuſis ſæpè lachrymis deploraret. Tandem vir beatus ſanctitate ſuo æuo præcipuus, oculus ertantium, baculus infirmorum, piorum pater, malleus iniquorum: multis & illuſttibus quà operibus iuſtitiæ, quà miraculis clarus, exuta mole carnis, ſpiritum mortalitatis nexibus expeditum, beatam ad immortalitatem ttanſmiſit. Tótque prodigiis in ſepulchro emicuit, vt à Clemente Papa V. qui media vice ipſi in Epiſcopatu Conuenarum ante Apoſtolatum ſucceſſerat, venerandum eius nomen, quo Clemens ipſe à diuina regeneratione inſignitus fuerat: inter Sanctotum numina annumeratum fuerit. Corpus verò ab ipſomet Pontifice è tumulo leuatum illatúmque ſacrario, perpetuæ honorificentiæ exhibitum. In huius cœlitis patrocinium ſe poſtea commiſit Eccleſia Conuenenſis, imò & ciuitas quæ etiamnum vt tutela potitur, ſic & fauſto eiuſdem titulo gloriatur. Ratiſbonæ depoſitio ſanctæ AVRELIÆ Virginis. Quæ Hugone Francorum Rege cognomento Capeto nata, frattem habuit beatum *Robertum*, qui patri, Chriſtianiſſimo in regno ſucceſſit. Lutetiæ Pariſiorum cœleſti baptiſmatis fonte luſtrata, doctrináque Chriſtiana probè imbuta, mox futuræ ſanctitatis argumenta dedit, ſe armis ſpiritualibus præmuniens, quibus hoſtis æterni inſidias vbique virginitati poſitas elideret. Erat forma rara, ſed adeo pudica, vt ab omni ſocietate viri vehementer abhorreret. Poſtea ergo quam ſenſit à parentibus id agi, vti vel inuita marito (Eluuiano ſtemmatis regij adoleſcenti) iunge-

BERTRANDVS. AVRELIA.

retur: iámque nuptiarum ſolemnia maximo apparatu fieri, fugæ conſilium cœpit, rata tutiorem foris in exilio virginitatem fore, quàm domi vbi de nuptiis adeo inſtanter ſolicitabatur. Deſertis igitur parentibus, patria, bonis, ſpe etiam regni proiecta, peregrino habitu in Germaniam irrepſit, venítque Reginoburgum, quæ hodie Ratiſbona, ad ſanctum Ramuoldum notæ ſanctitatis Abbatem, à quo ſtipem ſub habitu inopis rogauit. Hic ſuggerente mox cœleſti ſpiritu didicit, quæ Virgo, quibus natalibus, quantáſque res Chriſti amore & virtutis cauſa faſtidiiſſet; tanquam filiam igitur eã ſuſcepit, paternóque amore fouens, in ſacrario procul ab hominum ſtrepitu extra pomerium, (quod ſancti Andreæ nomini poſtea dicatum eſt,) volentem lubentem concluſit: vbi duos & quinquaginta an nos in ſumma vitæ innocentia, integritate & religione per voluntariam famem, & ſitim crebráſque vigilias & preces traduxit: ſícque ad capienda præmia ſempiterna, anno ſalutis milleſimo vigeſimo ſeptimo, ipſis Idibus Octobris, à cœleſti munerario euocata eſt. Corpus eius puriſſimum, cœnobio ſancti Emmerammi illatum, in periſtylio, hodiéque altius è terra extans, cum epigraphe propria viſitur, memoriáque illius ibidem colitur anniuerſariis ſacris, iam ab annis ſuprà ſexcentis nunquam intermiſſis. In portu Valencenarum eleuatio pretioſiſſimi corporis beati SALVII Martyris, Engoliſmenſis Epiſcopi, cuius martyrij celebritas quotannis agitur ſexto Kalend. Iunij: tranſlationis verò ſeptimo Idus Septembris. Ipſo die in territorio Remenſi tranſlatio corporis ſancti BASOLI Abbatis & Confeſſoris glorioſi, facta ſolemniter per Hincmarum Archiepiſcopum. Cuius cœlitis feſtus dies, quo ad Chriſtum migrauit, agitur 6. Kal. Decembris. Niciæ in Prouincia ſancti HOSPITII Confeſſoris magni Dei famuli, cuius præconia ſanctus Gregorius Turonenſis cùm in hiſtoria Francorum, tum in libro de gloria Confeſſorum, ex oculati teſtis relatione, luculenter proſecutus eſt. Hic beatus vir turri incluſus, ferreóq. circulo ad carnem accinctus, communi tempore modico pane & dactylis veſcebatur. In quadrageſima verò ſolis herbarum radicibus, quibus Ægypti Anachoretæ vtebantur, ſe alebat: quas ipſi negotiatores deſiccatas afferebant. Totus ſpeculationi cœleſtium rerum intentus, totus ferè in ſpiritum conuerſus, ea vita quæ Angelos æmulatur ſuo in ſeceſſu actitabat, vbi ſpiritu prophetiæ afflatus, Longobardorum incurſum ob populi peccata præcognouit atque prædixit. Qui paulò pòſt hanc in regionem venientes, vbi ad turrim in qua vir Dei degebat acceſſiſſent, cinctúmque cathenis & indutum cilicio vidiſſent, homicidam ar-

SALVIVS. BASOLVS. HOSPITIVS.

britati, qui extremas pœnas expectaret: percontati ſunt per interpretem quid mali admiſiſſet. Ille verò ſe homicidam eſſe & omnis criminis reum profeſſus eſt. Tunc vnus extracto gladio, vt noxium quem putabat hominem perimeret: dextera ipſius in ipſo ictu ſuſpenſâ diriguit, nec eam ad ſe reuocare potuit. Hæc videntes ſocij eius, clamore edito à ſancto ſupplices flagitarunt, vt percuſſori opem ferret. Ipſe verò impoſito ſalutis ſigno dolentis brachium ſanitati reſtituit. Porro ferus miles hoc prodigio conuerſus, illico tonſurato capite, monachus factus, deinceps diſcipulus viri Dei fideliſſimus fuit. Duces Longobardorum his attoniti monente ipſo Dei famulo agmina ſuâ feralia in patriam reduxerunt. Quotquot autem monitis eius contemptis abire renuerunt, peſſimo fine non diù poſt interiêre. At verò vir beatus cùm in dies ſeipſo maior meritis euaderet, energumenos manuum impoſitione ſanaret, oleo benedicto viſum cæcis, auditum ſurdis, mutis eloquium refunderet, appropinquante obitus exoptato die, vocauit ad ſe monaſterij Præpoſitum, petens vt irrumperet ferro parietem, atque Epiſcopum ad ſe ſepeliendum euocaret: etenim infrà triduum, ſe ad deſtinatam ſibi à Deo requiem migraturum. Interim Creſcens quidam venit ad ergaſtuli feneſtram, & videns eum cathenis vinctum, vermibus coopertum. *O Domine mi* (infit:) *qualiter tam valida tormenta ſuſtinere potes?* Cui ipſe, *Confortat me ille*, ait, *pro cuius amore hæc patior.* Adueniente autem die tertio depoſuit catenas quibus vinctus erat, & cùm diutiſſimè lachrymas in oratione fudiſſet, collocans ſe ſuper ſcamnum, extenſis pedibus, eleuatíſque manibus gratias agens Deo tradidit ſpiritum. Adueniens autem *Anſtadius* Epiſcopus, beati corpus ſtudioſiſſimè ſepulturæ mandauit. Quem ſubſequentia diuinitatis opera mirificè illuſtrauerunt. Colitur vir Deo dignus in Cathedrali Eccleſia Nicienſi hodierno natali: quoniam ibidem quieſcit, & inter tutelares colitur. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confeſſorum, atque Sanctarum Virginum.*

Decimo ſeptimo Kalend. Nouembris. Luna

16 B VII.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
24	25	26	27	28	29	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
12	13	14	15	16	17	18	19	18	19	20	21	22	23			

SS. SYLVANVS. LEMOVICIS ſancti SYLVANI Martyris: qui nobilitate, ætate, ac virtute florens, cùm in Berecinthiæ ſolemniis delatum eius cum inſigni pompa ſimulactum deſpexiſſet, ad Eraclium Conſularem adductus à furente plebe, impietatíſque accuſatus, ſeſe & Chriſtianum intrepidè profeſſus eſt, & falſo numine conſputo, in vnius Chriſti IESV ſeruatoris nomen ſeſe, & fidem & ſpem omnem reponere aſſeuerauit. Quamobrem variis tormentis excruciatus, demum cùm tortores patientia vinceret: ferali ictus gladio, ad cœleſtes triumphos ouans de parta per agonem vitæ æternæ corona, euolauit. In territorio Abrincenſi apparitio ſancti MICHAELIS Archangeli facta temporibus Childeberti II. Francorum Regis beato Authberto Abrincenſi Epiſcopo, in vertice montis qui *Tumba* dicitur, in periculo maris. Quem beatum Antiſtitem militiæ ille ſupernæ Princeps, in ſomnis, ei non ſemel viſus admonuit; Dei voluntatem eſſe, vt ipſe Michaël pro tutelari huius montis coleretur. Vbi idem Epiſcopus Eccleſiam in ipſius beatorum ſpirituum Principis, & cæterorum Angelorum memoriam ædificauit. Cui additum eſt deinde monaſterium inſigne Benedictinorum aſcetarum, illic à ſancto Richardo, in fomentum diuini cultus & loci decorationem inductorum. Porro baſilica illa deinde peregrinationibus celebris, Regibus Chriſtianiſſimis magno in honore fuit, ex quibus Ludouicus XI. in beatiſſimum Angelorum principem deuotè affectus, Equeſtrem ordinem eius nominis cum propriis inſigniis inſtituit: edixítque Capitulum, ſeu Comitia generalia Equitum huius militiæ, (cuius foret Rex quiſque Franciæ coryphæus) hoc in cœnobio, ad maiorem ſancti Michaëlis venerationem de more celebrari. Quem beatum Archangelum ſibi, ſuíſque ſucceſſoribus & Regno Galliarum, perpetuum patronum ac protectorem nominauit. Rotomagi dedicatio Eccleſiæ ſancti *Petri*, quæ nunc ſancti Audoëni dicitur, celebrata per Gofridum quadrageſimum nonum Archiepiſcopum Rotomagenſem. Iotro Monaſterio natalis Sanctorum Martyrum PRÆIECTI & HILARII: quorum pro fide Chriſti & gloria interemptorum,

(Margin: MICHAEL Archangelus. — PRÆIECTVS & HILARIVS.)

prorum, pretioſa ſpolia illic in ſacrario repoſita ſunt. In agro Bituricenſi ſancti AMBROSII Epiſcopi Caturcenſis & Confeſſoris, qui poſt centum ferè annorum Interpontificium, ſancto Deſiderio ſuccedens tam officio quàm merito, opus ſalutis ſerio aggreſſus, ciuium mores diſſolutos Euangelicis reprehenſionibus carpere, atque ad Chriſtianæ legis normam reuocare dum ſatagit, viſceribúſque miſericordiæ plenus, in pauperes viſus propenſior, Eccleſiæ opes in eorum ſolaria inſtantius erogat, ipſorum ciuium odia in ſe concitauit. Cùm igitur à popularibus quamplurimis parui fieret, contemptuíque eius monita præceptáque haberentur, & Vvaifarus Dux Aquitaniæ omnes facultates Eccleſiarum, quæ ad ius Francorum pertinebant in Aquitania inuaſiſſet: ſeſe à ſæculi fluctibus inquietis ſubducere, ínque ſeceſſum & ſpeluncam quingentis circiter paſſibus à Cadurco diſſitam (in qua triennium ſe continuit) recipere decreuit. Vbi ita vixit, vt ne cuius alterius egeret ope; etiam ſacroſancto viatico ſecum aſportato. At tandem fugâ ipſius detectâ, ne ob miracula ad præſulatum reuocaretur, inde Romam profectus religionis cauſa, cùm reuerſus, ſecundo ab vrbe Biturica milliario conſiſteret, ſpiritum Deo reddidit, gratiæ fœnoribus cumulatum. Cuius cadauer pretioſum, in vico Arnotio ſepultum, ſignı́ſque coruſcans, ibi requieuit, donec pietate Gausfredi Vicecomitis Bituricenſis, & Eldeburgis eius coniugis, intra vrbem Bituricam tranſuectum ad ampliorem honorificationem in inſtaurata ab ipſis Abbatiali Eccleſia, quam de eius nomine inſigniendam cenſuerunt, religioſo apparatu collocatum fuit. Cæterùm cùm Biturica à ſegregibus capra corpus beati Pontificis ſacrario deturbatum fuiſſet: prouida tamen ciuium pietate collectum & reconditum, ac ira reuera eſſe vindicatum, poſtea energumeno reliquiis ex humo ſublatis admoto, conſtat: quippe tum inclamante dæmone, *vim ſibi ab Ambroſio inferri*. Quemadmodum geſtis de re tota fideliter confectis, & in ſacrario Abbatiæ aſſeruatis cauetur. Nouiomi ſancti MOMMOLENI Epiſcopi & Confeſſoris. Hic beatorum Ebertramni & Bertini Symmyſta, vt Dei verbum ſeminaret ex Luxouio Burgundiæ monaſterio, in Franciam venit. Vbi à Clothario III. honorificè ſuſceptus, talentum Domini creditum ſibi cùm nonnihil auxiſſet, ad ſanctum Audomarum tunc Epiſcopum Morinenſem, cuius conſanguineus erat beatus ipſe Bertinus, cum eo, alteróque ſocio ſe contulit. Quos ille lætè ſuſcipiens ſacri muneris conſortes in ſancta prædicatione eſſe voluit. Interim vir qui-

AMBROSIVS.

MOMMOLENVS.

dam illuſtris *Adroaldus* nullam habens ſobolem, cum Audomaro tractare cœpit qualiter poſſeſſionum ſuarum Eccleſiam hæredem faceret, & villam quæ Sithiu vocatur cum ſuis appendiciis eidem ſanctiſſimo Epiſcopo obtulit, vt cœnobium cum xenodochio ibi conſtrueret. Iuſſu igitur Audomari tres prædicti viri, caſtiſſimi religionis profeſſores, Eccleſiam inibi & cellam ædificârunt: vbi puros Deo famulatus conſonis mentibus impenderunt. Quouſque beato Eligio ad præmium abeunte, ob perſpicua virtutum Apoſtolicarum lumina, Mommolenus ad Epiſcopatum eius prouectus eſt. Tunc enim perſiſtente in Sitiuenſi cella Bertino Abbate, Ebertramnus dux ſpiritualis militiæ in cœnobio S. Quintini præfectus eſt. Ipſe verò Mommolenus Nouiomenſem Eccleſiam ſimul cum Tornacenſi, quæ illi annexa erat annis viginti ſex omni cum vigilantia, doctrina & pietate rexit. Inque ſancta prædicatione feruidus, cùm ſedulò ſalutis monita fidelibus inculcaret, potiſſimùm deſpectum ſæculi, & æternarum rerum deſiderium ipſorum in corda inſtillare ſtuduit. Demúmque cùm ſancti Eligij ſacratiſſimum corpus magna veneratione tranſtuliſſet, Elnonenſe templum cœnobiticum in honorem Apoſtolorum Petri & Pauli, vnà cum Reolo Remenſi & Vindociano Cameracenſi, inuitante ſancto Amando Traiectenſi Epiſcopo ac cooperante conſecraſſet, teſtamento eiuſdem ſubſcripſiſſet: ipſe charitate plenus qua æſtuans captiuos multos redemit, viduis & egentibus inualidis de ſubſidio proſpexit: iam vltima ætate, ſuæ vocationis tempus adeſſe ſentiens, conuocatis diſcipulis mandauit, ipſe humilitatis diſcipulus, quatenus corpus ſuum extra vrbis mœnia in communi cœmeterio ſepelirent: parato ad hoc mediocri ſarcophago, in quo, (vt ipſe aiebat) *corpus meum ſeruetur in illum diem, quo corruptela hæc vertatur in incorruptionem, & mortale hoc immortalitate veſtiatur.* Inter hæc dum triſtia diſcipuli parant obſequia Patri, inualeſceretque morbus quo vrgebatur vir ſanctus; non tamen interea ab orationis ac diuinæ laudis ceſſabat officio: donec ſumpto ſalutaris Chriſti corporis & ſanguinis viatico, beatam animam efflauit. Vtque in vita ſanctitatis diuinis teſtificationibus enituit, ſic poſt mortem glorioſis refulſit beatitudinis emeritæ indiciis. Sepultus eſt autem cum ſancto Achario in ſacello ſancti Georgij extra muros ciuitatis: pone cuius tumulum ſancta virgo Godeberta optatam exinde ſepulturam recepit. MAGNOBODVS. Andegauis ſancti MAGNOBODI eiuſdem ciuitatis Epiſcopi & Confeſſoris, qui ab adoleſcentia ceruice Chriſti iugo ſuppoſita, Colonotenſis cœnobij monachus deinde

Abbas, Preſbyter à ſancto Licinio ordinatus, Romam deuotionis cauſa perrexit: hinc ſancti Ioannis Baptiſtæ aliquot reliquias aduexit, quas in eius Eccleſia depoſuit à ſancto Licinio extructa. Quo decedente factus omnium ex voto Epiſcopus, Canoniam in qua hodie colitur fundauit: miraculis claruit, & ſic plenus gloria ſanctitatis ad Chriſtum migrauit. Ipſo die paſſio ſancti BERCARII Abbatis primi Attiuillaris Cœnobij, quem ſancti Euſtathij diſcipulum ob clara dona ſanctitatis, beatus Niuardus Remenſis Archiepiſcopus ex Luxouienſi Cœnobio euocatum, ad noui cœtus regimen illic præfecit: vbi miris ſupernorum chariſmatum fulgoribus cum aſcetis præluxiſſet: bene ſtatuta hac piarum animarum ſtatione, Deruenſem in ſyluam conceſſit, ſupernáque duce columba cellam extruxit inſignem, vbi alumnos quos in Chriſto formaret adlegit: dehinc & virginibus ſacris domicilium condidit, multíſque perfunctus pro augmento religionis laboribus, tandem pro ſanctæ conuerſationis coronide, à Daguino pſeudomonacho, quem de ſacro fonte ſuſceperat, diſciplinam non ferente: dum in lectulo feſſus labore reclinaret, ferro iniquo appetitus confoſſúſque, necem indignam benignè, ſicario ipſi domeſtico condonauit, ſolúmque adhortatus eſt, vt promerendæ veniæ cauſa maturius Romam pergeret, indulgentiam admiſſi paricidij ab eo percepturus, cui ſummus rerum arbiter Chriſtus poteſtatem contulit noxas quaſcunque graues relaxandi. Sic igitur non tam vulnere confectus, quàm charitate conſumptus, noua congregatione Sinaulio paternè commendata, animam ad coronam, quæ ſibi parata erat ex donis gratiæ & operibus iuſtitiæ, ac patientiæ merito, feliciter tranſmiſit. Miris autem quæ vix libro vnico recenſeri potuerunt à ſedulo obſeruatore, emicuit in tumulo ſuſceptæ in cœlis gloriæ indiciis. Eodem die Treuiris ſancti FLORENTINI Epiſcopi & Confeſſoris, qui ſancto Seuerino ſublectus, vicem quam repleuerat digniſſima adminiſtratione præſulatus honorauit: ſícque expleto ſanctiſſimæ conuerſationis decurſu, ad remunerationem fidelibus gregis Chriſti curatoribus repromiſſam euocatus eſt. Salaniaci in Lemouicenſi territorio ſancti LEOBONI Anachoretæ. Qui cœleſtem in terris vitam æmulatus in loco cui Furſaco nomen, procul ab hominum concurſu ſeceſſum coluit. Peruigil in orationibus, in tentationibus fortis, mente, verbis, & toto corporis habitu humilis, in victu ſobrius, carne & ſpiritu caſtiſſimus. Nam ſubmiſſam ad ſe impudicam fœminam, prunis

BERCARIUS.

FLORENTINUS.

LEOBONUS.

ardentibus nudum ſeſe inſternens ac ſuperuolutans, à peccato deterruit. Quo facto ſtupore eos qui illam induxerant perculit. Ipſe verò quietiorem inde ſtationem petens, Salaniaci cellulam extruxit: vbi totus cœlo intentus, beatam efflauit animam. Cuius merita ſigna diuinæ virtutis, quæ ad eius tumulum emicuerunt, magnificè prodidêre. Item in Lemoui-
IVNIANVS. cenſi tractu ſancti IVNIANI Confeſſoris, qui ortu Cameracenſis, ſancti Amandi diſcipulus latebras quærens, in Aquitaniam ad Chriſto liberius famulandum profectus, in agri Lemouicenſis ſeceſſu ſe reclufit: vbi ſanctiſſimæ vitæ exemplis, temporalis vitæ terreſtriúmque rerum faſtidium, populis ſuam conuerſationem ſpectantibus ingeſſit: miraculiſque etiam clarus, poſt collata plurima afflictis ſolatia, æternam in requiem conceſſit. Ad cuius tumulum teſtatur Gregorius Turonenſis ſe multos vidiſſe, qui lumen amiſſum receperunt, paralyticóſque non paucos erectos ſub eius opitulatione. Ipſo die Aquicincti
GORDANIVS. ſecundo à Duaco lapide S. GORDANII Eremitæ, qui Angelicis virtutibus nitens, *Gualtero* Montigniaci & *Sigero* Corcellæ Dynaſtis auctor fuit, vt monaſterium eo loco extruerent: vbi ipſi ſub eius magiſterio ſcientiam ſalutis vt diſcerent, ſe ſuáque omnia diuinis obſequiis conſecrârunt. Quem locum vir beatus & incolatu & obitu, ſigníſque innumeris illuſtrauit. Ditauit verò *Varinus* Archiepiſcopus Theſſalonicenſis in gratiam Roberti iunioris Comitis Flandriæ pretioſis reliquiis, quas è Græcia tranſmiſit. Nempe brachio ſancti Georgij Martyris, pede altero ſanctæ Marthæ: pignoréque ſingulari caſtitatis, nempe illo ipſo annulo, quo beata Virgo Deipara Ioſepho traditur deſponſata. Nobilitauit eumdem locum ſua præſentia tempore exilij, ibi diebus aliquot degens ſanctus Thomas Can-
GVARDINELVS. tuarienſis. Item Duaci ſancti GVARDINELI Confeſſoris, magnarum virtutum viri, cuius ſacrum corpus ex Sueſſionenſi vrbe, eò tranſlatum fuit cum venerando corpore ſancti Oneſimi Epiſcopi Sueſſionenſis, quo cum quieſcit & colitur in Eccleſia ſancti Amati. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confeſſorum, atque Sanctarum Virginum.*

Decimo ſexto Kalend. Nouembris. Luna

17 C vi.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
25	26	27	28	29	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12

t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P
13	14	15	16	17	18	19	20	19	20	21	22	23	24

ARAVSIONE ſub Metropoli Arelatenſi ſancti FLORENTII Epiſcopi & Confeſſoris, qui gratia diuinitatis plenus, poſt Verum ſancti Eutropij encomiaſtem ſedis huius creatus Pontifex, ſalutem animarum cœleſti ſapientia & Apoſtolico feruore ac opere procurauit: mira religioni incrementa tam vi ſanctæ prædicationis, quàm emaculatæ vitæ exemplis addidit. Deinde inter præcipuos Eccleſiæ Gallicanæ Patres in Epaonenſi Concilio, quod ſub Horſmida Papa coaluit honorificè conſidens, ſanctionibus de ſacra politia editis ſuffragium ac ſymbolum præbuit. Ac demum tramitem immortalitatis ingreſſus, præmio quod emeruerat in fideli diſpenſatione potitus eſt. Cenomanis ſancti BERARII Epiſcopi & Confeſſoris, qui annis triginta ſeptem hanc Eccleſiam omni ſolicitudine ac ſanctimonia rexit: ac poſtquam in Dei lege gregem quem paſcebat enutriſſet, virtutibus plenus quieuit in pace. Ipſo die Andegaui ſancti LVPI Epiſcopi itidem & Confeſſoris Pontificalibus dotibus perornati. Ageni ſancti DVLCISSIMI Epiſcopi & Confeſſoris. Hic generoſa Regiæ Francorum ſtirpis ſoboles, Fedarij ſanctiſſimi Agennenſis Epiſcopi factus ob Chriſti amorem diſcipulus, cùm cœleſtium donorum iam ornatu polleret, in Leuitarum ab illo ordinem adlectus eſt. Quo in gradu virtutis tanta lumina prodidit, vt Fidario ipſo carnis molem exuente, in vicem eius magna Cleri plebiſque conſenſione ſubrogaretur. Inito igitur Præſulatu beatus Antiſtes, animum totum in id coniecit, vt quam curabat Eccleſiam ab omni næuo expurgaret: omníque religionis exornaret decore. Quamobrem fidem Catholicam acerrimè propugnauit. Arianam perfidiam toto niſu inſectatus eſt, cuius mortifera ſemina adhuc in Aquitania infeliciter pullulabant. Nec fidem duntaxat vindicauit: ſed miſericordia plenus impensè charitatem excoluit, in egenos ita beneficus, vt nihil ferè ſibi ſuorúmque vſibus reſeruaret. Qui tandem poſtquam ſanctæ Fidis Virginis & Martyris titulum triumphalem illuſtraſſet, conſtructa ſub eius auſpiciis parœciali Eccleſia, poſt tot labores & certamina grauis ſenio, ſanctitate diues, miraculis clarus, oculos in mor-

SS. FLORENTIVS. BERARIVS. LVPVS. DVLCISSIMVS.

tem clauſit, & vitæ æternæ moriens percepit vſuram. Cæterùm ab obitu cùm miraculis refulgeret, corpus eius ad Cambaretum vicum delatum eſt, ad cuius venerationem ægri adducti, maximè verò Cardiaci ſanantur. Carnuti ſanctæ SOLINÆ Virginis & Martyris, quæ origine Aquitana, Christi irradiata fide ac amore ſuccenſa, eam ad vrbem tranſmigrauit, vbi ſanctiſſimæ Virginis Deiparæ quam Druidæ ſacerdotes parituram coluerant, famoſa erat ædicula, vt caſti propoſiti tenorem ſub tam nobili titulo virginitatis conſecraret. Sed perſecutione in Chriſti cultores ſuborta, virgo quæ nihil niſi ardorem pietatis præferebat: hoc nomine comprehenſa, quod Crucifixi fidem ſpargeret, & puellarum animos à connubio, affectu nouæ religionis auerteret: ceruices lubenter pro diuinæ veritatis aſſertione, & pudicitiæ cultu ferro ſuppoſuit: ſicque mactata Chriſti ouicula binam lauream & fidei & caſtitatis fortiter propugnatæ feliciter reuexit. Puras cuius exuuias pij clanculum colligentes, eo loco vbi deinde extructa eſt ſancti Petri cœnobiarchia in valle Carnutenſi condiderunt, vbi etiamnum immortali cum nominis gloria quieſcit. Ipſo die apud Laudunum Clauatum ſanctæ AVSTRVDIS Virginis & Abbatiſſæ: Hæc Riceanni viri generoſi & ſanctæ Salabergæ filia, à propria genitrice, quæ vidua recepto ſacro velamine, monaſterium Lauduni extruxit, diuino ſponſo dedicata cum ſororibus *Saretrude* & *Ebane*, ſub ipſius beatæ Salabergæ ductu ſanctiſſimæ vitæ tyrocinium exegit. Cùm autem illa euocata ad Chriſti regnum: *Saretrudis* & *Ebane* viciſſim virginalis cœtus regimen obiiſſent; atque matris veſtigia ſecutæ perrexiſſent ad gloriam: Auſtrudis quæ virtutum hæres genitricis & ſororum ſanctarum, cæteris virginibus multis gratiæ dotibus præcellebat, facta eſt ſuo ordine, ex omnium voto cœnobij moderatrix. Tantáque præfuit cum humilitate, pietate, charitate & miſericordia, vt aucto ſacræ domus ſplendore, virginum numero, aſſerto religioſæ diſciplinæ tenore, editis pleriſque miraculis, metam demum caſtiſſimæ vitæ attingens, ſponſi cuius ſpirabat aſpectus, ad optatum conſortium euocata, & fidei ſeruatæ, & bonæ diſpenſationis conſummatæ plenam remunerationem acceperit. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum*, &c.

Solina. / Avstrvdis. (margin)

DEDICATIO Eccleſiæ Archimonaſterij Ciſtercienſis, & ordinis in honorem ſanctiſſimæ Virginis Deigenitricis Mariæ. Ipſo die deceſſit Toloſæ beatus GILBERTVS Abbas generalis octauus eiuſdem ordinis, Magnus cognomento ob doctrinæ decus, virtutum gloriam & miraculorum immenſitatem.

Gilbertus. (margin)

Decimo quinto Kalend. Nouembris. Luna

18 D v.

a b c d e f g h i K l m n p q r ſ
26 27 28 29 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13
t u A B C D E f F G H M N P
14 15 16 17 18 19 20 21 20 21 22 23 24 25

NATALIS ſancti LVCÆ Euangeliſtæ & Martyris, quem SS. LVCAS.
prædicaſſe in Galliis ſanctus Epiphanius graui relatione
teſtatur. Hic & medicus & pictor totus diuinus, vt in Euange-
lio pharmaca ſalutis peccatoribus exhibuit: ſic cœleſti penicillo
adorandum Chriſti vultum, & faciem Virginis Deiparæ ſacra-
tiſſimam ad viuum expreſſit: quò diuinæ ſimilitudinis ipſa in
Seruatoris externa ſpecie relucentis effigiem, & totius purita-
tis quam ipſis oculis Virgo eius beatiſſima genitrix ſpirabat ani-
matum ſimulachrum, poſteris ad cultum & monimentum ſa-
cratiſſimo pietatis pignore relinqueret. Quæ diuina ſpecimina
ab felici adeo manu exarata Corbeiæ in ſacrario multa cum ve-
neratione ſeruantur & oſtenduntur. Bellouaci Natalis ſancti IV- IVSTVS.
STI Martyris, cuius lipſana illic in veneratione habentur. Leo-
dij ſancti MONONIS Eremitæ & Martyris: qui patria Scotus, MONON.
Angelico monitu in Arduennam venit ad ſanctum Remaclum
tunc Abbatem Andainenſem: à quo egregiè inſtitutus, vt à ſtre-
pitu procul fieret ad locum qui Nanſonia dicitur, tunc ſecretum
à concurſu humano tuguriolum cum oratorio fixit, hæſitque
illic Deo ſoli intentus multa cum abſtinentia & puritate. Do-
nec à ſicariis latronibus impetitus & confoſſus vir innocens &
iuſtus, animam ab omni inquinamento ſæculi immunem in re-
demptoris manus efflauit. In ædicula quam ipſe extruxerat ſe-
pultus eſt: quam poſtea ob micantia illius gloriæ inſignia Pipi-
nus Rex in baſilicam euexit, cui collegium Canonicorum ad-
iunxit. Ricomagi tranſlatio ſancti AMABILIS Epiſcopi & Con- AMABILIS.
feſſoris. Quando è ſancti Hilarij baſilica Aruernenſis vrbis, vbi
primùm tumulatus fuerat, Ricomagenſes, quorum Preſbyter
fuerat, vt ſuum aſſerentes, in ſancti Benigni Eccleſia apud ſe
repoſuerunt. In Britannia minori tranſlatio ſancti BRIOCI E- BRIOCVS.
piſcopi & Confeſſoris ſuæ vrbis patroni: ad quam pretioſum eius
corpus ex Andegauo vbi extremum diem egerat, magno hono-
re relatum, ac in Cathedrali Eccleſia quæ nomen poſtea ipſius
induit, repoſitum eſt, vbi etiamnum quieſcit. Machliniæ tranſ-
latio ſancti RVMOLDI Archiepiſcopi Dublinenſis & Martyris. RVMOLDVS.

Quando ex aquis ſublatum eius corpus, indicio ſuperni luminis per Adonem Comitem hanc illatum in vrbem, eo loco conditum eſt, vbi illuſtris poſtea ſui nominis Eccleſia inſurrexit, quam Notgerus Epiſcopus Leodicenſis ornauit duodecim Canonicorum collegio : demúmque Paulus Papa IV. ſede Metropolitana nobilitauit. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confeſſorum, atque Sanctarum Virginum.*

DEDICATIO Metropolitanæ ac Primatialis Eccleſiæ Remenſis in honorem ſanctiſſimæ Deigenitricis Mariæ.

Decimo quarto Kalend. Nouembris. Luna

19 E IV.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
27	28	29	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
15	16	17	18	19	20	21	22	21	22	23	24	25	26			

SS. SAVINIANVS & POTENTIANVS. AGENDICI Senonum ſolemnitas Sanctorum Martyrum SAVINIANI & POTENTIANI, quorum purpura triumphali coruſcat agonis vtriuſque natalitius dies, pridie Kalend. Ianuarij. Apoſtolatu verò perpetim gloriatur ipſa Senonum antiquiſſima Metropolis, cum ſuis ſedibus ſuffraganeis aliíſque, quæ tantorum heroum prædicatione, martyrio & opitulatione Chriſti fidem ab initio acceptam & obfirmatam, in hunc vſque diem illibatam retinens, atque incorrupta hæreditate ſeruant, prædicant & tuentur. Et verò illi glorioſi Patres penultimo die Decembris, (vno eodémque die, tametſi vertente anno) palmam ex confecto inclyto agone retulerunt. Vnde & in priſcis diptychis veneranda eorum nomina, illa die colenda maximè conſignabantur. Sed quod hodie tranſlata ſunt eorum corpora, & Angelicæ voces tunc auditæ. Ideo Eccleſia ipſa Senonenſis, quòd extremi Decembris dies Chriſti adorandis cunabulis ſint ſacrati, ad vberiorem cultum his ſuis Apoſtolis deferendum, feſtiuitatem mutauit : eo pacto vt hodie præcipuam de his ageret celebritatem, penultimo autem Decembris die, quo & ſanctæ Columbæ occurrit natalis, faceret de iis commemorationem. Sueſ-
LVPVS. ſione ſancti LVPI Epiſcopi & Confeſſoris, qui ſancti Remigij Apoſtoli Francorum ex fratre nepos, patri *Principio* ſanctitatis abſoluto exemplari, Epiſcopali in regimine ob fulgentia merita ſucceſſit. Ouiúmque fidus cuſtos, lupum quidem ſe gregis hoſtibus præbuit : at agnum iis oſtendit, qui ſpiritum pacis & iu-

ſtitiæ ac pietatis habebant affectum. Cùm autem in carne adhuc ageret ſanctus Remigius, Epiſcopatum iniit. In quo adeo laudabiliter ſe geſſit, vt inter præcipua Galliæ lumina virtutum admirabilium ſplendore rutilaret. Quamobrem primo Concilio Aurelianenſi pia inſtantia ipſius ſancti Remigij coacto, ad coërcendum defluentes à recto tramite Cleri & populi mores, diſciplinámque ſactam ſarciendam, primos inter Galliæ Pontifices interfuit, ſpectabilíque loco non tam ob ætatem, quàm præcellentem ſanctitatem conſedit. Quo intuitu ſanctus Remigius cùm teſtamentum ſuum conderet ipſum euocauit: vt ſyngrapha ſua illud cum Sanctis Vedaſto, Genebaudo & Medardo ſanctiſſimæ vitæ Epiſcopis communiret. Cui & potioris affectus pignora reliquit: atque extremotum votorum vindicem ipſum conſtituit. Porro Lupus illius non modò cupita impleuit, ſed & exempla adeo ſtrenuè perſecutus eſt, vt quaſi Elizeum raptum Eliam proximè actibus referentem, Remigium ipſum euectum ad ſuperos repræſentârit, & vitæ inculpatæ moribus, & vigilantiæ paſtoralis ſtudiis, pontificalíque adminiſtratione ſanctiſſima. Qui demum ad cumulum gratiæ & meriti perfunctus in aſſiduo ſacrorum cultu, meditationum diuinarum ſtudio, pauperum cura, ſedula Clericorum informatione, populi eruditione, ſitiens æternæ felicitatis fluenta, ad perennem vitæ fontem euolauit. Plurimíſque fulſit poſt mortem emeritæ gloriæ radiis.

Ebroicis ſub Lugdunenſi ſecunda ſancti AQVILINI Epiſcopi & Confeſſoris. Qui Baiocis ortus ex ſpectabili genere, liberalibus diſciplinis ab ineunte ætate operam dedit: eáque virtutum copia vix ex ephœbis egreſſus emicuit, vt omnium in ſe oculos & affectus traheret. Vnde non diù pòſt puellæ paris nobilitatis ſacro fœdere copulatus: publicæ adminiſtrationis munus ob ſapientiæ decora ſibi commiſſum ſuſcepit. Quin & cùm bellicæ fortitudinis iam non exilia ſpecimina edidiſſet: accitus eſt à Clodoueo Rege II. aduerſus barbaros, qui efferatis animis regni Francorum finibus inſultabant. Quo in bello exacto triennio & ſex menſibus, non abſque indicio virtutis & præmio domum ex Regis placito rediit. Obuiam Catnuti habuit caſtiſſimam coniugem, quæ de ſalute chariſſimi ſibi viri anxia, dum in periculis verſabatur votum Deo fecerat, ſi ille incolumis ſibi redderetur, integro ab hinc anno ſe cœlibem cum eo (de cuius indulgentia non diffidebat) vitam agere. Obſtupuit Aquilinus (cum hoc ſibi arcanum reſeraſſet vxor) audita eiuſmodi ſponſione. In fœmineóque pectore tantam virtutem, tantúmque amorem demiratus, non modò caſtum propoſitum vt editum erat aſſenſu

AQVILINVS.

ſuo obfirmauit, ſed & virili planè animo coniugis votum ampliauit. Quam enim annuam Deo continentiam illa promiſerat, optauit & pollicitus eſt perpetuam, vxorem hortatus vt ſibi Chriſti amore hac in voluntate conſentiret. Lubenti animo caſtiſſima fœmina mariti placitis obſecundauit. Deinceps igitur animis coniũctis ſub eodem tecto degentes, ſua ante omnia pauperibus impendere, corpora ieiuniis & vigiliis coërcere, ſtudio pietatis certatim feruere, peregrinis & hoſpitibus miniſtrare, domum ſuam periſtrómate & delicata ſupellectili antea fulgentem in xenodochium propemodum conuertere, vitam quam Clerici & Monachi profitentur emaculatã, rigidam, deuotam piè ac ſtrenuè æmulari, auráſque repellebant populares. Hoc modo cùm lucernæ ardentes diù ſub modio deliteſcerent, tandem beato fine Ætherio Epiſcopo Ebroicenſi Liſarchis ab hæreticis interempto: totius Cleri & populi animi diuinitus inflammantur, vt Aquilinus iſte occultus Dei ſeruus, ad exemplar promendum pietatis ei ſubſtitueretur. Nec quæſitum ab electo quid ipſi videatur: ſed rapitur ab omnibus, trahitúrque ad Eccleſiam velit nolit ordinandus. Primo igitur fit Clericus, indéque gradatim ad Epiſcopale cacumen euehitur: ſuſcepto autem, non coruino hiatu, ſed columbina ſimplicitate, ſacerdotio, iam apertè vxorem vertit in ſororem; quam antè, inuicem inito caſtitatis fœdere, à ſe thoro, non affectu ſeiunxerat. Deinde gregis ſui cura ſuſcepta, cùm non ignoraret ſe ſequeſtrem & aduocatum totius populi apud Deum conſtitutum, quo liberiùs poſſet contemplationi vacare, & pro peccatoribus, mundi huius tumultibus intricatis Dominum deprecari non longè à muro ciuitatis, ab Eccleſia verò centum paſſuum ſpatio diſtantem elegit cellam, vbi animarum cauſas tanto melius curabat, quanto plus corporum declinabat aſpectus. Ibi ſummo diſciplinæ rigore domabat corpus, mentem verò aſſiduis orationibus & lectionibus paſcebat, hauriebátque è ſacris fontibus in ſecreto, quod populo deinde in publico propinaret. Veſtes delicatas, menſam ſplendidam, lectíque mollitiem, cæteráſque eiuſmodi quæ cœleſtem diſciplinam eneruant, prorſus ignorabat. Nudo pauimento feſſa longis excubiis membra, ad breuem ſomnum inſternebat: ſemper in acie contra hoſtiles nequitias & impetus ſtabat bellator ſtrenuus: cauens iugiter ne fortè remiſſior factus, vel inſidiis aduerſarij circumueniretur, vel impetu ſubuerteretur. Hinc timore Dei plenus ſemper Dominum precabatur, vt feneſtras corporis ſui, aut obſtrueret, aut cuſtodiret: ne per eas noxia irrumperet concupiſcentia, quæ certiſſimam ſolet afferre animæ mor-

tem. Cuius precibus annuens Dominus, exteriores eius corporis feneſtras lucis miniſtras clauſit: ſed interiores adeo cumulatè illuſtrauit, vt ſine oculorum adminiculo, aut ductoris iuuamine ad Eccleſiam veniret, & maiori alacritate pabula diuini verbi cæteráque pietatis officia populo miniſtraret. In his omnibus ipſe Chriſtus ei teſtimonium reddebat, prorſus vt quos intus illuminabat, curabat, erigebat: extrinſecus etiam ſigno crucis illuminaret & erigeret. Neque enim vlla corporalis infirmitas eius precibus reſiſtebat, qui ſuis exemplis & monitis depellebat ſpirituales quaſcunque ægritudines. Tandem ſedulus cuſtos innocentiæ, amator continentiæ, cultor ſobrietatis, cupiditatis hoſtis, obtrectationis inimicus, vindex ſedulus diuinæ gloriæ, peruigil gregis curator, tot piis bonorum operum exercitiis comprobatus: poſtquam Concilio Rotomagenſi, in quo plurima Deo accepta & ſanctæ Eccleſiæ vtilia ſub Anſberto ſanctiſſimo Archipræſule diſpoſita ſunt, interfuiſſet: cùm annos viginti quatuor tanto cum fœnore gratiæ Eccleſiam ſuam gubernaſſet, non iam Aquilinus hoc eſt aquilæ pullus, ſed magna ipſe factus aquila, meritorum inſtructus pennis, binæque ſubuectus charitatis alis, ſuperna petiit regna, atque in arcem gloriæ penetrans, vbi cœli volucres, inter ligna vitæ, ſecus fluenta æternæ voluptatis nidificauit, perennis quietis conſecutus eſt donatiuum. Eodem die ſancti ETHBINI Diaconi & Confeſſoris, ETHBINVS. qui Armoricæ alumnus prouinciæ in tertia Lugdunenſi, patre Entio matre Eula in Dei lege timoratis, fauſtis cœli auſpiciis genitus, cum lacte, pietatis ſuccum imbibit: ab ipſáque infantia nonnulla prodidit futuræ ſpecimina ſanctitatis & gloriæ. ætate verò ineunte, cœlo quàm ſolo pronior, eximio religionis ſtudio, & cultu omnis virtutis, emicuit. Quamobrem poſtquam pij tramitis metam pater eius attigiſſet: mater quæ ſub lege viri, Dei placita ſemper quæſierat, aſſumpto ipſomet filio vix adulto ad ſancti Samſonis, celebris fama Antiſtitis Dolenſis veſtigia conuolauit, à quo ſuſcepto ſacro velamine, ſe quidem diuinis obſequiis dedicari, filium verò clericalem in militiam adſcribi deuotis ſupplicationibus promeruit. Sic Ethbinus maturè ſegregatus à ſæculo, iam tunc mente totus cœlo defixus hærebat: cùm die quadam beato ipſo Pontifice ad aram ſacris operante Hunnerus eius Diaconus lectionem Euangelicam recitaret, qua ſi quis Chriſti velit eſſe diſcipulus admonetur, omnia deſerere, ſéque ipſum amore proprio exuere. Hanc vocem quaſi fuſam ore dominico, nec ſecus quàm ſibi vni directam accepit adoleſcens piiſſimus. Móxque cunctis abiectis, Chriſti vt iugo ſe im-

pedimentis vndequaque expeditum penitus manciparet, *Quinianum* adiit notæ ſanctitatis Abbatem, à quo pro voto Chriſti ſeruorum teſſera donatus, religioſæ diſciplinæ inſtituta complexus ac perſecutus eſt: tanta felicitate vt nouus tyrunculus, veteranis iam facem ad ſtudium & ſtadium omnis virtutis & ſacræ obſeruantiæ, præferret. Vnde & ſuffragantibus meritis, ad gradum prouectus diaconatus, beato Vvinualoco aſcetæ illius cœnobij, ac ſacerdoti ſanctiſſimo, ſubſidiarius diuini muneris, & aſſecla indiuiduus adlectus eſt. Mos erat Vvinualoco, vt placabiles hoſtias tam pro viuis quàm defunctis pacatiori mente immolaret, ad Eccleſiolam ſecretam à clientum frequentia & ſtrepitu vno ferè milliari à monaſterio frequentiùs pergere. Eò dum itaret aliquando, ipſúmque Ethbinus ex officio comitaretur: Chriſtus huic occurrit ſpecie miſeranda leproſi obuelatus, quem flebili voce opem poſcentem multa charitate complexus Ethbinus, ipſóque monente Vvinualocus oſculatus eſt. Id obſeſequij gratanter adeo admiſit, qui in paupere ſe diligi ac foueri vult Dominus, vt vtrique illico rependerit non fictæ præmium charitatis. Euolans enim Chriſtus ipſe ex eorum amplexibus, mox coruſcans in nube iiſdem apparuit, affatúque benigniſſimo pollicitus eſt, ipſos iam indelebili charactere vitæ libro adſcriptos fore regni ſui cum beatis participes. Quod lætum iam ſtatæ ſalutis & repoſitæ gloriæ nuncium, Ethbinus ipſe ex tenuis de ſe exiſtimationis iudicio, Vvinualoci acceptum meritis cenſuit. At is viciſſim in illum refudit, pari humilitatis ſtudio ambitioſóque æſtu charitatis. Sic ambo multa cum mentis lætitia ad monaſterium reuerſi diuina quidem ſibi viſa, ſilentio mutuo ſuppreſſerunt: ſed ex repromiſſo præmio ſibi inuicem calcar addentes, alacriores multò quàm antea in Domini famulatu perſtiterunt. Irruentibus interea in Armoricam Francis hoſtili incurſione, Ethbinus pacis filius, quietam vt ſtationem ad Chriſto fruendum reperiret, ſolum vertens in Hiberniam tranſmiſit. Hic appulſus in Nectenſi Sylua tuguriolum conſtruxit ex viminibus & culmo, cum oratorio, quod ſancti Syluani Martyris patrocinio addixit. Ibi dum *ſe ſupra ſe leuat*, abſtractione rerum caducarum tam ſeria, quàm intenta diuinarum æternarúmque meditatione, continua ferè oratione, ac mirabili victus parcimonia: (inuinius enim non niſi quinta feria cuiuſlibet hebdomadæ, panis & aquæ tantillum ad refocillandum corpuſculum ſumebat) quò ab hominibus hac ſtudioſa diuinæ virtutis imitatione fieri cœpit remotior: eò ſenſim Deo proximior euaſit, cuius etiam ſuperna teſtificatione, meruit ſubinde clarificari. Tametſi

metiſi enim vehementer latere cuperet, mundíque conſpectum ac exiſtimationem fugere, cœlitus tamen effectum eſt,vt nolens inuitúſque diuina cum opera patrare cœpit, ſanctitatis inſignia glorioſa ipſo haud quæſito ſignorum ſplendore patefaceret. Et maximè quidem, cum delato ad ſanctæ Brigittæ ſepulchrum paralytico adoleſcente, diuino oraculo iuſſum fuit eius matri,vt ſi filij optaret ſoſpitatem, ad Chriſti ſeruum fidelem Ethbinum degentem in nemore venerabunda ſe conferret, cuius prece filio protinus incolumitas perfecta redderetur. Quod monitum illa exequens, renuentem ex humilitate Dei virum, ita pia improbitate fatigauit, vt demum oratorium ingreſſus, diuinam vt opem afflictæ conciliaret: mox ac affuſus altari puri cordis obtulit libamina, hoc eſt flagrantes orationum ſuffitus, plena ſanitas paralytico abſenti iacentique in lectulo fuerit diuinitus reſtituta. Qui confeſtim receptis integris viribus ad matrem feſtinus in ſyluam accurrit, exiliénſque ad pedes ſancti viri procidit, alto præconio obteſtatus, ſe eius meritis repentinam hanc prorſúſque miram recepiſſe ſanitatem. At ille laudis impatiens, omnem Deo gloriam ab eo referendam admonuit, è cuius ſola miſericordia & infinita virtute, manaſſe non ambigeret, prodigioſæ huius curationis beneficium. Propriæ enim vt gloriæ ſerius aſpernator, ſic cultor diuini honoris vir beatus ſemper feruentiſſimus fuit. Vnde & plurimos quos acciuit in eremum pios diſtrictæ ſuæ conuerſationis æmulos, ſibi non tam peperit filios, quàm deuotos Chriſto famulos præſtare ſtuduit. In cuius regia ſeruitute ætate tandem conſumpta, ſuprà octogenarius, migrationis ſuæ deſignata fratribus die, quam cœleſti ſpiramine nouerat, breui confectus morbo, ſed roboratus immortalitatis viatico, fidei præditus ſpiritu, ſpei Chriſtianæ animatus fiducia, igneque diuinæ charitatis intus extráque decoctus, hac ex labili luce, dum preces ante altare miris pietatis affectibus profunderet: ad æternum & indeficiens tamdiúque optatum quamdiù emeritum cœleſtis gloriæ lumen, vitæque beatæ fontem perennem ouans pertranſiuit. Efflato autem immaculato ſpiritu, corpus puriſſimum tam pretioſæ gemmæ vaſculum: ſicut diſcipulis circumſtantibus vir beatus moriens iniunxerat, prope altare ipſum conditum eſt. Ex quo tot exinde miracula coruſcarunt, vt fratres de eius æterna glorificatione iis diuinis iudiciis edocti, piis à ſuffragationibus quas in animæ expiationem, vir ipſe verè humilis enixè flagitauerat, deſtiterint: rati non ſuffragiis iuuandum, cuius nota exploratáque ſupernis teſtimoniis felici-

tas, poſcentibus quibuſque illius opem, tot præſidia conferébat. Oſſa tanti cœlitis poſtea in Galliam ad patriæ munimentum reuecta apud Rotomagenſes, in vici de Pormort Eccleſia quam in eius honorem fidelium pietas excitauit: digno Dei amici cultu repoſita ſunt, vbi nunc vſque caput eius venerabile, hierothecæ argenteæ inditum omni religione adſeruatur. Maxilla tamen ex hoc decerpta in collegiata Eccleſia ſanctæ Deigenitricis apud Vernonium ad Sequanam oppidum eiuſdem tractus viſitur, eo quo decet honore recondita. In pago Bituricenſi ſancti DESIDERII Preſbyteri & Confeſſoris diſcipuli ſancti Sigiranni: à quo in Longoretenſi cœnobio quod extruxerat paterno affectu ſuſceptus, teſſeráque religioſa quam multo cum gemitu flagitauerat donatus, tanta ſub eius magiſterio ſanctitatis coruſcatione enituit, vt ad nouum monaſterium, eodem in ſolo ab ipſo Sigiranno, affluentem alumnorum multitudinem diſpertiente, erectum dirigendum, iam ſacerdos ob merita conſecratus, deſtinaretur. Vbi ædificata ſancti Martini ædicula, ſocietatem Deo gratam conſtituit. Hinc amore diuinæ contemplationis, quo turbas ad ſe confluentes declinaret, in cellula ſe recluſit: cœnobio nihilominus inde cura paſtorali proſpiciens. Ita tamen in pauperes affectus, vt pecuniam quam pij quíque ad eum conferebant egenis continuò largiretur. Nec modò afflictos eleemoſynis iuuabat pius pater, ſed diuina fretus virtute miris etiam ſubleuabat officiis. Signo etenim crucis cæcum à ſe poſcentem ſtipem illuminauit. Alteri, inuocato Chriſti nomine, lumina reſtituit. ſpectra, quibus liuidus dæmon ipſum nitebatur exterrere, obiecto ſignaculo ſalutis illico diſſipauit. Viſis etiam frui meruit ſupernis. Siquidem imminente felici tranſitu Sancti Ioannes Baptiſta & Paulus Apoſtolus ipſi apparuerunt, coronam gemmis rutilantem offerentes, ad cuius poſſeſſionem mox in Dei regno ineundam, blandè illum inuitauêre. Hora igitur obitus impendente, fratres conuocauit, hóſque ad mutuam charitatem, & ſacri inſtituti obſeruantiam feruenter adhortatus, ex hoc mundi cœno, ad cœlum traductus eſt: ſubſequentibus miris promptæ in clientes ſuos opitulationis ſubſidiis, quæ funus & tumulum eius admodum colluſtrauerunt. Diuione tranſlatio ſacratiſſimi corporis beati BENIGNI Preſbyteri & Martyris, Burgundiæ Apoſtoli. Quando Hugo IIII. Benignianus Abbas, cognomento *de arcu* illud tranſuexit in nouam baſilicam, à ſe ampliſſima fabrica & præſtanti opere conſtructam. Cùm illa iam vetuſtate collapſa eſſet, quam ad tanti

DESIDERIVS.

BENIGNVS.

Martyris cultum, & pretioſi eius pignoris tutelam ac venerationem ædificauerat ſanctus Gregorius Epiſcopus Lingonenſis: qui pretioſum corpus hierotheca argentea incluſit, cum hac reperta epigraphe in plumbo literis prominentibus exarata, quam beata Leonilla cùm id ſepeliret in loculo cum ipſo condiderat. *Hic requieſcit corpus S. Benigni preſbyteri & Martyris.* hanc autem eandem laminam ipſe Hugo in reſerata capſa Martyris inuenit, cum eodémq. corpore repoſuit, ducentis & ſuprà annis poſtquam à Renigero memoratur S. Anno Archiepiſcopus Colonienſis, S. ipſius Benigni corpus è Burgundia Coloniã tranſtuliſſe: cum ſacris Martyrum Tergeminorum exuuiis, quæ in hunc vſque diem in cœnobitica ipſorum baſilica prope Lingonas magna cum pietate conſeruantur. At nec illorum, nec ſancti Benigni vllæ reliquiæ Coloniæ habentur, vel coluntur, vt ex ſacrarij illius vrbis indice liquidò apparet. Ipſo die Turonis reuelatio ſancti GATIANI Metropolis illius primi Pontificis. Duaci tranſlatio ſancti AMATI Archiepiſcopi Senonenſis, quando ob incurſiones Normanorum è Broylo cœnobio, vbi obierat exul, ad primariam illius oppidi, cuius iam patronus eſt, Eccleſiam eximio cultu aductus, ac reconditus eſt, annuente Carolo Caluo Chriſtianiſſimo Rege, flagitante Balduino Comite, agente Ioanne Attrebatenſi Epiſcopo, qui ex ſynodico Epiſcoporum Remenſis prouinciæ decreto, aſcetas Broylenſes ad cultum & tutelam tam pretioſi pignoris, Duacum tranſtulit, eóſque illic iuſſit degentes, priuilegiis & cenſibus potiri. Cæterùm venerandum tanti cœlitis corpus magna celebritatis pompa thecæ inſigni impoſuit. Vbi quantis virtutibus beatus ipſe hoſpes coruſcârit, quibus claritudinem loco & ſecuritatem, ſibi verò tutelam ædis oppidíque conciliârit: magnámque circumquaque opitulationis gloriam, ſcripta hac de re à grauiſſimis auctoribus per temporum ſeriem monimenta clariſſima prodiderunt. Andegauis tranſlatio S. MAVRILII facta ad petitionem Griſegonelli Comitis per Neſindum Epiſcopum Andegauenſem: qui glebam beati Confeſſoris vt honorificentius quieſceret tranſuexit ad baſilicam ſancti Mauricij. Ipſo die tranſlatio ſanctæ AVSTREBERTÆ Virginis, Pauliacenſis Abbatiſſæ. Quæ cùm in illius monaſterij Eccleſia humata fuiſſet: Deo ancillæ, imò fideliſſimæ ſponſæ ſuæ merita honorante, ne artus puriſſimi quibus hæc ipſi fuerat per corporis ſui hoſtiam viuentem, ſanctam & beneplacentem, rationabili obſequio famulata, in puluere ſordeſcerent: Angelico monitu pio cuidam viro præcepit: vt corpus ſacrum cuius anima inter cœli ciues cooptata, gloria immortali fruebatur, de

GATIANVS. AMATVS. MAVRITIVS. AVSTREBERTA.

tumulo in quo iacebat leuati procuraret: quatenus gemma tam pretioſa, propatulo expoſita, fulgoribus ſuis animas fidelium illuſtrando, ad ſupernorum bonorum ardorem, & diuinæ bonitatis amorem accenderet. Idque ocyùs ſatageret, quoniam iam ſepulchri moles, vetuſtate ſoluebatur. Quam diuinam iuſſionem cùm ille ſegniùs exequeretur, iterato mandato compulſus B. Hugonem adiit Rotomagenſem Pontificem, cuius permiſſu res peracta eſt, ſublato ſanctiſſimæ Virginis de ſinu terræ corpore, ad cuius eleuationem diuinæ magnificentiæ mirabilia effulſerunt: fugatis repentè dæmoniis ex energumenorum corporibus, erectis paralyticis, infirmíſque aliis pleriſque perfectæ ſanitati reſtitutis. Ob quæ diuina beneficia ipſe tranſlationis beatiſſimæ illius Virginis dies, iam tunc perenni in poſterum cultui anniuerſario conſecratus eſt, qui nunc vſque venerabilis perſeuerat. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confeſſorum, atque Sanctarum Virginum.*

Helias. PERREXIT ad Chriſtum feliciſſimo tramite HELIAS Sacerdos, Parœcus Eccleſiæ ſancti Mauricij in Conſtantienſi Præſulatu, vir admirandæ abſtinentiæ, patientiæ, caſtitatis, miſericordiæ, pietatis & innocentiæ, quem viuum & defun-
Amadeus. ctum diuina operatio clarificauit. Obiit AMADEVS Dominus Albæ ripæ, in Bonæuallis cœnobio Viennenſis diœceſis factus humilis aſceta, deinde Preſbyter ob Angelicos mores creatus: quo ſacro munere ita piè functus eſt, vt omni die immortalem hoſtiam Deo cum lachrymis obtulerit. tantùm precibus is valuit, vt quicquid peteret pro ſe vel aliis, impetraret: cuius ſanctitatem etiam
Elizabeth. non pauca miracula prodiderunt. Leodij pura clauſit lumina beata ELIZABETH Virgo Hemmiterodenſis: Paſſionis Domini aſſidua meditatrix, cuius etiam ſtigmatibus meruit inſigniri.

Decimo tertio Kalend. Nouembris. Luna

20 F iii.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	p	q	r	ſ
28	29	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
16	17	18	19	20	21	22	23	22	23	24	25	26	27			

SS. LAZARVS. AVGVSTODVNI Æduorum releuatio corporis ſancti LAZARI Chriſto dilecti Epiſcopi & Martyris: facta temporibus Ludouici VII. Regis Chriſtianiſſimi, pietate Humberti ex regio Francorum ſtemmate eximij Epiſcopi Æduenſis, qui capſam tanti cœlitis ſolemniter reſerauit, aſſiſtentibus Galtero Cabilonenſi, Pontio Matiſconenſi, Gofrido Lingonenſi, Epiſcopis: Raynaldo Ciſtercij, Pōtio Vezeliaci Abbatibus, præſenteq. Odone Duce Burgundiæ & Guillelmo Comite Cabilonenſi: confluēte innumera Clericorum, Equitum populiq. ex circumpoſitis regionibus infinita multitudine, qui odore fracti alabaſtri percepto,

multa cum gratiarum Deo reddita actione ad propria redierunt.
Agenni Nitiobrigum Feſtiuitas ſancti CAPRASII Epiſcopi & Martyris: cuius cum ſanctæ Fidis Virginis purpuratæ, pridie Nonas huius menſis triumphantis, communis vt fuit pugna: ſic vna eadémque extitit victoria. proindéque ceu indiuiduum vtrique manet præmium, ita idem præconium: quod ſignato die vno eodémque encomio complexi, grata quidem mente, at inconcini calamo expreſſimus. Eodem die Ambiani natalis ſancti MAXIMI Diaconi & Martyris. Hic fide plenus, martyrij deſiderio flagrans, coniurantibus pietatis hoſtibus ſe palam oſtendit. Quamobrem comprehenſus, in quæſtionémque datus, cùm de Chriſtiana religione conſtanter reſponderet: primùm tortus equuleo, deinde fuſtibus cæſus, poſtremò obrutus ſaxis, coronam honoris & gloriæ pro fortiſſimo agone recepit à Domino. Sueſſione ſancti AGRICOLÆ Epiſcopi & Confeſſoris: meritorum gratia magis quàm geſtorum claritate glorioſi. Eodem die ſancti ADERALDI Trecenſis Eccleſiæ Archidiaconi, ſub Manaſſe Præſule, à quo ob Sanctorum morum ſimilitudinem præcipuo amore habitus, non modò Archileuitæ officio honoratus eſt: ſed quaſi in Epiſcopatus conſortium aſſumptus: ita vt omnia ex eius ſapienti conſilio Præſul ipſe dirigeret. Cuius religioſo ſuaſu & perpeti inſtantia Clericos matricis Eccleſiæ ſæcularibus nimis rebus implicitos, atque vix ſocietatis fraternæ nomen ſolum retinentes, ad canonicæ vitæ obſeruantiam & victus communitatem prouidè iuxta ac piè & fructuosè reuocauit. Abeunte autem Manaſſe ad ſuperos, Aderaldus pio feruore ſuccenſus, Hieroſolymam perrexit viſendi gratia Chriſti adorandum ſepulchrum. Compos voti cùm ad patriam rediiſſet, in monimentum ſuæ peregrinationis & fomentum deuotionis, ſacram ædem ſancti ſepulchri octauo ab vrbe ipſa lapide conſtruxit. Inſiſténſque operibus iuſtitiæ, cùm ſarcinam mortalitatis exuiſſet, ibi ſicut optauerat ſepultus eſt: vbi non pauca gloriæ qua beatus fruitur teſtimonia diuinitus edita ſunt. Pignora inde eius rutila miraculis, eleuata ad cultum, memoriáque eius iam olim venerationi conſecrata, quotannis in diœceſi Trecenſi eſt hac die celebris. Et iure quidem à maioribus dignus cenſitus eſt hoc honore, *cuius vita* (ait priſcus & religioſus ſcriptor) *lux fuit ſæculi; gloria honor Eccleſiæ, & mors vtiliſſimum Chriſtianorum documentum.* Ipſo die depoſitio S. SYNDVLPHI Preſbyteri & Confeſſoris, qui cùm in Alſontia villa territorij Remenſis incluſus, procul à ſæculi inquinamentis animam Deo puram, carnémque mundo crucifixam immolaſſet: iam æternitatis candidatus, & ciuium ſuperno-

CAPRASIVS.

MAXIMVS.

AGRICOLA.

ADERALDVS.

SYNDVLPHVS.

rum conſortio dignus, felicis abſorptus mortis ſopore, ad optatiſſimam Regis gloriæ tranſiuit viſionem. Cæterùm poſt beatam migrationem innumeris ſignorum virtutibus ſanctum eius corpus reſplenduit: ob quæ varia per diœceſis loca ad opitulationem traductum, demum in Altouillari cœnobio depoſitum, perennes exeruit meritorum fulgores. Cuius præſidio cæci, muti, claudi, contracti, debiléſque ſanati, venerationem illi debitam ſua teſtificatione & obſeruatione rependerunt. Lutetiæ Pariſiorum in Pratenſi ſancti Germani Cœnobio ſuſceptio corporum

Georgivs, Avrelivs & Natalia. Sanctorum Georgii Monachi, & Avrelii, necnon capitis ſanctæ Nataliæ, Cordubæ in Hiſpania, ſub Saracenica perſecutione, pro fide Chriſti necatorum. Quorum certamina & triumphum nobili encomio celebrauit ſanctus Eulogius Preſbyter Cordubenſis, qui eorum agonem conſpexit: qui & ipſe ſub Mahomad Arabum Rege pro Chriſti gloria martyrium nobile, cùm deſignatus eſſet Archiepiſcopus Toletanus conſummauit vigeſima Septembris: cùm vigeſima ſeptima Iulij prælibati athletæ trophæum ex pugna extrema retuliſſent. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confeſſorum, atque Sanctarum Virginum.*

Duodecimo Kalend. Nouembris. Luna

21 G II.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
29	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
17	18	19	20	21	22	23	24	23	24	25	26	27	28			

SS. Vrsvla & eius ſociæ. NATALIS Sanctarum Vrsvlæ & ſociarum eius: quæ cùm in Hunnorum qui Gallias oppreſſum ibant, barbaras manus incidiſſent: cùm pro fide Chriſti quam profitebantur, tum pro pudicitia ſeruanda nouam & mirabilem pugnam ineuntes, glorioſóque martyrio occumbentes, ad duplicatæ coronæ præmium abierunt, Vrſula duce, cuius hortatu egregiè animatæ, vitam & omnia ſupplicia, fidei & caſtitatis ſtudio poſtpoſuêre. Quatum palmis Colonia Agrippina maximè gloriatur. Gallia verò hinc diſperſis per varia Eccleſiarum ſacraria pretioſis gaudet exuuiis: quarum & patrocinio Sorbona apex Chriſtianæ ſapientiæ, vrbíſque Regiæ Galliarum potiſſimum decus, iampridem conſecrata, iuſta hodie venerationis officia beatæ earum memoriæ rependit. In Brabantia territorio Antuerpienſi pago

Odelbertvs. Oiſterhautio natalis ſancti Odelberti Martyris innocenter

occiſi. Cuius mors quantum coram Deo precioſa fuerit: micantia ſupernæ gloriæ ad eius tumulum lumina oſtenderunt. Colitur vt ſecundarius illius loci patronus, clientibúſque ſuis opportunè opitulatur. Claromonte Aruernorum ſancti IVSTI Confeſſoris, qui (vt Gregorius Turonenſis ſcribit) nomine & merito iuſtus, ſancti Illidij Archidiaconi curſu vitæ bonis operibus conſummato, magiſtri tumulo meruit ſociari. Cuius & nomen pridem Sanctorum albo inſcriptum, anniuerſariis ſacris de more maiorum hodie celebratur. Huius precioſos cineres Aibertus Epiſcopus Aruernorum anno Domini milleſimo trecenteſimo vndecimo, dum Sanctorum Illidij & Venerandi reliquias è terræ viſceribus erueret, inueſtigauit, nec reperire potuit. Fortè quod cùm ſancti Illidij puluere permixti eſſent, quia ita proximè ei conſepultus fuit, vt ſicut in vita vno corde ac animo vixerant: ſic poſt mortem vno eodémque loco (ſi non & loculo) ad communem quietem clauderentur. Ipſo die Lugduni ſancti VIATORIS Confeſſoris, quo miniſtro ſanctus Iuſtus illius ciuitatis Epiſcopus, in eremo Ægypti vſus eſt. De hoc beato id memorabile proditur: quod cùm ſanctus ille Pontifex iam ad extrema deductus cœlo dignam animam ferè iam exhalaret: Viator ſolutus in lachrymas vicem ſuam deflere cœperit, apúdque ſanctum Patrem expoſtulauerit, cur ipſum deſolatum relinqueret. Cui beatus Iuſtus reſpondit: *Ne turberis fili tanquam ſolatio deſtitutus, non ita multò pòſt, me ſequeris.* Quod ita planè ſucceſſit. Etenim ſecundo menſe vix dum elapſo adiunctus eſt ſancto Iuſto Viator, non iam peregrinationis aut exilij, ſed beatitatis comes: cúmque ſacra ſpolia beati Pontificis Lugdunum ex Ægypto reuecta ſunt, oſſa ipſius Viatoris ſimul allata, atque in Machabæorum æde, vnà fuere condita, vt ad indicandam ipſius Viatoris iam beati felicitatem, Ado & Vſuardus aliíque Sanctorum memoriæ illuſtratores teſtantur. Lauduno Clauato ſanctæ CILINIÆ, matris ſancti Remigij Archiepiſcopi Remenſis, Francorúmque Baptiſtæ & Apoſtoli glorioſi. Quæ matrona venerabilis caſtitate, fide, charitate & pietate ornata: cùm in ipſo ætatis flore Æmilio viro pernobili iuncta fuiſſet à parentibus ſacro connubij fœdere: ita cum eo vixit, vt Deo ſimul & viro religione & prudentia complaceret. Virum enim ita coniugali ac pudico amore proſequebatur, vt ſupremos Deo ſeruaret affectus: ad cuius timorem & cultum omnia referebat; maritíque animum in eius flectebat obſequium. Ex cuius caſto complexu facta mater, in adoleſcentia peperit ſanctũ *Principium*, magnæ religionis Epiſcopum Sueſſionenſem: qui ante Præſula-

IVSTVS.

VIATOR.

CILINIA.

tum vxoratus, *Lupum* genuit paris ſanctitatis Antiſtitem, qui patri non carnis traduce, ſed pietatis admirandæ meritò, illa in ſede ſucceſſit. At verò Cilinia cùm iam ætate prouecta eſſet, vírque eius Æmilius effœtus ſenio, à Montano ſanctiſſimæ vitæ Anachoreta ſibi diuinitus deſtinato, mirum & prorſus inexpectatum nuntium accepit. nimirum quod licet anili eſſet ætate, breui prolem conciperet, & ſignato tempore pareret: filium vtique Deo dilectum, qui deſideratum Gallicanæ Eccleſiæ, barbarorum incurſionibus deſolatæ, ſolatium afferret, Regéſque & populos in Chriſti cultu edoctos, pietatis perpetuo fœdere conſecraret. Quóque rei inſolitæ & naturæ vires legéſque ſuperanti fidem faceret Dei ſeruus, qui corporis luminibus orbatus erat, adiecit: *Se tandiù luce priuatum iri, donec pia Cilinia benedictam ederet ſobolem: tum verò fore, vt oculi ſui, lacte nouæ puerperæ his infuſo, amiſſum lumen reciperent.* Omnia ex diuino oraculo, vt prædixerat Montanus, ſucceſſerunt. Cilinia enim puerum enixa eſt, cui nominato antequam nato *Remigij* nomen impoſuit. Montanus verò fotu noui lactis refuſum lumen aſpexit. Et Remigius tot præuentus benedictionibus, ipſa ab infantia primitiarum gratiæ quibus præditus erat, indicia prodidit. Vaticinia deiude omnia progrediente ætate, mirificè adimpleuit. Cæterùm Cilinia quæ eum ex repromiſſione diuina ſuſceperat, editúmque in lucem ſolicitè Deo educauerat: omni pietate cumulata ad meritorum præmium, quieto fine emigrauit. Ipſo die

CELINIA. Meldis ſanctæ CELINIÆ Virginis. Hæc nobili familia prognata, óbque venuſtatem ab illuſtri iuuene in coniugem expetita, cum ſancta Genoueſa Meldis degeret, ſe in eius amicitiam inſinuauit: cuius diuinas virtutes mirè ſuſpiciebat. Huic cùm ſe abhorrere à nuptiali iugo, & flagrare Chriſti deſiderio prodidiſſet, caſto in propoſito ab ipſa adeo obfirmata eſt, vt adoleſcentis qui cupidius ſuas nuptias vrgebat, ſpei poſſe obſecundare palam abnueret. Nec id ſolùm, ſed quo ab omni eiuſmodi impedimento ſe ſemel immunem redderet, ſanctiſſimam Virginem rogauit, vt mutato ſæculari habitu, ſibi teſſeram ſacræ profeſſionis imponeret, ſuámque cooptaret in ſocietatem. Piis ingenuæ puellæ votis beatiſſima Virginum pædagoga, aſpirante Chriſto aſſenſit, ſacróque velamine amictam, admiſit in ſodalem. Sed vbi id reſciuit procus ille iuuenis, mox furore æſtuans Meldas aduolat, dira in Genoueſam meditans, quæ Celiniam ſuum in cœtum acciuerat: porro dilectam puellam quà vi, quà prece ſibi vendicaturus in coniugem. Hunc aduenisse ira plenum vbi ambæ Chriſti famulæ cognouiſſent: furorem inſanientis vt decli-

narent: diuinum ſub præſidium confugêre. Eccleſiam feſtinæ petunt, cuius occluſas offendunt fores, inſequente iuuene, qui iamiàm cum valida manu aduentabat: cùm ecce repentè baptiſterij ianuæ ſacræ, tremulis Virginibus patuerunt ab Angelis reſeratæ. In quod admiſſæ ad tutelam, mox adyta clauſa furenti proco ſociiſque apparuêre. Concuſſit perſequentis animum tam ſtupendus occurſus. Quem diuinæ virtuti tribuens, cui impium ſit repugnare, in pace puellam dimiſit, atque ſic ad propria, immunis à ſcelere, & inani expectatione regreſſus eſt. Porro Celinia voti compos, prorſúſque libera ſeſe æterni ſponſi amoribus totam addixit: moréſque ſanctæ Genouefæ (quæ ancillam ſuam biennio iam languidam digna prece ſanauerat) ſtudioſè imitata, in ſe virtutum eius transfuſas virtutes ſic expreſſit, vt viuam ipſius referret quà voce, quà habitu, quà omni conuerſatione imaginem. Igitur ſancta Virgo tot monilibus gratiæ adornata, tot prædita caſtitatis, fidei, pietatis & innocentiæ meritis, tandem ad diem peroptatum peruenit, quo dilectam ſponſi cœleſtis faciem, ex qua fluit omnis felicitas & gloria, conſpectura erat. A quo in cœlum inuitata & ſuſcepta, aulam ſupernam, vbi ſponſæ virgines perennes cum ipſo Rege gloriæ nuptias agunt & celebrant, feliciter ingreſſa eſt. Cuius benedictum nomen Meldenſis Eccleſia iam ab hinc ſuis in faſtis retinet conſcriptum, ad perpetuam eius memoriæ venerationem. Eodem díe cœnobio Sithiu in Morinis Inuentio ſancti AVDOMARI Epi- AVDOMARVS.
ſcopi Taruanenſis & Confeſſoris. In monaſterio Fontanellæ ſancti CONDEDI Monachi, diſcipuli ſancti Lamberti illius loci cœ- CONDEDVS.
nobiarchæ & Confeſſoris, viri Angelicæ vitæ imitatoris, Sanctorum Cynomarli, Zacchæi & Ioannis pædagogi, Balſinnacæ inſulæ conſecratoris, illícque fundatoris (pia Theodorici Regis ope) baſilicæ in honorem ſanctæ Mariæ Deiparæ: Eccleſiæque ibidem Apoſtolorum Petri & Pauli conditoris, in qua poſt admirandæ peregrinationis decurſum digno funere ſepultus, miracula quibus claruerat ante mortem, agno afflictorum ſolatio perennauit. In tractu Turonenſi ſancti VVLFI conuerſi viri miræ VVLFVS.
ſanctitatis. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confeſſorum, atque Sanctarum Virginum.*

HODIE facta eſt apud Compendium reſeratio & propalatio dominicæ ſyndonis; hoc eſt ſacri & venerabilis linreaminis, quo corpus Chriſti ipſius ſeruatoris inuolutum, triduo in ſepulchro requieuit; Sacrario baſilicæ Sanctorum Martyrum Cornelij & Cypriani Compendienſis pridem à Carolo Caluo Imperatore illati ac conditi in vaſe eburneo: è quo id præſente Philippo I. Rege Chriſtianiſſimo, Mathildis pientiſſima Anglorum Regina, voto obſtricta, in capſam auro gemmíſque decoratam tranſponi fecerat, anno Chriſti milleſimo

nonageſimo ſecundo,magna cum multitudinis aſſiſtentium deuotione. A quo tempore pignus ipſum adorandum minimè è ſcrinio depromptum fuerat: donec anno ſalutis milleſimo quingenteſimodecimo ſexto, religioſa FRANCISCI I. Francorum Regis efflagitatione, ingenti cum apparatus celebritate elicitum fuit è ſanctuario, publicæque venerationi expoſitum per Focaldum de Boneual Epiſcopum Sueſsionenſem & Franciſcum Ambianenſem; aſsiſtentibus Ioanne S. Medardi Sueſsionenſis, Nicolao Vrſicampi, Abbatibus, & Fratre Guillelmo Parui Regis à ſacris Confeſsionibus, cum copioſo ſacerdotio, & Magiſtratibus, penéque innumera populi multitudine: quæ ſacratiſsimæ Chriſti paſsionis monimento, tanquam in ſpeculo, liuores quos pro humana redemptione perpeſſus eſt intuita, miris pij horroris concuſſa ſtimulis, magno cum religionis ſenſu ac ſpiritu, profusiſquo animæ gemitibus, ſtupendum opus diuinæ miſericordiæ ac patientiæ adorauit.

Vndecimo Kalend. Nouembris. Luna

22 A I.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
18	19	20	21	22	23	24	25	24	25	26	27	28	29			

SS. VALERIVS. IN territorio Lingonenſi apud Portum Buxinum paſſio ſancti VALERII Martyris, beatique Deſiderij Epiſcopi Lingonenſis itidémque Martyris diſcipuli. Qui (vt habet vetus illius Eccleſiæ hagiologium) Lingonicæ vrbis indigena, clariſſimis parentibus & patriciæ generoſitatis ſtemmate conſpicuis generatus, ab ipſo S. Deſiderio Archidiaconus (ob caſtæ montis decora) creatus eſt. Perſecutione autem Vvandalorum ingruente, hanc vt declinaret, cum aliis iter Sequanicum ingreſſus, ad Alpium Iurenſium perrexit partes, ibi aliquantulum temporis dum vis perſecutionis deferueſceret exacturus. At inde vergens quo cœperat itinere, peruenit ad locum, quem incolæ ex antiquo portum Buxinum appellitant: vbi à barbaris illis interceptus, vir in Chriſti confeſſione immobilis, dignáque Fidei victima, obtruncatione capitis immolatur. Cui Angelus in procinctu agonis apparens, ſtolam obtulit candidam, in proximæ pignus victoriæ. Ipſo

CORDVLA. die natalis ſanctæ CORDVLÆ Virginis, ex ſanctæ Vrſulæ ſodalitio. Hæc aliarum ſuppliciis & cæde perterrita, in naui ſe occultauit, vt ſe ab internecione ſubduceret. Cuius rei pœnitens, poſtridie mane ſe vltro patefecit, ſícque ſingulari certamine inſtaurato, coronam martyrij cum reliquis accepit. Cuius caput pretioſum Lutetiam Pariſiorum delatum, in Eccleſia parœciali Sanctorum Lupi & Ægidij (cuius tertia eſt tutelaris,) in ferculo argenteo auro illito, atque ad Virginis coronatæ, quæ ad pectus vſque extenditur, piam effigiem efformato, multa cum venera-

tione obſeruatur. Qua in Eccleſia colitur ipſa Virgo feſto ſolemni quotannis, Dominica proximè ſequenti ſanctæ Vrſulæ & eius ſociarum natalem. Cæterùm ipſius beatæ Vrſulæ ſacratiſſimus vertex, itidem Pariſiis in ſummo templo Deiparæ dudum religioſè collocatus, magna etiam ibi religione aſſeruatur. Sed & PANEFREDIS, SECVNDÆ & SEMIBARIÆ ex eadem cohorte athletarum veneranda cadauera, in ſacrario auguſtiſſimi cœnobij ſancti Dionyſij in Francia iampridem cum decenti cultu condita requieſcunt. Quin & Ludouicus octogeſimus Epiſcopus Lingonenſis Roberti Barri Dynaſtæ filius, conſanguineus autem Caroli VI. Francorum Regis, inter ſacra munera quibus Eccleſiam ſuam decorauit: reliquias ſanctarum FLORINÆ & VALERIÆ de Collegio earumdem vndecim mille Virginum dedit, multo auro argentóque ornatas. Quarum ideo annuam ibi commemorationem inſtituit. Ipſo die Rotomagi ſecundæ Lugdunenſis Metropoli ſancti MELLONIS Epiſcopi & Confeſſoris. Is ortu Britannus, cùm Romam patriæ tributum ſoluturus veniſſet: Stephanum Pontificem indéque Martyrem, de redemptoris aduentu & peracta per eum in cruce ſalute, fidéque & ſpe Chriſtiana diſſerentem audiens, diuina illuſtratus gratia baptiſmum ab ipſo popoſcit & ſuſcepit. Itáque animitus ei adhæſit perfectæ vitæ cupidus, vt poſthabita ſæculi gloria, omnia quæ habebat, etiámque arma quibus militare cœperat vendiderit, preciúmque Chriſti pauperibus erogârit. Sic igitur expeditus à nexibus ſæculi, totúſque Chriſto deditus, in Cleri ordinem à ſanctiſſimo illo Pontifice aſcitus, etiámque ad ſacerdotium gradatim promotus eſt. Cùm autem quadam die ſummus Antiſtes ſacris operam daret, Mellóque Preſbyter ipſi adſiſteret: peracta diuina litatione, deſtinatus è cœlo nuncius à parte dextra altaris vtriuſque parens obtutibus, virgam paſtoralem Melloni porrexit: ſícque eum affatus eſt. *Accipe virgam paſtoralem, in qua reges Rotomagenſis populum ciuitatis, quæ ſita eſt in Celticæ Galliæ finibus: tibi enim locus ille præparatus eſt à Domino.* Cuius diuinæ iuſſionis conſcius Pontifex, mox Mellonem creditum ad munus direxit, Epiſcopali benedictione præditum. Sícque Roma abiens, nouus Moſes, cum cœleſti virga in Galliam iter feſtinus arripuit. Tum Chriſti gloriæ ac gratiæ cooperator mirificus, dum Autiſſiodori in tranſitu verſaret, hominem, qui caſu bipenni ſibi pedem in duas partes diuiſerat, myſtici baculi tactu, protinus ſanauit: non ſine ſpectantium ſtupore & diuinæ prædicationis quam ſigno præmuniuerat efficacia. Hinc tamen digreſſus, ne Spiritus ſancti miſſioni moram necte-

Panefredis, Secunda & Semibaria.

Florina & Valeria.

Mello.

ret: Rotomagum rectà contendit: vbi diuinum opus aggreſſus, Chriſti nomen incolis prædicare cœpit: tanta cum vi ſermonis, & ſignorum magnificentia, quam admirabilis augebat vitæ ſanctitas, vt breui dierum decurſu, omnem pene ciuitatem in fidei obſequium traduxerit. Maximè ex quo die, cùm populus falſo cuidam numini, nefando ſacrificio incumberet: ſuperueniens Mallo, igne cœleſti æſtuans acriter inſanam turbam de cæcitate arguit, quæ ſtipitem ſaxúmque pro Deo coleret: ſimulachrúmque, Chriſti nomine inuocato ac efformato crucis ſigno triumphali, illico deturbauit, atque ſolo verbo, in omnium conſpectu, minutas in partes diſſoluit. Attonitus hoc ſpectaculo populus, monenti aurem præbuit, veræ diuinitatis agnitionem, & ſpem immortalis vitæ ex ipſius immaculato cultu, annuntianti. Ingenti igitur ciuium multitudine fidei dogmatibus imbuta, ſacróque tincta lauacro, ibidem vnde dæmonem extruderat, Chriſto ſeruatori Mallo primum trophæum erexit: conditâ Eccleſiâ ſub ſupremæ Trinitatis inuocatione. In qua conuocatum qualibet die dominica fidelem populum, diuino in cultu erudiebat, ſacrificium incruentum offerebat, ac ſalutis ſubſidia ſuis ouibus impertiebatur. At cùm gregi Chriſti in dies numeroſa fieret acceſſio, externíque negotiatores, etiam diuino verbo ſe audientes præberent, in eorum gratiam aliam ſanctus Antiſtes ſacram ædem in Inſula, (quo locus ſacro conuentui opportunior eſſet) conſtruxit: cui ſancti Clementis indidit nuncupationem. Tertiam etiam ſuperaddidit, vt confluentium ad Chriſti ſigna ardori ſatisfaceret, quam ſanctæ Virgini Deiparæ venerationi ſacrauit: in qua & preſbyterio conſtituto, Epiſcopalis ſedis primordia iniit. Denique cum annis pleriſque Apoſtolico muneri inſtitiſſet, animarúmque myriades Chriſto, verbi ſalutaris ſemine vir beatus perperiſſet, iam dominicæ militiæ veteranus, æternam in requiem conceſſit: donatiuúmque à cœleſti Imperatore, cui ſtrenuè diúque magna cum gloria ſeruierat, meritis condignum, percepit. In ſuburbio autem tumulatus eſt ea in crypta, cui deinde ſancti Geruaſij Eccleſia ſuperpoſita fuit, digno ſcilicet mauſoleo. E quo tamen furente Danorum exitiali exercitu, interiorem in Galliam delatum ſacrum eius corpus, apud Pontæſiam Caſtrum reconditum eſt, vbi etiamnum magna cum nominis celebritate quieſcit in ſui nominis baſilica: quam ſplendor diuinæ virtutis, tanti athletæ memoriam illuſtrantis, iam olim excitauit. Mimatæ Gabalorum in Aquitania Natalis ſancti

LVPENTIVS. LVPENTII Abbatis baſilicæ ſancti Priuati. Hic ipſo ex tractu Gabalitano oriundus ex illuſtri genere, cùm à puero militiæ cœleſtis

cœleſtis ſe cingulo accinxiſſet, tantum progreſſu virtutum enituit, vt in baſilica ſancti Priuati Abbas conſtitueretur, ſacerdotióque etiam (quamuis ſublimis adeo gradus haud appetens) mereretur honorari. Non ſolùm ordinem, ſed ſpiritum ſimul induit ſacerdotij, ſua in conſecratione vir beatus, qui zelo animarum exardeſcens, aulæ perditos mores, è qua in populum ſcandala multa emergebant, liberè ac inſtanter reprehendit. Qua occaſione ab Innocentio Gabalitano Comite, qui pietati aduerſus erat, apud Brunichildem Reginam delatus eſt, quaſi de ea quædam contumelioſè effatus fuiſſet. Proinde venire iuſſus ad dicendam cauſam, crimen ita purgauit vt ſua innocentia & accuſatoris calumnia facilè cuiuis appareret. Quia tamen peroratâ causâ, priuatim Reginam conueniens, eius flagitia liberè arguiſſet: hinc conflato ab ea in ipſum odio, confeſtim ab aula diſcedere iuſſus eſt. At cùm in viam ſe dediſſet Dei ſeruus, ab Aginino & Rhodone impiæ Reginæ emiſſariis inſidioſè eius iuſſu interceptus, atque ad Ponticonem villam pertractus, multis impetitur ſuppliciis, deniq. ad Axonem fluuium tandem capite obtruncatur. Porro impij percuſſores, vt ſcelus iniquæ huius necis lateret: clam inſutum culeo cum lapidibus ſacrum caput, amnis fluctibus vt ſorberetur immerſerunt. Cadauer item ſaxo alligatum vinctum adhuc vt erat iniecerunt gurgiti. Emerſit tamen diuino iudicio truncum illud corpus, & quibuſdam paſtorib. indicatum, ab iis extractum è flumine mandatum eſt ſepulturæ. Porro dum neceſſitates funeris pararentur, aquila culeum è fundo amnis extulit, & pone corpus depoſuit. Stupentes qui aderant, culeum aperiunt, repertum venerandum caput reliquis artubus coniungunt, eodémque reponunt tumulo. Quem diuinum lumen poſtea circumfulſit, ſupernáque virtus Martyris merita propalauit. Etenim quiſquis infirmus fideliter opem eius deprecabatur, plenam mox accipiebat ſoſpitatem. Homicidas autem non à longè ira diuina ſecuta eſt. Rhodo ſiquidem dæmonio correptus interiit. Agininus aquis extinctus eſt. Ipſámque Brunichildem demum feroces equi diſcerpſerunt. Ipſo die Natalis ſancti Bertharij Abbatis Caſſinenſis & Martyris: qui origine Gallus, ſtirpe regia procreatus, virtutum omnium decore inſignis, à Saracenis Italiam populantibus multis cum ſociis trucidatus eſt. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum,* &c.

Dormivit in Chriſto piæ memoriæ Henricvs conuerſus Villarienſis, vir extaticus, multæque patientiæ & abſtinentiæ. Item obiit beatiſſimo fine Rodaldvs Epiſcopus Venetenſis in Armorica, ſanctitatis laude celebris. *Henricus.* *Rodaldus.*

Decimo Kalend. Nouembris. Luna

23 B *.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
19	20	21	22	23	24	25	26	25	26	27	28	29	1			

SS. SEVERINVS. BVRDIGALÆ ſecundæ Aquitaniæ Metropoli ſancti SEVERINI Colonienſis Epiſcopi & Confeſſoris illuſtriſſimi. Hic patria Aquitanus, abundans Spiritus ſancti donis, vt afflictæ in Belgica Gallia Eccleſiæ opem ferret, Tungros populos primùm adiit Epiſcopo orbatos, & Hunnorum aliorúmq. barbarorum crebris attritos incurſionibus, quin & Ariana hæreſi laborantes, à qua ſanctis prædicationibus & exemplis illos expiauit. Hinc Coloniam petens Agripinam, tractus illius caput (vnde hæreſis lues in circumuicinas plebes ſe effuderat:) Euphratem Epiſcopum tetræ huius contagionis auctorem, fidei lorica indutus, doctrinæ cœleſtis accinctus gladio potenter aggrediens, palam impietatis conuictum, ideóque celebri damnatum Synodo, Chriſti vti hoſtem, animarúmq. perditorem expulit. Cuius in locum Patrum ſanctiſſimorum qui Concilio interfuerant iudicio ſurrogatus, ſanctiſſimã Chriſti religionem propemodũ collapſam, breui iterum erexit, & omni virtutum genere florẽtiſſimam reddidit. Poſt hæc patriæ opitulandi affectu, cõſtituto ſui in locum *Euergiſlo* probatæ fidei & virtutis Antiſtite, Burdigalam natale ſolum rediit: vbi perhonorificè à S. Amando ſuſceptus eſt, qui diuino nutu ipſi vt digniori præſulatu cedens, quamdiù in viuis egit Seuerinus, omni pontificio abſtinuit. quo tamen, excedente ab humanis ipſo Seuerino, iterum fungi, ſuperno imperio iuſſus eſt. Sic igitur Seuerinus, qui cathedræ honorem ſtudio humilitatis abdicauerat, ſedem Pontificalem natiuæ vrbis conſcendere Chriſti decreto obſtrictus, noua gratiæ fœnora, miris facinoribus quæ edidit, nouo hoc in Epiſcopatu, pro caſtæ religionis vindiciis & iuſtitiæ ac pietatis incremento cumulauit. Ad extremum beatus Pontifex tot feſſus piis laboribus, æterni ad regni fruitionem: cuius (cùm tranſiret ad gloriam ſanctus Martinus Turonenſis ſibi amicitia coniunctiſſimus:) gaudia & melodiam Angelicis choris concinentibus prælibauerat, pro fidei & iuſtitiæ munere aſſumptus eſt. Optimum alumnum & parentem Burdigalenſis Eccleſia digno funere honorauit. At Colonienſi deinde Eccleſiæ pignora ſui quondam Antiſtitis pia deuotione repoſcenti, partem demum ſacrarum exuuiarum conceſſit: quæ in proprij nominis

eius Eccleſia conditæ, magnis diuinæ virtutis coruſcationibus radiarunt. Cæterùm Leo III. Pontifex cùm à Romanis expulſus ad Carolum Magnum profugeret, ſupplex Coloniam diuertit, viríque diuini (*qui*, vt ait, *proprij loci defenſor erat*) patrocinium religiosè interpellauit. Porro Hermanus Agripinenſis Præſul, ſacros eius artus tot prodigiis micantes è ſarcophago ligneo eruit, atq; maiori vt decore quieſcerent tranſtulit in feretrum argenteum, auro gemmíſque exornatum, quod Theobaldus Craſſelius ſedis huius ſuffraganeus, aliíque pij viri ex matricis Eccleſiæ Cleto, pretioſis rurſus donariis condecorârunt. Seruatur ibidem ipſius glorioſi Epiſcopi baculus paſtoralis: cum aliis religioſis ſpoliis, quæ vt beato tutelari ſplendorem conferunt, ſic maiorum in ipſum, pium venerationis affectum teſtantur. In Ambianis Natalis S. GRATIANI Martyris, qui admirabili quodam ſtudio pietatis incitatus, pro fide & iuſtitia dimicando, ſalutari in cõfeſſione fortis, immarceſſibilem victoriæ palmam promeruit. Item Ambiani S. DOMITII Preſbyteri & Confeſſoris: qui S. Vlfiæ Virginis, in deſerto pro tutela virginitatis, & deuoto Chriſti famulatu latẽtis, ſpiritualis pater & curator: iam veteranus belli ſpiritualis miles, illam qualiter dæmonibus reſiſtendum eſſet edocuit. Quam & ſingulis noctib. excitabat, vt ad matutinas aſſurgeret, ipſe quãquam ſenex ſemper ad diuinas laudes & officia peruigil & intentus. Cùm autem vocatus ad præmium, poſt diuturnam Chriſto exactam in eremo ſeruitutem, extremũ in morbum incidiſſet: deuota virgo animaduertens, quod ipſam non amplius ad nocturnam ſynaxim excitaret, ad cellam eius anxia tum demum perrexit, quem cùm valde ægrotantem reperiiſſet, concito gradu accerſiuit ſacerdotem, vt Dei famulo Eccleſiæ ſacramenta traderet. Quibus magno cum pietatis ſenſu perceptis, venerabilis ſenex, poſtquam filiam ſuam ſpiritualem ad perſeuerantiam fuiſſet adhortatus, glorioſum Deo reddidit ſpiritũ: ad cuius egreſſum cella ſuauiſſimo odore repleta eſt. Corpus eius beata Vlfia in ſacello ſuo curauit ſepeliri. Ipſa verò in ſanctis operibus perſeuerans, tandem ſancto fine quieuit, eodémque loco humata, ſignis quoque refulſit mirificis. Rotomagi ſancti ROMANI Epiſcopi & Confeſſoris. Hic filius Benedicti & Felicitatis è proſapia Regum Franciæ, ab ipſa pueritia præſtanti indole præditus, ad ſumma quæque & ardua virtutum culmina tendere viſus eſt: tótque ineunte ætate prætulit ſapientiæ inſignia, vt ſeipſum ſenili quadam maturitate tranſcendens, bene moratæ vitæ exemplis, & animi excelſi dotibus magnam de ſe exiſtimationem cuíque ingereret. Eam ob rem à Clothario magno, in aulam euocatus, ſecretis ab ipſo adhibitus,

GRATIANVS. DOMITIVS. ROMANVS.

regij etiam referendarij (quem poſteri Cancellarium nuncupârunt) ſublimi munere donatus eſt. Quo in officio non modò iuſtitiæ cultoris ſibi nomen, ſed religionis ac ſanctimoniæ decus, caſto Dei timore & innocentiæ ſtudio acquiſiuit. Adeovt cùm adhuc in regia ſæculari magiſtratu fungeretur miraculis iam clareſcere inciperet. Hinc factum vt Idulpho Rotomagenſis Eccleſiæ Præſule vniuerſæ carnis tramitem ingreſſo: Romanus à Clero & plebe illius Metropolis, feruenti efflagitatione in Epiſcopum poſtularetur. Nec petentibus optata negauit Clotharius Rex: cui gratum admodum erat delectos à ſe magiſtratus ad ſacerdotium appellari. Igitur Romanus ſacris infulis redimitus eſt, quas miro ſanctitatis ſplendore decorauit. Atque munus paſtorale à domo Dei incipiens, ſpurcitias omnes, ex corrupta diſciplina inuectas, ab Eccleſia excuſſit. Clerum gratis Chriſto moribus informauit, cultúſque diuini vt ampliaret decorem: Cathedralem Deigenitricis Eccleſiam, quæ ante exiguæ erat molis, magnifica ſtructura, quali nunc cernitur inchoauit. Hinc ad intenſiorem populi ſpeculationem ſe vertens, qui adhuc ſuperſtitionibus variis addictus erat, delubrum Veneris famoſum, in quo ſacra nefanda etiamnum exercebantur ſolotenus euertit: expulſis inde dæmonibus, qui arce ſua deturbati, procellis horrendis excitatis, flatibus & fluctibus vrbem paulò pòſt peſſumdare niſi ſunt. Sed re ad Romanum qui tum à Rege in aulam vocatus fuerat, perlatâ, feſtinè accurrens vir beatus: ſummo Chriſti numine inuocato, obiectóque ſigno crucis triumphali, dæmoniacam eliſit rabiem, inundationem repreſſit, auráſque vehementes diſſipauit. Draconem poſtea immanem, qui è ſylua ſuburbiis vicina ſæpè egrediens, ſtrages incolarum miſerandas faciebat, iniecto in eius collum orario, vinxit, vinctúmque viro homicidæ, qui ſolus ſibi in comitem datus fuerat, traducendum dedit in vrbem: in cuius foro Præſulis iuſſu immanis illa beſtia fuit combuſta. Sicque vrbe & regione tantæ calamitatis periculo erepta: beatus Antiſtes quietè ſalutis miniſterio defungens, Apoſtolicis prorſus chariſmatibus inſignis, felici exitu conſummatus, ad piorum laborum emeritam euolauit coronam, anno ſedis decimo tertio ſub Ioanne IV. Pontifice Maximo, & Dagoberto Rege I. Sepultus fuit in antiqua ſanctæ Mariæ æde: eò quòd nondum ſummi templi quod initiauerat ſatis prouecta eſſet fabrica, ad quam deinde delata fuerunt ſacratiſſima eius oſſa: vbi nunc vſque magna cum veneratione & ſplendore eius memoria celebratur.

EDICTVS. Viennæ Allobrogum ſancti EDICTI Epiſcopi & Confeſ-

ſoris, qui tanta ſede dignus, Epiſcopali illam decore ſub Agathone Papa gubernauit. A quo reſcriptis Apoſtolicis honoratus eſt, quibus illi res geſtas in ſexta Synodo Oecumenica, Conſtantinopoli, aduerſus Monothelitas, intimauit. Aliáque magni momenti negotia vniuerſalis Eccleſiæ, quæ Galliæ Epiſcopis notificaret, eidem per Donatum preſbyterum Viennenſem, quem eius vice Romæ in Synodo idem Papa reſidere fecerat, voluit inſinuari. At non his potiſſimum fauoribus ſummæ ſedis inclaruit Edictus: ſed longè magis paſtorali vigilantia, zelo fidei & operibus iuſtitiæ, quibus plenus in pace defecit. Ipſo die in Pago Pictauienſi ſancti BENEDICTI Confeſſoris gratiæ priuilegiis perornati. Item Villa Amauia ad Moſam ſanctæ ODÆ viduæ, amitæ ſancti Huberti. Quæ Boggi pridem Aquitanorum Duci nupta, caſtiſſimæ matronæ mores, & religioſiſſimæ mentis indolem exhibuit: deinde ſoluta viro, Chriſto carne & ſpiritu penitus adhærens, nil niſi quæ ei erant placita concupiuit; pauperes aluit, Eccleſias pleraſque egregia munificentia ditauit, potiſſimum collegiatam ſancti Georgij Huienſis, in qua felicem poſt tranſitum tumulata eſt. Ibidem quieſcit beatæ memoriæ *Pompeius* ſacerdos, qui piæ heroinæ ſacellanus fuit. Elnonæ cœnobio in territorio Tornacenſi reſtitutio corporis ſancti AMANDI Traiectenſis Epiſcopi illius cellæ fundatoris & patroni. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confeſſorum, atque Sanctarum Virginum.*

[Margin: Benedictus. — Oda. — Amandus.]

In Claraualle felici fato defungitur GAVZELINVS Monachus, diuinis reuelationibus inſignis: anno ſacræ profeſſionis quadrageſimo. Toloſæ veneratio corporis ſanctæ SVSANNÆ Babylonicæ Helciæ filiæ: quod ibi Carolus Magnus depoſuit, ad perpetuum Deo gratæ pudicitiæ coniugalis monimentum.

[Margin: *Gauzelinus.* — *Suſanna.*]

Nono Kalend. Nouembris. Luna

24 C xxix.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	p	q	r	ſ
3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
20	21	22	23	24	25	26	27	26	27	28	29	1	2			

TVNGRIS ad Moſam Natalis ſancti EVERGISLI Epiſcopi Colonienſis & Martyris. Qui ſancti Seuerini diſcipulus illiúſque Archidiaconus, ipſo ſe abdicante Epiſcopatu, & patrium ſolum Burdigalam repetente, in eius vicem digna ob merita ſurrogatus, tanti ſideris abceſſum, nouo Apoſtolicarum ſuarum ſplendore virtutum reparauit. Sanctiſſimis enim moribus, mi-

[Margin: SS. Evergiſlus.]

raculis, & zelo orthodoxæ fidei pollens, vitia exturbauit, virtutes ſeuit, Arianæ peſtis quæ ſupererant fomenta extinxit. Deinde memor patriæ, quam ethnica adhuc ſuperſtitio nonnihil inquinabat, ad Tungros eliminaturus Idololatriæ ſordes profectus eſt. Ibi cum magna auctoritate at maiori fructu, diuinæ prędicationi, litationi & religionis expiationi ac decoro animosè incubuit. Cæterùm cùm nocte quadam ex more ad ſanctiſſimæ Deigenitricis monaſterium pſallens pergeret; ab irruentibus ex inſidiis latronibus, teli ictu lethali confixus eſt. Cuius veſtimenta parricidæ illi ſcrutantes, cùm nihil præter ſimplicem amictum inuenirent, damnata propria temeritate & amentia, interfecti corpus ne crimen pateret, in abditiori loco virgultis opertum reliquerunt. Ipſi verò ſibi celeri fuga conſulentes, nihil ſecum attulerunt præter cruentã conſcientiam. Mane oriente, infauſtus cædis nuncius ad vrbẽ veniens, luctu & mœrore Clerum & populum compleuit. Aduolant propè certatim ad locum omnes, vbi ſacrum corpus iacebat vili opertum tegmine. Debita reuerendo funeri perſoluunt officia, artúſque ſacros in occulto quodam loco monaſterij glorioſæ Virginis tum celeberrimi condit illius diœceſis Epiſcopus: vbi tantæ mox virtutes meritis beati viri effulſerunt, vt incolæ palam teſtarentur, illum eamdem ipſis charitatem in cœlis coronatum ſeruare, quam erga ipſos degens adhuc in terris declaraſſet. Sed procedente tempore ſanctus Bruno Archiepiſcopus Colonienſis, ne tam pretioſa gemma à Colonienſis Eccleſiæ ſacrario, imò tam potens opitulator à ciuitate, cuius beatus ipſe paſtor fuerat, abeſſet: ſacratiſſima eius lipſana Coloniam tranſtulit: ínque ſanctæ Ceciliæ baſilica recondidit, tumbæ argenteæ inauratæ, decenti cum epigraphe incluſa. Ipſo die

MAGLORIVS. in Britannia minori ſancti MAGLORII Dolenſis Epiſcopi & Confeſſoris. Hic nobili genere natus, atque egregiè inſtitutus, ex tranſmarina Britannia (quæ dirè exagitabatur perpetuis Anglorum & Saxonum concertationibus:) cum ſancto Samſone Eboracenſi Archiepiſcopo, aliiſque pietate inſigni viris, profugus in Armoricam venit. Factúſque poſt ipſum Samſonem Epiſcopus Eccleſiæ Dolenſis, præclaris exemplis & doctrinæ inſtitutionibus ac virtutibus ſuo gregi præluxit: diuino autem monitu cùm Epiſcopale onus depoſuiſſet, *Budoco* ſibi ſublecto, monachalem vitam complexus, tanta corpus inedia macerauit, vt quarta & ſexta feria nihil prorſus cibi caperet, aliis diebus pane hordaceo, vilioréque legumine ac parco admodum veſceretur. In oratione frequenter pernoctabat: virginitatis verò cultor egregius perpetuo cilicij vſu ſenſum titillantem repreſſit.

Peruagata inde cœleſtis vitæ ſuæ fama, cùm magnus ad ipſum inuitum quamuis fieret concurſus, variè morbis affectos, mirabiliter ſanauit: mortuum inſuper ad vitam reuocauit. Quibus miraculis & vitæ ſanctiſſimæ laude clarus, expirauit in Chriſto. Ferunt cùm eſſet moriturus, viaticum æternitatis de manu Angeli viſibiliter accepiſſe: & ſic ſancto gaudio plenum emigraſſe in cœlum. Corpus eius multis in ſepulchro prodigiis claruit: quod deinde *Saluator* Epiſcopus Alethenſis (quæ ſedes in Armorica nunc Maclouiopolis dicitur) Rolone Danorum Duce ciſmarinam Britanniam hoſtili incurſu barbaróque impetu inuadente: ne profanaretur ab infidæ gentis exercitu, vnà cum Sanctorum Samſonis & Maclouij (alias Machuti) pretioſis exuuiis, maturè ſubductum, Lutetiam Pariſiorum ceu arcem regni & religionis tutiſſimam cuſtodiam detulit. Porro hæc ſimul ſacratiſſima pignora Hugo magnus Pariſiorum Comes multa pietate & veneratione ſuſcipiens, in ſancti Bartholomæi baſilica, fecit collocari: addito ad cultum ſanctorum corporum cœnobio Benedictinorum aſcetarum: quod deinde extructo in inſula Pariſienſis ciuitatis palatio regali, ad locum de Campellis tum extra vrbem, tranſlatum cum ſacris lipſanis; beati Maglorij nomen iam abhinc tulit, ſpectabili Eccleſia viam iam regiam ſancti Dionyſij illuſtrante. In quam deinde ædem agente Catharina Medicea Regum matre, inductæ ſunt Moniales quæ pœnitentes vocitantur. Sícque rurſus ſancti Maglorij titulus & pretioſa gleba tranſiit ad ſuburbicariam Eccleſiam ſancti Iacobi de alto paſſu. Vbi nunc cum beatorum ſociorum pignoribus quieſcit & colitur. Sed verò Hugonem illum qui Capetiæ ſtirpis regiæ origo fuit, hoc, ex pia eiuſmodi hoſpitalitate erga Sanctos, pro munere conſecutum, Francorum Annales tradunt, vt inclyta eius progenies, Chriſtianiſſimum regnum, non modò reiectis propinquioribus de genere Carolinorum paulò pòſt obtineret: verùm etiam vt perpetuò poſſideret, vti ab hinc vſque factum cernimus, futurúmque diuino beneficio non diffidimus. Quo enim tempore Hugo ipſe magnus Capeti pater, ſanctorum Richarij & Valerici corpora, metu Northmannorum Gallias deuaſtantium, à ſuis Eccleſiis, in Flandriam apud ſanctum Audomarum (munitum iam oppidum) tranſtuliſſet: iidem ſancti in viſione ei apparentes, prædixerunt fore, *vt propter exhibitam ipſis* (aliiſque beatis) *pietatem, genus eius in perpetuum regno Francorum potiretur.* Vnde eſt quòd Gallia eò magis in beatos quorum venerandam memoriam vindicamus, efficiatur deuota, quò ipſorum cultu & fauore ſe priuilegio perennis regni cognoſcit di-

uinitus decoratam: eáque Regum ſtirpe ſuffultam, qui à pietate in beatos imperium conſecuti, eam hactenus in ſanctiſſima religione conſeruârunt, iiſque trophæis ornârunt, & felicitate cumulârunt, qua cæteris quibuſque orbis regnis longè admodum antecellit. Ipſo die in territorio Turonenſi *caſtro-Lucas*, ſancti
SENOCH. SENOCH Abbatis, qui ex Pictauienſi ortus pago, quem Teipha-liam vocant, ab ipſa iuuentute conuerſus ad Dominum, clericúſque factus, monaſterium ſibi pone oratorium, vbi ſanctus Martinus purum olim precationum ſuffitum fuderat, concedente *Euphronio* Turonenſi Præſule qui altare illic ſacrauit, inſtituit. A quo ordinatus etiam Diaconus, & acceptis in capſula reliquiarum ſacrarum pignoribus: magna ibidem abſtinentia, deuotione, charitate in pauperes, quorum inopiam datis ſibi eleemoſynis ſubleuabat, omnibúſque pietatis operibus, etiámque miraculis emicuit. deinde cùm fratres quos aggregauerat, ſanctis inſtitutionibus & exemplis optimè informaſſet: quietioris vitæ amans, quò animum cœlo digniorem redderet, in cellula ſolitaria ſe recluſit, vbi orans aſſiduè, atque in ieiuniis & meditationibus die noctúque perdurans, ætatis anno duntaxat quadrageſimo animam ſole puriorem ad Chriſtum, cui vnicè ſeruierat, felici efflatu tranſmiſit. Cuius merita glorioſa ſanctus Gregorius Turonenſis proprio celebrauit encomio; mirandáque ſigna quæ cùm viuus peregit, tum mortuus operatus eſt, in libris de vitis Patrum, & de gloria Confeſſorum luculenter recenſuit. At verò Turonenſis Eccleſia, in cuius ſinu ſpiritũ emiſit beatum precioſus Dei amicus, nomen eius iam inde in veneratione habens, ſuis diptychis inſcripſit: cuius & memoriam quotannis hodie recolit in ſacra Liturgia. In agro Claromontenſi monaſterio Nouem
GILBERTVS. Fontium facta eſt inuentio & repoſitio corporis beati GILBERTI primi eiuſdem cœnobij Abbatis. Apud Santones tranſlatio ſancti
VIVIANVS. VIVIANI Epiſcopi, cuius depoſitio ſolemnis eſt vigeſima tertia
MARTINVS. Auguſti. Ipſo die ſancti MARTINI Confeſſoris. Qui dotibus Apoſtolicæ gratiæ cumulatus, à Felice Epiſcopo Nannetenſi, ad populum Oceano confinem adhuc ſpurcitiis Idololatriæ inquinatum directus eſt. Vbi ſignis & virtutibus pollens, innumeras hominum multitudines ad Chriſti fidem & cultum conuertit. Simulachris euerſis, deletis impiæ ſuperſtitionis ritibus, veri æternique numinis ſyncero cultu conſtituto, cœnobiolum extruxit; alumnóſque quos redderet illibatæ religionis cuſtodes ac prouectores, adlectos: cùm pleroſque doctrinæ & pietatis ſacris inſtitutionibus repleuiſſet, ipſe iam candidatus gloriæ, ex tam aſſiduis, at fauſtis fructuoſiſque laboribus, ad præ-

mium tranſiit ſempiternum. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confeſſorum, atque Sanctarum Virginum.*

Octauo Kalend. Nouembris. Luna

25 D XXVIII.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
21	22	23	24	25	26	27	28	27	28	29	1	2	3			

VESVNNÆ Petragoriorum Natalis ſancti FRONTONIS, beati Petri diſcipuli: à quo in opus miniſterij aſſumptus, ordinatúſque Epiſcopus, in citeriorem Aquitaniam, hanc ad vrbem cum Georgio Preſbytero (poſtea Anicienſi primo Præſule) deſtinatus eſt, vt face Euangelica, purum diuinæ veritatis lumen ibi inueheret. Verùm poſt tres dies itineris mortuo Georgio, Fronto ad Petrum rediit aſſeclæ funus improuiſum referens: acceptóque Apoſtoli baculo, ad locum vbi iacebat Georgius, reuertit: quem appoſitione ipſius baculi (famulo Eliſei fidentior) reduxit ad vitæ lucem. Hinc vir Apoſtolicus iter perſecutus ſuum, Petragorium venit multo cum ſpiritu gratiæ, Chriſtum Dei vnigenitum pro mundi ſalute crucifixum, rediuiuúmque, triumphantem & in ſe credentibus, æternum in cœlis regnum offerentem, annuntians. Ad cuius agnitionem & cultum abductos à fœda dæmonum religione multos vrbis illius incolas, vi diuini Verbi, ſignorum magnificentia, & vitæ prorſus admirabilis ſplendore, perduxit. Quamobrem *Squirius* vrbis Præfectus, à ſacrificulis pſeudonuminum incitatus, ita furore cæco nouum in præconem, eiúſque ſequaces excanduit, vt quot ille ſacro lauacro tingeret, ipſe gladio mox obtruncatos demeteret. Ferox igitur Præſes, cùm omni in ſanctum pióſq. eius auditores ſæuitia debacharetur: vir Dei quo dies malos declinaret, & benignior interim ſpiraret aura, Chriſti oues in eremum traduxit, vbi olerum ſemine corpora, at verbi æterni pabulo animas reficiebat. Erat ibi ad Dordonis fluuij ripam draco immanis, qui fœdo halitu locum inquinabat: hunc Chriſti virtute fugauit Antiſtes glorioſus. Interim Squirius Præſes ſæuitiæ ſuæ pœnas luit: nam iræ diuinæ flagella expertus, demúmque à cœleſti nuntio increpatus, ſolicitè Dei virum cum ſancta fidelium turma perquiſiuit, tandémque reperit. A quo ſupplex deprecatus veniam, baptiſmíque gratiam, ſanctorum quorum perſecutor fuerat, fœde-

SS. FRONTO.

re pietatis effectus particeps, inopiam eorumdem ſubleuauit larga munificentia. Qua & fretus beatus Pontifex, redux in vrbem cum ſociis, primam ibi erexit Eccleſiam, ad ſacros colligendos cœtus, quam ſancti Stephani Protomartyris titulo triumphali inſigniuit. Poſt hæc Aniano ſuo diſcipulo, coepiſcopo ordinato, Georgium ad Vellaunos duxit, quibus diuina luce illuſtratis illum Antiſtitem dedit. Progreſſus inde vehementi ſpiritu fidei in Santones, Pictones, Turones, vbique Chriſti nomen clarificauit. Vnde nouis ſtimulatus aculeis, longius excurrens, Pariſios, Bellouacos, Sueſſiones luſtrauit. hócque in tractu, eo vico qui hodiéque ipſum tutelarem recolit, dum diuinum ſacrificium litare cupit, & vinum ſibi negaretur, aquam in merum vertit, quo poculum ſalutis conſecrauit. Tum editis in interiori Gallia Apoſtolici curſus monimentis, diuinus heros ad nouos labores ſe accingens, in Aquitaniam velox aduolat, Burdigalam nouo Chriſti præconio imbuit. Hinc Baionam tendit, penetrat in Hiſpaniam, vſque Palentiam pergit, quam ſalutis nuntio primus lætificat, totámque Tarraconenſem regionem, fulgoribus Euangelij replet. Tam longis excurſibus feſſus, demum etiam luſtrata illuſtratáque Gallia Narbonenſi, ſe domum recepit, Petrocorienſes ſuos repetit, apud quos fixa extrema ſtatione, tot onuſtus trophæis, inclytus athleta tandem beatum ſpiritum exhalat: ſuóque exceſſu aucto ciuium ſupernorum numero, dignis laborum præmiis, cum Apoſtolis quorum inſignis adiuua fuit, à cœleſti munerario honoratur. Cuius memoria cùm vbique ſit celebris, tum maximè apud tot populos viget glorioſa, quos baptiſmi ſalutarib. aquis irrorauit, ignoti veriq. Dei agnitione illuminauit, & apud quos verbo & miraculis euersâ idolorum ſpurcitiâ, erectis Chriſti trophæis, fide diffuſa & propagata, religionis ſalutiferæ fundamenta æternùm permanſura collocauit. Auguſtæ Sueſſionum Natalis Sanctorum Martyrum CRISPINI & CRISPINIANI fratrum. Hi beati athletæ Romæ nati claro genere, ſtudio fidei propagandæ in Gallias cum beatis Quintino, Luciano, Ruffino, Valerio, Eugenio: Sueſſionem venerunt ea tempeſtate, cum Diocletianus & Maximianus vnà animi impietate Chriſti Eccleſiam acriter oppugnarent. Ibi cum eis vtpote de Chriſti cultu ſuſpectis, hoſpitij, cæteráque humanitatis officia negarentur, Apoſtolum imitati manuum labore victum ſibi parare ſtatuerunt. Artem igitur ſutoriam (quod quieta & rerum cœleſtium contemplationi non incommoda eſſet) profeſſi, in ea ita Dei beneficio excelluêre, vt artificij elegantia, & morum ſuauitate multos in ſuam familiaritatem allectos, ad Chriſtum ver-

CRISPINVS & CRISPINIANVS.

bis ſalutaribus conuerterent. Horum igitur opera, cùm pleriq; ab infelici dæmonum cultu ad veri Dei cognitionem perducti eſſent, non potuit eo res diù impium Cæſarem Maximianum latere, qui miſſo confeſtim Rictio Varo Præfecto, truculento Chriſtianorũ inſectatore, eos ad ſe vinctos adduci iuſſit. At cùm interrogatos de progenie & vitæ ratione, ſe Romanos & Chriſtianos eſſe conſtanter reſponderent; nullíſque minis ab Chriſti adoratione & obſequio ſe deductum iri palam profiterentur. Ira accenſus ille, Rictio Varo tradit exquiſitis ſuppliciis cruciandos. A quo apprehenſi cùm ad trochleam primùm extenſi, fuſtibus cæſi eſſent: mox inter digitorum vngues & carnem acutis ſudibus confixi, iíſque diuina virtute exilientibus, molis ad colla ſuſpenſis in flumen Azonam rigente hyeme demiſſi: cùm egreſſi eſſent incolumes, in plumbum liquefactum, deinde in ſartaginem pice, adipe & oleo permiſtis feruentem coniecti: at illæſi exeuntes, tandem capite truncati illuſtrem martyrij coronam acceperunt. Corpora eorum relicta canibus auibúſque deuoranda, ſed Chriſto cuſtode nihil læſa, à pio quodam ſene eiúſque ſorore ſepulturæ tradita ſunt. Quo tamen cùm inde diu ignota iacerent, beato Eligio ſuperno indicio reuelata, atque ab eodem (qui eleganti artificio quo peritus erat, capſulas ipſorum concinnauit) honorificè condita, eo loco vbi extructa eorum baſilica eſt, magna populi veneratione coluntur. Nec enim Romam vnquam pretioſæ illorum exuuiæ traductæ fuerunt, quæ per tot ſæcula conſeruatæ, etiam furentibus Sueſſione hagiomachis anno milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſeptimo, ab illorum profanis vnguibus diuina ope ſubductæ ſunt, ſed & in baſilica ſanctiſſimæ Virginis depoſitæ ad tutelam, ſuis in thecis illibatæ hactenus vt viſuntur, perſeuerauêre. Eodem die in territorio Turonenſi ſancti SPATI Martyris, qui in cœleſti confeſſione fortis, religioſa virtute ſtabilis, inuictæ patientiæ lauream reportauit. Mimatæ Gabalorum ſancti HILARII Epiſcopi & Confeſſoris. Hic ſæculi nobilitatem qua inſignis erat, eximio Chriſti amore contemnens, honorem verum in eius vnico famulatu quæſiuit: aſperóque & rigido vitæ inſtituto, ad puræ conuerſationis ſtudium ſeſe totum conuertit. Quo affectu dum perſequendis diuinis placitis inſiſteret, ſancto Firmino Mimatenſi Epiſcopo vita & munere defuncto, in ſedem eius miris omnium efflagitationibus ſubuectus, quas virtutes antè parauerat, magnum in gregis commodum exeruit. Has enim dotes exhibuit, quæ optimum paſtorem decent, & lucris efficiunt animarum congerendis idoneum. Cuius decora gratiæ cùm Fortuna-

Spatvs.

Hilarivs.

tus Pictauienſis celebris ille ſcriptor & Antiſtes miraretur, inſignem morum eius ſanctitatem honorifico epigrammate ad ipſum exarato commendauit. Ipſe verò ſanctus Pontifex interfuit primarios inter Galliarum Patres Concilio Aruernenſi, ſub ſancto Honorato Bituricenſi Primate: vbi de Synodorum tractatione, de Epiſcoporum delectu, de Clericorum ſubiectione, de mortuorum exequiis, de rerum Eccleſiaſticarum cuſtodia, de ſacra ſupellectile, de vetitis Chriſtianorum cum Iudæis fœderibus, de ſacerdotali cœlibatu, de parochiarum ſeruandis confiniis, de præcipuarum feſtiuitatum celebritate, aliiſque ad Eccleſiaſticam ſpectantibus œconomiam, decreta facta ſunt præclara, quibus vir ipſe ſanctus edendis conſilium, editis ſuffragium contulit, quartus à Præſide in hoc inſigni conſeſſu ſubſcribens: in quo Epiſcopi omnes ſanctitate ſpectabiles conuenerunt. Demum Hilarius, cùm non paucos in horreum dominicum animarum manipulos intuliſſet: tot onuſtus meritis abiit ad præmium. móxque à tumulo refulgens prodigiis, ſanctis connumeratus eſt. Vtque impenſiori cultu corpus eius organum tot gratiarum potiretur, regia pietate ad auguſtiſſimam ſancti Dionyſii in Francia baſilicam delatum: ibidem proprio in ſacello & loculo reconditum fuit, vbi in hanc vſque diem honorificè ſeruatur.

LVPVS. Eodem die Baiocis in Normania ſancti LVPI Epiſcopi & Confeſſoris. Qui ipſius Baiocaſſinæ ciuitatis municeps, à ſancto Renoberto ſecundo ſedis illius Antiſtite, de parentum piorum voto lauacro ſalutari regeneratus: magnam ex his auſpiciis benedictionem tulit. Poſtquam enim ſedula parentum cura, qui tenerè ipſum diligebant, liberalibus fuiſſet diſciplinis imbutus, ſancti ipſius Pontificis ita mores imitatus eſt, vt iam pari greſſu cum eo in ſanctitatis tramite procedere videretur. Præcipuo igitur ab illo amore habitus, ſacris miniſteriis vix adhuc egreſſus ex ephœbis, ab ipſo adhibitus eſt. Cùm autem Renobertus ipſe ad ſuperos tranſiiſſet, Lupíque in dies decora virtutum augerentur: Sancto Rufiniano, qui in Epiſcopatu ſucceſſerat, altiorem in gradum meritò viſus eſt prouehendus. Túncque non ſine diuino afflatu *Stephanus* Presbyter fertur inclamaſſe. *Rufiniane dum hunc promoues, tibi ſucceſſorem deligis. Scias enim ipſum tibi Deo volente ſucceſſurum.* Vaticinium euentus firmauit, non diù poſt enim Rufiniano defuncto, diuino monitu beatus Silueſter Archiepiſcopus Rotomagenſis iuſſus eſt, ocyùs Baiocas proficiſci, Lupúmque Leuitam ad Epiſcopatum ſublimare. Ingrediente ipſo in Eccleſiam vbi comitia de electione ineunda agebantur, repente Archiepiſcopum conuenit infans ſupernè inſpiratus,

ratus, Lupúmque vt incunctanter Epiſcopum ordinaret, palam rogauit. Cui mox Clerus & populus ſuffragatus, ambitioſo quaſi officio inſtabat, vt Lupus paſtor ſibi conſecraretur. Tanto ſplendore igitur in Cathedram prouectus, diuina auſpicia quibus vocatus fuerat ad regimen animarum condignis curæ & operæ ſucceſſibus, cumulauit. Vtque à fauſto omine inciperet, lupum immanem viciniam immaniter infeſtantem, qui vel armatis cohortibus obſtiterat, Lupus ipſe ſolus & inermis inuiſibili nexu cœpit & ſubmerſit. Duobus à natiuitate cæcis viſum refudit. Prophetiæ quoque dono inclaruit. Chriſtóque parta plurima ſpirituali ſobole, migrationis ſuæ præſignata die, expletis digno excurſu triginta Epiſcopatus annis felix in Chriſto quieuit. Sepultus fuit autem vir beatus pone ſanctum Renobertum cuius geſta præclara factis expreſſerat, & commendauerat ſcriptis. At ob infeſtationem Normanorum, anno ſalutis nongenteſimo ſexageſimo tertio ſacra eius gleba quæ miris virtutibus renidebat, cum pretioſis ſancti Exuperij Baiocenſis primi Pontificis pignoribus, Corbolium oppidum agri Pariſienſis ad Sequanam, tranſlata eſt: vbi ab hinc magna veneratione cum ipſius ſancti Exuperij lipſanis quieſcens in eius Eccleſia obſeruatur. Lauduni ſancti CELSINI Confeſſoris & Preſbyteri. Qui beatæ Balſemiæ nutricis ſancti Remigij filius, eiúſque factus ex collactaneo diſcipulus, breui coæuis quin & natu maioribus, morum maturitate, diuini timoris ſpiritu, charitate, pietate, omníque religionis ſtudio præcelluit. Turbas autem populares faſtidiens, deſiderio diuinæ contemplationis, Lauduni de ſancti ipſius Pontificis licentia cellulæ ſe includens, Chriſto IESV in omni ſpiritus puritate, extremum vſq. ad halitum militauit. Deinde quieto fine conſummatus ad exoptatæ Domini viſionis properauit fruitionem. Corpus eius micans diuinæ virtutis fulgoribus Remos allatum, propria in ædicula repoſitum fuit congrua honorificatione, in qua beata Balſamia eius mater deinde ſepulta, per ſanctitatis quæ edidit lumina, patrocinium ſibi illius Eccleſiæ, quæ nunc ſanctæ nutricis appellatur, vendicauit. Ipſo die Natalis Sanctorum Martyrum CHRYSANTHI & DARIÆ, qui coniuges nobili genere nati, at fide clariores, Romæ innumerabilium hominum multitudinem, hic virorum, illa mulierum, ad Chriſtianam religionem à falſo cultu conuerterunt. Quare Celerini Præfecti iuſſu comprehenſi, multiplicíque affecti tormentorum acerbitate, tandem via Salaria lapidibus obruti, parem martyrij coronam adepti ſunt. Horum pars reliquiarum munificentiâ ſancti Gregorij Papæ, anno Chriſti quingenteſimo nonageſimo, ex

CELSINVS.

CHRYSANTHVS & DARIA.

vrbe in Gallias, Turones allata eſt ad ſanctum Gregorium illius ciuitatis Præſulem per Turonenſem diaconum: cùm ſancti Pauli Apoſtoli, Beatorúmque Laurentij, Pancratij, Ioannis & Pauli Martyrum aliquot lipſanis: quæ in portu Maſſilienſi, ſuo obiectu tumentes maris fluctus, & ventorum turbines, ſaluata à diſcrimine carina in qua vehebantur cum pleriſque nauigantibus, mirabiliter repreſſerunt. DVLCARDVS. Ipſo die ſancti DVLCARDI Abbatis Ambiliacenſis in diœceſi Bituricenſi, qui temporibus ſancti Sulpitij Pij in omni religione florens decus ſanctitatis promeruit. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confeſſorum, atque Sanctarum Virginum.*

CLVNIACI dedicatio Eccleſiæ Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli, facta ad ſupplicationem Petri Abbatis cognomento Venerabilis, ab Innocentio ſecundo Pontifice Maximo.

Septimo Kalend. Nouembris. Luna

26 E xxvii.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21
t	u	A	B	C	D	E	ſ	F	G	H	M	N	P			
22	23	24	25	26	27	28	29	28	29	1	2	3	4			

SS. MAVRICIVS & ſocij. VIENNÆ Allobrogum, reuelatio ſacrarum exuuiarum ſancti MAVRICII & eius ſociorum Martyrum. Quorum corpora proiecta in Rhodanum, felici fluctuum vehiculo, Viennam delata, à ſancto Paſchaſio illius vrbis Pontifice, Angelo monente, deuoto cultu ſuſcepta atque congruo honore ibidem tumulata ſunt. Vnde in ipſorum Martyrum tutelam Eccleſia Viennenſis ſe iam inde committens, perpetua vt eorum patrocinia experta eſt: ſic ipſorum glorioſam memoriam veneratur perenni deuotionis affectu. LAZARVS. Auguſtoduni in Æduis ſuſceptio S. LAZARI Chriſti diſcipuli. Cuius ſacratiſſimum corpus è Maſſilia, à Geraldo Epiſcopo regnante Lothario Rege circa annũ nongenteſimum quinquageſimum ſeptimum tralatum, in dextera parte altaris maioris depoſitum eſt: vbi exinde virtutis Chriſti & gloriæ magnalia coruſcârunt. RVSTICVS. Narbonæ S. RVSTICI Epiſcopi & Confeſſoris. Qui Maſſilienſis Preſbyter, ob clara gratiæ diuinæ quib. fulgebat teſtimonia, ad huius metropolicæ ſedis orbatæ Hilarij diſceſſu gubernacula euocatus, præcepta quibus S. Hieronymus ipſum ante ſacerdotium cùm monaſticen coleret inſtruxerat, egregia tenens, omni religione & ſapiẽtia, Eccleſiam illam direxit. Cuius baſilicam exuſtam antea, inſigni fabrica reſtituit. Nec murorum

tantùm, ſed morum magis ſolicitus, Clerum in diſciplina, populum in obſeruantia pietatis & iuſtitiæ continuit. Multóque honore à ſummo Pontifice Leone I. ſalutatus, reſcriptis Apoſtolicis ad ſe directis ſuper conſultatione ſua, cùm congrua reſponſa recepiſſet, ipſáque ceu cœleſtia oracula omni ſolicitudine vſui demandaſſet, Epiſcopalium virtutum laude nobilis, ſanctéque actis in omni adminiſtratione præclarus boni Paſtoris, cuius partes vndequaque expleuerat, præmium à Domino percepit. Aureliæ tranſlatio ſecunda ſancti ANIANI Epiſcopi & Confeſſoris. ANIANVS. Cùm præſente Roberto Rege, per Odolricum Epiſcopum Aurelianenſem, necnon Gauzlinum Bituricenſem, Leothericum Senonenſem, & Arnulphum Turonenſem Archipræſules; Epiſcopóſque Theodoricum Carnotenſem, Bernarium Meldenſem, Vvarinum Beluacenſem, & Rodulphum Siluanectenſem, præſente venerabili Odilone Abbate Cluniacenſi, & aliis notæ inſignis Cleri Præſulibus, atque regni Proceribus: ipſius ſancti Aniani ſacratiſſima gleba, cum corporibus Sanctorum Euſpicij, Monitoris & Floſculi Confeſſorum Baudelij & Scubilij Martyrum, necnon Agiæ matris ſancti Lupi Archiepiſcopi Senonenſis, inlata eſt ſolemni pompa cum hymnis & laudibus, in baſilicam Sancti ipſius Aniani ſumptuoſo opere ab ipſo Rege inſtauratam; qui ſancto deuotionis amore beatiſſimum illum Antiſtitem amplectebatur, ſuúmque præcipuum cenſebat apud Deum defenſorem. Traiecti ordinatio Epiſcopatus ſancti AMANDI, Apoſtolicis chariſmatibus pleni: multorum populorum primi in Chriſto præceptoris. AMANDVS. Eodem die Elnone (quod nunc ſancti Amandi) cœnobio, tranſlatio corporis eiuſdem, ab Eccleſia Sanctorum Petri & Pauli, in Eccleſiam ſancti Stephani Protomartyris, agente ſancto Eligio Nouiomenſi Pontifice. Item dedicatio eiuſdem baſilicæ. Laubiis eleuatio ſancti ERMINI Epiſcopi & Confeſſoris miraculis coruſcantis. ERMINVS. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confeſſorum; atque Sanctarum Virginum.*

IN Alnenſi cœnobio territorij Leodienſis, impiè hac die ab iniquis necatus eſt pro pietate certans beatæ memoriæ IOANNES de Meſia illius loci Abbas; cum alio eiuſdem inſtituti monacho, qui ipſi à ſacello erat. Cum quo ſepultus in capitulo inſignia prodidit magnifica ſuæ glorificationis. Ipſo die dedicatio maioris Eccleſiæ Catalaunenſis in honorem ſancti Protomartyris Stephani. *Ioannes de Meſia, cum ſocio Martyre.*

ſanctitatis ornatus, glorioſè pontificatu abſoluto, à paſtorum bonorum Principe in ſanctorum ſortem beatorum, pro meritis ſuſceptus eſt. Quieſcit autem in Eccleſia ſancti Germani cum pleriſque ſanctis deceſſoribus ſuis: vbi eius beatitudini teſtimonium ſigna diuinæ virtutis reddiderunt. Ipſo die in pago Albienſi Inuentio ſancti VINCENTII Martyris & Leuitæ glorioſi: cuius ſacratiſſimum corpus iuſſu & reuelatione diuina, ab Audaldo ſacerdote Aquitano & monacho aſceterij Conkittæ; extra vrbem Valentiæ in Hiſpania, ſub ædiculæ à Saracenis dirutæ ruderibus iacens repertum: in Galliam Aquitanicam feliciter aduectum, multis coruſcantibus prodigiis (quibus claudi erecti, dæmoniaci erepti, infirmi plerique ſunt ſanati) primùm in Eccleſia ipſi Martyri ſacra extra muros Carcaſſonenſes poſitum eſt: deinde Toloſam ob Danicam procellam delatum, ſuſcipiente multo cum pietatis obſequio *Elicazare* Epiſcopo, aſſiſtente Clero, & populo confluente, quibus Martyris virtus pro munere magnificè illuxit. Poſtmodum ad pagum reuectum Albienſem qui Caſtrum dicitur, in cœnobitica ipſius Martyris Eccleſia, collocatum eſt: vbi pretioſæ adeo gemmæ perennis ſplendor rutilans, & ingens templo decus, & alumnis religioſæ domus ſanctam lætitiam, & deuotis clientibus beati tutelaris multiplicem opitulationem præſtitit: ſicut Aimoinus Monachus pridem luculenta deſcriptione narrauit, quam de tranſlatione ſancti Vincentij prænotatam direxit ad Bernonem Abbatem cœnobij Caſtrenſis (tum in præſulatu Albienſi) monachóſque Benedictinos ibi ſub eo degentes. Machliniæ in Brabantia relatio ſancti RVMOLDI Epiſcopi & Martyris, quando corpus eius exanime quod ſicarij eius interfectores in aquam demerſerant, luce deſuper radiante repertum, per Adonem Comitem Machliniam delatum eſt, depoſitúmque eo loco vbi ad eius venerationem nobilem illius nominis baſilicam (quæ iam Archiepiſcopali titulo pollet) poſtea Notgerus Leodicenſis Antiſtes erexit. In qua nunc vſque beatus Martyr quieſcit in theca admodum ſumptuoſa, nec modò vt ciuitatis illius patronus, ſed & totius huius tractus Apoſtolus obſeruatur. In Armorica ciuitate Trecorenſi eleuatio & tranſlatio ſancti IVONIS Preſbyteri & Confeſſoris, aduocati pauperum nuncupati. Quando Clemens V. ob crebreſcentia ad eius tumulum miracula, ipſius ſacros artus de ſepulchri puluere leuari, atque quod animæ Deo fruentis, ipſíque adeo gratæ ſacratiſſimum pignus tot gloriæ radiis coruſcum indecorè iacere non ferret: ad debitum tanto cœliti cultum, honorificam in thecam inferri, atque in ſacrario repo-

Vincentius Martyr.

Rumoldus.

Ivo.

ni Apoſtolica præceptione mandauit. Qua in ſolemni euectione, ingentia patrata miracula, in gratiam eorum qui beato Confeſſori vota nuncupaſſent: quàm hæc eius honorificatio, ipſi fuerit accepta, perſpicuè oſtenderunt. Eodem die in Cameracenſi agro ſancti DODONIS Confeſſoris, qui ſancti Landelini diſcipulus, monaſteriolo quod in villa Vvaſlero condiderat, ab ipſo ob exploratum religionis amorem, ac ſanctæ obſeruantiæ ſtudium præfectus eſt: vbi ſanctis moribus pollens, vitam innocentia plenam duxit, depoſitóque tandem fragilitatis onere, feliciter in pace obdormiuit. At verò diruto temporum iniuria illo monaſterio, ſancti Confeſſoris corpus ad monaſterium quod dicitur Infania, Laubienſi Abbatiæ ſubiectione obnoxium, deportatum eſt: vbi etiamnum congrua cum reuerentia perſeuerat. Ipſo die facta eſt eleuatio ſanctarum EVSEBIÆ & GERTRVDIS, in Hamatica prioratu ſuper Scarpam, inter Valencenas & Duacum. Item in Blandinio agri Tornacenſis, aduentus corporis ſanctiſſimæ Chriſti Virginis AMALBERGÆ, vbi deductum ex villa Tempſeca, Balduinus cognomento Ferreus Flandriæ Comes, vnà cum ſancti Bertulphi lipſanis recondi, multa cum deuotione curauit. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confeſſorum, atque Sanctarum Virginum.*

(Margin: DODO. — EVSEBIA & GERTRVDIS. — AMALBERGA.)

IPSO die Vigilia Sanctorum Apoſtolorum Simonis & Iudæ. Tranſitus ſanctæ HAMELINÆ Virginis ordinis Ciſtercienſis. Quæ in ſolitudinem demum de Superiorum permiſſu ſecedens, prophetiæ ſpiritu dotata, miraculis inſignis, conuerſatione admirabilis, vitam rigidiſſimam, at ſanctitate plenam feliciter conſummauit.

(Margin: *Hamelina*)

Quinto Kalend. Nouembris. Luna

28															G 25. XXV.	
a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
24	25	26	27	28	29	30	1	1	2	3	4	5	6			

(Margin: SS. SIMON & IVDAS.)

NATALIS beatorum Apoſtolorum SIMEONIS & IVDÆ, quorum pretioſiſſima corpora Toloſam à Carolo Magno in dilectiſſimam ipſi Eccleſiam ſancti Saturnini inuecta, cum innumeris aliis cœlitum primariorum pignoribus: hodie deuoto fidelium concurſu ibidem honorantur. Et capita quidem è ſacrario exhibentur incluſa ferculis argenteis, ad effigiem ipſorum Apoſtolorum efformatis pia liberalitate Fulconis dudum ſancti Saturnini Cœnobiarchæ. At corpora in thecis condita

argenteis, ſuper altare ſacelli ſanctiſſimæ Virginis *à ſeptem doloribus* cognominatæ requieſcunt, cui impoſita fuere anno milleſimo quingenteſimo vndecimo vigeſima quinta Ianuarij: cum veneranda ipſius beatiſſimæ Virginis imagine, tabulæ affixa deauratæ quæ aram decorat. Tamen ſancti Iudæ cognomento Thadæi quaſdam reliquias, quæ in Oriente adhuc hærebant, Ieroſolymis ad ſe tranſmiſſas ſanctus Bernardus religioſè ſuſcepit, eáſque cùm moreretur pectori ſuo in ſcriniolo iuſſit imponi, ſecúmque in tumulo relinqui, vt tanti Apoſtoli patrociniis apud Deum, excedens à ſæculo muniretur: atque in ſancta reſurrectione quam iuſti omnes expectant, gloriæ ipſius teſtis & particeps, eiuſdem meritis effici mereretur. Lugduni ſancti REMIGII Epiſcopi & Confeſſoris, qui Amulo ſuffectus, Eccleſiæ ſuo tempore multa gratiæ vtriuſque lumina præbuit, & liberi arbitrij concordiam cum gratia, prædeſtinationíſque veram ſeriem & tenorem cum doctis lucubrationibus ſuæ nomine Eccleſiæ euulgatis, tum editis in tertia Synodo Valentina cui præſedit orthodoxis definitionibus, declarauit ac defendit. Vbi & profanas vocum nouitates damnauit, Catholicæ fidei eximius zelator & vindex. Quin & decori religionis amans, diſciplinæ ſacræ aſſertor, pro dignitatis ac libertatis Eccleſiaſticæ tutela, inibi vt ſanctiones neceſſariæ ederentur auctor fuit. Quo & ſtudio in Tullenſi Concilio apud Saponarias cui itidem præfuit, & doctrinæ & diſciplinæ farciendæ, opportunis remediis, ac grauiſſimis decretis conſuluit. Nec legibus tantùm curandæ Eccleſiæ proſpexit pius Antiſtes: at moribus & exemplis, ſcriptis ac prædicationibus aſſiduis, obeundo paſtorali muneri incubuit. Quo demum miris cum iuſtitiæ incrementis, ad Dei beneplacitum conſummato, ad fidelis diſpenſationis vberem euocatus eſt mercedem. Tumulum habuit primùm in baſilica ſancti Iuſti, vbi quadringentis annis latuit, cum nonnullis æquè beatorum Pontificum corporibus. At demum ne debito honore fraudaretur, diuina bonitas effecit, vt dum illa in Eccleſia humo tradita ſanctorum corpora, Archiepiſcopali iuſſu inueſtigarentur, tumulus eius apparuerit marmoreus, verſibus honorificis inſculptus, vbi in ſarcophago iacebat, cum tacitæ ſanctitatis decore. Meldis ſancti PHARONIS Epiſcopi & Confeſſoris. Hic primæ nobilitatis floſculus, filius Agnerici Comitis Burgundiæ ex coniuge Leodegunte, pientiſſima ac perilluſtri fœmina: cum Blitilde ingenua virgine, adhuc adoleſcens nobile connubium iniit. víxque caſti amoris primitias tulerat, cùm aliquando ſanctam Pharam Virginem viſitans germanam ſuam, Eboriaci monaſterij in agro

REMIGIVS. PHARO.

Meldenſi Abbatiſſam, inter colloquendum ſic diuinæ ſeruitutis incenſus eſt faculis, vt quæque iam ſecularia ad liberius ſe ſuaui Chriſti iugo mancipandum deſpexerit. Quo igne cœleſti concepto, caſtiſſimam coniugem eò impulit, vt mutuo conſenſu pium diuortium inirent, maioris boni intuitu. Facta eſt igitur Blitildis de viri beneplacito monialis. Ipſe verò Chriſti in ſortem totus tranſiens, abdicato omni dominatu & faſtu ſæculi, humilem diſciplinæ regularis teſſeram ſic induit, vt ſimul omnis ſanctitatis aſſumpſerit typum & ediderit exemplum. Hinc factum vt abeunte ad cœli aulam ſancto Valberto eius fratre Meldarum Epiſcopo, defuncto vt fratri ſemen in Dei hæreditate excitaret, arcano numinis conſilio in eius locum, poſcente populo, eligente Clero, Rege annuente ſubſtitueretur. Non latuit poſita ſuper candelabrum, ſeptiformis accenſa ſpiritus lumine lucerna. Fulgores enim omnis pietatis & iuſtitiæ hos exeruit, quibus intus extráque lucens, amore Dei & voluntatis eius agnitione & cultu quotquot in ipſum ſpectarent inflammaret. Ad tam ſplendidam virtutum facem ſanctus Fiacrius Scotiæ Regis filius venit, vt ſub eius ductu in Chriſti militia adſcriberetur. Quem ipſe patulis charitatis vlnis exceptum, ad Chriſti ineundum famulatum ſanctiſſimis monitis animoſiorem reddidit, agellóque donatum, in quo abſtractus à ſeculo penitus Deo hæreret, paternis fouit ipſo in ſeceſſu ſubſidiis. hoc enim ei perenne ſtudium fuit, vt Chriſti amatoribus omni quo poſſet officio, ſuffragaretur. Perpetuus fuit ſanctorum ſui æui amicus. Quamobrem & ſanctis illius ætatis Epiſcopis ſemper charus, ab his quandocumque quid ſolemne in ipſorum finibus fieret, paſſim inuitabatur, vt ſua præſentia actionem honoraret. Ita à Bertefredo Ambianenſi, cum beatis Geneſio Lugdunenſi, Audoëno Rotomagenſi, Audomaro Morinenſi, Eligio Nouiomenſi, aliiſque ſpectatæ pietatis Epiſcopis, accitus eſt, vt Corbeienſis baſilicæ encæniis intereſſet. Sic & à ſancto Landerico vrbis regiæ Pariſiorum Pontifice, cum nonnullis primæ notæ Galliarum myſtis, vt aſtipulatione ſua, incolumitatem qua ſancti Dionyſij Martyris cœnobium donabat, communiret. Tot illuſtris titulis tandem cùm in omni ſanctitate populum ſibi commiſſum vir beatus gubernaſſet: Eccleſiámque ſuam annis ſexaginta ſex Apoſtolico ſplendore illuſtraſſet, præclaræ vitæ & meritorum gloria coruſcans, æternam ad felicitatem profectus eſt. Quieſcit in inſigni ſui nominis baſilica, quæ & pignoribus alumni eius ſancti Fiacrij etiam gloriatur. Metis ſancti TERENTII Epiſcopi & Confeſſoris. Is patria Aquitanus inclyta ex proſa-

TERENTIVS.

pia: præfecti prouinciæ ſub Romanis principibus vnica, ideóque perchara ſoboles, à puero in Chriſti lege parentum cura egregiè inſtitutus: eius amore, blandiens ſibi vndequaque ſæculum faſtidio habuit. Cuius vt illecebras fugeret, procul à parentibus digreſſus, vnico ſociatus comite cui *Floriano* nomen, ad Viennenſem Præſulem profugit, vt ſub eius auſpiciis tyrocinium pietatis ordiretur. A quo amanter habitus, & ſolicitè excultus, tantam ad vitæ ſanctimoniam euaſit, vt portentum abſtinentiæ fieret, caſtitatis ſpeculum, & viuum omnis ſimulachrum ſanctitatis. Erat illi aſſidua & iugis oratio, erat continua meditatio. *Huius in ore Euangelium, in pectore martyrium.* Ob quæ ſtupendæ ſanctitatis inſignia, ad honorem presbyterij quamquam inappetens prouectus, ex ea die qua ſacerdotium ſuſcepit, vſque ad vitæ extremum: ea victus tenuitate extitit, vt cum omni tempore ferè ieiunaret: nunquam in feria ſecunda, quarta & ſexta panem ex frumento, vinum, oleum aut legumen in eſum aut vſum acceperit: nunquam ſalem ad condiendam alimoniam adhibuerit. Qui mores certè admirandi, cùm ipſum in omnium exiſtimationem ac venerationem inducerent, vir Dei cui vita abſcondita & humilis cordi inſita erat: declinandi honoris ergo ex Viennenſi Gallia, in Belgicam tranſiit. Metiſque reſedit, id enitens vt in quieto ſeceſſu ſecretum Chriſto famulatum impenderet. At latere non potuit fulgidum tot virtutum ſidus, Deo volente latentis mox gratiæ ſplendorem prodidit. Quem cùm iam omnes ob miræ conuerſationis tenorem ſuſpicerent, auſpicatò euenit vt Bonolus Epiſcopus Metenſis vita defungeretur. Nec diù hæſitatum. Terentius qui ad huius ſubeundam vicem diuinitus cuíque deſtinatus videbatur: omnium ardenti deſiderio, renitens quamuis, Cathedram hanc ſublimem aſcendere compulſus eſt, quam omni decore Epiſcopali exornauit. Opere enim ſimul ac ſermone potens, initam præfecturam animarum ſic compleuit, vt eo ſuper gregem adeo numeroſum ſpeculante, vix vllum detrimentum lupus caulis inferret: at oues omni gratia pingueſcerent, vellere iuſtitiæ niterent, ſobolémque generoſa, grex Domini cura tanti paſtoris in dies augeretur. Quibus obſequiis ſtrenuus Chriſti ſeruus lauream fidelis diſpenſationis emeritus, placido demum exceſſu migrauit ad gloriam. Metis primùm ſepultus fuit. At inde nouum ad monaſterium tranſlatus eſt. Cuius euectionis Metenſis Eccleſia ob edita in hac diuinæ glorificationis lumina, quotannis decimo ſeptimo Kalen. Iunij celebrem memoriam colit. Luteciæ Pariſiorum tranſlatio ſanctæ GENOVEFÆ Virginis, regiæ ipſius vrbis patronæ. Cuius GENOVEFA.

ſacrum corpus diuinis fulgoribus rutilans, cùm Hebertus Abbas in viliori theca vetuſtáque conditum non gratè cerneret, capſam curauit argenteam deauratam intus & foris, ac pretioſis margaritis exornatam fieri, in quam (ipsô iam carne exutô) puriſſimos beatæ Virginis artus intulit ſolemni ritu, illius ſucceſſor Robertus de Firmitate Milonis, regnante ſancto Ludouico: pium opus promouentibus religioſa munificentia, Roberto Domino de Courtenay, Guillelmo Abrincenſi Epiſcopo titulari, plurimíſque regiæ vrbis ciuibus in ſanctiſſimam patronam ſuam religiosè affectis. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confeſſorum, atque Sanctarum Virginum.*

Lambertus. LEODII dedicatio baſilicæ ſancti LAMBERTI Martyris, facta inſtante & cooperante Baldrico Epiſcopo Leodienſi per ſanctum Heribertum Colonienſem Archiepiſcopum, propriúmque Metropolitam: eò quòd ipſa baſilica à nuper functo Notgero Epiſcopo, magno Eccleſiarum cultore, venuſto fuerat opere inſtaurata.

Quarto Kalend. Nouembris. Luna

29 A XXIV.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
25	26	27	28	29	30	1	2	2	3	4	5	6	7			

SS. GENITVS. BITVRICIS vtriuſque Aquitaniæ Metropoli ſancti GENITI Confeſſoris. Qui Romæ fidei Chriſtianæ præceptis, ſpeciali diuinæ gratiæ munere, inſtitutus, cùm in Chriſti cultores impiorum magis furor exardeſceret, ſuſceptum gratiæ donum, pietatis fœnore compenſauit. Illuſtris quidem proſapiâ, ſed virtutum ſtemmate clarior, *Acciam* nobilem puellam iiſdem fidei & virtutum ornamentis inſignem, cùm ſibi iunxiſſet vitæ & tori ſociam, religioſa conſpiratione cum ea inita, in viduas, pupillos, atque id genus inopes iuuandos vel plus nimio effuſus, potiſſimam in miſericordiæ actus curam impendit. Cúmque ex honeſtiſſimo fœdere nullam prolem ſuſciperet, Acciæ obſtante ſterilitate, tandem poſt non paucos annos *Genulphum*, aſsiduis editis cum pia coniuge votis ac precibus, diuinitus ſuſcepit. Quem in vero æterni numinis cultu, & timore religiosè educatum, optimis excultum diſciplinis, præſtanti florentem indole, & dotibus egregiis adornatum: ſanctus Sixtus nomine ſecundus Romanus Pontifex: Chriſti amplificando regno idoneum imprimis iudicans, ſacris initiauit. Quódque omnia in eo diuina

conſpiceret, ſupernis arcanis ad excelſa natum ac deſtinatum, in Galliam Aquitanicam, quæ perſecutionum acerbitate, extinctis vel extruſis religionis immaculatæ curatoribus, ſolatio ſi vnquam paſtorali indigebat: ipſummet ablegare, quò infirmum quod erat conſolidaret, quod confractum alligaret, ægrotum ſanaret, abiectum quæreret, deuiúmque reduceret, haud ſine diuino afflatu conſtituit. Sacerdotali igitur ordine & pontificali culmine prouectum, Cadurcum nobilem Aquitaniæ ciuitatem, adhuc iacentem in tenebris iuſſit proficiſci: Genitúmque iam fideli coniuge orbatum voluit filium comitari, vt cura paterna & ardenti pietatis ſtudio, quo feruebat, illum iuuaret. Paruerunt vterque Chriſti Vicario, déque conſilio Euangelico bonis omnibus diuenditis, & in vſus pauperum erogatis, nudi nudum ſequuntur Chriſtum, capeſſunt iter, ac tandem ductu ſuperno Cadurcum appellunt. Hic quæ Genulphus patris fretus auxiliis ad Chriſti gloriam patrauerit, quas pugnas inierit, quot palmas tulerit, quæ trophæa ipſi Chriſto erexerit, ſanctitate, prædicatione, miraculis, ingentique animi fortitudine ſuperatis Præfecti vrbis furoribus, inductis ipſius & ciuium in Chriſti cultum animis, deſtructis lucis, euerſis pſeudonuminum aris & ſimulachris, Chriſtiana religione publicè inuecta ac ſuſcepta, in Genulphi ipſius natali ſpeciali actionum ſerie expreſſum eſt. Id ad Geniti laudem refricare iuuat, Chriſti effectum nobili agone Confeſſorem, quod eum eiurare nollet, cum Genulpho ætate filio at dignitate parente, fuſtibus vſque ad horrorem cæſum: cæſum nec cedentem hærente ad ſpectaculum ciuitate, coniectum in rogum: mutato diuinitus (vt quondam in Babylonico clibano) calore in rorem aurámque ſuauiſſimam, è flammæ globis, vt è roſarum cumulis egreſſum: ſubacta hoc triumpho Chriſti ſceptro ciuitate, cum Genulpho ad Seruatoris imperium propagandum Bituricas properaſſe, Chriſtianæ fidei myſteria non paucis cum filio propalaſſe, templóque Dianæ expiato, ac in Chriſti cultu ſub ſancti Petri memoria conſecrato, cùm iam meritis vti annis afflueret, ſanctiſſimè demortuum: à filio obſeruantiſſimo digno funere tumulatum, ſuo obitu diem heſternum illuſtraſſe. Quo tamen die Apoſtolico culmini, Sanctorum Simonis ſcilicet & Iudæ venerando natali ipſis à religionis cunabulis dedicato; Eccleſiæ Bituricenſi, quæ extremos labores ſancti iſtius, ipſúmque eius ſpiritum excepit, non abs re iampridem congruum viſum eſt: ſacros honores quos ipſius colendæ memoriæ debet, in craſtinum diem (hunc videlicet) referre, quo in antiquis tabulis natalis eius conſignatus erat. Cùm Genulphi ſacra anniuerſaria,

ipſo quo tranſiit ad beati parentis æternum felixque conſortium die, hoc eſt decimo ſexto Kalend. Februarij, exequatur.

IOANNES. Auguſtoduni Æduorum ſancti IOANNIS Epiſcopi & Confeſſoris, quem etſi ipſa Auguſtodunenſis Eccleſia nec colit, nec recolit: Romana tamen omnium mater & magiſtra ſuis diptychis, benè meritorum eius conſcia, annua commemoratione venerandum adſcripſit.

THEVDERVS. Viennæ ſancti THEVDERI Abbatis & Confeſſoris. Qui apud Lerinum ſancti Cæſarij ſenioris diſcipulus, poſtquam is ad Arelatenſem pontificatum aſcendit: Diaconus ab ipſo, ſubinde Preſbyter, ob micantes ſanctitatis fulgores ordinatus eſt. Cum quo & aliquandiù degens, abundantiorem gratiæ ſpiritum hauſit, ac pleraque egit Deo grata & populo vtilia. Deindè Monachorum factus Pater, variis in locis cœnobia fundauit, miraculis etiam claruit plurimis. Quorum fama excitus Philippus Viennenſis Antiſtes, virum Dei in alieno ſolo ſemina gratiæ ſpargentem, ſuos ad lares vt rediret inuitauit: baſilicæque & cœnobio ſancti Laurentij præfecit, nec modò illius voluit gerere curam, ſed omnium illius vrbis aſcetarum Patrem ipſum conſtituit. Quo munere dignè functus Theuderus, ad cœleſtia perpetuis ſuſpiriis anhelans Chriſti cupidus, demum feliciter expirauit. In oratorio cœnobij ſui à fratribus ſepultus eſt, vbi ſe cum Deo viuere crebris manifeſtauit miraculis. Refert Ado Viennenſis Archiepiſcopus, qui mirandas res ab eo geſtas literis mandauit, quod ad ſepulchrum cùm deferretur viri beati corpus: quidam ab ortu cæcus tangens feretri velamen, lumen receperit. In ſepulturam autem delatus quidam debilis, membris contractus, ſanus illico redierit. Ipſo die tranſlatio eiuſdem beati Confeſſoris ad ſacram ædem vallis Rupianæ.

ERMELINDIS. Ipſomet die natalis ſanctæ ERMELINDIS Virginis, quæ ſancti Abliberti Cameracenſis Epiſcopi & ſanctæ Gudilæ ſoror tota deſiderio cœleſtium flagrans, virginitatem ſuam duodecennis Deo conſecrauit: atque in monaſterio Odencæ Villæ apud Louaniolum æterno ſponſo conſecrata, eidem purum ſui holocauſtum in omni ſpiritus & carnis puritate immolauit, mortéque felici conſummata, ad vitam euolauit quam diu ſpirauerat ſempiternam. Sacræ Virginis huius exuuiæ quod magnis fulgerent beatitatis coruſcationibus, à deuotis illius clientibus certatim expetitæ, ſic diſpertitæ ſunt, vt harum pars Meldariæ in Brabantiæ ora: pars altera Thenis in agro Cameracenſi haud procul à collegio Canonicorum S. Germani recondita, adſeruetur. Eodem die in Hannonia Collegiata æde apud Senegias tranſlatio ſecunda B. VINCENTII Confeſſoris. *Et alibi in Gallia aliorum*, &c.

Hoc

Hoc die motte feliciſſima, ad Chriſtum migrauit Pater FRANCISCVS HVMBLOT, qui trium facultatum laurea in prima iuuentute donatus, præter ſpem omnium, profitendæ humilitatis cauſa, & maioris pœnitentiæ vt dicebat intuitu, ordinem ſancti Franciſci de Paula, experiit. In quem diuinis auſpiciis admiſſus, cùm cuique ſuſpiciendus omni gratia & ſanctitate præſtaret, per ſuorum ſuffragia, amplioribus ordinis dignitatibus & officiis adhibitus, hoc vnum ſtuduit vt ſingulis quibuſque prodeſſet. Cœleſti dotatus facundia, à Clemente VIII. ſanctiſſimo Pontifice, Galliæ egregio amatore: Concionator Apoſtolicus aduerſus hæreſes delectus eſt. Non vana laude tantum nomen teſte vniuerſa Gallia impleuit. Hæreticos exagitare, atque ad bonam mentem impellere, nunquam deſtitit. Cui propterea venenum præſentaneum parauerunt & porrexerunt, in ſuggeſtum aſcendenti, dato, vt fieri ſolet, memoriali breuiculo illatum. Quod ille accepto ſtatim antidoto non potuit tam bene diſcutere, quin lenta ſimul & præpropera morte ad vitæ metas decurrerit: imo ad beatiorem vitæ ſortem tranſierit. In qua pro hauſto veneno lethali, iam plenè imbibit torrentis diuinæ voluptatis limpidiſſimos latices. Obiit Turonis incunte ſecundo Prouincialatus ſui anno, cum ea beatioris æui opinione, vt proximè ad ſancti Franciſci ſepulchrum depoſitus ſit, qui honos ab ordinis cunabulis, vni illi habitus eſt. Apud Claram Vallem pium ſpiritum emiſit PETRVS cognomento Catalaunenſis; monachus præclaræ ſanctitatis, cuius priuilegiis iam in vita potitus, pleriſque cœli fauoribus emicuit. Item in Rameya cœnobio virginali Brabantiæ dulci beatæ mortis ſomno obdormiuit beata IDA, dicta de Leuuis, virgo eiuſdem ordinis alumna, quæ aſſiduo Deo placendi ſtudio nitens, eam ad vitæ puritatem euaſit, vt ipſum IESVM in forma pueruli à Deiparente ſibi amiciſſimè oblatum, inter vlnas amplecti, fouere & deoſculati meruerit. Hæc ſpiritu prophetico illuſtris, etiam abdita cordium penetrabat, miraculis fulgens, vexatos à dæmone liberabat. Facies eius quæ caſtitatis terſiſſimum erat ſpeculum, lucidiſſimis micabat radiis, beatæ mentis indiciis.

Franciſcus Humblot. *Petrus.* *Ida.*

Tertio Kalend. Nouembris. Luna

30 B XXIII.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
26	27	28	29	30	1	2	3	3	4	5	6	7	8			

LVTETIÆ Pariſiorum natalis ſancti LVCANI Martyris. Qui in Aquitania ortum ducens & naturæ & fidei, deſiderio annunciandi Chriſti nomen verſus Aureliam venit. Inde Lutetiam vbi cum falſorum numinũ execranda ſacra inſectatur, & purum Seruatoris cultum ſuadet quibuſque amplectendum, comprehenſus ab Antonini Imperatoris emiſſariis, Iudici ſiſtitur, qui ei vt eiuret Chriſtum diiſque ſacrificet, diſtrictè iubet. At diuinus athleta maiori religionis ardore exardeſcens, multa in vanitatem Idolorum proloquitur. Chriſti qui fuſo cruore, perditum hominem reparauit, ſuáque morte erexit ad vitam, vnicum nomen deprædicat ab omnibus adorandum: qui tanti beneficij fructum, ſalutis cupidi velint conſequi. Ipſúmque Iudicem monet, vt redemptorem tam benignum agnoſcat, cul-

SS. Lucani.

toréſque eius non cæco furore deinceps opprimat: ſed iis, repudiato errore quem magno ſui propugnat damno, citius per diuinæ veritatis confeſſionem & fidei ſacramentum ſalutare, aggregetur. Quibus monitis ſæuus Iudex furenter iratus, horribilem in modum iubet Chriſti præconem excruciari, eum vt pœnarum acerbitate in aduerſam dictis ſententiam inflectat. At inuicto pugili animus in tormentis creſcit, quoque magis torquetur, Chriſtum attollit, laudat, benedicit. Suáque conſtantia & cohortatione, multos aſtantium inducit ad fidem. Quamobrem pietatis hoſtis extremo eum ſupplicio adiudicat. Gladio igitur Chriſti teſtis obtruncatur. At deciſum caput, protinus manibus ſuis colligit. Incedit victor, nobili trophæo onuſtus, proprio ſanguine purpuratus, pretioſámque ſarcinam ad illum vſque locum vectitat, quo agonis finem & quietis inuenit ianuam. Poſitis igitur ſuper obuium ſaxum ceruicibus, illic gradum ſiſtit: ac efflato in cœlum ſpiritu, ſacros artus eodem loco deponit, qui deinde in eius aceruum teſtimonij & trophæum victoriæ, à piis *Lucani lapis*, appellatus eſt. Illius ſacratiſſimum cadauer fideles clanculum curauerunt. Quod deinde tranquilla pacis aura rebus Chriſtianis aſpirante in Pariſienſis Eccleſiæ ſacrarium inlatum eſt: vbi cum pleriſque beatorum pignoribus futuræ ſeminibus gloriæ, etiamnum omni veneratione ſeruatur. Diéque iſto natalis eius colitur proprio officio, quod in ſummo templo vbi quieſcit duplici, alibi per diœceſim ſemiduplici ritu peragitur. In tractu

FOILLANVS. Leodicenſi Foſſenſi oppido natalis ſancti FOILLANI Epiſcopi & Martyris. Qui patria Hibernus Sanctorum Furſei & Vltani frater, zelo fidei ſuccenſus, Romam venit benedictionem à Martino Papa petiturus, ad infidelium conuerſionem. Qua accepta perrexit in Galliam, vbi poſt nonnullos Apoſtolicæ prædicationis progreſſus, à beatiſſima Gertrude cum magna reuerentia ſuſceptus eſt. Cuius ope Foſſenſe monaſterium fundauit. Non tamen ita huic hæſit loco heros diuinus quaſi reperta ſtatione tranquilla, à ſuſcepto prædicationis munere pedem referret. At gloriæ Chriſti ſtimulis perpetuis concuſſus, ad ſimilitudinem fulguris coruſcantis circumquaque diſcurrit, Semina quæ ſupererant Idolatriæ ſolicitè euellit. Fidem ſeminat, ad lucem veritatis, ad Dei gratiam, ad ſalutis viam, ad animæ vitam, ad cœli gloriam, cæcos adhuc pleroſque incolas, vocat, incitat, lumini rebelles vrget, arguit, vtque ſalui fiant quà voce, quà opere inſtanter rogat, & pio zelo compellit. Non tulit diutiùs ſalutis humanæ hoſtis tam vigilem myſterij diuinæ pietatis curatorem. Impios cæco furore armat in

eius necem. Qui Dei nuncium, patriæ parentem, in ſylua intercepꝫtum Carbonaria apud Hannones, ferociter impetentes, diris transfoſſum gladiis, non repugnantem, ſed bene precantem percuſſoribus, ipſa in oratione quam pro ipſis fundebat, interfecerunt. Mirificauit ibidem Deus ſanctum ſuum, cui ex anteactæ vitę meritis, & ſubſequentib. prodigijs quæ mox circa eius venerabile corpus promicuêre, ea acceſſit gloria, vt ibidem Martyr coleretur, extructo non diù pôſt ad eius tumulum mauſoleo nobili: quod in hunc vſque diem illuſtre perſtat prope Rodium Hannoniæ oppidum, vbi viſitur Abbatia inſignis Canonicorum regularium ordinis Præmonſtratenſis titulo ipſius glorioſi cœlitis conſpicua. Eodem die ibidem natalis trium beatorum ipſius ſancti
FOILLANI ſociorum, qui ab iiſdem iniquis cum eo interêmpti, felices ſpiritus immortali in victoria profuderunt. Foillani tres ſocij Martyres.
Turonis ſancti HEBERNI Epiſcopi & Confeſſoris. qui Abbas Maioris Monaſterij, cùm Normani ſub Haſtingo duce illud cæde & flamma vaſtarunt, trucidatis plurimis monachis, ab his tandem in latebris deprehenſus eſt: diríſque excruciatus tormentis, vt theſauros Eccleſiæ patefaceret, & reliquos monachos latitátes proderet. Hebernus. Sed nulla atrocitate ſancti viri conſtantiam labefactate valentes, ad Cenomanos reuerſi ſunt. Quibus captis, Turonenſes perterrefacti corpus S. Martini ſub cuſtodia S. Heberni Autiſſiodorum tranſmiſerunt. Bello pacato Turones relatum eſt ſacrum pignus. Et ipſe Hebernus poſt Adalardum demortuum omnium votis creatus Archiepiſcopus, gregem in omni ſanctitate gubernans, beato fine exceſſit. Ipſo die S. GERMANI Capuæ in Campania Romana Epiſcopi & Confeſſoris, rerum piè, diuinè, mirificéque geſtarum claritate inſignis: cuius animam in hora obitus eius ab Angelis in cœlum ferri S. Benedictus aſpexit. Germanus. Corpus verò diuinis coruſcationibus refulgens, Ludouicus Rex Chriſtianiſſimus Caroli Magni pronepos, in Franciam ad regni munimentum tranſuexit, vt Leo Epiſcopus Hoſtienſis ſuo in Chronico Caſſinenſi teſtatur. Sanctis in Belgio, tranſlatio S. VICTORIS. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, & Martyrum*, &c. Victor.

APVD Maelouiopólim in Armorica dedicatio Eccleſiæ Cathedralis in honorem ſancti VINCENTII Martyris & Leuitæ. *Vincentius.* Abiit ad optatam ſpei Chriſtianæ fruitionem RAYNERVS Subdiaconus monachus Villarienſis multis tentationibus probatus, at pluribus conſolationibus ſupernis adſperſus. *Raynerus.* Cui infirmitas fortitudo, labor deliciæ, contemptus gloria, demiſſio ſublimitas, cupiditas miſericordia, nuditas diuitiæ, ſtudium fuit perenne virtus, & vnicum, Chriſto placere, deſiderium. Cuius & beatiſſimæ ipſius genitricis conſpectu ſæpiùs honoratus, ad extremum cùm vt veſtiret pauperem ſeſe proprio indumento exuiſſet, à glorioſiſſima Virgine & beato Ioanne Baptiſta inuitatus ad laborum meſſem, in laude ſupremæ Trinitatis animam fœtam meritis efflauit.

Pridie Kalend. Nouembris. Luna

31																C XXII.
	a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26
	t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
	27	28	29	30	1	2	3	4	4	5	6	7	8	9			

SS. QVINTINVS.

AVGVSTÆ Viromanduorum Triumphus ſancti QVINTINI Martyris ipſorum Viromanduorum Apoſtoli. Hic Romæ ſtirpe illuſtri progenitus, filius Zenonis Senatoris, ad vnius cultum numinis, & omnem morum nitorẽ eruditus, à S. Marcellino Papa poſtea Martyre cœleſti lauacro initiatus eſt: delibatóq. cum laticibus gratiæ fidei zelo, & fortitudinis ſpiritu, animum ad Chriſti gloriam propagandam, & populos in eius ſalutarem agnitionẽ & caſtæ religionis obſequium inducendos adiecit. Cuius affectus ardore, cum quoſdã primæ nobilitatis Romanæ adoleſcentes coætaneos ſuos, viróſque aliquot pietate & virtute præſtantes inflammaſſet: re ad ſummum Eccleſiæ Paſtorem delata, ab ipſóque gratè audita, Quintinus ipſe cum Criſpinio, Criſpiniano, Victorico, Fuſciano, Piatone, Euberto, qui & Eugenio, Ruffino, Valerio, Marcello, aliíſque in Galliam Belgicam cæteris remotiorem, & minus hactenus cultam, ad ſalutis opus ſub ſupernæ maieſtatis præſidio, pontificia cum benedictione miſſus eſt. Qui diuinæ cohortis anteſignanus, vbi ad delectam ſibi prouinciam greſſu intrepido perueniſſet: cõmilitonibus ſuam quibuſque in ſtationem diſperſis, ſingulare fidei certamen exorſus, Ambianum ad Phrudim ſeu Samonam nobile municipium (iam nece ſancti Firmini, qui primùm eò Chriſti præconium inuexerat, inſignitum: at exhinc magis in exitioſo cultu pſeudonuminum obfirmatum, quin & in Chriſtianæ pietatis ſatores, vel aſſertores, quæque ſpirans immania,) intrepidè ſolo Chriſti armatus nomine ingreditur. atque vt opus quod arduum moliebatur, auſpicatò ſibi cederet, cœleſtíſq. gratiæ & operatiònis fieret capacior, ſeipsũ ieiuniis & orationib. muniens, tanto agoni ineundo præparauit. Sic diuina opitulatione impetrata, quietè & cum ea quam Chriſtus ſuos docuit modeſtia & manſuetudine rem aggreſſus, Idololatriæ ſpurcitiam quibúſq. aurẽ præberent oſtẽdere: Chriſtum Dei Verbũ, filiúmq. vnigenitum, de Spiritu ſancto incarnatũ, natum de Virgine, atq. pro humano genere redimendo ab æterno excidio, in mortem traditum: hinc de tumulo egreſſum, rediuiuum, triũphantem, in cœlos euectum, patris in dextera ſedentem, mortem deglutientẽ,

vitámque æternam & regnum diuinum in ſe credentibus parantem, offerentem, annunciare cœpit. Idque ea cum labiorum gratia, ſpiritus ardore, laborum inſtantia, pœnarum (quæuis imminerent) contemptu, at eorum qui ſalutis verba ab eo audiebant reuerentia & amore, vt pellectis multorum animis, mox plerique repudiata fœda ſuperſtitione, puriſſimam Chriſti fidem & ſalutarem doctrinam, auidè complecterentur. Creſcebat autem in dies pietatis diſcipulorum numerus, maximè ex quo Quintinus, dictis mira adiecit opera, quæ diuina virtute in ſanctæ prædicationis fulcimentum edebat. Salutari ſiquidem crucis ſignaculo cuius prædicabat myſteria, expellebat dæmones, enecabat ſerpentes, reſtinguebat incendia, compeſcebat fluctus, cæcos illuſtrabat, erigebat debiles, morbos quoſuis curabat: ipſáque fictilia numina, quæ adorabat ſtupidior ſtipitibus populus, dicto citius euertebat. Nec id Ambiani modò patrabat Chriſti ſeruus, ſed circumquaq. per vicos & oppida curſitans, eiuſmodi magnalia in nomine Seruatoris exequebatur. Tanti rerum nouarum progreſſus fama vndique ſe mox diffudit, delatáque ad Rictiouarum ſæuum Belgicæ Galliæ Præſidem, eò miſſum à Maximiano Principe, ad Chriſtianos omni crudelitate vexandum. Ille ideo Ambianum ſe confert cum immani ſuæ ferocitatis miniſtrorum caterua, Quintinum vt vel diro mortis genere enecet, vel perfidiæ in ſcelus impellat. Comprehenditur furentis Præfecti iuſſu athleta fortiſſimus, eiúſque aſpectibus lætus ac gloriabundus ipſo ex vinculorum onere ſiſtitur. de nomine, de origine, de inſtituto vitæ, de cauſa cur hîc agat, pleno in conſeſſu apertóque tribunali inquiritur. Tot poſtulatis, vno fermè reſpondit verbo adoleſcens beatus ſe Chriſtianum eſſe, hócque potiſſimum nomine gloriari, qui à cunabulis quæ Romæ ſuſcepit, Quintinus dictus ſit, Zenonis Senatoris filius. Se porro huc veniſſe, vt quam diuino munere accepit fidem, in incolarum mentes inſtillet: qua abducti à cæco auitæ ſuperſtitionis errore, veri vnicíque numinis ſuſcepta notitia, æternæ felicitatis munera, quæ ſperat à Dei bonitate, ſecum adipiſcantur. Excanduit his auditis Præſes. Monétque primùm ficta blanditia Quintinum, vt à natalibus tam claris, quibus ortus eſt, nihil degeneret. Pudendum eſſe, ſenatoriæ dignitatis virum, ſuffixum cruci hominem pro Deo colere. Viliſque & abiectæ ſectatorum ipſius crucifixi vitæ, Romanæ nobilitatis florem ſubſterni. Dolendum denique tam ſtolidis fabulis ipſum qui ingenuè educatus ſit, fuiſſe deluſum. His venenoſis ſibilis, diuinus heros mox ſedatè ac grauiter reſpondit, ſibi maius decus nón potuiſſe nobilitatis accedere, quàm Chriſti agnitione illuſtrari. Quem im-

menſa miſericordia, pro mundi ſalute ſponte immolatum in arâ crucis, intimis præcordiis inſitum omni affectu colit & adorat: nemóque vnquam verbis vel verberibus à ſe auellere poterit. Cui ſeruire, ſumma ſit gloria, in quem credere & ſperare, ſola ſit ſalus & felicitas vera. Inſtat Tyrannus, illicóque Quintinum diis ſuis litare iubet. Si abnuat exquiſitis tormentis decernit cruciandum. Cui Martyr, *age*, inquit, *quod lubet. Ego enim ſecurus ſum de Chriſto meo, à quo nulla pœna acerbitas, nulla mors etſi atrociſsima, me vnquam ſeparabit.* Iubet igitur ferox Iudex illum à quaternionibus extenſum cædi. Cæſúmque ditiſſimè quod in fide perſtaret ineluctabilis, tetrum in carcerem detrudi. Vnde per Angelum eductus Quintinus, poſtridie in media vrbe Chriſtum prædicans inuentus, blandiciis iterum ſed fruſtra à Præfecto tentatur, nec minis mouetur. Etenim vt excelſa arbor, agitatione ventorum ſolidatur, altiúſque figit radices, ſic nouus iſte Machabæus quo magis impetitur animo aſſurgit, Chriſti nomen inſigniori præconio effert, fidem maiori conſtantia profitetur. Efferbuit ideo acrior in eum ira Iudicis. Cuius iuſſu ſuccedentibus tormentis ad trochleas extenſus, & diſtractus, teſticulis ferreis cæſus, feruenti oleo, pice & adipe perfuſus, admotis etiam facibus exuſtus, inſtillatis etiam ori ejus calce, aceto, & ſinapi: cum omni ſupplicio fortior euaderet: quótque vulneribus dilaniatus, totidem oribus Chriſti teſtaretur gloriam. Vrbe à Præfecto prorſus inſaniente abducitur, quam tantæ patientiæ ſpectaculo, ad eius quam propugnabat veritatis cultum, inuictus Martyr animabat, atque ad terrorem eorum quos toto hoc tractu cœleſtis præco fide imbuerat, varia per loca circumagitur, raptatur vt erat excarnificatus, demúmque ad extremum horrendúmque ſupplicium Auguſtam Viromanduorum ducitur. Vbi capitali ſententia damnatus ab impio Iudice, nouo ſanè ac ſtupendo crudelitatis artificio, duobus verubus à ceruice vſque ad crura tranſfigitur. decem item clauis pungitur inter carnem & vngues. Poſtremò cùm his inſigniis triumpharet Chriſti pugil inclytus, capite obtruncato, ſuprema laurea coronatur. Huius glorioſus ſpiritus, niueæ columbæ inſtar euolans, ſe in cœlum recepit. Corpus furentis adhuc in mortuum rabidi perſecutoris iuſſu, in fluuium Samononam, ne à Chriſtianis colligeretur religioſo funere, proiectum eſt. Verùm annos poſt quinquaginta quinque reuelatum fuit ab Angelo *Euſebiæ* Romanæ matronæ nobiliſſimæ, eiúſque diuinitus reperti attactu, viſum quem ante annos nouem amiſerat, ipſa recuperauit. At cùm aliquot inde annis, ignotus eſſet ſepulchri vbi illa ſacrum corpus condiderat locus; beato

Eligio Nouiomenſi diuino indicio patefactus eſt, è quo extractas reliquias venerandas, capſula eximij operis à ſe fabricata ſanctus ille Antiſtes concluſit. Quæ tanto referta theſauro in hunc vſque diem Auguſta in baſilica ſeruatur; magis titulo, pignoribus, meritis & miraculis tanti cœlitis conſpicua; quam ipſius ſtructuræ mole & ſplendore, vel amplitudine vrbis quam glorioſus Martyr nomine ſuo iam illuſtrat. Acceſſit enim ex mauſoleo Martyris, pago vel oppido certè antea fama exili, hoc inſigne decus, vt deletæ Viromanduorum Auguſtæ priſcam dignitatem reciperet. Imò quòd vnicum inuicti athletæ Chriſti mnemoſynon, hoc ipſum nomen inumbrârit, ab eius vocabulo cenſeretur. Cuius etiam patrocinio præpotenti munita, hactenus non modò florentiſſima, ſed & inexpugnabilis perſeuerat. Res enim iampridem explorata eſt apud incolas, impendente ciuitati clade aliqua, glorioſum Martyrem in ſplendidi iuuenis forma ſæpiùs viſum, mœnia ac propugnacula obambulare, repentinóque hoſtibus terrore immiſſo, à præſenti diſcrimine charam ſibi conſeruaſſe vrbem. Ipſo die Foſſis celebratur Natalis ſancti FOILLANI Martyris & ſociorum, quorum extrema concertatio peracta eſt heri. Hoc item die ſanctæ NOITBVRGIS Virginis, quæ puros amores Chriſto conſecratos, ipſi tota vita ſeruauit. Exactóque ſanctiſſimæ conuerſationis ſtadio, felici fine quieuit Coloniæ, in monaſterio ſanctæ Mariæ quod eius matertera Plectrudis, Pipini Heriſtalli vxor, in ipſius gratiam & Virginum ſacratum, conſtruxerat. Hinc tamen poſt tranſitum beatum, quod micaret glorioſis ſanctitatis inſigniis, tranſlata eſt prope Confluentiam ad montem ſancti Beati, vbi ſacro natali hodie honoratur. Niuernis feſtiuitas ſancti *Patricij* Eremitæ & Confeſſoris, cuius felix depoſitio Eccleſiæ Catholicæ ſacris diptychis conſignata recolitur nono Kalend. Septembris. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confeſſorum, atque Sanctarum Virginum.*

Foillanus.

Noitburgis.

VIGILIA fit hac die vbique ſolemnitatis omnium Sanctorum. At Quintinopoli ob natalem ſancti Quintini ex ſedis Apoſtolicæ indulto anticipatur. Fit enim ibi cum ieiunio die præcedenti.

NOVEMBER.

Kalendis Nouembris.

I																D xxi.
a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
28	29	30.	1	2	3	4	5	5	6	7	8	9	10			

SANCTI OMNES.

FESTIVITAS OMNIVM SANCTORVM. Quam Bonifacius Papa IV. expurgato deorum omnium veteri fano, quod Pantheon vocabatur, in honorem beatæ ſemper Virginis Mariæ & omnium Martyrum, tempore Phocæ Imperatoris, Romæ quotannis celebrari quarto Idus Maij præcepit. Sed Gregorius quartus, ad honorem ipſius Deigenitricis & omnium Sanctorum, inſtãte Ludouico Pio Imperatore ac Rege Chriſtianiſſimo, ſolemniter in vniuerſa Eccleſia perpetuo coli agíque Kalend. Nouembris conſtituit. Cui decreto cùm pleriſque in Germaniæ & Galliæ locis non ſatis obtemperaretur: incenſus religioſo æſtu Princeps pius ipſemet Ludouicus, diſtrictam ſanctionem edidit. Qua iuſſis Chriſti Vicarij reddi debitam reuerentiam, à quibuſque mandauit, ſícque in omnibus tranſalpinis regionibus pio more recepto, hæc ſolemnitas exinde multa cum deuotione obſeruata eſt: maximè verò in Gallia, quæ vt heroum mater beatorum præ cæteris gentibus fœcunda: ſic ipſorum in recordationem & cultum magis multo propenſa, feſtum hoc quo eorum triumphi & coronæ celebrantur, eo feruore pietatis & ſtudio reuerentiæ complexa ac proſecuta eſt, quo id inter præcipuas Chriſtianæ religionis ſolemnitates recenſuit: póſtque Domini natalem, & reſurrectionem; necnon Spiritus ſancti aduentum, digniori loco habendum voluit, quarto ſcilicet in ordine hoc reponens. Vnde iampridem mos apud Chriſtianiſſimos Reges inoleuit, vt ad feſtum Sanctorum omnium, quod maximè in religioſis obſeruationibus auguſtum eſſet, quotannis ſolemnia

ſupremæ ſuæ curiæ comitia indicerent, atque peracta omni cum honore tanta celebritate in vrbe regia Pariſiorum, Senatum ingreſſi cum magna totius regni procerum corona, in throno ſeu thalamo vt aiunt iuſtitiæ reſidentes, leges publico bono accommodas promulgarent. Sapienter iuxta ac piè iudiciorum exordia auſpicati, à beatorum cultu & opitulatione, qui recti ac æqui trámitem, dum agerent in hac caduca luce conſtanter tenuerunt: iuſtitiæque Dei præcipuo affectu ſemper placita ſequentes, iuſtitiæ quoque coronam recta conuerſatione, innocentiæ cultu & ipſo iuſtitiæ merito retulerunt. Nec modò Iudiciorum Reges Francorum auſpicia, ſed & bellorum ac pacis primordia, his à beatis mentibus cenſuerunt ſibi aſſumenda eſſe. Quamobrem & cùm procederent ad bellum, ſecum in quauis expeditione conſueuiſſe, Sanctorum reliquias, ſeu vt eas vocabant *Sanctorum patrocinia* ferre per ſacerdotes religioſo huic muneri mancipatos: quin cùm & victores redirent, aut pacificè vrbem quamuis ingrederentur, ſolitos fuiſſe ſacris ſanctorum reliquiis præcedentibus, equitare, res eſt ex priſcis regni monimentis perſpicua: quod à ſanctis in pietate & iuſtitia fundatum, iiſdem ſemper deuotum perſeuerat: à quibus vt ſemina fidei, documenta diuinæ religionis, exempla innocentiæ, ſpei fomenta, charitatis incentiua, ſpecula patientiæ, trophæa fortitudinis, cum multis diuinæ virtutis & gratiæ coruſcationibus, & imbre copioſo beneficiorum recepit: ſic & iuge patrocinium habet, & continua eorumdem ſentit beneuolentiæ officia, potentis apud Deum interuentionis teſtimonia. Inde eſt quod ipſorum aſſiduis munitum præſidiis, ſuffultum pretioſis pignoribus, ditatum monimentis, decoratum triumphis, illuſtratum glorioſis nominibus, hactenus toto orbe auguſtum, felix & ſtabile aduerſus quoſcumque impetus perſtiterit, atque vſque in ſæculi deliquium auſpice Chriſto, ipſiſque ſuis quondam alumnis, nunc columnis cœli ſcilicet iam beatis ciuibus, ſuffragantibus, opitulantibúſque conſtabit, furente quamuis infidarum gentium ferocia, vel infeſtarum quantumuis inuidia fremente. Etenim ſicut ſcitè veréque aiebat pridem diuinus vir Hieronymus, (qui *Galliam monſtris caruiſſe, abundaſſe autem viris fortiſſimis*, aſſeuerat) impoſſibile eſt eum qui multos habet apud Deum interceſſores, exitiali fine perire: quoniam Dei non fert bonitas tot piorum interuentorum preces non exaudiri. Certè Gallia hodie feſta omnium Sanctorum, cum vniuerſali Chriſti Eccleſia celebrans, inde habet quò plurimùm gaudeat ſibíque polliceatur, quòd non paucos hac in cœleſti aula ſibi ſciat eſſe addictos intimo beneuolentiæ affectu, de-

uinctos perpetuo ac inuiolabili nexu patronos, qui Deum inceſſanter pro ſua incolumitate deprecantur. Quin & tanto maiora ſibi ſpondeat ſubſidia & commoda, quanto plus cæteris gentibus abundat aulicorum ſupernorum agminibus. Vix enim eſt vlla ſub cœlo natio tam grandis, quæ amicos tot habeat apud Deum interceſſores. Tametſi enim hoc in hagiologio, Sanctorum ferè myriades cenſeantur, qui iure multiplici, varióque oppignerationis titulo, Galliæ deuinciuntur. Nihilominus verum eſt innumerorum ferè nomina quæ incomperta ſunt hominibus ab his rabulis abeſſe, quos Gallia ipſa habuiſſe non dubium eſt *legis æternæ ſanctiſſimos interpretes, Euangelij præcones clariſſimos, Chriſtianæ Philoſophiæ doctores fideliſſimos, diuinæ ſcientiæ magiſtros ſapientiſſimos, militiæ ſacræ ductores fortiſſimos, & auſpiciis Chriſti glorioſiſſimos victores:* qui cum his quibuſcumque hac in ſerie memorantur regali purpura inſigniti, laurea triumphali decorati, ſummo curiæ cœleſtis principi aſſiduî, ipſiúſque Galliæ rebus, peruigili cura triſtis ſolicitudinis neſcia, conſulunt, ne pereat; ſed vt æterna ſalute, poſt temporum viciſſitudines, depulſis quibuſlibet noxiis, Reges ipſius populúſque tandem diuino munere potiantur. Cæterùm ita futurum non eſt cur diffidamus, modò incolæ Galliarum, veſtigia Sanctorum quorum natalibus vel trophæis gloriantur, fide, iuſtitia, & charitate conſectentur. His enim ſtudiis in cœlum ſancti ipſi contenderunt, his progreſſibus ad regnum Chriſti peruenerunt, ad quod nos documentis inducunt, exemplis inuitant, prouocant præmiis, & iuuant præſidiis. *Sic ibi de ſua ſalute ſecuri, vt de noſtra ſint perenniter ſolliciti.* In cuius peruigilis opitulationis vicem, æquum eſt vt iis deuotæ gratitudinis officia rependamus, quâ ſic ipſorum memoriam veneremur, patrocinia flagitemus, vt actiones ſanctas imitemur, & ad eorumdem conſortium per rectum virtutis callem & aſſiduam pietatis obſeruantiam anhelemus. Tum enim fauores ipſorum vbertim adipiſcemur, ſi mores eorumdem in noſtrum vſum transfundendo, iis conformes fieri puritate vitæ & amore iuſtitiæ ſtudeamus, quibus affectibus Chriſto archetypo ſanctitatis, & ipſi aſſimilati, tandem diuinæ eius ſimilitudinis abſolutum decus in gloria, facti eius conſortes ex beati ipſius conſpectus ſpeculatione, & fruitione ſummi boni quod ipſe eſt, feliciter perceperunt. Diuione ſub Epiſcopatu

BENIGNVS. Lingonenſi natalis ſancti BENIGNI Presbyteri, Burgundiæ Apoſtoli & Protomartyris. Qui natione Græcus, Smyrnæ in Aſia minori, ſub beati Polycarpi Apoſtolorum auditoris diſciplina primam ætatem exegit. A quo eruditus in omni ſalutis ſcientia,

in peridoneum gloriæ diuinæ inſtrumentum euaſit. Itaque cùm Polycarpus ex commonitione beati Ioannis Euangeliſtæ (qui curam Gallicanæ gentis paternam, ipſum aſſumere, cùm excederet ab humanis iuſſerat:) in Gallias quantos poterat fidos ac nauos Euangelij præcones ſubmittere conſtituiſſet, pleroſque viros Apoſtolicos, at Benignum præſertim è ſuo gremio in has oras legauit, atque ad Celtas voluit proficiſci, vt Euangelij ſemente, ſolum hactenus incultum aratro crucis fœcundaret. Cui ceu in Coryphæo adlectis in ſubſidiū myſterij gratiæ & operis pietatis, Andochio Preſbytero, Thyrſo Diacono, Andeolo, aliíſque ſymmyſtis, benè diuino ex afflatu ominatus, forti vt gratóque animo rem tantam aggrederetur ſuaſit. Quandoquidem *ſua ex prædicatione in latiſsima regione Galliarum proditurum ſciret auſpice Chriſto populum ſubſtantiuum*, id eſt, in vera fide ſemel agnita ac ſuſcepta ſtabilem & copiis gratiæ prædiuitem, *qui gregi Chriſti magno incremento accederet*. Hoc cœleſti vaticinio lætificatus Benignus, cum delectis commilitonibus Galliam nauigio petit, appulſúſque Maſſiliam, hinc Carpentoractem Meminorum vrbem in Viennenſi prouincia, Andeolum ſublegat, noualis huius proſcindendi causâ. Ipſe verò cum Andochio & Thyrſo ad Æduos proficiſcitur, atque Auguſtoduno crucis Chriſti, felici prorſus auſu, infert trophæum. Illic à Fauſto prætorianis faſcibus illuſtri obuiis vlnis exceptus, adeo fortunata ope vicem hoſpitalitatis rependit, vt eidem totíque familiæ plenam Chriſti indiderit notitiam. Nam & Fauſtum & filium eius Symphorianum inſignem poſtea fidei athletam, omnéſque illius domus alumnos pietatis imbutos arcanis, ſacra baptiſmatis vnda regenerans, Æduorum primitias in his Chriſto ſeruatori dedicauit. *Currit velociter verbum Dei, cúmque ignitum ſit vehementer*, vbicumque capit, inardeſcit, quóque magis feruet, eò vrget, fortiùs erumpit. Hoc igitur ſemel incenſus Fauſtus, conceptum Chriſti gloriæ dilatandæ ardorem intra pectus clauſum non ſuſtinet, chariſſimos ſibi cœli nuncios à ſe protinus ablegat, quóque ſalutare nomen ſeruatoris vndequaque celebrent, diuinis præconizationibus, eoſdem rogat ac impellit. Et Andochium quidem & Thyrſum ad populares ſuos Sedelorum tranſmittit. Benignum verò Lingonas ad ſororem ſuam Leonillam ire obſecrat, quæ Chriſti præconem, non ſecus ac delapſum ad ſe de cœlo Angelum ſuſcipit. Huic matronæ pernobili tergemini erant nepotes, florentis ætatis & gloriæ, quos cùm Benignus Nemeſi faciendis ſacris nactus intentos, de cæca deſerenda ſuperſtitione admonuiſſet, ſuperna inſufflante aura, præconio diuinæ verita-

tis aurem præbentes, plenè quæ Chriſti ſunt edocuit, ac fontis gratiæ lauacro conſecrauit. Mira res, filij citius parente ad pugnam & palmam percucurrerunt. Abeunte enim Benigno, ipſi Tergemini adoleſcentes, mox fidei certamen auſpicati, vrbem totam & verbi ſalutis copia & agonis ſui gloria repleuerunt: quæ victa ipſorum forti colluctatione, Chriſto manus dedit, abiectíſque, conſpecto ipſorum triumpho fœdis idolomaniæ ritibus, ſeſe fidei quam obſignârunt ſanguine ſuo hi pugiles cum ſociis, piis legibus ac ſacris moribus ſponte mancipauit. At Benignus cui Fauſtus adeo progreſſus ſuæ apud Lingones hoſpitationis, ſatis notus erat: ne cui loco hæreret abſque fructu receptæ cœlitus gratiæ, inde excedens Diuionem pergit arcem à diuorum omnium inſigni delubro ſic dictam. Eóque ardentiori impetu fertur, quo nefarij cultus magis illic ſuperſtitio feruebat. Agit illic diuinus vir omni zelo & conatu, vt Euangelica prædicatione ſua, Chriſti nomen ſalutare incolis innoteſcat. Nec incaſſum nititur. Proſperè illi quiduis obuium cedit. Simulacra eius ad acceſſum ruunt, dæmones ipſo viſo fugiunt. Vocem eius gratanter audiunt homines, quos doctrinæ coniuncta cum ſuauitate ſanctitas & vis admirabilis afficiebat. Congregatur igitur mox Chriſto nouum peculium, vocéque & miraculis quæ edebat Benignus in dies, ouium numerus creſcit. At liuor non finit diu hoſtis humani, tot animarum lucra diuinum negotiatorem congerere. Peruehit ad aures Aurelij ſibi addicti principis, *tonſum vertice hominem, veſte peregrina Diuionem veniſſe, illícque nouos ſpargere mores, deorum ſacra execrari, auitas ceremonias inſectari, magicis artibus populum dementare, abductúmque à religione maiorum, ad nouos ritus, cultúmque crucifixi hominis, quem Deum vnicum prædicabat, quotidie traducere, audientes abluere aqua, balſamo linire, cruce ſignare, ac in cœtum vocatos ritibus initiare incognitis.* Hoc rumore percepto Imperator Terentio mandat Comiti, vt feſtinè Chriſti ſacerdotem, quem dicebat impoſtorem exitioſum, perquirat. Paret ille iuſſis ocyúſque Benignum inueſtigat, quem in pago Spaniaco repertum, verbum Dei populo prædicantem, nexibus ferreis onerat, raptúmque ad tribunal, inquirit, *num abiecta Chriſti religione, diis illico litare velit.* Scelus abnuit nefandum Chriſti Martyr. *Abſit*, infit, *vt me à Chriſto abducas, cui ego ſeruio: qui eſt Verbum Patris, margarita ſplendens, & lux inenarrabilis, ipſo à Patre miſſus, vt in ſe credentibus ſalutem & vitam æternam tribuat. Hic omnium eſt Rex, quem velis nolis, Deum & Dominum tuum omniúmque tandē agnoſces, cùm venerit viuos & mortuos iudicare, vlciſcique inſaniam qua*

nunc

nunc ſuos in ſeruos debaccharis. Vix athleta Chriſti hæc prolocutus fuerat, cùm Comes cæco percitus furore, illum iuſſit duriſſimis neruis cædi, atque ad trochleas extendi; niſi protinus ſacrificare conſentiat. At Benignus eo fit animis infractior, quò laceratior membris. Mille ſi mortes pati oporteat, Chriſto quid ingratum ſe admiſſurum inficiatur. Idcirco Comitis præcepto in fanum adducitur, vt ſi non ſacrificet, ſaltem admotas ori vel inuito carnes immolatitias, vi deguſtet & glutiat. At diuinus heros his in anguſtiis poſitus, contra immundas eſcas Chriſti ſignaculum prætendit: cordéque ſurſum ſuſpenſo, & oculis in cœlum ſublatis, hanc in vocem ſupplex erumpit. *Domine* IESV *mundi inſtaurator, deſtructor dæmonum, lux æterna, adſpice in hac hora, vt qui adorant ſculptilia, & te ſpernunt verum Deum, virtutem tuam videant, & in ſua vanitate confundantur.* Clientis ſui gemitum; è ſuperna arce Rex gloriæ exaudiuit. Protinus enim idola omnia; vaſáque quibus his ſacra fiebant, diuina virtute minutim confracta ſunt. Obſtupuit tyrannus tam inſolito ſpectaculo: nec tamen monente Chriſti præcone, ſanam mentem induit. Cuius exaſperatus magis hortatu, ipſum in tenebricoſum trudi carcerẽ iuſſit; ingentíque ſaxo perforato, pedes eius inſeri, his plumbo vt ſaxo hærerent infuſo. Nec hîc ſtetit inſanientis perſecutoris immanitas. In digitos enim martyris calentes ſubulas in longum fecit defigi. Cùm verò non deficeret animo pugil beatus, ſed magis creſceret, inedia illum extinguere ferox Iudex ſtatuit. Vetuit per ſex dies vllum ipſi cibum vel potum præberi. Quin vt non modò penuria periret, ſed ipſe potiùs in eſcam feris datus, mox in fruſtà diſcerperetur, includi cum eo præcepit duodecim canes ſæuiſſimos, fame iam ſitíque affectos, qui ſe eius laniena ſatiarent, & milites extra adhibuit, ne horrendæ huic addicto neci, quicquã vllus ſolatij afferret. At præſto fuit Benigno Angelus, vt quondam Danieli rabidis cum leonibus incluſo, qui fideliſſimo Chriſti ſeruo cœleſti è menſa alimoniam præbuit, ſubulas de manibus eius diſcuſſit, plumbum ſaxeámque molem qua eius pedes conſtringebantur diſſoluit; manſuefecit feras, carcerẽ lumine gratiſſimo impleuit. Sic in omni ſolatio ſpiritus & refrigerio corporis Benignus ſex tranſegit dies. Nec putabat Iudex illum à primo die viuere. Canum tamen potiùs quàm hominis memor, ſexto die ſatellites miſit, vt è ſpecu horrido, feras quas exiſtimabat conſtrictum dilaceraſſe, tandem educerent. Reſerato carcere, apparuit emiſſariis Benignus illæſus, omníq. exemptus nexu & pondere. Attoniti miniſtri, rem prorſus inſpectatam renuntiant Comiti. At ille: vecte, ait illis, ferreo in collo contundite deorum contem-

ptorem. Si non illico moriatur, ne proroger noſtram iniuriam, lancea tranſuerberare. Sic igitur Chriſti bellaror Benignus vecte percuſſus,& lancea transfixus,quin poriùs torque ornatus prerioſa,& virenri palma prædicus,æternos ad triũphos euolauit. Qui cùm beatam efflaret animam,columba niuea ex carcere à Chriſtianis viſa eſt in ſuperna conſcendere. Tantæ autem ſuauitaris odor è carcere emanauir in piorum ſpectarorum nares, vt iam paradiſi delicias ſe ſenrire arbirrarenrur. Cæterùm audito glorioſi agoniſtæ occubitu, Leonilla pienriſſima matrona, nuru Dei veniens, ſanctum corpus aromaribus condiuit,& non longè à carcere vbi exrremam peregerar luctã,vir beatus, condidir in ſepulchro,vbi ille mulris virturib. & miraculis oſtendir, quam magnã apud Dominum pro quo paſſus eſt poſſidear præcelſa ob merira gloriam. Cuius ſplendore percitus B. Gregorius Epiſcopus Lingonenſis,corpus ſacratiſſimum ranti cœlitis in elegantem baſilicam à ſe conſtructam rranſtulit: quæ trophæis illius illuſtrata, ſibi & eius nomen indidir,& vrbi ex eius opirularione perpetuum roburaddidit,æternámque famam & felicitatem.Porro Gallia vniuerſa iam ab ſuſceptæ religionis primordiis S.Benigni nomen ea in veneratione habuir, qua cærerorum ſuorum Apoſtolorum & Protomarryrum coluir memoriam: vnde & Petrus Venerabilis Cluniacenſis Abbas ex auiro more ipſum bearum Benignum primis Galliarum Apoſtolis adcenſuir, iis illum æquiparans quos appellar, *glorioſiſſimos noſtræ fidei patres*, illo in aureo libello quem conrra Petrobruſianos hæreticos, pro fidei ipſius quam primi illi Chriſti præcones Galliæ annunriarunt. & ſanguine obſignarunt, propugnatione contexuir. Claromonte Aruernorum, necnon Nouioduni Æduorum ſancti AVSTREMONII primi illarum vrbium Epiſcopi & Marryris, qui à ſancto Petro Roma in Gallias directus cum Ponrificali honore,deſtruendæ Idolatriæ,impuris ſacrificiorum ritibus ſubmouendis,fanis profanis diruendis; at verò vnici triníque numinis ſyncero cultu inducendo,eruendis ex auiræ ſuperſtitionis caligine populis,fidei propalando lumini,expiandis animis,ſanctificandiſq. vigilem curam & operã adhibuit. Qua in re opera vſus piiſſimorum aſſeclarũ, dum ipſe felicibus auſpiciis ac progreſſibus,ſalutis myſterium Claromõte,Aruerniæ apice,promouebat,*Sirenatum* ad Thiery pagum, *Marium* ad Moriati incolas, *Mametum* & *Antonium* ad Aruerniæ montes,*Nectarium* in Limagiam verſus Loriatũ,&ad mõtem Cornadorũ ſublegauir, vt clangore tubæ Euãgelicæ annunciaro Chriſti nomine, populos huius regionis à præcipirio perditionis, ad ſalutis viã & æternæ felicitatis iter abducerenr. Hi verò ſtrenuè

AVSTREMONIVS.

iniunctum opus aggreſſi, quà voce, quà miraculis & ſanctiſſimæ conuerſationis nitore, pleraſque plebium multitudines Chriſti illuſtratas agnitione, legibus eius ſacríſque, ſuo quique in tractu mancipârunt: Eccleſiis vbique ædificatis, in quibus pios agebant cœtus, & diuinæ gratiæ munera confluentibus in dies magis ac magis populis impertiebantur. Verùm Auſtremonius, cùm Claromontij ciues fauſta ſua perſuaſione illectos, iam abhorrere ab Idololatriæ ſpurcitiis, Chriſtúmque magno affectu pietatis amplecti cognoſceret: *Vrbico* demandata religionis prouectione & populi cura, ad Æduos quibus Chriſtus adhuc ignotus erat ſe contulit: Niuerniámque ingreſſus, ciuibus, primum diuinæ veritatis & miſericordiæ lumen inuexit. Multam breuiſſimo tempore fecit illic gratiæ ſementem. Adeovt grege iam numeroſo propriam illic ſpeculam paſtoralem erexerit, huícque *Patricium* præfecerit virum Apoſtolicæ virtutis. Sic rebus benè apud Niuernenſes conſtitutis, ſuos ad Claromontanos vir diuinæ gloriæ ſtudioſiſſimus quantociùs reuertit, quos omni prouexit ſolicitudine: donec expletis eo in munere, magna cum Apoſtolicæ gratiæ claritate annis triginta ſex, non quietis amans, ſed diuinitatis impenſius colendæ cupidus, ſeceſſum ad contemplationem aptũ petere diſpoſuit. Quamobrem ordinato ſui vice Vrbico Epiſcopo, cuius virtutem expertus erat, Icciodorũ ſelegit vicum pone quem extructo tuguriolo ſedem fixit, toto pectore æterna ſpirans, vigiliis, orationibus, ieiuniis, diuiníſq. meditationibus die noctéque defixus. Non tamen hac fruens ſuauitate, populi curam abiecit. Nam & ſucceſſorem ſuũ ſæpè paternis monitis hortabatur, vt creditum miniſteriũ impleret: ſícq. ſibi propinquos incolas magna pietatis inſtantia erudiens, penitus Chriſto acquiſiuit. Apud quos in prædicto pago ædificauit primam Eccleſiã quam officij memor, Petro Apoſtolorum principi, à quo ſpiritum pietatis hauſerat, debita gratitudine nuncupauit. In qua demum felici ſenio confectus, Apoſtolico curſu conſummato ſepultus eſt. Verùm inculta ibi meritorum eius memoria ſub puluere obliuionis diù delituit. Quouſque ſcilicet *Cautinus* in Archidiaconatu ſuo, Apoſtolici viri venerandam recordationem illuſtrauit: inſtitutis ad eius tumulũ ſacris excubiis, & natali eius congruis obſeruãtiæ officiis honorato, anno Chriſti quingẽteſimo ſeptuageſimo primo. Tunc verò glorioſus Antiſtes ſplendores nouos è ſepulchro, vt ſol diſcuſſis nebulis exeruit, clientibus qui opem ſuam implorabant, omni beneficiorum genere cumulatis. Vnde creſcente nominis eius gloria, beatus Præiectus Aruernenſis Epiſcopus, ac deinde Martyr, exquiſitas res ab illo diuinè geſtas

proprio commentario complexus, ad æternam meritorum eius commendationem euulgauit. Cæterùm ſanctus *Auitus* iunior, ipſius Præiecti ſucceſſor, eius piam in Aruernorum Apoſtolum honorandum ſolicitudinem æmulatus, ipſiuſmet Auſtremonij veneranda pignora, è ſitu obſcuriori eduxit, atque quo vberiori frueretur cultu, ad Voluici cœnobij baſilicæ tranſuexit ſacrarium. Hinc tamen ſub Pipino Rege, eiúſque rogatu ad Mozacenſe quod Rex ipſe fundauit monaſterium, beati ipſius Auſtremonij ſacratiſſima lipſana tranſtulit *Aldretus*, aliàs *Adebertus* Claromontenſis Antiſtes, quando illam Eccleſiam ſolemni ritu dedicauit, ſicuti authentica Lamfredi relatione, chirographo ſigillóque præfati Regis Pipini communita, fit omnino exploratum. Lutetiæ Pariſiorum ſancti MARCELLI Epiſcopi & Confeſſoris. Qui haud ita claris natalibus ortus, præcipuum nobilitatis inſigne, Chriſto ſeruire ſine culpa cenſuit: hócque nixus principio, tot mira operatus eſt, vt meritorum ſplendore ipſam regiam vrbem plurimùm inſigniuerit. Hic à parentibus, modicæ quidem ſortis at magnæ fidei & pietatis, in Dei timore optimè inſtitutus: poſtquam in omni innocentia & vitæ puritate tranſmiſſis pueritiæ annis ad pubertatem peruenit, irradiante iam in eo ſpiritu gratiæ, lector in Eccleſia conſtitutus, potior meritis quàm gradu, ſignis cœleſtibus mox emicuit: adeovt ad nutum inanimes quoque creaturas flecteret. Nam aliquando à fabro compulſus candentem ferri maſſam, nudis manibus ſuſtollendo, perpendere: ferrum intrepidè è camino arripuit, manu illæſa librauit, pondúſque certo enarrauit. Auctus deinde ordine, ob clara ſanctitatis inſignia, à beato Prudentio Epiſcopo ſubdiaconus creatus eſt. Cui cum ipſo die ſolemnis Epiphaniæ in ſacra actione miniſtraret, dum aquam hauſtam de fluuio manibus eius infundit, elementum in vini liquorem mutatum eſt. Quo viſo obſtupeſcens Pontifex, iuſſit ex vrceo in ſacrum fundi calicem, & cœleſtem liquorem vniuerſo populo ad communionem præberi. Cúmque multitudo plebis ex eo in diuina ſynaxi libaſſet, vas ipſum ad ſummum æquè abundans, admirandum rurſus cunctis fidelibus ſpectaculum exhibuit: ſed & myſtico eius vini beneficio, multi poſtea ſalutem ius à languoribus perceperunt. Alia autem vice cum gratiſſimus Deo ſubleuita, aquam venerabilis Antiſtitis manibus ad altare inſtillaret, mox è vaſculo balſamum fragrantiſſimum profluxit: quo Pontifex perfuſus, phialam diuini liquoris, pro cœleſti munere, conficiendo chriſmati reſeruauit. Cui eidem Epiſcopo, ipſemet Marcellus vocem reſtituit, cùm eam ob flagellatum ex inuidia *Mintucium* annorum circiter decē

MARCELLVS.

puerum, qui iuſſus in Eccleſia mira vocis modulatione cantauerat, perdidiſſet. Exeunte autem à mortalitate Prudentio, Marcellus, iam tot titulis ſanctitatis præpollens, eius in locum diuino ductu præficitur, magno Cleri conſenſu miráque populi efflagitatione delatum ſuſcepit munus, vir beatus, ſolo Dei intuitu, non vt præeſſet, ſed prodeſſet. Ideóque potiùs ad onus quàm ad honorem attendens, omnes curas & actiones in Domini lucra, & non ſua, ſed ouium commoda, quarum ſalutem vehementer ſitiebat, conuertit. Non paſſus eſt vllis ſe frangi laboribus, ſed pari alacritate atque virtute quà munus inchoauerat, id ad extremum vſque perduxit. Eámque in ſingulos curam quam in vniuerſos ſolicitudinem, oſtendit: ita omnia omnibus factus, vt ſimul ſe ad proprias ſingulorum neceſſitates accommodaret. Non videtat poſt Dionyſium Lutetia tantum lumen, quo longè latéque radios fundente mira ſolatia, ac decora recepit. Gauiſa eſt huius ſideris ſplendore Aurelia, cùm mortuo Deſiniano comprouincialium Epiſcoporum facto conuentu, electioni ac ordinationi beati Euurtij diuino factæ indicio columbæ è ſupernis, in verticem deſignati Præſulis, delapſæ, dignus diuini operis ſuffragator interfuit. Deinde ad ſuos reuerſus Pariſienſes maioribus ipſe donis gratiæ exuberans, Apoſtolorum virtutes & opera renouauit. Siquidem tanto valebat beatæ mentis acumine, vt intima cordium penetraret, ſtatùm animarum interno obtutu proſpiceret. Qua ratione hominem ingenti peccato conſtrictum, peccati ſecreta deſignatione ad pœnitentiam flexit: Terrorem porro non modicum aliis incuſſit, qui haud expiata mente ad tremendam ſynaxim accedebant. Propria enim manu cuique communicantium ſanctus Pontifex diuina munera miniſtrabat. Ne verò ad Chriſti menſam incompoſitus concurſus fieret: ſtatuit in Eccleſia Pariſienſi hunc morem ſeruari, *vt omnes ſuo ordine quique ad diuina ſacràmenta accederent.* Pontificalem ſedem in ſancti Clementis Eccleſiæ tenuit, è cuius vicinia ſerpentem expulit immanem. Deinde infinitis penè aliis clarus operibus, virtutum gloria admirabilis, Epiſcopatu ſumma cum laude ſanctitatis adminiſtrato, è ſtadio ad coronam perrexit, inque ipſius ſancti Clementis Eccleſia crypta tumulatus eſt: vbi beatitudinis ſuæ patentia inſignia coruſcârunt. Quibus effectum eſt, vt ipſi Eccleſiæ nomen ſuum tandem indiderit. E qua tamen ſacratiſſima eius pignora iampridem deprompta, ad principem vrbis Eccleſiam ſanctæ Deigenitricis trãſlata ſunt, vbi etiamnum congruo cultu obſeruantur in pretioſa hierotheca, quæ retro ſummum altare eminet, columnis ſublimibus impoſita. Et abiit

quidem ad ſuperos vir beatus hac die. Attamen ob *Panagia*, ſeu *omnium Sanctorum ſolemnitatem*, & defunctorum commemorationem, feſtiuitas eius in diem rertiam protelatur. Quam tamen hac ipſa die celebrari à maioribus conſueuiſſe, ante feſti omnium Sanctorum inſtitutionem, vel ex antiquis tabulis & agendarum diuinarum formulis Pariſienſis Eccleſiæ coniici poteſt, in quibus præcipua ſolemnitate celebratur. Vnde non ita diù octauas habebat, cum Sanctorum omnium celebritas vno duntaxat die abſolueretur. At tandem res ita ſucceſſit, vt Sanctis omnibus Octaua ſit attributa, relicta ſancto Marcello ſolemnitate propria, at ſine dierum faſtorum productione. Baiocis in Normania ſancti
VIGOR. VIGORIS Epiſcopi & Confeſſoris. Hic patria Attrebatenſis è nobili familia progenitus, tempore Childeberti I. Regis, cùm diuina ſpiraret, in ſancti Vedaſti monaſterio educatus eſt. Veritus autem ne parentes quibus vnicus erat, ſæculi ipſum nexibus implicarent, Angeli monitu patriam deſeruit: Comitéque Theodemiro puero ad regionem Baiocaſſinam appulſus, ibi cœnobiolum conſtruxit fretus incolarum ope, quos penè omnes ſanctitatis euidentia ad Chriſtum conuertit: diuina ſiquidem virtus ipſius in actibus elucebat, qua & defunctum puerum nuper à ſe baptizatum reuocauit ad vitam. Languentes pleroſque ſoſpites reddidit. Serpentem horrendum qui omnem circum regionem infeſtabat compeſcuit. Miráque multa patrauit, quibus Chriſti propugnauit gloriam, in cuius nomine cuncta operabatur. His autem dum micaret gratæ Deo ſeruitutis indiciis, obeunte diem ſancto Patricio Baiocenſi Antiſtite, in Epiſcopum quamuis renitens aſſumptus eſt: miróque ſplendore hanc cathedram repleuit. Clerum diuini cultus ſtudio inflammauit. Illuſtrauit iuſtitiæ exemplis populum, quem & documentis legis diuinæ ſedulo erudiuit. Bathildum Comitem Eccleſiæ agrum, è cuius ſegete inopes beatus Epiſcopus alebat, inuadentem: nihílque ſuis admonitionibus paternis deferentem, ſed induratum in malitia prece ad Deum fuſa, tolli de medio repentino exitio impetrauit: ſícque Apoſtolica ſeueritate impiis terribilis, piis dominica benignitate amabilis, ſenex plenúſque meritis in Chriſto obdormiuit. Atque in tumulo magnis refulſit opitulationis, qua fauet deuotis, ſupplicibus inſigniis. Colitur in nobili prioratu ſui nominis ſito in monte Chriſmatis extra vrbem Baiocas, quem Odo ſedis illius Antiſtes ad diſciplinæ monaſticæ inſtaurationem dono dedit *Jarento* Cœnobiarchæ ſancti Benigni Diuionenſis: viro religionis fama ſuo æuo percelebri, ſub quo *Hugo* Dux Burgundiæ poſtea Cluniacenſis monachus, cum elementis literarum,

primos ſpiritus pietatis imbibit. Quin & Robertus Guillelmi Ducis Normaniæ frater, in ſancti Vigoris beatam memoriam deuotus, ſub illius patrocinio inſignem Abbatiam ipſo in Epiſcopatu Baiocenſi fundauit, quæ etiamnum perſtat, de Ceraſeyo cognominata. Cæterùm ſancti Vigoris natalis apud Baiocenſes in diem huius menſis tertiam de more transfertur, agitúrque ſine feſto, at ſub officio duplici. Ipſo die ſancti GENESII Epiſcopi Laudunenſis & Confeſſoris. Hic ex Abbate Fontanellæ, ob micantia ſingularis pietatis lumina, in aulam à Clodoueo Rege Dagoberti filio euocatus eſt, vt coniugi ſuæ, piiſſimæ Reginæ Bathildi ad eleemoſynas erogandas & pia opera præſto eſſet. Per cuius manus ſacerdotibus & egenis ſubſidia miniſtrans, paſcebat pauperes, nudos veſtiebat, mortuos ſtudioſè ſepeliri curabat: dirigebat quoque per ipſum ad cœnobia virorum & ſacrarum Virginum, auri & argenti non modica pondera. Horum verò piorum operum non ſolùm miniſter, ſed ſuaſor ſedulus Geneſius erat: cuius religioſis prudentibúſque conſiliis Regina ipſa pientiſſima in omnibus vtebatur. Huius & ſuggeſtione Kalenſe monaſterium in agro Pariſienſi ædificans, virginibus ſacris ſub tutela beatiſſimæ Deigenitricis Mariæ ad incolendum conceſſit: inſtituta Bertilla Abbatiſſa, quæ monialis Iotrenſis ſanctæque Teutechildis chariſſimâ alumna, tam caſtæ diſciplinæ inſignia in ſuſcepto regimine exeruit. Sed verò Geneſius laude in dies virtutis ac ſanctimoniæ illuſtrior, cùm quoſque fama & merito religionis vinceret, ſancto Annemundo Præſuli primæ ſedis Lugdunenſis de medio ſubducto, inuitus ſurrogatus: ſuſcepto muneri magnũ decus intulit, prædicatione diuini verbi, operatione virtutum, ſedula gregis ſolicitudine, ædium ſacrarum inſtaurątione, augmento diuini cultus, & aſſidua æternæ legis obſeruantia. Verùm obitu Clodouæi Regis orbata viro Bathilde ab ipſa in regiam, ad molem reipublicæ ſuſtentandam, & fulciendam prolis regiæ curam reuocatus, tandiu illic hæſit quouſque tandem Clothario III. regni habenas capeſſente: Regina votis potita, hortante ſancto Geneſio in Kalenſe monaſterium, vitæ extremum Chriſto conſecratura ſe recepit. Tum enim negotiis prorſus & ipſe ſæcularibus quod ſummè auebat expeditus, dum reginæ tyrocinium monaſtices exequentis, piis affectibus obſequitur, reditúmque ad ouile perpetuò meditatur, improuiſo morbo correptus eſt. Quo tamen potiùs ſtimulos quàm remoram ingerente, vir beatus vt languidus erat, feſtinè ad ſuam Eccleſiam reuertit. Indignum ferens ducem militiæ extra ſtationem occumbere, paſtorémque procul ab ouibus extremos effla- GENESIVS.

re ſpiritus. Redux igitur ſummo ex deſiderio factus, non diù pòſt defecit vir ſanctus, cuius vita in ſtudio religionis, in officio charitatis, in cultu iuſtitiæ, in affectu & prouectione pietatis tota fluxit: ínque ſancti Nicetij baſilicæ crypta conditus eſt, ſub tumba quæ prope alrare ſui nominis collocata erat, iuxta tumulum ſancti Priſci. Vbi ab Hugone Thabarienſi Epiſcopo, ſanctorum Lugdunenſis Eccleſiæ Antiſtitum in hac quieſcentium crypta tumulos reſerante anno Domini milleſimo trecenteſimo octauo feria ſexta ante feſtum ſancti Bartholomæi Apoſtoli, repertus eſt iacens ſine externa tumuli iuſcriptione. Cuius ſacratiſſimi corporis partem Virgines ſacræ Kalenſis beneficiorum ab ipſo ſuſceptorum memores ex tunc impetratam, ea cum religione habuerunt qua parentis optimi, primíque in Chriſto pædagogi ſui pignore decet eaſdem obſeruare. Cuius & ſacram memoriam ſacris anniuerſariis colunt, non die quidem hac qua obiit eo quod ſit Sanctorum omnium ſolemniis præpedita, ſed pridie Nonas huius menſis. At in diptychis Lugdunenſis Eccleſiæ conſignatur veneranda eius recordatio, decimo octauo Kalendas Maij. Claromonte Aruernorum ſancti AMABILIS Preſbyteri & Confeſſoris, qui vir admirabilis ſanctitatis, in Aruernenſi Eccleſia clericali militiæ adſcriptus, Cantoris munus primùm maximo cum feruore pietatis ſuſtinuit. Sed cùm diuinæ gratiæ in ipſo fulgerent chariſmata, altioris gradus digniſſimus, preſbyterij honore de Epiſcopi iudicio & cleri voto, cum totius populi applauſu & collaudatione, decoratus eſt. Cúmque ſapientiæ diuinæ & ſacerdotalis ſanctimoniæ viuum moribus exemplar in ſe proderet, à Ricomagi vici incolis in animarum curatorem expetitus, ad regendam vici illius Eccleſiam ab Epiſcopo miſſus: oues creditas ea vigilantia, doctrina, pietate, miſericordia coluit, fouit, complexus eſt: adeovt boni illius paſtoris quem in Euangelio deſcripſit, in ſéque expreſſit Chriſtus Dominus, genuinum ſpecimen referret. Vnde diuina miraculorum teſtificatione honoratus, cùm fulgores gloriæ quam fugiebat vbicumque itabat traheret. Claromonte conſummata vitæ Deo gratiſſimæ peregrinatione, æternam ad patriam cuius municeps erat, felici tranſitu euolauit. Ad cuius funus conuenêre Clerus & populus Claromontenſis, monachíque numeroſo cœtu, qui exequias eius cuius ſanctitatem nouerant condigno honore celebrauerunt: pretioſúmque eius corpus in ſancti Hilatij Eccleſia, omni cum reuerentia condiderunt ante altare. At gemma adeo pura & rutilans, extra ipſum tumulum miros fulgores emiſit, qui merita eius copioſa apud Deum magnificè prodidê-

Amabilis.

re. Quamobrem ad eius patrocinium multi infirmi confluere cœperunt, non inani expectatione. Hincque venerationis eius annuæ nata ſolemnia, quæ in glorioſi eius deceſſus die iam olim Claromontani ciues multo cum honore ſoliti ſunt ad eius tumulum celebrare: die autem decimo octauo Octobris in quam incidit eius tranſlatio, vtrobique nimirum & Claromontij & Ricomagi magna inſuper de eodem feſtiuitas agitur. Quem & Ricomagi incolæ proprium tutelarem habent, præcipuóque cultu proſequuntur. Opitulatur beatus hic præſertim aduerſus venenoſos ſerpentum morſus, quos etiam viuens in carne, conſueuerat mero imperio abigere, vel perimere. Iterum apud Clarum montem ſancti CÆSARII eiuſdem municipij Aruernorum Epiſcopi & Confeſſoris, qui ſancti Iuſti, Auoli ſequacis, in ea Cathedra ſucceſſor factus, conſpicuæ virtutis & ſapientiæ intuitu, in eo munere ita ſe geſſit vt doctrinæ inſtantia & vitæ cœleſtis exemplis, homines pleroſque ad cultum iuſtitiæ & pietatis adduxerit, omnes in ſui admirationem ac venerationem rapuerit. Qua cùm polleret gloria, ad Remenſe Concilium quod ferè ex omnibus Galliæ prouinciis coaluit, ſub Sonantio, inuitatus eidem cum præcipuis Galliarum Pontificibus digno loco interfuit, ac ſubſcripſit viginti ſeptem Canonibus, qui pro decoro Eccleſiæ & ſacræ politiæ conſtitutione ibidem editi ſunt. Hinc à *Deſiderio* Caturcenſi Antiſtite ſanctiſſimo ac eruditiſſimo, ob multæ ſanctitatis, doctrinæ ac experientiæ rerum ſacrarum exiſtimationem præcipuo honore habitus, epiſtola etiam tractatoria ſalutatus eſt. At non iis ſolùm prædicamentis, quòd celebris ſuo æuo in Epiſcopatu fuerit, hominum inſignium opinione, ſuam poſteris conſecrauit Cæſarius memoriam, verùm ſanctè factis, quibus omni ſtudio incumbens, demum vitæ diuinitus actæ laude clarus, ad æternam gloriam emigrauit. Cuius nomen iam ferè ab illius obitu Eccleſia Claromontenſis in veneratione habens, tabulis ſuis inſcripſit: ab hìncque hodiernum eius tranſitum colit debita ipſius beatitudini collaudatione. Ipſo die ſancti MATVRINI Preſbyteri & Confeſſoris. Hic in diœceſi Senonenſi, vico cui Lyricantus nomen eſt, editus nobili ex proſapia Marino & Euphemia parentibus, ea non à natalibus ſubſidia habuit, quæ cùm ad pietatis cultum perducerent: cùm vterque eius parens ethnica ſuperſtitione affectus eſſet, patérque ita Chriſti cultoribus aduerſaretur, vt ſæuiendi in ipſos publicam à Galeno Maximiano Imperatore Chriſtianis infeſtiſſimo poteſtatem acciperet: diuina tamen gratia quæ puerum ad magna merita vocabat, factum eſt, vt Maturinus à ſancto *Polycarpo* Seno-

CÆSARIVS. MATVRINVS.

nenſi Archiepiſcopo viro Apoſtolicæ virtutis aliquando de fide admonitus, clam ab ipſo ne patrem offenderet inſtitueretur. Exinde verò ille moribus ætatem vincens (vix enim annum ætatis duodecimum exegerat:) ſancto ipſi Antiſtiti admirationem ſui excitauit. Chriſti amore ſiquidem mirum in modum feruebat, ieiuniis & orationibus nocte diéque intentus, pro Eccleſiæ pace, Chriſtianorum ſolatio, & parentum ſalute aſſiduè precabatur. Cuius piæ flagitationi diuina miſericordia fauente, intra paucos dies mater eius primùm ſe eius monitis ad Chriſtum conuertit: deinde & pater, qui per ſomnium de filij ſanctitate & præordinatione ad curandam animarum ſalutem monitus, cæco repudiato errore, diuinæ veritatis lumini oculos aperuit. Itaque ambo parentes, duce ac ſponſore filio, à ſancto Polycarpo luculentiùs edocti, ſalutaríque lauacro expiati ſunt. Porro ipſe Maturinus cùm eſſet duntaxat annorum viginti, ob morum claritatem & clara gratiæ inſignia, ab ipſo ſanctiſſimo Hierarcha Preſbyter eſt ordinatus. Statim verò auctus vt ordinis honore, ſic decore ſanctitatis, diuinæ virtutis cœpit ſigna operari, atque vi ſuperna cùm in curandis quibuſque morbis, tum maximè depellendis dæmonibus coruſcare. Qua ex fama longè latéque diffuſa, Romam vocatus, vt Principis filiam agitatam à dæmonio liberaret, eò profectus eſt, vbi Chriſti nomen puellæ ipſius repentina curatione mirificè illuſtrauit: deinde multis aliis virtutibus & pietatis operibus conſummatis, ibidem caducæ vitæ metam attingens, ad æternæ gaudia pertranſiuit. Cuius corpus vt ipſe poſtulauerat ad patriam ſuam relatum, cùm multa ſignorum in via editorum coruſcatione: Senonis à fidelibus reuerenter ſuſceptum & tumulatum fuit. Sed cùm prodigia ad ſepulchrum eius crebreſcerent, piorum quorumdam deuotione conſtructa fuit in vico Lyricantus ipſo loco vbi natus fuerat, baſilica mole ac ornatu pernobilis: ad quam è Senonenſi vrbe pretioſa eius pignora perpetuò obſeruanda cultu delata ſunt. Quæ ipſius vt ſacris exuuiis ac titulo inſignis, ſic famoſa beneficiis (quæ iugiter pia apud Deum interuentione præſtat opem ſuam deuotè implorantibus,) continua non modò nitet incolarum deuotione, ſed & peregrinorum religioſo concurſu frequentatur. In ipſa ſiquidem ſancti Confeſſoris patrocinio epileptici, lunatici, poſſeſſi à diabolo, aliáque vexatione vel infirmitate afflicti ſolatia optata percipiunt. Quotannis autem in feſto ſancti Barnabæ Apoſtoli vndequaque fit ſacram hanc ad ædem deuoti populi concurſus: qui ex vicis, pagis, oppidis pleriſque ad imploranda beati ipſius ſuffragia eò confluunt ſolemni ſuppli-

catione: adeovt centum ſupra viginti ruralium Eccleſiarum pij cœtus, diſtincti ſacris inſignibus numerentur. Nec enim Catholicæ plebis in Dei glorioſum amicum ideo remiſſa eſt deuotio, quod ſegreges, Caluini emiſſarij, vt memoriam beati viri cum oſſibus delerent, baſilicæ in qua tot mirabilibus rutilat, molem magna ex parte ſubruerunt: quin potiùs ex hinc accreuit ipſius veneratio apud auitæ pietatis aſſertores: qui quò maiora honoris officia ob Chriſti amorem glorioſo Confeſſori impendunt, vberiora ex eius ope beneficia, ipſo largiente Chriſto, qui in Sanctorum ſuorum honore gloriatur, in dies conſequuntur. Cæterùm ſancti Maturini depoſitio colitur Pariſiis die ſexto huius menſis: cuius vrbis regiæ Clerus Cathedraticus baſilicæ ipſius ſancti apud Lyricantum clientelam habet. Nec id prætereundum videtur, quod ſancti Maturini corpus cum Româ Senonas tranſueheretur, Lutetiæ Pariſiorum hæſit aliquandiù repoſitum eo loco vbi nunc cœnobium aſcetarum ordinis redemptionis captiuorum cernitur: titulo ipſius beati Confeſſoris nuncupatum: quo loco Pariſienſis Academiæ auguſtiora comitia de more celebrantur. At verò tametſi impensè tanto Confeſſori gratulemur, qui diuinè actorum meritis tot inſignia gloriæ, tot monimenta pietatis promeruit: tamen non ſine dolore ferimus quod ſanctus POLYCARPVS, qui eum in Chriſto genuit, ad tam ſublimia prouexit, nec exilem obtineat debiti honoris participationem. Nec enim ipſa in Eccleſia Senonenſi quàm difficillimis temporibus rexit, quam atroci ſub perſecutionum procella fouit, tutauit, ſeruauit: vlla vix eius extat venerandæ memoriæ ſcintilla. Cùm pridem eius ſacratiſſimum nomen ex Pontificum illius Eccleſiæ ſerie exciderit: porro inter ſanctos quos ea honorat nullum hactenus locum ſortitus ſit: adeovt ſicut opus fuit modernorum nomenclatorum diligentia, vt ſuum in ordinem reſtitueretur in Epiſcopali catalogo: ſic noſtra hac ferè indiguit commonitione, vt cultum debitum reciperet, qui inter ſanctos quibus iure tutelæ & beneficiorum debito Eccleſia illa obſtricta eſt, id non ſolùm meruit vt ſanctiſſimis ipſius Patribus adcenſeretur, ſed ſpeciali coleretur nominis reuerentia. Nec enim vir ille beatus inter ſanctos duntaxat illius ſedis Pontifices, Confeſſores annumerandus erat, qui potiùs Martyrum honore debuit celebrari, non ideo ſolùm quod preſſuras pleraſque dum Chriſti gregem aduerſus frementes lupos tueretur, tempore feruentis perſecutionis Senonis ſuſtinuerit, ſed potiſſimùm quia ob conſtantem Chriſti nominis confeſſionem ab impiis in exilium pulſus, in Phrygiámque relega-

Polycarpus.

cus, ibi in magna rerum penuria, & vitæ anguſtia, extremum in propugnatione fidei ſpiritum efflauerit. Quo nomine Romana omnium mater Eccleſia plurimos viros beatos inter Martyres adſcripſit, atque ipſa in Gallia iampridem Eccleſia Viennenſis, ſanctum Florentium Epiſcopum ſuum, mortuum in exilio Martyris honore veneratur. Ipſo die in territorio Gandauenſi, dum in Tornacenſi, cœnobio Blandinio, depoſitio ſancti FLORIBERTI Confeſſoris. qui ſancti Amandi diſcipulus, rara pietate præſtans, cùm Apoſtolico ſpiritu præditus eſſet, in Gallia ſanctis prædicationibus, multorum animas in obſequium Chriſti, & obſeruantiam immaculatæ eius legis pellexit, apud Gandum idola ſubuertit, Chriſtianum cultum inuexit ac ſtatuit. Deinde ab ipſo ſancto Amando duobus monaſteriis Gandenſi & Blandinienſi præpoſitus, amotis Clericis, qui liberiorem iſthic vitam ducebant: religioſæ diſciplinæ cultores, ibi multos conſtituit, quos ad omne pietatis ſtudium excitans aſſiduo exemplo & hortatu: poſtquam ſanctum *Leuinum* Archiepiſcopum Scotiæ benignè ſuſcepiſſet; duo illa cœnobia in vnum coniunxiſſet, beatíque Petri patrocinio ſuppoſuiſſet (cuius, ante ſuſceptum Abbatis officium ſacratiſſima limina deuotè cum ſancto Amando viſitauerat:) tandem ſanctis laboribus confectus ad quietis æternæ optatam perrexit vſuram. Sepultus iacuit in ipſa ſancti Petri Eccleſia Blandinienſi annis trecentis triginta octo, donec in elegantiorem formam ædificato monaſterio, per Adalberonem Remorum Archiepiſcopum, ſacra eius membra nouam in baſilicam tranſlata, in ſecretiori parte eiuſdem ad maiorem religionem repoſita ſunt anno Chriſti nongenteſimo ſeptuageſimo quinto. At iterum tranſlata ſunt ſolemni apparatu huius cœlitis oſſa veneranda, per Balduinum Epiſcopum Nouiomenſem (cui & ſedes Tornacenſis obſtricta erat) in prominentem ſitum, præſente Balduino Flandriæ Marchione. Pictauiæ in Aquitania tranſlatio ſancti HILARII Epiſcopi & Confeſſoris, Angelorum miniſterio facta, qui beatiſſimi Confeſſoris corpus pretioſum diuinæ glorificationis organum, è veteri monaſterij ſuburbani templo, in eius crypta conditum fuerat, ad nouam baſilicam vrbicam quam *Tredelinus* notæ pietatis Abbas diuino monitu erexerat deferentes, in locum ipſi præparatum honorificè repoſuerunt: Epiſcopo ſpectante & ſtupente, qui dedicationis templi abſolutis ſolemniis, glebam imo gemmam adeo pretioſam, poſt nocturnas preces quibus cum Abbate & monachis inſiſtebat, transferre è veteri ſitu ad ordinatum ſacrarium diſponebat: cuius miræ anticipationis gratias Deo

FLORIBERTUS.

Deo vberes cum aſſiſtentibus rependit, qui Angelico potiùs quàm humano famulatu chari ſibi Antiſtitis; nouas honoraſſet exequias. Vnde eſt quod fidei auitæ deſertores ingenti pudore ſuffundantur, qui beati Dei amici membra, quæ puriſſimorum ſpirituum opera Chriſtus voluit contrectari, ac in thalamo quietis & gloriæ reponi: ſtupendo auſu, præcindendiſque manibus, eo ex loco ad fœdandum non tam opprobriis, quàm ipſo ſuo profano contactu inquinandum, eruerunt, flāmmiſque quibus digni erant non exhorruerunt abſumere. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confeſſorum, atque Sanctarum Virginum.* 4

Eodem die facta eſt dedicatio baſilicæ Cœnobij Vallilias ſeu Vallis Lilij ordinis ſancti Benedicti Senonenſis diœceſis, per Venilonem Archiepiſcopum, in honorem ſancti Remigii Francorum Apoſtoli: qui eodem die quo ſanctus Hilarius æui quaſi ſui Helias, ſeu Hilarius alter ad cœleſtis aulæ conſeſſum aſſumptus eſt. *Remigius.*

Quarto Nonas Nouembris. Luna

2 E xx.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
29	30	1	2	3	4	5	6	6	7	8	9	10	11			

COMMEMORATIO omnium fidelium defunctorum, quam ſanctus ODILO Cluniacenſis Abbas, primus omnium in ſuis monaſteriis hodie fieri præcepit: hanc verò vbiq. obſeruari ipſo ſuggerente, Ioannes Papa XIX. perenni ritu mandauit. Ipſo die Pictauiæ in Aquitania ſecunda natalis ſancti VICTORINI primi illius vrbis Epiſcopi & Martyris. Qui populum hunc adhuc tenebris infidelitatis inuolutum, ad fidei Chriſtianæ purum lumen ſalutari prædicatione perduxit. Cœleſti autem ſapientia plenus, pro diuinæ veritatis illuſtratione perutilia nonnulla opuſcula concinnauit, quibus cum pleroſque diuini codicis libros dilucidauit, tum vitia & errores inſectatus, Chriſti doctrinæ puritatem, ſublimitatem & veritatem oſtendit, pro qua demum in Diocletiani perſecutione extremum certamen ingreſſus, æternam ex illuſtriſſimo agone reuexit gloriæ lauream: ſicut ſanctus Hieronymus teſtatur, qui præconia tanti viri frequenter enarrat, ſempérque de eius operibus cum commendatione meminit. *Verborum compoſitione minus compta*, at, *ſenſu grandia afferens*: quin ipſum cum Apoſtolo conferens, *ob dictorum profunditatem & neglectum ſermonis ornatum.* Quem SS. ODILO. VICTORINVS.

perpetim *Martyrem* vocitat, *fideliſſimum* agnominat, *ſimplicitatis cultorem, nemini inſidias tendentem, fidei pugilem, hæreticorum malleum*, contra quos omnes ſcripſiſſe commemorat. Cuius & commentariū in Apocalypſim eo in pretio habuit, vt ex Græco, in quo vir ille beatiſſimus erat ita rudis, in politiſſimum Latini eloquij contextum tranſtulerit, qui hodiéque in vſu eſt. Ipſo die

GEORGIVS. Viennæ Allobrogum ſancti GEORGII Epiſcopi & Confeſſoris: qui poſt Bobolinum illius Eccleſiæ Epiſcopus factus, ſe verè Epiſcopum præſtitit, morum probitate, vigilantia, commiſeratione, & ardenti ſalutis animarum ſtudio præclarus, in omni exercitatione cœleſtis doctrinæ mirabilis. Qui tandem vitæ ſanctiſſimè actæ meritis cumulatus, ad piorum laborum meſſem migrauit, ſimul in cœlo conſecutus gloriam, & in terris venerationem. Eodem die Agauni in territorio Sedunenſi, lo-

AMBROSIVS. co quo Rodanus in lacum Lemanum influit, ſancti AMBROSII Abbatis & Confeſſoris, qui primùm apud Lugdunum monachus, deinde cœnobij Inſulæ Barbaræ pater: cùm religionis laude eſſet ſuo æuo eximius, ad illuſtre Agauni monaſterium ſuis virtutibus illuſtrandum tranſlatus eſt. Vbi dum aſcetas egregiis cœpit inſtruere diſciplinis, præmatura morte abreptus peregit piiſſimæ peregrinationis ſtadium. Illic autem ſepultus condigno funere, virtutes quas in vita ediderat, miraculis præclaris decorauit, quibus gloriam quam recepit à Domino pro meri-

LAVTENVS. tis teſtatus eſt. In Burgundia ſancti LAVTENI Monachi & Confeſſoris, viri ea abſtinentia admirabilis, vt cum diebus ſingulis vix quicquam edulij ſumeret, in quadrageſima ſibi ſolito rigidior, bis tantùm in qualibet hebdomada, ídque parciſſimè comederet. In carne igitur pene factus ſpiritus, cùm vitæ cœleſtis formam imitaretur, omni à contagio ſæculi abhorrens, puritatis ſtudioſiſſimus, totus in Dei cogitatione defixus: abrupto mortalitatis ſtramine, ad beatarum mentium ſocietatem, quorum dotes pia cupiditate ſemper ambierat, feliciter commigrauit. Cellámq. in qua tanta cum ſpiritus puritate Chriſto famulatus eſt, ſanctitatis ſuæ memoriâ reliquit exinde percelebrem. In agro Pariſienſi S. Dio-

EVSTACHIVS. nyſij nobili cœnobio, ſuſceptio ſacratiſſimi corporis S. EVSTACHII Martyris, qui Romæ 12. Kal. Octobris, ſub Hadriano Imperatore cum *Theopiſte* vxore & duobus filiis *Agapio* & *Theopiſto* damnatus ad beſtias, ſed Dei ope ab his nihil læſus, in bouem æneum cādentem cum cōiuge & chariſſimis liberis incluſus, agonē glorioſum peregit. Et verò ſacratiſſima tāti athletæ pignora ante annos quingentos Roma in Galliam interiorem aduecta à Sugerio Abbate inſtauratore baſilicæ cœnobij S. Dionyſij, in ſacello ſecundo

ſuperiori illius ſacræ ædis, memoriæ beati ipſius Euſtachij conſecrato, repoſita ſunt in lipſanotheca deaurata, vbi hactenus omni religione aſſeruantur, dempta duntaxat ea portione quæ Lutetiæ colitur in tituli ipſius beati Martyris celebri parœcia, quæ antea ſanctæ Agnetis nomine cenſebatur. Eodem die Montibus in Hannonia tranſlatio ſancti VVALDETRVDIS viduæ Eccleſiæ illius oppidi nobiliſſimæ tutelaris. Item in Arteria ſancti VVLGANII Confeſſoris: qui patria Anglus ex illuſtri & pientiſſima ſtirpe, mundi fucos aſpernatus, vitam vt mortalibus abſconditam, ideóque Deo magis acceptam duceret, in Galliam tranſmeauit, veniénſque Attrebatum, ab Abbate ſancti Vedaſti popoſcit vt ſibi in cellula prope eius monaſterium, incluſum degere liceret. Qua impetrata facultate, mundo crucifixus, imò mortuus, Chriſto viuus, gratum eidem ſui holocauſtum per continuæ abſtinentiæ, pietatis, & ſanctitatis officia immolauit. Qua oblatione conſummata, in cœlum beatiſſimam tranſmiſit animam. Colitur præſertim in Lenſienſi oppido, vbi patronus habetur. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confeſſorum, atque Sanctarum Virginum.* VVALDETRVDIS. VVLGANIIS.

BEATÆ memoriæ ALBERO de Chiny Epiſcopus Virdunenſis, ad Chriſtum tranſiuit. Hic eiuſdem Eccleſiæ primùm Archidiaconus, non ob natalium quibus pollebat ſplendorem, ſed ob inculpatæ vitæ & præſtantis doctrinæ inſignia, in Epiſcopum à Clero & populo conſonis affectibus electus: ab Innocentio II. Papa, Lutetiæ Pariſiorum ipſo die ſanctiſſimo Paſchæ ordinatus, gratiam Apoſtolicæ benedictionis, admiranda Epiſcopalium virtutum fruge adæquauit. Hac enim in ſublimitate conſtitutus: non ſua ſed Domini lucra quærens, collapſam Eccleſiaſticam diſciplinam teſtituit. Schiſmaticos & Eccleſiæ perturbatores egregiè compreſſit, populum ſuum graui ſub iugo calamitatis oppreſſum, à miſeria liberauit. Indidit locis ſacris plurima decora, monaſteria euerſa reædificauit. Monachos irreligioſos, atque à diſciplina prorſus abhorrentes, annuente ipſo Innocentio Pontifice è cœnobio ſancti Pauli eiecit, & in eorum locum dignam Deo Præmonſtratenſium Canonicorum ſodalitatem ſubſtituit. Cathedralem ſuam Eccleſiam mirifici operis artificio ædificauit, eámque ab Eugenio Papa III. curauit in honorem ſanctiſſimæ Virginis Deiparæ conſecrari. Cùm autem annos viginti octo glorioſiſſimè ſanctiſſiméque populo ſuo præfuiſſet, Epiſcopatu abdicato, Præmonſtratenſe inſtitutum in ipſo aſceterio ſancti Pauli complexus ac profeſſus eſt. Vbi biennio in omni humilitatis & religionis obſeruantia abſoluto, poſt multa humilitatis & charitatis opera, poſt multa ſigna ſanctitatis, poſt multa de liuido dæmone reuecta ope ſanctiſſimæ Virginis, cui impensè deuotus erat, trophæa: die & hora à ſe prædictis, inter pſallendum cœleſti ſplendore circumfuſus, felicem animam ad cœlum tranſmiſit; vtque optauerat in Cathedrali ſua Eccleſia, quam amore beatæ Deigenitricis multa magnificentia extruxerat, honorificè tumulatus eſt. Pro quo Miſſam celebrans ſanctus Bernardus, collectam defunctorum mutaſſe dicitur in collectam Confeſſorum: quorum vt veſtigia tenuit, ſic & conſortium promeruit. Pio itidem fine quieuit inclyta Heroina MARGARITA à Lotharingia, quæ vidua Renati Valeſij Ducis Alençonij, poſt educatam in Dei timore ſobolem (quæ in germen regium pullulauit) abiectis ſæculi pompis, humilem Clariſſarum ſororum habitum induit, apud oppidum *d'Argentan*: vbi omni ſtudio religionis inten- *Alberò.* *Margarita.*

ta, ſicut in ſæculo ſexus fuerat ſui ſydus, Principum fœminarum decus, viduarum Chriſtianarum typus: ita admirandum fuit in religioſo ſeceſſu, Sanctimonialium ſpeculum. Huius beatæ cor, quod Dei amore informatum erat, adhuc in arcula plumbea ſeruatur, viſitúrque incorruptum: facies verò cernitur etiamnum in eius tumulo integra auribus, naribus, oculis, genis, labiis penè viuidis, & prorſus illæſis. Quibus miris indiciis ſatis apertè oſtendit Deus, & quam integra mente ſibi illa adhæſerit, & quanta ex puro quem ſibi impendit famulatu, ipſimet fideli ſuæ ancillæ, obtigerit gloria.

Tertio Nonas Nouembris. Luna

5															F xix.
a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
30	1	2	3	4	5	6	7	7	8	9	10	11	12			

SS. PAPVLVS.

TOLOSÆ natalis ſancti PAPVLI Sacerdotis & Martyris. Qui ſancti Saturnini primarius aſſecla, cum ipſo miſſus à Romana vrbe in Galliam venit, fauſta Chriſti trophæa ſimul illaturus. Arelatæque miſſionis Apoſtolicæ, vbi ambo edidiſſent prælūdia, hinc Nemauſum contendentes, quòd Apoſtolorũ præcepto Narbonenſem Galliam Chriſti fide illuſtrandam ſuſcepe‑rant, primum ibi Chriſti præconium prodidêre. Hinc Saturninus adlecto ſibi Honeſto, quem velut Heliſeum alter Helias de boum cura & aratro ad diuina obeunda gratiæ munera, quibus cœlitus deſtinatus erat euocauit: in Septimaniam cum Papulo collega & illo tyrunculo progreſſus, Carcaſſonam petiit, ciues vt inuitaret ad ſalutem. Qui tenebris idololatriæ aſſueti, nouúmque iubar diuinæ veritatis & gratiæ haud ferentes, tam fortunati nuncij præcones, mox acriter impetitos, probris laceſſitos & dilaceratos verberibus, multo cum ferri onere in turris horrendæ imum detruſerunt. Cuius loci fœtorem & tetram caliginem ac pœdorem Chriſti heroës cum diù fortiter toleraſſent, tandem diuino auſpicio hinc educti, Toloſam non ſine ipſius numinis ductu adierunt: vbi & illuſtrior illis aperta erat palæſtra, & acrior expectabat pugna, ac nobilior victoria. Quæ ibi mira patrauerint in Chriſti prædicatione, falſorum numinum impugnatione, populi illuminatione, & diuinæ religionis initiando cultu: acta ſancti Saturnini luculenter perhibent, in cuius natali aptius commemorabuntur. Id quod ad Papulum ſpecialius pertinet illud eſt, quod pietatis myſterio Toloſæ feliciter procedēte, Saturninus cui amplior cura quàm vnius vrbis ex delecto officio Apoſtolatus imminebat: cũ diſpoſuiſſet Hiſpanias peragrare aſſumpto ſecũ Honeſto, quē ad presbyteratus ordinē prouexerat:

Toloſanam Eccleſiam fideliſſimo ſuo ſymmyſtæ Papulo commendauit. Suſceptam nouelli gregis curam vir beatus, multa charitatis inſtantia exequitur. Cúmque non ſolùm Toloſam, verùm etiam vicina oppida Chriſti doctrina imbuere nititur, ab infidelibus comprehenſus, diei vnius itinere à Toloſa in oppido quod nunc trophæo illius eminet, nominéque gloriatur: variis afficitur tormentis, vt Chriſti quem prædicabat numen eiuret, quoſque ad illius fidem monitis allexerat, ad priſtinam deorum fictilium obſeruantiam reuocet proprio exemplo & hortatu. Verùm cœleſtis agoniſta tantum ſcelus execratus, veritatis diuinæ teſtimonium altiori præconio celebrat: cruciatuum acerbitate contempta, quin & morte ipſa, quam pro ſalutaris ſuæ prædicationis aſſertione paratum ſe eſſe ait millies, ſi fieri poſſet, genere quouis pœnæ atrociſſimo oppetere. Poſt multa igitur diráque ſuperata ſupplicia, bellator inclytus, capite obtruncatur. At victor ſurgens ex occaſu, caput abſciſſum propriis colligit manibus: agminéque Angelorum, qui non tam funus quàm triumphum eius honorabant ſtipatus, longius effert, tandémque iuxta fontem depoſuit, vbi deinde non tumulum recepit, ſed trophæum: corpus enim eius inde Toloſam reuectum, à fidelibus multo officio pietatis curatum eſt. Quod ibi conditum in ſinu baſilicæ ſancti Saturnini, cum pleriſque Apoſtolorum, Martyrúmque venerandis exuuiis, propriam ad aram aſſeruatur, in qua repertum diuino beneficio anno ſalutis milleſimo ducenteſimo ſexageſimo quinto, vndecima Octobris, poſtea anno milleſimo quingenteſimo decimo ſeptimo, die vigeſima quarta Martij honorificè releuatum: demum anno milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo ſecundo, ſeptima Aprilis in deaurato feretro, repoſitum hodie ad cultum piis ipſius cœlitis interpellatoribus exhibetur. Caput eius ſacratiſſimum in antiqua ſui nominis Eccleſia prædictæ ciuitatis, quam eius religioſo intuitu, Ioannes XXII. Papa è cœnobitica in Cathedraticam euexit, congrua cum honorificatione habetur. Ipſo die Viennæ ſancti DOMINI Epiſcopi & Confeſſoris. Qui vir intemeratæ fidei & vitæ, factus poſt Iulianum illius nobilis Eccleſiæ Epiſcopus, tam diuinis doctrinis quàm actibus emicuit, amator pauperum, redemptor captiuorum, Eccleſiarum amplificator munificus. Cuius in laudibus id potiſſimum legitur, quod nihil proprium cupiens, res ſuas ſéque ipſum caſta mente Deo obtulerit. Cuius legem cœleſti diues facundia omni ſtudio promulgauit, fidem ſeruauit, tutauit iuſtitiam, pietatem & miſericordiam affectu perpetuo coluit. Híſque actibus glorioſis repromiſſam à cœleſti munerario de- DOMINVS.

mum lauream conſecutus, miraculis etiam in tumulo clarificatus eſt. Cui pro inſigniori titulo *pauperis Epiſcopi* elogium, ob effuſum amorem in Christi pauperes, Lacanius vir Conſularis, qui eius texuit epitaphium, adſcripſit. Metis ſancti PYRMINII Epiſcopi & Confeſſoris, qui monaſticæ obſeruantiæ ab adoleſcentia mancipatus, in ipſo ætatis flore omne religionis ſpecimen edidit. Romam inde voti cauſa profectus, à beato Gregorio II. Papa, qui mira in eo diuini ſpiritus dona conſpiciebat, creatus regionalis Epiſcopus, mandatum Alemannis prædicandi accepit. Quo Apoſtolico munere magno cum fructu perfunctus, ab eodem Pontifice ad Theodoricum Francorum Regem Dagoberti II. filium, cum epiſtola commonitoria directus eſt, qua Papa Regem hortabatur, vt inſtaurandæ religionis negotia per tantum virum curaret ac promoueret, conuocatis tam Alemanniæ quàm Galliæ Præſulibus, quibus ad ſarcienda gregis domini detrimenta, quæ neceſſaria forent pro data cœlitus ſibi ſapientia Pyrminius ipſe ſuggereret, Apoſtolica etiam authoritate ad luſtrandas diœceſes præditus. Quæ res magno Regis ac regni commodo ſucceſſit. Cùm Pyrminio Apoſtolicum munus feruenti animo obeunti, vis etiam diuina quæ miraculis elucebat aſſiſteret. Factus inde ſancti Bonifacij ordinatione Abbas Augienſis, inſulam ſerpentibus & venenatis animantibus purgauit, oratorio ornauit, monachis aptauit & impleuit, cœnobiáque ad fomentum pietatis permulta variis in locis erexit. His cùm circumquaque radiaret fulgoribus vir beatus, orbata paſtore Eccleſia Metenſis aſpectus in ipſum coniecit: ſuíque vt curam ſuſciperet repetitis obſecrationibus effecit. Fortunatiorem delectum illa ciuitas nunquam vidit. Nam Pyrminius abſoluti Antiſtitis ſic impleuit partes, vt antecedentium Epiſcoporum deſiderium ſuſtulerit: quorum omnium complexus virtutes, multa etiam decora propria his addidit, poſteríſque in ſe vno ſpeculum perfectum Epiſcopalis vigilantiæ & virtutis præſtitit. Qui tandem cùm ad extrema deueniſſet, conuocato ſacerdotio, hortamenta dedit Apoſtolico ſpiritu, quo repletus erat digniſſima: póſtque edita diuinæ præconia bonitatis, munitam cœleſti viatico animam ſidereis ſedibus immiſit. Corpus ad tumulum honorifico funere delatum eſt, quod diuinæ magnificentiæ decus continuò illuſtrauit, editis ad eius ſepulchrum innumeris prodigiis, quæ vt fidelium in beatum Pontificem deuotionem excitârunt: ſic ipſis ob eius venerationem multiplicia beneficiorum rependerunt munera. Eius dalmatica viridis quæ adhuc ibi ſeruatur cum cingulo ſacro, in partu doloribus mede-

PYRMINIVS.

tur. Leodij ſancti HVBERTI Tungrenſis Epiſcopi & Confeſſoris præclariſſimi. qui Arduennæ Apoſtoli & magni Thaumaturgi cognomentum demeruit. Hic filius Bertrandi Ducis Aquitaniæ propter Ebroini tyrannidem in Auſtraſiam ſe tranſtulit ad Pipinum conſanguineum ſuum domus regiæ Maiorem: vbi Floribanam nobiliſſimam puellam coniugem duxit. Cúmque haud adhuc Chriſtianus more nobilium in ſylua Arduenna venationi vacaret, ipſi Chriſtus crucifixus inter ceruí cornua apparuit: eúmque ad Lambertum Tungrenſium Epiſcopum miſit, vt ab eo in ſua agnitione & obſequio inſtitueretur. Benignè ab eo ſuſceptus, edoctus, vndiſque ſalutaribus expurgatus, paulò pòſt penitus cœleſtia ſpirans balteum militare reddidit Theodorico Regi, Eudoni autem fratri iuniori principatum conceſſit, & totum ſe dedit vitæ ſanctioris deſiderio. Vt verò qui ſupererant nexus amicitiarum abrumperet, & plenius delibaret ſpiritum pietatis, pio voto Romam profectus eſt ad Apoſtolorum limina adoranda. Vbi dum exiſtit, Lambertus, ab impiis propter veritatis teſtimonium & aſſertionem iuſtitiæ immolatur. Ipſo die Sergius Papa diuino nuntio admonitus, Hubertum cœlitus deſignatum, renitentem quamuis conſecrauit mactati ſancti Epiſcopi ſucceſſorem, qui ſtolâ è ſuperno miſſa honoratus ad ſedem deſtinatam veniens à Traiectenſibus multa cum reuerentia ſuſcipitur, & à Clero in Cathedra Pontificali collocatur. Locum tantæ ſublimitatis vulgaribus moribus haud inſedendum ratus, ad altiora ſtudia ſe erexit, magnopere ſanctorum Patrum veſtigia ſectandi cupidus. Igitur fauente ſuperna aura breui ad excelſa virtutum cacumina conſcendit. Dei gloriæ zelator aſſiduus, Eccleſiæ exaltandæ & augendæ religionis præcipuum ſtudium habuit. Sedulam curando gregi præſtitit operam. Pauperibus & afflictis quibuſque opem continuam tulit. Chriſtum adeo dilexit vt parum ſe in eius famulatu proficere arbitraretur, niſi morti quoque, corpus pro eius amore traderet. Ardebat enim cupiditate martyrij, quod in deceſſoris actibus potiſſimum æmulabatur. Hinc ſtrenuè in muneris Pontificalis executione ſe gerens, Pipinum Heriſtalium ſerio admonuit, vt eiecta Alpaide, vxorem Plectrudem reuocaret. Quo tandem viri Dei ſanis hortationibus cedente, Alpais Beliſienſi Eccleſiæ, pœnitentiæ cauſa incluſa eſt, atque inde poſtea Orpium tranſmiſſa. Poſthæc Hubertus mente diuinitus monita, ſancti Lamberti corpus continuis gloriæ coruſcationibus micans, vnáque ſedem Epiſcopalem Traiecto Moſæ, Leodicum tranſtulit: locúmque poſtea muris cinxit, leges populo ſuo dedit, Rempu- HVBERTVS.

blicam conſtituit, & Leodicenſis Eccleſiæ ſigillo hæc inſcripſit, ad perpetuum pignus obſequij erga Petri ſucceſſorem, necnon ſymbolum adhæſionis inuiolabilis cum ſancta ſede Apoſtolica. *Sancta Legia Romanæ Eccleſiæ filia.* Quo loco baſilicam Cathedralem in honorem ſanctiſſimæ Deigenitricis Mariæ & beatiſſimi Martyris Lamberti extruxit: aliámque collegiatam ædificauit in ſancti Petri cui admodum addictos erat venerationem. Sic conſtituta Epiſcopali ſede diœceſim luſtrare inſtituit, cúmque cœptæ viſitationi inſiſteret, mulierem propter violatam diei dominicæ ſolemnitatem, à Deo punitam miraculosè ſanauit, precibus à Deo pluuiam impetrauit copioſam, quàm vt aliàs populus obtineret, *ſupplicationes per agros cum delatione reliquiarum inſtituit.* Multa autem alia ſibi datæ diuinæ virtutis edidit teſtimonia: ſiquidem dæmonem ab obſeſſa muliere ſigno crucis fugauit, eodem ſigno incendium extinxit, abſens ſua oratione diſcipulos liberauit à naufragio. aqua benedicta & ſacro oleo dæmonia expulit. Cùm autem ad æternam patriam vehementer anhelaret, mors ei anno integro priuſquam obiret diuinitus prænunciata eſt. Quo lætificatus nuncio, loca ſacra circumquaque viſitauit, ſepulturæ ſuæ locum deſignauit: deinde dum rediret à Brabantia vbi baſilicam conſecrauerat, febre correptus, Furæ lectulo decubuit, ſuáque in infirmitate pſalterij decantatione ſolabatur, donec appropinquante optata die exceſſus, ſuſceptis vitæ æternæ pignoribus, commendans ſe orationibus fidelium, lecto ſymbolo Apoſtolorum, dum orationem dominicam magno cum pietatis ſenſu recitaret, piiſſimè obdormiuit in Domino, feria ſexta, tertio Kalendas Iunij, trigeſimo à ſuæ ſepulturæ deſignationis die. Hinc igitur Leodium delatus, & in crypta baſilicæ ſancti Petri, cuius ſemper patrocinia ambierat, pro voto conditus eſt. Vbi hodiéque tumulus eius marmoreus viſitur. Inde anno octingenteſimo vigeſimo quinto, auctoritate Aquiſgranenſis Synodi, & aſſenſu Ludouici Imperatoris, ſacrum eius corpus adhuc incorruptum, per Vvalrandum Epiſcopum Leodienſem, ad Andainum cœnobium in media ſylua Arduenna tranſlatum eſt, vbi perpeti dono opitulationis coruſcans, peregrinorum vndique affluentium deuoto concurſu honoratur. Facta eſt hac die eius ibi tranſlatio, quamobrem iſtic præcipua celebritate hodie de more colitur. Cæterùm de ſtola ſancti Huberti cœlitus accepta, etſi in dies ibidem aliquid dematur, ea tamen non minuitur neque decreſcit, quod vt perenne miraculum eſt: ita & perpetuum meritorum tanti apud Deum cœlitis monimentum. Ipſo die in in pago

Turonico ſancti ADVENTII Confeſſoris: qui mira innocentia & religione Deo ſeruiens, æternæ beatitudinis præmio potitus eſt. In tractu Cœnomanenſi ſancti BOAMIRI Preſbyteri & Confeſſoris itidem glorioſi. Hic editus illuſtri genere & ſpiritus gratiæ muneribus ditatus, adlectis aliquot ſancti propoſiti ſociis de permiſſu ſancti Innocentij Epiſcopi Cœnomanenſis, in vaſtæ eremi ſolitudinem, loco vbi Brygiæ riuulus ſurgit, ſe recepit: vbi vitæ ſanctiſſimæ ſibi ſuíſque præfixa obſeruantia tanta ſpiritus puritate & ardore Chriſto ſeruire ſtuduit, vt cœleſtem potiùs quàm terreſtrem viuendi agendíque rationem conſectaretur. Cuius ſanctitatis cùm iam latè erumperent lumina ſanctus Innocentius, vt magis merita commendaret, virum humilem & ſui ipſius contemptorem eo honore decorauit, vt preſbyterio inſigniret. Nec fruſtra; abſtracti enim è latebra felici opera vſus, lucum quem populus cæca adhuc ſuperſtitione, at potiùs dæmonis præſtigia facientis aſtu deluſus frequentabat, ſubruit, idolúmque quo malignus ille ſpiritus populum decipiebat euertit. Hinc Boamirus ipſemet à ſancto Præſule miſſus eſt ad Clotharium Regem, qui cum ipſa acceſſus die admittere Dei virum neglexiſſet, febri ſequenti nocte ardentiſſima correptus, eius ſupplex ſuffragia implorans, veniámque petens, ipſiuſmet mox oratione ſanitatem recepit. Sic cum honore ad cellulam remiſſus, alia multa admiranda operatus eſt: nam hydropicum iam trienniò lecto defixum, oleo ſanctificato in modum crucis liniens, repentè curauit. Cæcum indicta ei pœnitentiâ, videntem reddidit: alterum manu atida infirmatum, cum ſacrati olei fomento effecit ſoſpitem. Febre decoctos innumerabiles optato temperamento reſtituit. Ex multorum corporibus dæmones viſibiliter eiecit. Deinde meritis iuſtitiæ coronatus ad Chriſti regnum cuius dignus erat lætanter profectus eſt. Ad cuius exequias is factus eſt populi concurſus, vt vix funeri locus eſſet, eáque mirabilia coruſcârunt, vt beati Confeſſoris gloria affatim quibuſque ſpectantibus oſtenderetur. Sepultus fuit autem in Eccleſia ſancti Petri, quam pone monaſteriolum ſuum conſtruxerat. Eodem die oppido Corbolio in territorio Pariſienſi ad Sequanam ſuſceptio corporis ſancti GVINALI Abbatis & Confeſſoris, ex minori Britannia propter timorem Normanorum interiorem in Galliam per eius monaſterij cœnobitas aduecti: pietatéque Haimonis Comitis in ipſo oppido Corbolienſi ſuſcepti, & honorificè poſiti, in Eccleſia ad ipſius beati Confeſſoris cultum per ipſum Comitem ædificata, anno ſalutis octingenteſimo ſe-

ADVENTIVS.
BOAMIRVS.
GVINALVS.

xageſimo tertio, Carolo Caluo Rege Chriſtianiſſimo imperante, *Ænea* venerabili Epiſcopo Cathedræ Pariſienſi præſidente. Ipſo die in Namurcenſi agro, Cœnobio Florinenſi exceptio MAVRVS. venerandi corporis ſancti MAVRI Preſbyteri Romani & Martyris, Remis ſub Nerone, cum beato Timotheo, ob fidei prædicationem (poſtquam multos ſacro lauacro regeneraſſet) gladio coronati, iuſſu Lampadij Præſidis. Cuius beati Chriſti pugilis pretioſa ſpolia, à piis collecta, poſtquam Eccleſiæ pax affulſit, in ſancti Celſini ædicula repoſita fuerunt. Caput collocatum in baſilica ſanctæ Deigenitricis in arca ſecus altare. At proceſſu temporis oſſa eiuſdem Martyris retento capite, in Belgium tranſlata ſunt ad dictum Florinenſe cœnobium, concedente Arnulpho Archiepiſcopo, vt liquet ex eius ſcripto hac de re diplomate, ad Baldricum Epiſcopum Leodienſem, in cuius diœceſi tum Florinas aſceterium ſitum erat. Tanta verò illic renidet ſanctus Martyr meritorum fulgore, vt ex fidelium ad eius patrocinia confluentium oblationibus, annis ſingulis ingens Florenorum ſumma numeretur in templi decorum ac augmentum (vt vota ſunt, piorum clientum) expendenda. Ipſo ODRADA. die ſanctæ ODRADÆ Virginis multis virtutibus & miraculis claræ, ob quæ ſigna eius clarificationis, Otho Comes baſilicam Alemi, non procul à Syluæducis oppido fabricauit: vbi etiamnum quieſcit, atque vt patrona colitur. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confeſſorum, atque Sanctarum Virginum.*

Laurentius. LEODII dedicatio Cœnobij ſancti LAVRENTII Martyris. In Claraual- *Tezelinus.* le pio fine quieuit TEZELINVS Monachus, qui diuturnis morbis vexatus, admirabilem in his patientiam præbuit: in cuius tranſeuntis occurſum, Beatiſſima Virgo cum ingenti beatarum mentium multitudine, progredi viſa eſt.

Pridie Nonas Nouembris. Luna

4 G XVIII.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	30
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
1	2	3	4	5	6	7	8	8	9	10	11	12	13			

SS. CLARVS. IN Vulcaſſino tractu ad Sequanam paſſio ſancti CLARI Preſbyteri & Martyris. Hic paulò poſt Apoſtolorum trophæa ab eorum ſucceſſoribus, Româ ad gentium conuerſionem hanc in Celticæ Galliæ partem legatus, ita felici ſuo aduentu, Satanæ regnum concuſſit, vt ipſo ibi primùm Chriſti Euan-

gelium prædicante, obmutuerint pſeudonuminum ſimulachra, multáque incolarum millia, aures & præcordia diuinæ gratiæ & veritatis tubæ aperuerint: qui cœleſtibus exciti ſignis, diuiníſque verbis credentes, myſteriis quoque ſalutaribus initiati, nouellum Chriſti gregem nec modicum concurſu ſuo excitauerunt. Vnde ſacerdotum conflato in Clarum liuore, ab ipſis perfido iudici dolatus, eiúſque iuſſu comprehenſus, triduo intra carcerem ieiunus concluditur, vt exploraretur ſi fortè inedia maceratus animum ad ſacrificandum dæmonibus inclinaret. Sed Angelico interueniente alloquio, non potuit Chriſti athletæ fides, vllis terroribus commoueri: verùm quò acerbior perſecutoris ſæuitia, eò Martyris conſtantia fortior enituit. Deductus igitur ad certamen poſt varios cruciatus enſe percutitur, hácque redimitus aurea cœleſte regnum ouans ingreſſus eſt. Ibidem at diu poſtea paſſus itidem memoratur decimo quinto Kalend. Auguſti alter CLARVS Eremita & Martyr. Qui natione Anglus, nobiliſſima ortus progenie, corporis pulchritudine ſpectabili, dotibúſque animi præclaris, at maximè pietate ſingulari & rara caſtimonia inſignis cùm à parentibus, quibus vnicus erat puellæ illuſtris itidem generis & formæ coniugali nexu copulatus eſſet, iámque nuptiarum pararetur celebritas, ſeruandæ virginalis puritatis amore clam ſe paternis laribus ſurripuit: déque Anglis in Neuſtriam tranſiens Cæſaroburgum appulit, & in nemus quoddam vrbi vicinum ſe recepit: vbi adlectis duobus piæ conuerſationis imitatoribus Chriſto in omni carnis & ſpiritus ſanctimonia famulari cæpit, cœleſtibus tantùm rebus defixus, quantum abſtractus à terrenis. At diaboli inuidia hinc per multas perſecutiones exagitatus, ad *Odobertum* ſanctæ vitæ Abbatem Maduinienſem ſe contulit. A quo benignè exceptus, ſtrictiorem monaſticæ diſciplinæ theoriam didicit & coluit. Sed virtutum quibus immensè pollebat cum fama circumquaque diſperſa, multos ad ſe in dies accolarum concurſus excitaret, veritus ne in tanta turbarum frequentia pudicitia cuius ſtudioſiſſimus erat, ac humilitas ſibi etiam admodum chara periclitaretur: accepta ab Odoberto licentia abeundi in aliud cœnobium ad fluuium Eptam ſeceſſit, vbi ab omni alia cura vacuus, in oratione, prædicatione (nam *Odoberti* impulſu ſacris ſe initiari permiſerat) aliíſque piis exercitationibus intentus, admiranda prodidit ſuæ ſanctitatis lumina. Hos non tulit diutius profuſos gratiæ fulgores humanæ ſalutis hoſtis, cuius facibus incenſa nobilis fœmina impudico æſtuans amore cæpit Dei famuli pudicitiam tentare. At procaci mulieri viriliter obſtitit Clarus, de-

CLARVS alter.

múmque inſtantius impetitus, quieti vt conſuleret monaſterio exceſſit. Quo diſceſſu illa exacerbata, duos ſicarios illum inquiſitum miſit, qui tandem eumdem in tuguriolo repertum (vbi poſt múltos excurſus ſedem fixerat, cum ſocio *Cyrino*) verbis primùm probríſque aggreſſi, demum ſtrictis gladiis eumdem genuflexum, & ſuam immolationem Chriſto purarum mentium amatori & innocentiæ vindici, piis vocib. offerentem, abciſſione capitis interfecerunt. Qui victor mox ſurgens ab agone deciſum caput manibus collegit, Angelicóque fretus obſequio perrexit cum trophæo ad fontem, in quem ſacrum verticem immerſit, eductúmque è lymphis abſterſit. Deinde eumdem reuexit vſq. ad oratorium cellæ ſuæ, à quo haud longè progreſſus, verſus vicum qui ad Eptam amnem ſitus iam ab hinc glorioſo eius nomine & agone gloriatur, curſum compleuit ſuum, depoſitíſque mortalitatis exuuiis beatum ſpiritum in cœlum tranſmiſit. Curauit beatus CYRINVS (quem precibus ab excidio ſeruauerat) eius funus. Qui & ipſe poſtea ingreſſus certamen pietatis, nomen quoque ſuum martyrio conſecrauit, cuius memoria quotannis ibidem die decima tertia Iunij celebris eſt. Porro caput Clari ſacratiſſimum ad pagum ſuo nomine inſignem in agro Pariſienſi delatum condigna illic veneratione aſſeruatur. Lutetiæ itidem Pariſiorum eius eſt recordatio ſacra, in cœnobiarchia ſancti Victoris Martyris. Quo loco qui tum ſecretus erat ab vrbis ſtrepitu, & ciuium frequentia, cùm caſtiſſimus Ioſeph à facie impudicæ mulieris fugeret, aliquandiu delituiſſe memoratur. Illic autem vt rutilat perpeti opitulationis gloria: ſic frequenti honoratur fidelis populi concurſu, qui eius apud Deum patrocinia dum ambiunt & flagitant, auxilia optata adipiſcuntur. Ipſomet die Auguſtoduni Æduorum natalis ſancti PROCVLI Epiſcopi & Martyris, qui primus hanc vrbem poſt ſancti Andochij prædicationem & triumphum, Chriſto ſeruatori ſubdidit: ſtabilitáque illic religionis & paſtoralis ſpeculæ fundamenta, ab impiis, qui aduerſus eum perpetuò liuore fremebant, tandem interceptus ac interemptus, fuſo cruore obfirmauit. Cuius glorioſum agonem, ex quo Æduenſibus lux perpetua effulſit, iam ab hinc à fidis ſpectatoribus notatum: ipſa Eccleſia Æduenſis tabulis ſuis inſcripſit, perpetuæque venerationis conſueuit celebrare officiis. Apud Rutenos, ciuitatem Sigodunum in Aquitania prima ſancti AMANTII primi itidem huius ſedis Epiſcopi & Confeſſoris. Qui ſancti Quintiani anteceſſor & frater, à primæuo ætatis flore abruptis ſæculi laqueis, militiam Chriſti ſecutus, vitia egregia virtute calcauit, patientiæque & fortitudinis ac fidei imprimis præſidiis

Cyrinus. Proculus. Amantius.

præſidiis munitus, admiranda prorſus peregit in Domini famulatu opera: beato omni feruens diuinæ legis placita ſeruandi propoſito, id ad ſublime meritorum culmen euaſit, vt ceu rarum exemplar iuſtitiæ & perlucidum religionis ſidus à cunctis ſuſpiceretur. Quamobrem cùm zelo Dei arderet, indutúſque ſpiritu ſapientiæ & fortitudinis, animum intendiſſet excidendis idololatriæ ſpurciſſimis ritibus, qui incolas illius tractus adhuc magna ex parte inquinabant, quo ad purum Chriſti cultum ſalutarémque eius fidem populum hunc adduceret vniuerſum, ſanctis hortationibus, vitæ quæ ab omni næuo immunis erat nitore, ſignorum diuinæ qua præditus erat virtutis euidentia, id tandem effecit, vt ſponte illa ciuitas & circumiecta regio ſuſcepto Chriſti iugo perſuaui, religionis caſtiſſimæ obſeruantiam profiteretur. Collecto igitur tam numeroſo gregi datus ex Dei nutu & ſacerdotali ordinatione primus paſtor ac Epiſcopus, tametſi magnis virtutum inſigniis ſe dignum tanti honoris præbuiſſet: aucta tamen ex prouectione virtute, non modò parem ſe geſſit tãto faſtigio, at nouo ſanctitatis incremento, tantæ dignitati addidit mirabilem decorem. Porro non Epiſcopi ſolùm partes ſibi implendas ſatis duxit. Apoſtoli etiam officium ſtrenuè aggreſſus, vbicumq. delubra impietatis erant, currebat, & indicto bello pſeudonuminibus, Chriſti trophæa deletis ipſorum ſimulachris erigebat. Euenit autem aliquando vt famoſum idolũ adoriretur, ad quod numeroſus ruſticorum concurſus fiebat, qui nefanda litatione peracta ſe dabant crapulæ & tripudiis. Quos cùm paternè de infelici more reprehẽdit, infenſa piæ voci multitudo, vno impetu in Dei Antiſtitem conſurgit, exardeſcénſq. in eius necem arma corripit. At vir ſanctus ſe recipit in cellulã, in terrámque proſtratus, fundit vberes pro hoſtib. fletus, ingeminat ad Dominum pro inſana plebe ſuſpiria: mori quidem pro Chriſto paratus erat, at verebatur ne ob ſuam necem furenti populo Rex excidiũ inferret: ritúſq. impius ſe ſubmoto perduraret: orabat igitur Dominum, vt idolũ tam exitioſum ſuapte virtute deiiceret. Vix fuderat preces, & ecce repentino fulmine, ictum ſimulachrũ corruit, in partéſque confractũ, magno procellæ impetu circumquaq. diſpergitur. Quo ſpectaculo turba attonita Chriſtũ adorat, vnicum numẽ colendũ profitetur, ſanctum Epiſcopũ veneratur, ſéq. eius monitis præſtat exinde obſequentem. Non ſemel vir beatus hoc in diſcrimen incurrit, dum dæmonũ inuadit habitacula, oracula frænat, præſtigia prodit, perdit idola, populum corripit, & ad ſanam mẽtem & ſynceri cultus diuinitatis obſequium tentat adducere. Sed non item hac vna vice ſuperna vi ereptus, magna inde tulit deuictæ impie-

tatis trophæa,prouectæ religionis clariſſima inſignia. Quibus tandem facinoribus conſpicuus, ditatus meritis fidei, operib. iuſtitiæ, clarus etiam innumeris miraculis, ad benè feliciterque exactæ pro Chriſti gloria militiæ perrexit donatiuum. De hoc ſancto Præſule, pridem id elogium vulgatum eſt. *Illata crucis Chriſti, roſeo fulgore purpuratum, inter Angelorum choros reſidere: imò Martyrum agminibus cooptatum, qui corpus crucifigendo Martyr emicuit: adeptúſque eſt nouum, non nece ſed carnis mortificatione, martyrium.*

QVINTIANVS. Huic beato S. QVINTIANVS eius frater in Epiſcopatu ſucceſſit priuilegio ipſo ſanctitatis. Qui cùm ad fratris glorioſi tumulum diuina opera coruſcare cerneret, baſilicam quam viuens ille condiderat auxit, decorauit, in háncque ad S. Confeſſoris honorificationem eius corpus tranſtulit. Sed mirum eſt relatu quod hac de re tradidit Gregorius Turonenſis, ſancto Amantio non fuiſſe acceptabile hoc opus. Vnde factum vt per viſum germano ſuo apparens, eidem diceret. *Qui artus meos in pace quieſcentis auſus es amouiſſe: ecce ego remouebo te ab hac vrbe, & eris exul in regione altera. Verumtamen non priuaberis honore quo frueris.* Non poſt multum verò temporis orto inter Rutenos ciues & Quintianum Epiſcopum diſſidio, Gotthos qui tunc vrbem obtinebant ſuſpicio attigit, quòd ſe vellet Epiſcopus Francorum imperio ſubdere, initóque cõſilio illum gladio perfodere ſtatuerunt. At Quintianus re intellecta, nocte, ſua vrbe egreſſus, Aruernos aduenit, atque à S. Euphraſio Epiſcopo benignè eſt ſuſceptus, quo ad laborum præmium abeunte, Apollinaríque demum ſubmoto, Quintianus ſicut à B. fratre præſcius factus fuerat: illius ciuitatis Epiſcopus conſtitutus eſt, iubente Theodorico Rege. Ipſo die apud

PERPETVVS. Traiectum, S. PERPETVI Epiſcopi & Confeſſoris, qui Epiſcopalem ſedem poſt S. Gondulphi beatum exceſſum ingreſſus, nõ honorem ſuum, ſed Dei gloriam in omnib. exquiſiuit, ſe irreprehenſibilem in omni vita præſtitit, ínq. obeunda cura paſtorali ſedulũ atq. peruigilẽ. Sícque clarus exiſtens & meritis virtutum, & ſplẽdorib. ſignorum talentũ ſibi creditum Domino ſuo cum lucro reportauit: atque ad ſanctam prouectus ſenectutẽ poſt annos tredecim in officio pietatis impletos, felix abiit ad præmiũ. Sepultus eſt primùm Dionanti in S. Vincentij Eccleſia, in qua de eius tumulo oleum per longa tempora exundauit. Deinde verò ſacrum eius corpus de conditorio euectum, ad baſilicam ſanctiſſimæ Virginis Mariæ in eodem oppido tranſlatum eſt, & in hierotheca ſpecioſa repoſitum, vbi multa coruſcat diuinæ clarificationis gloria, eóque honore ab oppidanis colitur, qui beneficentiſſimo patrono debitus eſt. Indiaci ſeu Floriopoli in Aruernis feſtiuitas

S. Flori Epiſcopi & Confeſſoris glorioſi, eiuſdem loci nuncu- patoris & patroni: qui ex Græcia in Galliam Narbonenſem iu- bente S. Petro profectus: Luteuæ (nunc Lodeua eſt) primum ſa- lutis præconium annuntiauit, fœdos ſimulachorum ritus deleuit, Chriſti immaculatã legem incolarũ mentibus multa cum gratia inſtillauit. Conſtituta autem ibi Epiſcopali ſede, ad dilatandum Euangelij lumen in Boliſmam excurrit, vbi ſiti areſcentib. diſci- pulis fontẽ ex ſilice quem ſcipione percuſſit excitauit. Demum ad montem Indiciacum veniens, cùm magna virtutis Apoſtolicæ gloria populum ad fidem euocaret, curſum placido fine comple- uit. Vbi & ſepultus quieſcit in ſui nominis Eccleſia, quam è cœ- nobitica extructa in eius honorẽ ab Amblardo Briſonio permiſſu Clementis II. & conſilio S. Odilonis Cluniacẽſis; ab Vrbano au- tem II. conſecrata: Bonifacius Papa octauus, anno 1302. in Cathe- dralem euexit, quæ hodieq. titulo ipſius cœlitis ac meritis fulget inſignis. Eodem die Lodeuæ S. Amantii mediati ipſius ſancti Flori ſucceſſoris, virtutibus admirandi. In territorio Bituricenſi Dolenſi vico B. Lusoris pueri, qui *Leucadij* Senatoris filius, cœleſti aſpiratione petito ac ſuſcepto diuinæ regenerationis ſa- cramento, innocentiæ flos illibatus, & candidatus gloriæ, ipſis in albis, cùm fidei germen & fructum iuſtitiæ iam proderet, abreptus præmatura at felici morte, ad beatam æternámq. vitam Dei mu- nere euocatus eſt. Cuius puriſſimum corpus in æde ſacra S. Ste- phano Protomartyri, eiuſdem pagi, pone tumulum *Leucadij* ge- nitoris conditum, diuinis prodigiis emicuit: vnde ob patrocinia quæ meritis ipſius beati incolæ conſequebantur, ſepulchrum eius quod tantum theſaurum contineret, medelámque funderet af- flictis mirificam, pario iam olim marmore, titulo beati ipſius Lu- ſoris exſculpto inſignitum eſt: at magis diuinæ gloriæ ſplendorib. illuſtratum, quæ commemorat S. Gregorius Turonenſis. Memo- ria verò eiuſdem ſacroſancta, abhinc faſtis Bituricenſis Eccleſiæ adſcripta, quotannis eſt hac die celebris. Ipſo die S. Gregorii Ab- batis Porcetenſis prope Aquiſgranum, & Confeſſoris: qui filius Nicephori Imperatoris Cõſtantinopolitani, & frater Theophaniæ coniugis Othonis II. Romani Imperatoris, Chriſti amore tantos natales, tantámque ſibi hinc quæſitam ſæculi gloriam aſperna- tus, Romam voti cauſa venit, vbi ſuſcepta teſſera religionis in humilitate ſpiritus & multa corporis maceratione, deuotæ ſuæ ſeruitutis ſaluatori primordia exoluit. Iámque ſibi diuina aſpi- rante gratia, cùm ingenti decore ſanctitatis polleret, monacho- rum pater ac ſpeculum factus, cœnobium ſancti Saluatoris ex- truxit: cui præluxit omni exercitatione virtutis. Adeo vt accedẽte

Florus. Amantius. Lusor. Gregorius.

exiſtimationis omnium plauſibiliori aura, vir beatus vt gloriæ caducæ cuius fucos ſpernebat, illicia declinaret, in Galliam ſe contulit, Aquiſgranúmque petiit ob ſanctiſſimæ Deigenitricis, cuius auſpiciis potiſſimum fidebat claram ibi venerationem. Cui ſolutis votis, vltimáque ſorte commiſſa, adlectíſque piæ intentionis ſectatoribus prope eamdem vrbem erexit monaſterium, Potcetanum dictum. Illic verò multo gratiæ & ſanctitatis edito incremento, poſtquam quæ Deo placita ſunt ad cumulum compleuiſſet, beato conſumptus fine, ad regni cœleſtis beatam migrauit vſuram, quam ob terreni principatus contemptum, fideliſque famulatus obſequium Rex gloriæ Chriſtus ipſi abundè largitus eſt. Andegaui ſancti GIRARDI Preſbyteri, monachi Cœnobij ſancti Albini & Confeſſoris, vitæ auſteritate, caſtimoniæ nitore, ſpiritu pietatis, zelo animarum, diuini verbi præconio, dono prophetiæ, ac miraculorum gloria illuſtris. Huic animæ quæ in purgatorio expiantur frequenter apparebant, orationum quæ Deo erant acceptiſſimæ ſuffragia ab ipſo poſtulantes. Quibus petita ſubſidia dum impertiretur, deſideratam è carcere ad regnum impetrabat migrationem. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum*, &c.

GIRARDVS.

Haketus. PERREXIT hodie ad Sanctorum ſocietatem, beatæ memoriæ HAKETVS, ex decano ſancti Donatiani Brugenſis, humilis Dunenſis aſceta, poſtea & Abbas, admirandis virtutum exemplis conſpicuus, & ſanctiſſimæ vitæ tramite ac clauſura inſignis.

Nonis Nouembris. Luna

5 A VII.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	30	1
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
2	3	4	5	6	7	8	9	9	10	11	12	13	14			

SS. MALACHIAS.

APVD Claramuallem tranſitus ſancti MALACHIÆ Archiepiſcopi Armachani in Hibernia & Confeſſoris. Cuius vitæ admirandæ acta ſanctus Bernardus Abbas Claræuallenſis, qui eumdem viuentem & poſtea defunctum magnopere coluit, libro copioſo complexus, poſteris exarata reliquit, ſtylo æquè graui ac elimato. Merita verò diuino illo ſermone prædicauit, quem non in funere, ſed in natali ipſius de eius laudibus habuit & gloria, in ſuo Claræuallenſi monaſterio, vbi ipſemet beatus Malachias ſecundum quod diuino afflatu prædixerat, felici exceſſu defunctus eſt. Quem idem S. Bernardus dum in eius exequiis tremendum ſacrificium immolaret, ſuperno ir-

radiatus lumine ſuſceptum in gloria ſuſpexit: vnde & collectam defunctorum in litationis ſacratiſſimæ fine prætermittens: illam orationem intulit, quæ non ad commendationes defunctorum, ſed ad celebritates ſpectat beatorum Pontificum. At verò non hac die ad beatas ſedes migrauit S. Malachias, ſed ipſo die commemorationis omnium defunctorum. At hodie, in ipſa Claraualle, depoſitionis eius de more feſtiuitas celebratur. Hoc ipſo die Auguſtæ Treuirorum S. FIBITII illius Metropolis Epiſcopi & Confeſſoris, qui ex diſcipulo factus magiſter pietatis, ex Abbate quinto S. Maximi, ad ſedis huius nobilis regimen, *Maximiano* ſubducto ab humanis euocatus, ea virtutis, doctrinæ ac religionis laude Eccleſiæ ſuæ præluxit, vt ipſa ſanctorum Præſulum, quorum claris actibus fuerat illuſtrata, rediuiuum in illo iubar contueretur. Hic glorioſus Antiſtes *ita vixit, vt mori non timeret. Ita mortuus eſt, vt viuere nec apud Deum in gloria, nec apud homines in ſuaui memoria ceſſaret*: nam æternum decus beatitudinis adeptus, perennem fidelium cultum ob patentia teſtimonia ſanctitatis iam ab hinc conſecutus eſt. In Aquitania S. GONSALDI anachoretæ. Qui vernanti in ætate ad B. Benignum Aruernorum Epiſcopum ob celebritatem ſancti nominis profectus, ſub eius magiſterio deuoti Chriſto famulatus rudimenta didicit ac peregit. Hócque à beato Præſule diuinis moribus informatus, cùm prorſus cœleſtia ſpiraret, ne terrenis aſpectibus vel affectibus inficeretur, ſe vulgari hominum conſortio ſubducens, tranſtulit ad aſperrimum termini Lemouicenſis montem, quem fulgore ſuæ ſanctitatis repletum, proprio demum nomine, quo & hodie cenſetur, inſigniuit. Illic enim abſtractus ab omni mundi contagio, ſeſe totum ad diuina erexit, ſedulo pietatis cultu Chriſto ſeruiens, donec ieiuniis, vigiliis, orationibus, ſanctíſque aliis quibuſque exercitationibus confectus, victor de carne ac dæmone, quo cum frequenter aperto marte conflixit: ad coronam ſtrenuis ſpei Chriſtianæ pugilibus repoſitam, ouans euolauit, circiter tempora ſancti Agathonis Papæ & Theodorici I. Francorum Regis. In agro Tullenſi ſancti SPINVTI Confeſſoris, diuinæ gratiæ radiis conſpicui. Cuius corpus micans meritorum inſigniis, in Modiano monaſterio eiuſdem diœceſis decenti cum honore quieſcit.

FIBITIVS.

GONSALDVS.

SPINVTVS.

Octauo Idus Nouembris. Luna

6 B xvi.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	30	1	2
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
3	4	5	6	7	8	9	10	10	11	12	13	14	15			

SS. LVPENTIVS. IN Campania ſub præſulatu Catalaunenſi ſancti LVPENTII Martyris, qui ſponte ſegregatus à ſæculo, totum cùm ſe diuinis obſecutionibus mancipaſſet, in Eccleſiola quam ſtruxerat in eremo, iuſſu impiæ Brunechildis Reginæ decollatus eſt. In LVPANTIVS. LAETVS. territorio Turonenſi ſancti LVPANTII Confeſſoris, meritis gratæ Deo ſeruitutis glorioſi. Ipſo die ſancti LAETI Confeſſoris & Leuitæ: qui perlucidum ſidus gratiæ patre Siderico apud Bituriges natus, ab ipſa infantiæ ſuæ ætatula, Chriſti amore flagrauit, ſacra loca dilexit, monachos frequentauit, monaſterium optauit. Idcirco annos natus tantùm duodecim relicta paterna domo, feſtinè currens ad monaſterium pedibus aduolutus *Treiecij* notæ ſanctimoniæ Abbatis, ſuſcipi in diſcipulum multo cum affectu pietatis, quem erumpentes lachrymæ innuebant, enixè poſtulauit. Quem ſine mora Abbas ſuum in cœtum cooptans, vt filium innocentem pius pater fouit, edocuit, timoréq. Dei imprimis inſtituens, mandata eius colere & placita quæcumque ambire vt inſiſteret, admonuit. Poſt hæc adſcriptus in clerum, edita militiæ monaſticæ inuiolabili ſponſione, & profectu diſciplinæ, & ſtudio pietatis, quin donis gratiæ & virtutis operibus, ſymmyſtis longè præcelluit, oratione præ cæteris aſſiduus, caſtitate præpollens, ſobrietate præcipuus, attentius autem humilitatis ſtudioſus. Vnde fratrum liuore (vt quondam aduerſus Ioſeph germanorum inuidiâ) in ipſum exorto, ab his multis iniuriis laceſſitus, ad iuſtitiæ opus perfectum, patientiæ inſigne exemplum addidit. Cùm ab Abbate impulſo monachorum æmulorum aſſiduis clamoribus (qui Lætum cùm ſtultitiæ inſimulaſſent, poſtea fictionis, ſuperbiæ, affectatæ vanæ ſanctitatis gloriæ, occultæque prauitatis recuſabant) in ſolitudinem ſanctus iuuenis iam Diaconatu honoratus ad paſcenda pecora ablegatus eſt. Sed non ſine diuino nutu factum, vt aliquot ex illius criminatoribus Abbas ad eum, in deſertum dirigendum deſtinaret, qui inſpectores facti diuinæ virtutis quæ in eo erat, redierunt iam teſtes eiuſdem innocentiæ, & non fucatæ ſanctitatis. Coram his enim mirabilia edidit, quæ nonniſi Chriſto in eo operante agnouerunt, fieri po-

tuiſſe. Tunc ſiquidem illis ſpectantibus atque ſtupentibus, frementium belluarum ſibi occurrentium infeſtum agmen, crucis expreſſo cum multa fide ſignaculo, ſuos ad pedes corruere, petitáque ceu venia, leuiter ad antra regredi coëgit: infirmíſque opem ferens incolis diuinam, cæcos illuſtrauit, erexit claudos, atque quoſuis ægros ſanauit. His non minùs attoniti ſocij quàm de culpa inuidiæ compuncti, ad Abbatem pernici curſu redeunt: Lætum virum innocentem, Dei amicum, Angelico vultu nitentem, Chriſti opera facientem prædicant. Quibus auditis venerabilis Abbas, aſſumptis aliquot ſecum religioſis fratribus, Lætum conuenit, exoratúmque ſuppliciter de venia, reducit ad cœnobium. Tunc qui cæco liuore ſuo virum Dei expulerant, reducem mirantur, factíque de æmulis veneratores, laudibus honoribúſque cumulant: vtque delapſum de cœlo ſidus viuum ſuſpiciunt omnis religionis & iuſtitiæ. At Dei famulus has non ferens honorificationes, ne auræ adeo ſuauis fraternæ adulationis, flatu exitioſo aliquando concuteretur, ſatius loco cedere cenſuit, quàm de amica humilitate quicquam perdere. Audita igitur fama ſancti Maximini Abbatis Miciacenſis, ſub quo monachorum Chriſto adunata, in magna obſeruantia pietatis, multitudo militabat: (quo in cœtu *Auitus* venerabilis Preſbyter & *Viator* egregiæ ſanctitatis Diaconus, primariæ laudis decus emerebantur:) occultè ad illum venit, eius diſcipulis petens obnixè annumerari. A quo duabus hebdomadis hoſpitali officio exceptus, obſeruata ſua püſſima conuerſatione admonitus eſt, vt rediret ad Abbatem ſuum, copiámque peteret loco diſcedendi: túmque ad Miciacum veniret, nec ſe dubitaret inter alumnos huius congregationis fore admittendum. Obtemperauit monito, impetratáque *Traiecti* Abbatis licentia, non ſine multo eius & omnium fratrum gemitu dimiſſus, Miciacum reuertitur, ac benignè à Maximino ſuſcipitur. Sub quo Lætus ſemetipſum prætergreſſus eſt, maioris ſanctitatis acceſſione. Auito autem præcipuo ſanctæ amicitiæ nexu deuinctus, ſacro deinde inito fœdere, cum eo vitæ auſterioris appetens in eremum de aſſenſu ſancti Maximini ſe recepit, vbi Angelicæ coluit ſtudia puritatis. Donec exuente carnis ſarcinam beato Maximino Abbate, monachi ad eremum contendentes, Auitum ſibi vt præeſſet Abbatem elegerunt, & renitentem ad Monaſterium reduxerunt. At Lætus ab his primùm expetitus, fuga elabitur, eóque ocyus proficiſcitur, quo ab hominum concurſu fiat remotior. Itaque apud Logium ſyluam in partibus Belſiæ ſe recondit, eáque agit parcimonia, auſteritate, pietatis inſtantia, qua beatorum iam ſo-

cius puritate mentis, & vitæ nitore videbatur. Reliqua ætate ſua deinceps nihil de cibo nouit, præter id quod ſponte humus profert. Aquam non ſine menſura capiebat: omníque ferè carnis craſſitudine depoſita, totus in ſpiritum conuerſus eſt. Virtutum idcirco cœleſtium actibus coruſcare cœpit, dæmones expellere, energumenos liberare, curare ægrotos, futura prænuntiare, in quibus & obitus diem præſcitum ſignauit: *Treieciúmque* Abbatem ſub quo tyrocinium expleuerat religionis, quíque ad ſe venerat ob factorum claritatem, reuerenter ſuſceptum, de ſuo curando funere cùm oraſſet, diuino paſtus viatico, ad faciem conſpiciendam creatoris quam ardenter cupiebat, euolauit. Sic excedens Lætus mœſtos homines, lætos Angelos de ſua migratione reddidit. Quem præfatus Abbas Treiecius expletis omnibus quæ funeri debentur, in præparato collocauit ſarcophago, multa cum veneratione. Iacuit autem eius ſacratiſſimum corpus ibidem multis annis, Domino ſanctitatem illius publicante multis gloriæ inſigniis: ob quæ, Eccleſia extructa eſt eodem loco, ad beati Confeſſoris memoriam honorandam. Sed demum *Ermenteus* Epiſcopus Aurelianenſis, qui ſingulari pietate in B. Lætum affectus erat, diuino admonitus oraculo, pretioſa eius ſpolia ex illo loco tranſtulit ſumma cum religione ad Caſtrum Pithiuerienſe, concurrentibus vicinis Epiſcopis & frequenti vndequaque populo: vbi fabricata eſt collegiata baſilica, apud quam multa miracula patrata ſunt, quibus auctus eſt ſancti Confeſſoris cultus, & fidelium, in eius clarum nomen, opitulationis magnificæ gloriâ, vberior excitata deuotio. Nec hîc modò celebris eſt tanti cœlitis veneratio: at etiam in monte Remenſi, vbi Eccleſia eſt pretioſis vt pignoribus eius aliquot prædita, ſic glorioſis fulta ac ornata patrociniis. Colitur in Aurelianenſi diœceſi vir beatus ipſis Nonis huius menſis: attamen hodie migrauit ad Dominum. Eodem die in Aquitania

LEONARDVS. ſancti LEONARDI Confeſſoris, qui loco nobili in Francia natus, & ab ipſo Clodouæo Rege de ſacro fonte ſuſceptus, edoctúſque à beato Remigio Archiepiſcopo Remenſi, ab prima ipſa ætate virtutum omnium ſolida fundamenta iecit. Nam Dei charitate feruens & proximi dilectione, iam vix pueritiam egreſſus, carceratis viſitandis & liberandis incumbebat: munificus in pauperes, caſtus, modeſtus & humilis, ſedulus in rerum diuinarum contemplatione vitam agebat ſanctiſſimam. Ab ambitione ita erat alienus, vt in aulam à Rege accitus, ibíque manere rogatus donec ad Epiſcopatum promoueretur, imparem ſe tanto oneri aſſeuerauerit, vitámque ſolitariam cuiuis honori

prætulerit. Aureliam itaque profectus, inuentóque prælibato ſancto *Maximino* Abbate Miciacenſi aliquandiù apud illum ob ſanctitatis clara inſignia moratus eſt: diuina autem reuelatione admonitus inde recedens in Aquitaniam perrexit, ſalutatóque ac in pace dimiſſo ſancto Liphardo fratre ſuo, tractum Biturićenſem luſtrans, omnem eam regionem verbi Dei prædicatione repleuit, miraculis illuſtrauit. Tandem animarum myriades Chriſti cùm iugo ſalutari ſubegiſſet, religionis cauſa in ſyluam quamdam ſe abdidit in Lemouicenſi agro, vbi extructo non ſine diuinæ gloriæ manifeſtatione, in honorem ſanctiſſimæ Virginis Mariæ monaſterio, omnis virtutis at præcipuè charitatis officiis clarus, mirîſque operibus, potiſſimùm verò carceratorum liberatione inſignis, obdormiuit in Domino; à quo poſt beatum tranſitum magnam nominis recepit clarificationem.

Ipſo die ſancti VVINOCI Abbatis & Confeſſoris, qui Iudicail Britonum reguli filius, & ſancti Iudoci frater, ſpretis mundi quiſquiliis, ad Chriſti penitus obſequium, in quo vera eſt ſalus & felicitas, ſe conuertit. Patriâ cùm ſpe terreni principatus relictâ in Flandriam conceſſit, cum tribus germanis, quibus etſi ætate minor, pij propoſiti affectum indiderat: *Kadanoco* ſcilicet, *Ingenoco* & *Modoco*. Ibi audita ſancti Bertini Abbatis, ſub quo turba centum quinquaginta Monachorum artem omnium quæſtuoſiſſimam diuini famulatus exercebat, egregiæ vitæ celebritate, ſeſe cum fratribus illius diſciplinæ commiſit. At breui ex diſcipulo euaſit didaſcalus. Nam Bertini ſic in ſe diuinos tranſtulit ſedula imitatione mores, ſic gratiæ munera, per ſtudium Deo placendi actuoſum compenſauit, vt omnium in ſe aſpectus ac affectus raperet. Omnium de eo vnus ſermo erat, in tanta turba ſanctæ conuerſationis virorum, VVinocum quaſi ſtellam matutinam præfulgere. Cuius ſplendidas dotes cùm tres eius fratres proximè imitarentur, Bertinus perpendens hos quatuor heroës plus cæteris in palæſtra religionis profeciſſe, quò per tam ſtrenuos pugiles Chriſti militiam amplius propagaret, ad villam VVormohoult, ſibi ab Heremaro viro nobili pio voto datam, illos miſit, vt monaſteriolum conſtruerent, ſocietatem religioſam congregarent, pauperibus præpararent hoſpitia. Cui conuenticulo voluit idem Bertinus VVinocum præeſſe. Impleuit munus vir beatus tanta actorum commendatione, vt ſuauiſſimos ſanctitatis odores, & paſtoralis vigilantiæ ac regularis ſolertiæ ſplendores, vndequaque perfunderet. Cùm autem in omni virtute præcelleret fide robuſtus, ſpe longanimis, patientia inuictus, charitate ſingularis, maximè tamen enituit humilitate:

VVINOCVS.

qua fratribus delectabatur miniſtrare, pauperibus ſeruire, hoſpitalitatem exequi. Quidquid aliorum manus vt magis arduum aut graue refugiebat, impigrè ille & incunctanter aggrediebatur. Spiritu humilem veréque iuſtum, ſimplicem & manſuetum ſeruum Chriſtus ob exinanitionis huius ſpontaneæ officia, ſuæ virtutis fulgore clarificauit: miraculorum gloria illum exornans, quibus tot ſtupenda peregit, vt quanta polleret apud Deum gratia, nemo iam non conſpiceret. At non his ſuæ virtutis teſtimoniis Vvinocus gloriabatur. Omnem in Deum gloriam refundebat. Cuius vultus cernendi cupidiſſimus, rogabat quotidie, vt Dominus *de cuſtodia animam ſuam educeret*, ſibíque beati conſpectus daret demum optatam fruitionem. Ad extremum igitur eius deſideriis Chriſtus annuens, Angelos miſit qui amatorem ſuum ad ſe euocarent, emeritóq. militi ſuo promiſſa præmia largitur, donatiuum illud ſcilicet quod *oculus non aſpexit, nec percepit auris, quódque in cor hominis non aſcendit.* Defunctus autem ſanctus Confeſſor illo in ſuo cœnobio ſepultus eſt, miríſque radiauit virtutis diuinitus ſuſceptæ in ſolatium piæ plebis fulgoribus. Cuius tumulum flammæ quæ totam baſilicam inuaſerant nequiuerunt attingere: ſed vi ſancti corporis illic quieſcentis cohibitæ, reflexo in ſe impetu conglobatim extra ſacrum locum proſilierunt, atque in tenues auras illico ſunt conuerſæ. Quieſcit hoc tempore ſanctus Confeſſor Bergis in ſui tituli ac beati Martini Eccleſia, ad quam adlecto Canonicorum collegio, transferri illum curauit Balduinus Caluus Comes Flandriæ, Carolo qui ſimplex dictus eſt in Francia regnante. Diuione tranſ-

GREGORIVS. latio ſancti GREGORII Epiſcopi Lingonenſis, facta à ſancto Tetrico illius filio & ſucceſſore, qui ſublatum de tumulo ſacratiſſimum eius corpus, ob micantia ſigna gloriæ, ſolemniter in abſidem tranſpoſuit. Túncque ſarcophagi vbi iacebat ſanctus remoto diuinitus opertorio, beata eius facies ita viſa eſt illibata, vt non mortuo, ſed dormienti ſimilis apparuerit, ſed nec de veſtimento quod cum eo poſitum fuit aliquid oſtenſum eſt diminutum. Auguſtoduni Æduorum aduentus, & ſuſceptio ſa-

NAZARIVS. crarum reliquiarum ſancti NAZARII Martyris, eiuſdem Eccleſiæ Cathedralis antiqui tutelaris: in cuius nomine conceſſo ſibi à Chriſtianiſſimis Regibus Carolinæ ſtirpis monetæ cudendæ iure, numiſmata illa quæ hodiéque ſuperſunt, ipſamet Eccleſia pridem ſignauit. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confeſſorum, atque Sanctarum Virginum.*

Pie mortalitatem exuit B. SIMON Alnæ in Leodicenſi agro Cœnobiarcha, vir admodum religioſus, & charitatis operibus impensè deditus. Item apud Claram Vallem obiit feliciter GAVFRIDVS cognomento Vitdunenſis illius nobilis cœnobij aſceta, quem Chriſti dextera mirabiliter de ſæculo eduxit: viſibilitérque ſuper eum extenſa, die quo ingreſſus eſt religionis ſtadium, apparuit. Eodem die ſancto fine quieuit BEATRIX Monialis pœnitentiæ rigore æquè ſtupenda, ac ſanctis operibus & miris illuſtris. *Simon.* *Gaufridus.* *Beatrix.*

Septimo Idus Nouembris. Luna

7 C xv.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	30	1	2	3
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
4	5	6	7	8	9	10	11	11	12	13	14	15	16			

ALBIÆ in Aquitania natalis ſancti AMARANTHI Martyris: qui Decio in Chriſti Eccleſiam furente, ob teſtimonium diuinæ veritatis, quam miro pietatis ardore prædicabat, iuſſu impij Præſidis conſtrictus, variiſque dilaceratus tormentis: demum quod maiori conſtantia fidem ipſam aſſereret, obtruncatione capitis coronam retulit triumphalem. Ad cuius tumulum maieſtatis diuinæ magnalia plurima refulſerunt. In quibus illud inſigne à Gregorio Turonenſi commemoratur, quo cœleſti igne, cereus affixus eius ſepulchro, humano ceſſante miniſterio, accenſus eſt. Cùm oraret verò ad eiuſdem Martyris tumbam ſanctus Eugenius Carthaginenſis Epiſcopus ab Arianis ex Africa relegatus: apparente ſibi eodem beato Amarantho, qui ipſum ad gloriæ conſortium inuitabat: Chriſti in pace piam efflauit animam. Turonis ſancti BALDI, ceu BAVDINI Epiſcopi huius metropolis & Confeſſoris. Hic cùm eſſet Clotharij Regis referendarius, ob vitæ integerrimæ & raræ ſapientiæ dotes, præcipuúmque religionis ſtudium, poſt mortem *Iniurioſi* Archipræſulis, qui ſerie XV. huic Eccleſiæ præfuerat, ad eius regimen euocatus, conceptam de ſe opinionem, pietatis & miſericordiæ officiis, atque ardenti paſtoralis curæ inſtantia ſuperauit. Hoc certè in opere charitas eius mirificè enituit, quod viginti millia ſolidorum quæ congeſta deceſſor eius reliquerat, non in ſuos vſus, ſed in pauperum ſolatia impenderit, quibus & proprias facultates quas copioſas habebat viſcerali affectu commiſerationis largitus eſt. At amator Cleri, ſacros myſtas principalis Eccleſiæ cenſu auxit, menſámque quam Canonicorum vocant inſtituit. Deinde cùm annos quinque & menſes decem in officio ſalutis exegiſſet, vir Deo dignus ad mercedem vocatus pietatis

SS. AMARANTHVS.

BALDVS, aliàs BAVDINVS.

placido fine quieuit, atque in baſilica ſancti Martini ſepultus eſt. Cuius memoriam venerandam Turonenſis Eccleſia ab hinc faſtis ſuis adſcripſit, quam hodie ſacris honorat officiis. Eodem

AMANDINVS. die Claromonte Aruernorum ſancti AMANDINI Confeſſoris multis gratiarum priuilegiis perornati, ob quæ, in æde ſancti Saturnini ſepultus, illius titulum in ſuum vendicauit: vbi hac ipſi die ſibi ſacra, recipit anniuerſarij cultus copioſis meritis delatum honorem.

RVFVS. Ipſo die Metis depoſitio ſancti RVFI Epiſcopi & Confeſſoris, qui communi celebritate colitur cum ſancto Agatimbro quinto Idus Maij. Epternaci in Treuirenſi territo-

VVILLIBRORDVS. rio ſancti VVILLIBRORDI Vltra-Traiectenſis Epiſcopi & Confeſſoris Friſonum Apoſtoli. Hic Anglo-ſaxo natione, cùm donis gratiæ afflueret, à ſancto EGBERTO Northimbrorum Archiepiſcopo Preſbyter ordinatus, ab ipſo propagandæ fidei Euangelicæ cupido, cum nouem ſociis in inferiorem Germaniam directus eſt, ad populo infideli inferendam diuinæ veritatis facem. Igitur Vvillibrordus, cum pij propoſiti prouectoribus ex Britannia in Friſiam traiicit, Apoſtolatúſque præludia apud Vltraiectum aggreſſus, à Pipino Heriſtallio Regiæ Francorum principe, qui Radbodum Friſiæ Regem ethnicum nuper debellauerat, rogatus eſt vt cum diſcipulis in Friſiam proficiſceretur, Regémque illum barbarum & gentem ſanctis prædicationibus & monitis ad baptiſmi gratiam euocaret. Conuenit illum Vvillibrordus in Foſtenlandia inſula degentem, verbíſque ſalutis ad veri numinis cultum ipſum adducere niſus eſt. A quo id ſolùm fertur aſſequutus, vt Chriſti fidem prædicare ſibi liceret. Erat ibi inſigne delubrum Iouis, cuius cùm ſacra nefanda, vir Apoſtolicus inſectaretur: aram etiam & ſimulachrum deſtruxit: tréſque homines ex tanta multitudine diuina luce fidei illuſtratos, ſalutari vnda expiauit. Qua re audita Tyrannus ille tanta ira efferbuit, vt ſocium Vvillibrordi deprehenſum fecerit iugulari. Non hæc crudelitas auertit virum Dei à cœpto opere ſalutis: ſed quod parum ſe proficere cerneret apud tam feræ gentis principem, qui populum etiam diris comminationibus a fide ſuſcipienda cohibebat: decreuit Orientalis Franciæ adire partes, & nouellæ conuerſionis catechumenos in fide Catholica roborare. Stipatus itaque ſacerdotum ſanctiſſimorum agmine, ad caſtrum Traiectenſe tetendit, vbi iuxta dirutam Eccleſiam ſancti Thomæ oratorium extruxit in honorem ſanctæ Crucis, in quo renatiui fontis primum conſecrauit baptiſterium, cuius laticibus vitalibus, accurrentes ad gratiam immergens, plurimos ſanè diaboli è laqueis ereptos, Chriſti ſuaui iugo mancipauit. Veniebat

niebat ad virum Apoſtolicum ſæpè è Taxandria ad tractandum de propaganda fide, ſanctus Lambertus Epiſcopus. Sed & Pipinus Dux æquè religione præſtans ac armis ſtrenuus, attendens in beato ſacerdote indefeſſum euangelizandi ſtudium, aſſiduis precibus cum eo egit: quatenus ipſe Romam progrediens, Epiſcopalem à ſummo Pontifice cum Apoſtolici muneris auctoritate, ſuſciperet benedictionem. Sergius autem Papa nominis huius primus Angelica viſione præmonitus, ſecundum petitionem Pipini Ducis, dominicum ſacerdotem condignè ſuſcepit, & eumdem in baſilica ſancti Petri cum pallio ſuperhumerali ſolemniter Archiepiſcopum ordinauit: Apoſtolicáque auctoritate ad fidem prædicandam & dilatandam muniens, quo felici omine prodiret in arenam, *Clementis* qui naſcentis religionis præcipuam poſt Apoſtolorum principes curam geſſerat, eidem addidit cognomen. Româ igitur in Friſiam reuerſus, ſedem Epiſcopalem Vltraiecti ad Rhenum conſtituit, ædificata ibidem cum canonicorum cœnobio, ope & auxilio Caroli Martelli, Eccleſiâ, cui ſancti Martini nomen indidit. Cuius Martelli Principis Francorum, Pipinum filium poſtea Regem, lauacro diuinæ regenerationis luſtrauit. Dotauit primus Traiectenſem Eccleſiam idem Martellus: qui & non tam augendi Francorum quàm Chriſti regni appetens, atrox bellum Radbodo intulit, victóque & ſubiugato hanc impoſuit legem, vt abſque dolo ſe Chriſti præconibus audientem cum gente ſua præberet: atque poſt ſufficientem inſtitutionem, characterem gratiæ & ſacramentum fidei reciperet. Perrexit eò libenter Vvillibrordus, ad opus tam optatum exequendum. Cui ſe adiunxit ſanctus *Vulframnus* Archiepiſcopus Senonenſis, & ipſe in pectore Apoſtolicum ignem ſpirans, vt tam nobilis conuerſionis partem obiret. Contumax tamen demum manſit diuinæ gratiæ ille reprobus Rex, qui ludificatus à diabolo, pedem iam ſacro fonti immerſum retraxit, *cauſatus ſe parentum recordatione affici, quibuſcum perire ſibi iucundius eſſet, quàm cum Chriſti cultoribus, quos non nouerat promiſſa beatitate frui.* Verùm poſt eius interitum vir Apoſtolicus Vvillibrordus liberè munus implere permiſſus, cœpit vbique in Friſia patenter Euangelium Chriſti prædicare, Catechumenos baptizare, Neophytos confirmare, ſacros celebrare ordines, ac in pagis ſingulis Eccleſias dedicare, presbyteros conſtituere. Mira cùm dictis eius facta concurrebant, quibus attonitas ſpectantium mentes, in fidei obſequium trahebat. Cùm his præclaris rebus incumberet, venit ad eum ſanctus Bonifacius, ipſi in Epiſcopatu & Friſionum Apoſtolatu ſucceſſor ſupernè delectus, qui biennium illi hærens, ſtrenuè grauitérque in

animarum procuranda ſalute cooperatus eſt. Porro Vvillibrordus in cœptis tam fauſtè cùm progrederetur, ob Chriſti nominis clarificationem, non ſemel in periculum incurrit diræ necis. Maximè verò cùm aliquando in Valachia delendis idololatriæ ſpurcitiis inſudaret. Accidit enim vt veniret ad locum vbi ſimulacrum Mercurij ab incolis magna in veneratione habebatur. Quam ſtatuam zelo Dei feruens pius Antiſtes confregit, atque profani ſtipitis fragmenta extra templum abiecit. Hac re exaſperatus cuſtos idoli, beatum Epiſcopum mucrone percuſſit in ſummitate capitis. At diuino iudicio mox abreptus à diabolo, miſerabili morte poſt triduum à ſæculo deceſſit. Confeſſor autem Domini hoc glorioſo ſtigmate inſignitus, at diuina gratia ſeruatus, curſum non dimiſit pietatis incœptum, at magis ac magis produxit. Etenim in pagis illius tractus ſingulis, Euangelium mirabili ardore prædicans, atque quæuis aſpera ſuperans, ineluctabili conſtantia opus demum creditum conſummauit: ſicque populorum Chriſto ingenti multitudine ſubiugata, poſt multos labores, pœnas, ſudores, ac curas, quas tota via in Eccleſia plantanda & animarum ſalute procuranda, ſubiit, Epternaci Creatori felicem reddidit animam, poſtquam annos quadraginta Eccleſiam à ſe fundatam mira cum virtutis Apoſtolicæ gloria gubernaſſet. Cuius ſacrum corpus in cœnobio illius oppidi, quod ipſe pridem de patrimoniis diſcipulorum conſtruxerat, ſepultum eſt, hiſque radiauit beatæ animæ meritorum inſigniis, vt mutata nuncupatione ſacræ ædis in qua quieſcit, iampridem illa Abbatia & baſilica nobili eius nomine glorietur. Eodem die Argentorati ſancti FLORENTII illius ciuitatis Epiſcopi & Confeſſoris: qui ex Monacho & Anachoreta, ad ſedis huius præſulatum poſt tranſitum ſancti Arbogaſti euocatus, non minori quàm ille ſanctitate claruit. *Rathildem* Dagoberti Regis filiam à natiuitate cæcam & mutam, ſuis ad Deum precibus ſanauit: gregem ſibi creditum, vt bonus ac fidelis paſtor, ſedula cura cuſtodiuit, egregiè pauit. Tandémque bonorum operum curſu feliciter confecto, cum Chriſto æternùm regnaturus in pace quieuit. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confeſſorum, atque Sanctarum Virginum.*

FLORENTIVS.

Sexto Idus Nouembris. Luna

8 D XIV.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	30	1	2	3	4
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
5	6	7	8	9	10	11	12	12	13	14	15	16	17			

SS. CLAVDIVS, NICOSTRATVS, SYMPHORIANVS, CASTORIVS & SIMPLICIVS.

OCTAVA omnium Sanctorum. Natalis Sanctorum Martyrum CLAVDII, NICOSTRATI, SYMPHORIANI, CASTORII & SIMPLICII, qui Romæ iubente Diocletiano primo in carcerem incluſi, poſt ſcorpionibus dirè cæſi, in aſſeueratione fidei cùm ſe præſtarent immobiles, loculis plumbeis incluſi, in mare dati præcipites, præclaram de certamine fortiter confecto victoriam retulerunt. Horum veneranda cadauera Romà in Gallias delata, Toloſæ in ſanctuario baſilicæ ſancti Saturnini Martyris, propria in ara depoſita, condigna veneratione ſeruantur. In pago Turonico paſſio CENTVM ET VIGINTI SEX MONACHORVM maioris monaſterij, qui à Danis infidelibus in fidei odium trucidati ſunt. Veroduni ſancti MAVRI Epiſcopi & Confeſſoris. Qui cùm *Sanctinus* primus illius ciuitatis Antiſtes, à ſancto Dionyſio (vt ipſi ſuppetias ferret) in Galliam interiorem euocaretur: ab eodem ob eminentem ſanctitatem & doctrinam in locum Epiſcopalem ſurrogatus, tenellæ huius Eccleſiæ cunabula eximio amore fouit: quam & lacte cœleſtis ſapientiæ enutriens, eum ad vigorem prouexit, quo plenè adulta, fœcunda fidelium parens fieret: atque quæcumque perfidiæ molimina, fide fortiſſima elideret. Quibus progreſſibus editis, vir beatus ad repoſitam abiit meritorum coronam. Ipſo die Turonis ſancti CLARI Presbyteri beati Martini diſcipuli, qui meritis titulum nominis æquiparans, clarus fide, præclarus moribus, clariſſimus miraculis extitit. Hunc Seuerus Sulpitius in Eccleſia à ſe erecta multò cum honore ſepeliuit, ſanctúſque Paulinus Epiſcopus Nolæ, egregiis celebrauit præconiis. Autiſſiodori ſancti DROCTOALDI Epiſcopi & Confeſſoris viri exploratæ ſanctitatis. Ipſo die Sueſſione ſancti GODEFRIDI Epiſcopi Ambianenſis & Confeſſoris. Qui in lucem non ſine diuinis auſpiciis apud Sueſſionenſes editus, patre Frodone matre Elizabeth: quinquennis Godefrido Abbati ſancti Quintini ad Peronæ mœnia, inſtituendus in omni religione & liberali diſciplina traditus,

Centum & viginti ſex Monachi Martyres Turonenſes.

MAVRVS.

CLARVS.

DROCTOALDVS.

GODEFRIDVS.

breui miris ornatus virtutibus & diuinarum rerum egregia cognitione præſtans: cùm ætate iuuenis honorem ſenectutis iam ſibi peperiſſet, ad Nouigenti monaſterij gubernationem raptus, deſolatam domum tam muris quàm moribus inſtaurauit. Nec ædibus tantùm reparandis, inſtituendis monachis, augendo cœtui, animum tantum adiecit: iuuandis etiam pauperibus, fouendíſque ægris intentus, habitacula iis extruxit, cenſúque muniuit, ibi ſingulorum veſtes pedéſque abluens, vlcera curans, cibos quibuſque præbens, & ſi quæ corpora erant defunctorum officioſiſſimè mandans ſepulturæ. His dum incumbit pietatis exercitiis Abbas optimus, Geruinus Epiſcopus Ambianenſis, vir modicæ prudentiæ, quibuſdam aduerſis vexatus, viribus diffidens ſuis, ſedem ſuam planè deſeruit. At cùm nobilis illa Eccleſia, ſine magno animarum detrimento diu vacare non poſſet, poſt ieiunia precéſque per totam diœceſim habitas, tandem Godefridus, nihil minùs quàm Epiſcopatus appetens, communi omnium conſenſu eſt electus,& in Trecenſi Concilio ſanè celeberrimo confirmatus. Et ille quidem fugam meditabatur, ſed Richardi Cardinalis, qui Apoſtolicæ ſedis Legatus Concilio præſidebat ſtudio & induſtria interceptus, & infula pontificali à *Manaſſe*, Metropolita Remenſi ſolemniter decoratus eſt. Ea igitur dignitate & honore auctus, multa cum humilitate vrbem ingreſſus eſt ſibi commiſſam: imprimíſque ſuprema ope implorata, opus Dei miro cum ardore pietatis inchoauit, ſobrietate & continentia, malorum fuga, bonorum cultu, deuotionis ſpiritu conſpicuus. Superbis vir Dei erat rigidus, benignus humilibus, fortis in aduerſis, ſobrius in proſperis, temperatus in omnibus, in quauis officij parte peruigil & ſtrenuus: hoc iugiter ſatagens vt Deo in omnibus placeret, gregíque ſuo quicquid ad ſalutem conferre poſſet, quæreret, ac impertiretur. Quibus nitens ſanctis affectibus, dici reipſa nequit, quanta pauperibus ſolatia, infirmis remedia, ignaris documenta, exempla denique omnibus præſtiterit. Qui tamen impuros clericos dum à chori ſacris arcet liminibus, multis ab his conuiciis laceſſitus, etiam & veneno appetitus eſt, quod ſibi oblatum diuinitus agnouit. Paſſus eſt etiam à ſancti Valerici Monachis immorigeris pleraſque contumelias, quorum falſa priuilegia, obtendentium, vt detegeret vafritiem, & proteruiam retunderet, Romam profectus, Paſchali Pontifici eorum perditos mores & contumaciam renunciauit: à quo acceptis ſacris apicibus, reuerſus eſt auctoritate munitus, qua eos ſibi vt

patri ac paſtori legitimo obedire cogeret: intráque canonicæ diſciplinæ terminos coërceret. Pertæſus tamen iurgiorum & quietioris vitæ appetens, ad magnæ Carthuſiæ ſolitudinem ſe contulit, atque in optatum diù ſolitudinis locum, cœleſtia tantùm (cùm terrena faſtidiret prorſus) contemplaturus abdidit. Præerat tunc Carthuſiæ *Guigo*, vir doctrina & vitæ integritate conſpicuus, qui Godefridum Angelico planè vultu reſplendentem, peramanter excepit, ſanctiſſimóque fratrum collegio indiſſolubili ſacræ ſponſionis nexu adiunxiſſet, ni Romani Pontificis (cuius metuenda auctoritas, Epiſcopos abeuntes è ſpecula ſine licentia Apoſtolicæ ſedis, admittere in ſodalitium quoduis religioſum non permittit) & Procerum totius Galliæ indignationem veritus fuiſſet. Quamobrem fatigatus multorum querimoniis & precibus, benignè ſanctum Præſulem admonuit, ad ſedem vt redire maturaret. Reuerſus eſt itaque pius Pater. Sed mox noua inſurgente procella, à Clericis quos ad obſeruantiam quadrageſimæ impellebat, multa perpeſſus eſt opprobria. At vir Dei fortis nil de præſcripto ſtatuto remiſit. Quinimo aduenienteDominicæ cœnæ die rebellibus hanc irrogauit mulctam, vt à ſacroſancta Euchariſtia, ad ſecundam vſque Paſchatis feriam abſtinerent. Fuit vnus qui ſpreto Antiſtitis mandato ſacræ ſynaxi ſe ingerere haud dubitauit, muliebri habitu ſexum prætendens fœmineum, ne fortè à probis à ſacerdotibus agnitus repulſam pateretur. At vidit eius fraudem diuinus oculus, dextráque Chriſti Antiſtitem ſuum vlciſcentis rebellem deriſorémq. compreſſit. Ecce enim ſumptâ Euchariſtiâ, tantis pſeudoclericus ille támque acerbis viſcerum doloribus torqueri cœpit, vt humi ſtratus, ſpumas ex ore cruentas eiiceret, & diuinum pignus quod indignè ſumpſerat, multo cum ſanguine cunctis cernentibus euomeret. Hæc tamen & ſimilia rebellium facinora; mirè pij Patris animum exulcerabant: maleuolorum inſuper quotidiana ferè conuicia, verſutæque machinationes rurſus ei fugam ſuadebant. Hærebat illius animo eremus Carthuſiæ, & ſuauiſſima ſanctorum fratrum recordatio, lachrymas illi frequentes eliciebat. Sed gregem ſibi commiſſum quamquam rebellem & ingratum, nefas deſerere arbitrabatur. Crebro tamē orabat Deum, ne ipſum in ea regione vitæ terminum claudere pateretur. Exauditus eſt ſyncerus Chriſti famulus piæ pro merito ſeruitutis. Cùm enim Remos peteret neſcio quæ negotia cum Radulpho Archiepiſcopo tractaturus, apud Sueſſiones natale ſolum in febrim incidit, cuius vim cùm aliquot diebus in cœnobio Sanctorum Criſpini & Criſpiniani toleraſſet, tandem confectus mor-

bo, poſt ſedis annum nonum actuoſæ vitæ, in qua tot curas & labores pro Chriſti gloria ſubierat, finem adeptus, æternæ & beatæ optatum limen attigit, atque in gloriam quam emeruerat præmio approbatæ virtutis, lætantibus cœli ciuibus ſuſceptus eſt. In ipſius autem baſilicæ gremio, quam ob Martyrum illorum amorem pio ſemper affectu excoluerat ſepultus, tot edidit beatitudinis indicia, quot in vita prodiderat inſignia ſanctitatis. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confeſſorum, atque Sanctarum Virginum.*

Ludouicus. MASSILIÆ tranſlatio ſancti LVDOVICI Epiſcopi Toloſani & Confeſſoris. qua eius corpus in templo Franciſcanorum ſepultum, è tumulo leuatum eſt iubente Ioanne XXII. Pontifice Maximo, qui Auenione ſedens, ob eximiæ viri ſanctitatis teſtimonia & crebra, quæ fiebant ad eius ſepulchrum miracula, tertio Idus Aprilis, anno milleſimo trecenteſimo decimo ſeptimo, Sanctorum illum catalogo inſcripſit.

Quinto Idus Nouembris. Luna

5 E XIII.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	30	1	2	3	4	5
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
6	7	8	9	10	11	12	13	13	14	15	16	17	18			

SS. VRSINVS. AVARICI Biturigum, quæ Aquitaniæ primæ eſt Metropolis, Natalis ſancti VRSINI illius regionis Apoſtoli, primíque illius ſedis Epiſcopi. Hic quem antiqua probatáque multis teſtibus traditio, *Nathanaelem* illum vocatum à Domino inter primores diſcipulos, fuiſſe prodidit: ipſo in ortu Euangelicæ prædicationis, ab fidei ipſis principibus, Româ in Galliam Aquitanicam directus eſt, vt ibi primum Chriſti præconium vocis Apoſtolicæ tuba publicaret: adlecto ſibi *Iuſto* quodam probatæ fidei & ſanctimoniæ viro, qui obeunti tam arduum munus, ſuffragaretur. At is ingrediente Bituricenſem agrum Vrſino legationis coryphæo, ipſo in palæſtræ limine, nempe nono duntaxat ab vrbe milliario, vitæ ſuſceptique officij curſum abſoluit. Non hac orbatione improuiſa, animum deſpondit Vrſinus, cui præcipua in Domino fiducia erat. Itaque fidelis ſodalis mandato terræ corpuſculo, ſolus vrbem tam celebrem intrepidè adiit, zelóque Dei ſuccenſus, fide armatus opus Euangeliſtæ ſibi diuinitus iniunctum exorſus eſt. Res prorſus formidabilis erat, peregrinum hominem, vili ſchemate amictum, nullis opibus aut amicitiis fultum, ſed deſtitutum omni humano præſi-

dio, tantæ vrbis niti mores euertere: bellum ſuſceptis omni obſeruantia numinibus indicere, auita impugnare ſacra. Noui autem cultus & religionis, quæ mundanæ rationi, ſenſibúſque repugnabat hominum, inducere ingratos pleriſque ritus. Et quod ſummè arduum erat perſuaſione, víxque vllæ ſuſtinerent aures, ſuffixum patibulo hominem, Regem gloriæ prædicare, vnicúmque rerum conditorem ſeruatorémque hominum, in quo ſolo vita ſit & veritas, omníſque ſalus & felicitas aſtruere. Id præſtitit tamen, ſuperna iuuante gratia Vrſinus. Nam cùm ad eius prædicationem primùm ignobile vulgus concurreret: híncque diſperſâ famâ, mira & inaudita ab eo annunciari, nobiles quíque & potentes, non veri cognoſcendi amore, ſed audiendæ nouitatis prurigine incenſi, ſubinde ad eum confluxerunt. Quod autem ioco ab iis fiebat, re omnino fortunata ceſſit. Deo enim verbo ſuo cooperante, ídque ſignis & virtutibus confirmante, factum eſt vt concuſſi plerique euidentia veritatis, errorem ſuum agnouerint, diuinæque miſericordiæ quæ eos ad ſalutem æternam inuitabat corda, auréſque aperuerint. Igitur Spiritu ſancto præconi ſuo aſpirante, multi non modò ex plebe, ſed ex primoribus vrbis, relictis idolis, eiuratóque dæmonum impuro cultu, Chriſto nomina dederunt, ſúbque eius ſigno cenſiti, fidei ſacramentum perceperunt. Creſcebátque in dies credentium multitudo, cùm aduerſarius diuinæ pietatis, opus ſalutis felicibus adeo auſpiciis prouectum, deſtruere molitus eſt. Siquidem ab eo commoti idolorum cultores, magno furore ſe in Vrſinum erexerunt, quem canibus rabidis obiicientes, at illæſum ab illorum morſibus diuina protectione ſeruatum, fuſtibus impetitum cæſúmq. diriſſimè, ac probris laceſſitum ac contuſum calcibus & pugnis vrbe eiecerunt, mortem interminati ſi vnquam vel mœniis ſuis propiùs approximaret. Sic pulſus diuinus heros, fuſa ad Deum cuius opus agebat oratione, vt ſibi quid faciendum eſſet oſtenderet, obfirmato animo, contemptáque calentis adhuc perſecutionis immanitate, in vrbem illico rediit, maioríque quàm antè ardore Chriſtum prædicare, idola execrari, ciues ad lucem, ad fidem, ad gratiam redemptionis, ad ſpem veræ felicitatis conuocare inſtitit. Concidit Satanæ vis omnis hoc ſecundo diuini athletæ impetu, ceſſitque tam ardua audenti in Chriſti nomine plena victoria. Tunc enim certatim omnes ad baptiſmum currunt, Trinitatis adorandæ ſub inuocatione abluuntur, pollicentur perpetuam Chriſto fidem: mores verò impietatis deſerunt, ſimulachra ſpernunt antea ſibi veneranda, hæcque cum aris nefandi ritus deiiciunt, delubra demoliuntur. Cùm igitur iam

tota ferè ciuitas in amplexum Chriſtianæ pietatis conſpiraret: Vrſinus vt colligendæ ad ſacrorum vſum multitudinis commodo prouideret, de maiorum vrbis aſſenſu, ad *Leocadium* Aquitaniæ & Burgundiæ rectorem, qui tum Lugduni agebat, cùm ciuium epiſtolis ac muneribus profectus, ſua magis eloquentia id effecit, non ſolùm vt conſtruendæ Bituricis ad religionis immaculatæ exercitium baſilicæ facultas ſibi concederetur, ſed & ſpatioſum palatium quod illa in vrbe erat ſibi ad diuinum opus erigendum donaretur. Enimuero & doctrinæ cœleſtis ſuauitate illectum Leocadium ipſum, Chriſto ſubegit, quem cum *Luſore* puerulo filio conſecrauit, vtrumque ſalutari lauacro tingens. Reuerſus igitur, Bituricis Eccleſiam illam inchoauit, extruxítque ingenti mole, quæ facta religionis matrix, Epiſcopatus ſedes, prouinciæ caput, ſacri imperij princeps, ipſa à fundatione decus perenne obtinuit, his non modò titulis quibus fuit diuino conſilio fabricata, ſed quod magis eſt purpureo exornata liquore, pretioſi ſanguinis, quem Hieroſolymis Vrſinus collegerat Protomartyris Stephani, in cuius tutelam ædem ipſam à ſe ſacram perpetuo commendauit: cuius & nobili titulo iam ab hinc inſignita perſtat, tota in Aquitania vtpote primaria, veneranda & celebris. At non ædis molem Vrſinus ſolum erexit, (cuius encænia peregit Kalend. Octobris:) Verùm copioſo illic ordinato Clero, vt obeundis ſacris tanta in vrbe par eſſet, quidquid ad cultum pietatis opus erat, ibidem inſtruxit. Conſtituta hoc pacto Bituricis feliciter, Chriſti ſalutari religione, Vrſinus in regionis circumpoſitæ culturam animum inflectit, diœceſim componit, vicos, pagos, caſtra, oppida luſtrat & illuſtrat. Chriſtíque fide tandem imbutis incolarum animis, vbique Eccleſias ædificat, ſacerdotes conſtituit, Clericos qui his ſuffragentur ſubordinat, ſacros ritus præſcribit iuxta legis diuinæ obſeruantiam, diſciplinámque vtriuſque ſtatus Cleri ſcilicet & plebis ſtatuit & componit. Tempus erat completo opere credito, vt fidelis villicus curæ & laboris mercedem perciperet à Domino repoſitam. Præſcius igitur ſuperno afflatu factus proximæ ad quietem æternam migrationis, *Seuicianum* primarium adiuuam, chariſmatibus diuinis refertum, qui onus firmis poſt ſuum diſceſſum humeris ſuſtentet, Eccleſiam regat, gregem paſcat, atque tueatur, natámque nuper religionem præſtanti virtute obfirmet atque promoueat: ſacri deſignat ſui muneris hæredem, propriíſque manibus ordinat in ſui vicem Antiſtitem. Nec diù pòſt nouus Elias, relicto cum pallio ſuperſtiti diſcipulo, ſpiritu, ad ſuperna raptus eſt: expletis in Apoſtolica functione annis circiter

ſeptem ſuprà viginti. Abiit quidem ad æternum regnum quarto Kalend. Ianuarij, quæ dies ob glorioſum eius tranſitum Bituricis iampridem eſt ſolemnis: At quòd Chriſti natalis ſplendore nonnihil inumbretur: præcipuo cultu à maioribus agebatur hac die eius memoriæ celebritas, qua tranſlatio eius recolitur. Iſta ſiquidem die cùm ſæpè iam apparuiſſet *Auguſto* Abbati vir diuinus, admonuiſſétque vt ſuum corpus extra vrbis mœnia pridem in publico cœmeterio conditum, ibique adhuc iacens abditum ſub vitium inſitarum radicibus, de loco tam obſcuro eliceret, in aptiorémque transferret ſitum, vbi populo ſibi charo beneficia noua refunderet, ab his ſi cultu congruo obſeruaretur: iterúmque viſa monita non ſatis attendenti, præcepiſſet vt iniunctum præſtaret officium, accedente demum Sancto Germano Epiſcopo Pariſienſi, cui idem beatus iridem apparens, rei vt operam daret haud ſemel expetitæ iuſſerat, propalata ab ipſo viſione ſancto *Probatiano* Epiſcopo Bituricenſi, ad locum ſepulchri deſignatum communi voto itum eſt, vbi effoſſa humo, repertum eſt in profundo corpus almi Pontificis, tanquam dormientis hominis, nulla putredine reſolutum. Quod admirantes pij Præſules; Abbates, Preſbyteros, Clerúmque vniuerſum conuocârunt, Deíque amici ſacra ſpolia leuantes, haud ſine prodigio, ad baſilicam detulerunt ſancti Symphoriani Martyris. Et ſic celebratis Miſſis, gaudente populo, iuxta altare ſepelierunt, vbi ſe deinceps multis virtutibus Deo in gloria aſſiſtere, hauriréque ab inexhauſto eius bonitatis fonte, in hominum ſolatium beneficia innumera, manifeſtat. Anitij in Aquitania, ſeu apud Podium Vellaunorum natalis ſancti GEORGII primi illius vrbis Epiſcopi. Qui ſancti Petri diſcipulus, ab ipſo directus in Galliam cum ſancto Frontone viro Apoſtolicæ virtutis & gratiæ, prope Lacum Volſinum in Tuſcia, repentini tanta morbi violentia correptus eſt, vt è viſa exceſſerit. Quo caſu conſternatus Fronto protinus ad beatum Petrum rediit, ſolatium petiturus. Remiſſus eſt cum Apoſtoli baculo; at virgâ Elizæi longè efficaciori. Nam eius appoſitione facta ex Petri præcepto per ipſum Frontonem, mox in exanimes artus iacentis Georgij vitalis ſpiritus refuſus eſt. Surrexit igitur viuidior ad exequendum Euangelij opus Georgius, vnâque cum Frontone petitâ ſine cunctatione Galliâ, demandatum Apoſtolicæ prædicationis officium, ſeriò ac fauſtè initiauit. Cùm enim primùm ambo ad Vellaunos contendiſſent, Anitium auſpice Chriſto ingreſſi, fidéque eius multò cum virtutis ſplendore publicata, affectos ſua prædicatione pleroſque indigenas, expurgantes fonte ſalutis,

GEORGIVS Anitienſis.

Dominicis ouibus aggregârunt. Non in vrbe tantùm, ſed in circumuicina regione, eluceſcente luce diuinæ veritatis, cultus Chriſti modico tempore inualuit: adeout incolæ impia ſimulachra frangerent, fana diruerent profana: multóque pietatis ardore Chriſtianæ religionis mores ritúſque ſuſceptos proſequerentur. Digreſſus deinde à Georgio Fronto, ad Petragorienſes illuminandos cum *Frontaſio*, *Amano*, *Siluano* & *Seuerino* auxiliariis ſuis profectus eſt, apud quos populos primus Chriſti trophæa erexit. At non ſine hoſtis antiqui inuidia, à quo exagitatus per infidelium obſiſtentium fauſtis ipſius Apoſtolatus progreſſibus, furorem, ſolum vertere coactus eſt. Eodémque tempore excitata idololatrarum rabie aduerſus Georgium, & ipſe è Vellaunico tractu ad tempus exceſſit. Qui ex condicto conuenientes ad ſolamen mutuum, *Martham* Virginem antiquam Chriſti hoſpitem, degentem cum ingenti fructu religionis Taraſcone, in extremis Galliæ oris, inuiſere decreuerunt. Omni humanitate ab eadem fuêre ſuſcepti, quæ cum multo dolore ferret diſcipulos Domini, eiúſque præcones gloriæ tam diris perſecutionibus à ſalutari munere cohiberi: ſuppliciter exorato Chriſto, id profuſis ex precibus oraculum retulit, turbines eiuſmodi breui in tranquillam auram, mutatum iri. Quamobrem eoſdem noua hac conſolatione recreatos, bono animo eſſe monuit: quandoquidem repetitâ eorum operâ, paulò pòſt futurum eſſet, vt & Vellaunici & Petragoricenſes Euangelium patulis vlnis ſuſciperent, vnóque conſenſu Chriſtiana ſacra complecterentur. Quos tamen fauſtos ſucceſſus in carne haud viſura eſſet, vt quæ ſe breui ad Chriſtum migraturam, ipſo reuelante didicerat. Hoc ex poſtremo dicto viri Dei non parum dolentes, ne tamen Euangelij curſum tantilla mora retardarent, ab ipſa cum multa gratitudine diſceſſerunt. Et hinc quidem Toloſam petiêre, vt ibi cum ſancto Saturnino collega ſuo, de regni Dei propagatione tractarent. Verùm conſummatum martyrio eumdem cùm comperiſſent, vnuſquiſque ad priſtinam ſtationem, animati, promiſſi cœlitus ſucceſſus fauſti fiduciâ, rediit. Et Georgius quidem diuulſus à Frontone, ad Vellaunenſes ſuos reuerſus, longè feliciori molimine, ſacramenti pietatis prouexit negotium. Nec enim à piis modo filiis, qui reditum eius cupidiſſimè optabant, ſed ab illis ipſis qui religionis odio ipſum expulerant, magna cum veneratione & amore ſuſceptus eſt. Chriſtus enim qui ſibi regnum apud hunc populum ſtatuere decreuerat, omnium inflexerat mentes, vt Georgij ore audita ſua placita intimo pectori infigerent, dictíſque ipſius ſponte obſequerentur. Interim dum inſiſtit

officio Georgius cum ingenti fructu, obtigit res memoratu digna, quæ operi eius colophonem addidit. Solebat vir Dei ſuis in prædicationibus ſanctiſſimæ Virginis Deiparæ magnas laudes attollere. Cuius & opem fidelibus apprimè neceſſariam atque perutilem, ſummopere commendabat: admonens quoſque auditores ſuos, vt deuotos affectus in tam potentem auxiliatricem gererent, à qua non dubium quin expetita ſolatia conſequerentur. Quæ hortamenta, altè præcordiis ſuis impreſſerat, deuota quædam mulier nomine *Vila*. Hæc prope amnem habitans cui Borna nomen eſt, quartanæ febris ardore ita decocta erat, vt vix iam extremum halitum traheret: cùm nocte quadam eidem beatiſſima Deigenitrix, ipſius commiſerata languoris, exoratáque aſſidua inuocatione apparuit, iubens vt mox de lectulo ſurgeret, atque feſtino greſſu ſcanderet rupem Anitienſem, vbi ab omni ægritudine ſanaretur. Paruit Reginæ cœli imperio lubenter pia fœmina: petitóque monte, ibidem in faſtigio lapidem quadratum inſtar aræ aduertit, pone quem ſopore ſuaui abſorpta dum quieſcit: rurſus ſeſe intimis eius diuina Virgo ſiſtit obtutibus, hanc vocem effata. Locus hic eſt, quem tibi deſignaueram. Cúmque ſurrexeris plena te donatam ſoſpitate reperies. Cæterùm montem hunc ſcias à me delectum, in quo vult me à te & fideli omne in æuum populo, perpetua obſeruantia altiſſimus honorari. In his expergefacta dictis Vila, ſe prorſus ſentit & miratur incolumem, exiliénſque ad Georgium currit. Rem geſtam eidem ex ſerie renuntiat. Qui tam fauſti euentus lætificatus nuntio, ſacerdotio euocato, rupis pernici aditu culmen aſcendit, lapidem myſticum contuetur: Eque montis faſtigio ad rupis radices planitiem conſpicit totam niue coopertam, tametſi tunc vehementior anni æſtus ferueret: erat enim Iulij dies vndecima, quo tempore intenſos Canicula ſpirat ardores. Prodigium dum ſtupet Antiſtes, cùm ſpectante Clero, Ceruus ecce de nemore propinquo exilit, ínque niue conſperſo loco, veloci curſu confecto circo baſilicæ ſitum delineat, longitudine atque latitudine tanta, quanta ampliſſimæ atque excelſæ exigit plana ſuperficies. Móxque aufugit curſor leuis, ceu ſuo iam officio perfunctus. At beatus Antiſtes indicium diuinum intuitus, vbi de monte deſcendiſſet in planitiem, cerui veſtigia iubet, hærenti magis figura ſignari, inſita loco ſæpè virenti, quæ ſtructuræ ſitum diuinitus oſtenſum conſeruaret: cuius & erigendæ molis monimentum ſucceſſoribus Epiſcopis præberet proſpicuum. Interea beatus Fronto Petracoricis abſoluto Apoſto-

latus munere, hac ex vita migrat. Cuius animam in gloriam efferri magno cum triumpho Georgius ipſe dum ſacris operaretur conſpexit. Cúmque prædictam Eccleſiam beatiſſimæ Deigenitricis conſtruere, indicto cœlitus loco diſponeret, ipſe pio in propoſito interceptus, poſtquam dæmonum cultus non ex Vellaunenſi tantùm agro, ſed ex pleriſque Galliæ locis ſuſtuliſſet: innumerabilia atque enormia peccata radicitus euulſiſſet, peſtilentiſſimos funditus extirpaſſet mores. Religionem Chriſti immaculatam plantaſſet, rigaſſet, prouexiſſet, animas Chriſto peperiſſet innumeras, tot piis laboribus feſſus, ad requiem migrauit æternam: coronámque incruentam tantis ex trophæis in cœlo aſſecutus, venerandum poſteris in æternum nomen in terra reliquit: vbi iis gloriæ coruſcationibus refulſit, quæ vti meritorum eius apud Deum affluentem prodiderunt copiam, ſic erga piam ſobolem inextinguibilem charitatem. Eodem die Luteuæ aliàs Lodeuæ in Gallia Narbonenſi ſancti GEORGII, ſecundi illius Eccleſiæ Epiſcopi & Confeſſoris, viri Angelicarum virtutum æmuli, & chariſmatum Apoſtolicorum hæredis copioſi. Viroduni ſancti VIDENNI, aliàs VITONI Epiſcopi & Confeſſoris, qui poſt ſanctum Firminum illam Eccleſiam omni cum Pontificalis virtutis laude adminiſtrauit: ac poſtquam in Aurelianenſi primo Concilio potiores inter Galliæ Patres conſediſſet, vindicato regni Chriſti decore, impreſſis Epiſcopali ſolio æternis ſanctæ vitæ veſtigiis, præditum meritis ſpiritum cœlo emiſit. Quieſcit in celebri ſui nominis cœnobio, vbi plurimis radiauit miraculis. Ipſo die in agro Attrebatenſi paſſio ſancti RAGNVLPHI Martyris, qui ab impiis interemptus, & pro iuſtitiæ meritis à Deo coronatus, multis è tumulo virtutibus glorioſæ opitulationis coruſcauit, in Eccleſia ſancti Vedaſti Confeſſoris. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confeſſorum, atque Sanctarum Virginum.*

GEORGIVS Lodeuenſis. VIDENNVS, aliàs VITONVS. RAGNVLPHVS.

Quarto Idus Nouembris. Luna

10 F XII.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	30	1	2	3	4	5	6

t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P
7	8	9	10	11	12	13	14	14	15	16	17	18	19

SS. SPASIVS.

ANDELIACI ad Sequanam Natalis ſancti SPASII Martyris, qui ex Baiocæ ſubmœniis originem trahens, eo tempore

pore quo in procellis Chriſtiana religio efflorebat, Chriſto vt teſtimonium illuſtre redderet, ad Caſtrum Andeliacum inquinatum Ethnicæ ſuperſtitionis ſpurcitia, venit: vbi dum impugnat impios ritus, purúmque Chriſti cultum prædicat ac tuetur, ſanguinis profuſione confeſſionem ſuam obſignauit, atque eodem loco tumulatus inſigne apud maiores meruit egregiè confecti agonis monimentum. Eodem die Agathæ in Gallia Narbonenſi Natalis Sanctorum Martyrum TIBERII, MODESTI & FLORENTIÆ: qui Tiberius adhuc puer, quòd Chriſtianus eſſet, à patre ethnico vt à ſancta religione abduceretur, primùm multis blandiciis ac illecebris tentatus eſt: deinde quod in fide obfirmatior, etiam flagellis ac fuſtibus excruciatus, tormenta haud ſecus ac oblectamenta ſuperauit. Quapropter cùm vinci non poſſet, ſuo relictus arbitrio quietè Chriſti legem coluit. Nec minùs virtutis quàm ætatis auctus incrementis, plurimum ciuibus ſuis profuit, quos admirandæ vitæ actibus, verbíſque igneis ad redemptoris agnitionem & obſequium prouocabat. Donec furente horrenda in pios ſæuitia Diocletiano Imperatore, eidem vt coryphæus Chriſti ſectatorum, vna cum *Modeſto*, quem ob ardentem religionis zelum ſibi aſſociauerat delatus, nec modò nouæ perſuaſionis, ſed impietatis ac magicæ artis (quod mira ederet opera) accuſatus, ipſo mandante Cæſare ferociſſimo, omnibus modis impetitus eſt vt à ſententia pietatis deflecteret: iuſſus enim ſacrificare diis fictilibus, cùm ſcelus magnopere execraretur, ſolíque vni in Trinitate Deo litandum, incruentæ hoſtiæ quæ Chriſtus eſt immolatione caſtiſſima, aſſeueraret, onuſtus ferro cum ſocio & adſtipulatore Modeſto, per dies plures in tenebricoſo carcere detentus eſt, faméque & inedia immaniter maceratus. Verùm confortatus ab Angelo, maiores ex ieiunio quam ex lautiſſimis (ſi his paſtus fuiſſet) epulis vires accepit. Cùm igitur vterque vegetior è ſpecu eductus eſſet, beſtiis vt ab iis deuorarentur expoſiti, ambóque illæſi Deo protegente ſeruati, in ardentem clibanum coniecti ſunt. At medios inter globos ignis pſallentes, inuſti magno cum ſpectantium ſtupore, cùm exuſti putabantur, ex fornace exſiliunt. Quo prodigio concuſſa *Florentia* honeſtiſſima matrona, quæ agonem illorum conſpiciebat, Chriſti admirata virtutem, veritatem quoque fidei magnifica confeſſione profeſſa eſt. Ob quod præconium pietatis & ipſa comprehenſa, in catafta cum ambobus Chriſti athletis diriſſimè excruciata: quò ſexu fragilior, eò animo elatior, torturam fortiſſimè ſuſtinuit. Demum Chriſto pugiles ſuos ad coronam inuitante, poſtquam aduerſus collectas Satanæ vires ſtrenuè ac in-

TIBERIVS, MODESTVS & FLORENTIA.

uictè decertaſſent, vltimo affecti per gladium ſupplicio, martyrium illuſtriſſimum in præclara victoria compleuerunt. Claromonte Aruernorum ſancti QVINTIANI Epiſcopi & Confeſſoris. Hic natione Afer, nepos ſancti Fauſti Epiſcopi, qui matrem ſuam defunctam vitæ reſtituit: cùm in Galliam cum fratre ſancto *Amantio* ad ſementem Euangelij faciendam tranſmigraſſet, apud Rutenos, quos ipſe Amantius Chriſtiana pietate præformauit, poſt illum Epiſcopalem cathedram tenuit cum omni decore ſanctitatis, maximâque miſericordiæ & charitatis laude. Quo tempore ſacris Galliæ comitiis magno Eccleſiarum commodo interfuit, ſcilicet Concilio Agathenſi, & Aurelianenſi primo. Hinc à Gothis Arianis ficta criminatione, quòd Francis faueret, illiſque vrbem ſatageret tradere: at reueta orthodoxæ quam tuebatur religionis odio, exagitatus, ſolióque deturbatus, & ad necem quæſitus, Claromontem profugit: atque à ſancto *Euphraſio* Epiſcopo benignè ſuſceptus, in magna ſpiritus puritate, innocentia & patientia illic moratus eſt: quouſque abeunte ad Dominum ipſomet beato Euparchio, profuſis Cleri Aruernenſis precibus ac plebis efflagitationibus, rogatus eſt curam Epiſcopalem nobilis illius Eccleſiæ ſuſcipere. At interceſſit apud illum Arcadius Comes vxoris ſuæ Placidinæ ſuggeſtione compulſus, vt *Apollinari* ſororio ſuo, viro equidem eximiæ pietatis, delatum ſibi Epiſcopatum reſignaret. Non recuſauit loco ac honore cedere vir humilis & pacis filius. At Apollinaris ſolium adeptus eius beneficio, quatuor duntaxat menſibus Eccleſiæ præfuit, de medio ſexto Kalendas Octobris vocante Deo ſubductus. Quo defuncto iteratis omnium votis Quintianus ad Epiſcopatum poſtulatus, obſtrictus tandem tam conſtanti ciuium cupiditate, onus paſtorale obeundum recepit, in quo annis ſeptemdecim incredibili cum prudentiæ, vigilantiæ ſtudio, doctrinæque & pietatis ſplendore perſeuerans, demum perfectus in omni ſanctitate, miraculis conſpicuus, in ſenectute veneranda, ſpiritum Deo gratiſſimum, ad gloriam emiſit. Sepultus autem in baſilica ſancti Stephani ad læuam altaris ſignis multis refulſit ſuæ beatitudinis. Quibus, deinde ad ædem Sanctorum Symphoriani & Geneſij tranſlatus, eiuſdem ſibi titulum ac tutelam vindicauit. Febre autem laborantibus ipſe beatus opitulatur, at ea præſertim quæ quartano refluxu ardoris affectos ægros, reddit tædioſo languore tabeſcentes. Aureliæ S. MONITORIS Epiſcopi: cuius actus coram Deo conſpicui etſi hominib. ſint ignoti: tamen ſanctitatis memoria, clara eſt, auctoritatéq. Catholicæ Eccleſiæ pridem albo Sãctorum ad venerationem

QVINTIANVS. MONITOR.

adſcripta. Oſſa verò pretioſa, vnà cum honorandis exuuiis Sanctorum Martyrum Baudelij & Scubilij, beatorúmque Pontificum Aniani & Floſculi, Euſpiciíque Confeſſoris, necnon ſanctæ Agiæ genitricis ſancti Lupi Archiepiſcopi Senonenſis iampridem illata in Eccleſiam ſancti Aniani per Robertum Chriſtianiſſimum Regem, ingenti illic veneratione ſeruata ſunt: quouſque ab hæreticis, omnia quæ Deo chara ſunt diripientibus, ſuperiori ſæculo, horrendo auſu de ſacrario vbi repoſita quieſcebant, cum cæteris reliquiis ſublata, in rogum poſt raptationes pudendas coniecta, atque in fauillam redacta, lachrymas quibuſque piis tam execrandi facinori ſpectatoribus, ob horrorem iniuriæ Dei amicis iam diù beatis irrogatæ: & illatum ingens patriæ detrimentum ex tanti theſauri perditione, meritò excitârunt. Lutetiæ Pariſiorum eleuatio corporis ſanctiſſimæ Virginis GENOVEFÆ regiæ ipſius vrbis tutelaris glorioſæ. Facta pie- *Genovefa.* tate Roberti Abbatis cognomento de Firmitate Milonis: cùm pretioſa lipſana tantæ cœlitis ex veteri theca, in capſam argenteam, auro, gemmíſque decoratam tranſpoſita, intus imminens ſummo altari tabernaculum collocata fuerunt, ad Pariſienſium excitandam fouendámque erga beatam ſuam patronam deuotionem & reuerentiam. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confeſſorum, atque Sanctarum Virginum.*

MOLEM carnis depoſuit piæ memoriæ ANDREAS primus Abbas Caroli- *Andreas.* loci, vitæ regularis obſeruantia & animæ puritate admodum coram Deo nobilis. Eodem die vita piè itidem functus eſt ALQVIRINVS Monachus Claræ- *Alquirinus.* uallenſis, mira charitate feruens, ac diuinis reuelationibus honoratus.

Tertio Idus Nouembris. Luna

11 G xi.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
21	22	23	24	25	26	27	28	29	30	1	2	3	4	5	6	7
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
8	9	10	11	12	13	14	15	15	16	17	18	19	20			

TVRONIS natalis ſancti MARTINI Epiſcopi illius Metro- *S. Martinus.* polis, viri per omnia Apoſtolici. Hic Sabariæ Pannoniarum oppido oriundus, altus eſt Ticini intra Italiam, parentibus ſecundum ſæculi dignitatem non infimis, gentilibus tamen. Pater eius miles primùm, pòſt Tribunus militum fuit. Cùm autem promulgatum fuiſſet edictum à Conſtantino Imperatore, vt filij veteranorum ad militiam ſcriberentur: Martinus annos natus

ſeptemdecim, nomen dare militiæ coactus eſt. Ipſe enim à primis ferè annis, diuinam potiùs ſeruitutem, ſe ſpirare prodiderat. Nam cùm eſſet annorum decem, inuitis parentibus ad Eccleſiam confugit, ſéque catechumenum fieri poſtulauit. Mox mirum in modum Dei amore incenſus, cùm eſſet annorum duodecim eremum concupiuit, feciſſétque iam votis ſatis ſi ætatis infirmitas non obſtitiſſet. Animo tamen aut circa monaſteria, aut circa Eccleſias ſemper intentus, meditabatur in tenera ætate, quod poſtea vegetiori impleuit. Cuius piis affectibus cùm pater aduerſaretur; felicibus his auſpiciis penitus obuiabat: à quo vt à religionis ſtudio auelleretur, armis haud ſponte implicitus, annis ferè viginti quatuor ſub magni Conſtantini filiis, deinde ſub Iuliano Cæſare militauit. Et publicè quidem ſub Conſtantio Imperatore petito ac ſuſcepto anno ætatis trigeſimo quinto baptiſmate Chriſtianam fidem profeſſus eſt. Cùm tamen militarem vitam ſectaretur, ſic arma tractabat, vt Deo potiſſimum intentus eidem puriſſima mente hæreret. Tantáque erat in pauperes charitate, vt ſtipendia in ipſos diſpertiens, ſibi tantum reſeruaret, quantum poſtularet quotidiana tolerandæ vitæ neceſſitas. Hócque ex illius more id memorabile contigit Ambiani, quod cùm nihil haberet præter arma & veſtimentum quo tegebatur, pauperi ac nudo ab eo petenti in Chriſti nomine ſibi vt eleemoſynam tribueret: arrepto ferro quo erat accinctus, chlamydem ſuam mediam diuidit, partémque eius egeno dedit, reliqua rurſus indutus. Mirè id factum Chriſto acceptum fuit, qui ſequenti nocte dimidiata illa veſte coopertus ipſi apparens glorioſo cum Angelorum comitatu, hanc effari vocem ab ipſo auditus eſt. *Martinus adhuc Catechumenus hac me veſte contexit.* Extat Ambiani in locó veteris portæ cuius in aditu pium hoc facinus Martinus edidit, condita in perpetuum tantæ rei monimentum cœnobitica ædes, eiuſdem beati Confeſſoris ſacra nuncupatione pignoréque illius chlamydis illuſtris, in qua columna ante aram ſummam poſita, rei geſtæ fidem aſtruit, perennátque memoriam. Sed verò poſt hæc Martinus militiam pertæſus, atque diſciplinam ſpirans Eccleſiaſticam, de petenda à caſtris miſſione ſerio cogitare cœpit. Cùm itaque Iulianus Cæſar aduerſus barbaros in Gallias effuſos bellum gerens, apud Vangionum ciuitatem donatiuum militibus erogaret, poſtera die pugnaturus aduerſus hoſtes: Martinus cùm iam omnia ſtipendia meruiſſet, miſſionem honeſtam (ex legum præſcripto) ab eo popoſcit, conteſtatus ſe poſt hæc Deo velle militare. Neque enim ſibi in-

tegrum fore cenſebat, ſi donatiuum non militaturus à Cæſare acciperet. Cùm verò Iulianus exprobraret, eum metu futuræ pugnæ detrectate militiam: Martinus intrepidus vt eam notam dilueret, promiſit ſe poſtera die ante aciem inermem ſtaturum, & in nomine Domini IESV, ſigno crucis non clypeo protectum aut galea, hoſtium cuneos ſecurè penetraturum. Retrudi ergo in cuſtodiam iuſſo, facturo fidem dictis, vt inermis barbaris obiiceretur, ſequenti die hoſtes, legatos de pace miſerunt, ſua omnia ſeſéque dedentes. Quod non abs re Martini meritis Seuerus eius diſcipulus adſcribit, cuius obtutu Deus ita inflexit hoſtes, vt qui feroci animo acies parabant, mox quæ pacis ſunt enixè precarentur. Sic expeditus militiæ nexibus Martinus, Pictauos aduolat ad ſanctum Hilarium illius ciuitatis Epiſcopum, cuius tunc in Dei rebus ſpectata peritia & cognita fides vbique habebatur, tanto ſub magiſtro ſolidæ pietatis rudimenta percepturus. Hilarius autem hominis ingenio & religione delectatus, quo arctius eum ſibi implicaret, diaconatus officio & diuino vincire miniſterio, conatus eſt. Sed cùm ille ſe tanto honorè inſtantius clamaret indignum, ſanctus Epiſcopus intelligens eum infima quæque ſectari, minoráque officia quibus conueniret humilitas appetere, exorciſtam eum ordinauit: atque paulò pòſt in Acolythorum cenſuit numerum, quem locum minime ille repudiauit. Perſpiciens autem Hilarius Martinum diuinis conſiliis ad magna deſtinari, diligenter illum erudiuit in ſacrarum ſcripturarum ſcientia: ſeceſſúmque deinde ad diuinæ meditationis exercitium appetentem, agello Ligagio dicto donauit ad Clinum amnem, vbi dum extructo tuguriolo Martinus degeret ſupernis ſpeculationibus defixus, duos mortuos virtute Apoſtolica ſuſcitauit. At inde diuinitus admonitus, vt patriam parentéſque quos adhuc gentilitas detinebat, religioſa ſolicitudine viſitaret: Hilario vix annuente, mœſtus peregrinationem illam aggreſſus eſt, conteſtans fratres multa ſe aduerſa paſſurum, quod poſtea euentus probauit. Non vacat diſcrimina recenſere que ipſi, ſe in itinere obtulerunt. Quibus diuina ope ſuperatis, in Pannoniam natiuum ſolum peruenit. Et illic quidem matrem à gentilitatis errore, patre in cæcitate perſeuerante, abduxit. Plurimos tamen ſalutaribus monitis & ſanctitatis exemplis ad rectam veritatis perduxit viam. Verùm cùm hæreſis Ariana per totum orbem maximè intra Illyricum pullulaſſet, aduerſúſque perfidiam Antiſtitum ſolus ibi Martinus repugnaret, multis hæreticorum petitus inſidiis, deinde & aperta ſæuitia exagitatus, præſtanti virtute odia eorum

ſuſtinuit, quouſque ab iis magis ac magis in ipſum exaſperatis; variis ſuppliciis affectus, publicéque virgis cæſus, ad extremum in exilium pulſus eſt. Italiam itaque repetens, Mediolanum venit. Vbi tanquam in altera patria, tenui parato tecto, adlectíſque ſibi *Maurilio* poſtea Andegauenſi & *Gaudentio* Nouarienſi Epiſcopis, diſcipulorum conuentus habebat, & quoquo modo poterat, in ſumma rerum iniquitate (rerum enim tum Mediolani potiebantur Arriani:) Apoſtolico munere, fidem ſerendo aſſerendóque fungebatur. Neque ambigitur quin fibras Arianæ prauitatis ex multorum animis euulſerit, qui cupidi lucis & ſalutis vltro ſe illi ad diſciplinam dabant. Quorum creſcente numero monaſterium inchoauit eo loco, vbi iam ſancti Victoris cernitur ædes. Hæc Martini cœpta & conatus, vbi procedere feliciter Auxentius videt, ſuis artibus hominem aggreditur. Et quia nullum innoxia vita crimini locum dabat, accuſatores & teſtes ex ſuo gremio ſubmiſit, quorum infami conſpiratione circumuentus Dei ſeruus eiicitur ex ea vrbe, cui lucem & ſalutem adferebat. Hunc exitum Martinus Mediolani habuit, Gallicæ gentis felicitati & ſaluti ſupernis arcanis deſtinatus. Pulſus interim Mediolano, in maris Tyrrheni inſulam, vitam acturus ſolitariam ſe recepit. Vnde, Hilario ab exilio redeunti, Romámque aduentanti, feſtinauit occurrere, quem inde iam abiiſſe comperiens, eum ſecutus eſt in Galliam: ab eo benigniſſimè ſuſceptus, in Aſceteriolum priſtinæ habitationis ſe recluſit, totus vt diuinis rebus cum collegis quibuſdam incumberet. Hîc annos quindecim circiter, vitam in omni ſeueritate agens, ſuprà humanæ conuerſationis vires traduxit. At verò interea *Lidorio* celebris pietatis Epiſcopo Turonenſi mortali ex ſtadio abeunte, ob inſignem ſanctitatis famam, magna Cleri ac populi conſenſione ad præſulatum tantæ ſedis vocatus eſt. Verùm cùm erui à ſuo monaſterio facilè non poſſet, *Ruricius* quidam vnus è ciuibus, vxoris languore ſimulato, ad genua eius prouolutus, vt egrederetur pro ea oratum, obtinuit. Sícque diſpoſitis iam in itinere ciuium turbis, ſub quadam cuſtodia ad ciuitatem vſque deducitur, atque inuitus à comprouincialibus Epiſcopis, Spiritu ſancto opus probante ac promouente, conſecratur. Sumpto Epiſcopatu, vir Dei nullatenus honore iſto intumuit. Eadem in corde eius humilitas, eadem fuit vilitas in veſtitu. Ita enim plenus auctoritatis & gratiæ implebat Epiſcopi dignitatem, vt non tamen propoſitum monachi virtutémque deſereret. *Primus fuit qui in Clerum Galliæ Monachiſmum introduxit*, adhærenti Eccleſiæ cellula, cum nonnullis ex

preſbyterio vſus, ſed cùm inquietudinem frequentantium ferre non poſſet, duobus ferè extra ciuitatem millibus monaſterium ſibi ſtatuit, vbi ex lignis contextam cellam habebat, multíque ex fratribus manſiunculam perſimilem. Plerique ſuperiecti montis cauato, receptacula ſibi fecerant. Diſcipuli autem erant octoginta, qui ad exemplum beati magiſtri inſtituebantur. Nemo ibi quicquam proprium habebat, omnia in medium conferebantur. Rarus cuiquam ex cellula ſua egreſſus, niſi cùm ad locum orationis conueniebant. Cibum vnà omnes poſt horam ieiunij accipiebant, vinum nemo nouerat, niſi quem infirmitas coëgiſſet. Plerique ex camelorum ſetis veſtiebantur, mollior ibi habitus pro crimine erat. Hac ſpirituali acie inſtructa à tanto duce, haud mirum ſi Chriſti militiæ magna multitudo acceſſit. Ante Martinum pauci admodum erant, qui iis in regionibus Chriſti recepiſſent nomen, quod adeo Martini virtutibus exemplíſque conualuit, vt iam ibi ferè nullus locus eſſet, qui clara religionis Chriſtianæ inſignia non proferret. Nam vbi fana deſtruebat Martinus, idem Chriſti trophæa protinus erigebat. Nemo pro rei magnitudine par eſt exprimere, quanto ipſe in illuſtrando Chriſti nomine, propaganda ſancta religione, euertenda ſuperſtitione ſacrilega, conſtituenda Dei Eccleſia, procuranda animarum cònuerſione, ſerendis virtutibus, euellendis vitiis, delendis prauis moribus, piis inſtituendis ritibus, ornando Clerò, inſtruendo populo, delubris impiis diruendis, ſacris Chriſto locis erigendis, zelo æſtúque pietatis exarſerit, quàm ſedula opera inſtiterit, vt Galliam expurgatam omni næuo infidelitatis & nequitiæ, pura religione vndequaque ſuſcepta: Chriſto omnium ſeruatori ac Domino ſubiugaret. Nec itidem ſtupenda enarrare opera, quæ ipſo auſpice Chriſto edidit, eius vt veritatem in mortalium oculis obfirmaret, incuteret mentibus eius timorem, amorem cordibus inſtillaret, deſtructóque Satanæ regno, diuinum incarnati Verbi imperium apud gentem iſtam conſtitueret ac fulciret. Sat ſit dicere, æqualia his quæ Apoſtoli patrauerunt Martinum feciſſe prodigia, vixque minora ſuis actibus Chriſti regno incrementa peperiſſe. At non ſolùm ex miraculorum gloria, vel prædicationis fructu Apoſtolicæ gratiæ decus vir ille diuinus promeruit: ſed etiam ex infractæ mentis robore, ſacerdotalíque vigore, grauitate atque conſtantia. Cuius virtutis vnum aut alterum exemplum non abs re fuerit inducere. Ad Imperatorem Maximum ferocis ingenij virum, & victoriis elatum cùm plures Epiſcopi ex diuerſis partibus conueniſſent, & fœda circa principem omnium adulatio notaretur,

in ſolo Martino Apoſtolicam permanere auctoritatem, omnium vna vox erat. Nam etſi pro aliquibus ſupplicandum Regi fuit, imperauit potiùs quàm rogauit. A quo in conuiuium vocatus presbyterum ſuum eidem in propinatione poculi prætulit, id teſtatus nullum poſt ſe in cœtu Chriſti ſacerdote exiſtimare digniorem. Quod factum Imperator ipſe omnéſque qui aderant ita admirati ſunt, vt hoc ipſum in quo contempti fuerant, eiſdem placeret: celeberrimúmque per totum Palatium euaſit, feciſſe Martinum in Imperatoris prandio, quod in infimorum iudicum conuiuiis, Epiſcoporum nemo vnquam tentaſſet. Valentiniano Imperatori, antea viri beati excellens virtus diuino facto innotuerat, à quo aliquando indignè repulſus, poſtea reuerſus ex Angeli monitu, accedente prodigio quo regiam ſedem ignis repentinus operuit, reuerenter ſuſceptus eſt. Vindex fuit beatiſſimus Epiſcopus orthodoxæ fidei, attamen ita à ſæuitia alienus, vt pro Priſciliano, nefandi dogmatis auctore, enixè apud Maximum prædictum Cæſarem ſupplicauerit, id orans quo potuit præcordiali affectu, ne pro admiſſo ſcelere excitatæ hæreſis extremo ſupplicio vir ſacro charactere honoratus, plecteretur. Pium enim cenſebat S. Antiſtes, vt à ſanguine ſacrorum virorum abſtineretur, æquum etiam & religioſum vt ſæculares Iudices cauſas Eccleſiæ minimè iudicarent. Vnde Ithacium Epiſcopum ſocióſque eius valde exhorruit, quod Priſcilianum & eius aſſeclas apud Maximum perſecuti fuiſſent ad necem, ratus pœnam ſanguinis procul abhorrere à manſuetudine muneris paſtoralis. Qua & mente benigniſſima obtinuit ab ipſomet Maximo, Tribunos reuocari, qui ad excidium hæreticorum in Hiſpanias miſſi fuerant. Cæterùm vir ſanctus poſt Treuirenſis Concilij, cui pro bono pacis, & ipſorum Ithacianorum ſalute interfuit, reuerſus ad ſedem, quo feruentiori deſiderio in Chriſtum ferebatur, eo intenſiore ardore cœpit cultum eius prouehere, atque aduerſam hinc pſeudonuminum religionem inſectari, fana ſubuertere, idola demoliri. Parum fuit in Celtica vel Aquitanica Gallia id moliri. Pietatis opus vſque in Belgium perſecutus eſt. Tornacum vſque excurrit, vbi templo idolorum euerſo, in Chriſti nomine mortuum ad vitam reuocauit. Vltraiectum etiam petiit, vbi deiectis ſimulachris crucéque Chriſti exaltata, prædicationem Apoſtolicam hoc obfirmauit benefico prodigio, quo fluuium coërcuit agrum omnem feris eruptionibus peſſumdantem. Hincque deuota eius memoriæ, tota deinceps hæc diœceſis ampliſſima hæſit, cuius vrbis primaria Eccleſia, effigiem eius ſigillo ſuo, inſculptam multis retro ſæculis prætulit venerandam.

Nec hominibus tantùm amabilis ac verendus, at Angelis etiam Martinus charus extitit, qui cum eo ſæpiùs familiaria colloquia miſcebant. Quin ita fuit dæmonibus formidabilis, vt audito eius nomine ſtatim aufugerent, præſentiámque eius multò minùs paterentur. Vix vllus Sanctorum fuit, cui de diabolica impugnatione, vberior ceſſerit victoria. Ipſi enim cum hoc hoſte certare, luſus potiùs quàm æqua colluctatio erat. Diabolum ita habebat conſpicabilem & ſubiectum oculis, vt ſiue ſe in propria ſubſtantia contineret, ſiue in diuerſas figuras, ſpecialéſque nequitias transformaſſet, qualibet ab eo ſub imagine videretur. Idcirco cùm diabolus ſciret, ſe eius intimos effugere non poſſe obtutus, conuitiis frequenter vrgebat, quem fallere non poſſet inſidiis. Apoſtolica autem in eo viro alia gratia enituit, quòd ipſi illiterato ſcientiæ donum & ſapientiæ cœlitus inditum ſit: (cuius diuinum etiamnum perennat monimentum, Confeſſio illa magnifica quam edidit fidei ſanctiſſimæ Trinitatis.) Ita ſiquidem in abſoluendis ſcripturarum diuinarum quæſtionibus promptus ac facilis erat, vt facilè quíque aduerterent, in eo ſpiritum illum loqui, qui Prophetis ac Apoſtolis diuina hæc verba dictauerat. Quo etiam incenſus, eo ardore fidei, ea auctoritate, ac gratia concionabatur, vt non hominem ſed Angelum omnes ſuſpicerent, diuina eloquia proferentem, ſalutis incutientem monita, & pietatis Chriſtianæ myſteria ediſſerentem. Nec in verbis ſolum Angelum non hominem mortalem Martinus ipſe referebat, id etiam ſublime exprimebat in factis ac affectibus ſimulachrum. Nemo enim vnquam illum vidit iratum, nemo mœrentem, nemo ridentem, vnus idémque ſemper cœleſtem quodammodo lætitiam vultu ſanctiſſimo præferebat. Cæterùm vir immortalitate dignus obitum ſuum longè ante præſciuit, prophetiæ ſpiritu quo multa nouerat atque prædixerat illuſtratus. Fratribus itaque indicauit diſſolutionem ſui corporis imminere. At interim cauſa occurrit, qua Condatenſem Eccleſiam viſitaret, vbi cùm aliquandiu vltimam virtutum ſuarum conſummationem exerceret, corporis viribus deſtitutus in lectum incidit. Cúmque luctu & mœrore nimirum exceſſum eius diſcipuli deplorarent, ille fletibus ſuorum motus piam inſignémque hanc emiſit vocem. *Domine* (inquit) *ſi populo tuo ſum neceſſarius, non recuſo laborem, fiat voluntas tua.* Inde aliquot diebus vi febrium extenuatus, in cinere cilicióque recubans, cùm aſſiduo orationis ſtudio exitum ſuum muniret, fortè aſtantem prope vidit diabolum. Tum verò fiducia plenus. *Quid hic* (infit) *aſtas cruenta beſtia, nihil in me funeſti reperies. Abraha me*

ſinus recipiet. Cùm his vocibus, fatigatum diuinis operibus (poſt ſedem annorum viginti quinque media nocte Dominica tertia Idus Nouembris) ſpiritum Chriſto reddidit. Quo tempore Angelos diuinas laudes concinentes, beatus Seuerinus Colonienſis Epiſcopus cum Archidiacono ſuo *Euergeſilo* audire meruit. Et ſanctus Ambroſius Santonum Epiſcopus: (quæ ciuitas Aquitaniæ pridem Mediolanum dicta eſt:) eodem ferè tempore ad altare arctiori ſomno tribus horis correptus, ſpiritu ſanctiſſimi viri exequiis interfuit. Cuius merita innumeris poſt felicem tranſitum miraculis, Chriſtus honorauit, ſancti excelſa encomia celebrarunt: pij quíque & præclari ſcriptores, qui geſtas res eius literis aureis prodidêre (in quibus præcelluerunt ſanctus Paulinus Nolanus, beatus Gregorius Turonenſis, Seuerus Sulpitius, Venantius Fortunatus, beatus Odo Cluniacenſis, ſanctus Bernardus Claræuallenſis, quos innumeri claræ etiam pietatis & doctrinæ viri ſunt ſecuti:) ad cœlum vſque laudibus ſuis extulerunt, virum prædicantes *Apoſtolicis virtutibus eximiè clarum, vitæ meritis, & diuinè factis admirabilem, perfectæ vitæ regulam, lucernam Eccleſiæ ardentem & lucentem, excellentem Dei diſpenſatorem, Chriſti Senatorem intimum, Apoſtolis coæqualem, Martyribus ſupparem, Confeſſorum principem, viduarum patrem, virginum pædagogum, Angelorum ſocium*. Quem & Chriſtianiſſimi Reges impensè ita coluerunt, vt ab eius obitu annos in diplomatibus numerârint. Patrocinio eius præcipuè ſe regnúmque commiſerint. Cuius ſepulchrum tot mirabilium diuinorum officinam, fontem tot beneficiorum ea in reuerentia habuerunt, quod in eo ſitum crederent præcipuum imperij ſui præſidium, & præcipuum ibidem eſſe voluerint pietatis azylum. In cuius nomine etiam numiſmata cudi iuſſerunt. Comitia regni agi præceperunt. Feſta cuius, inſigni cultu & multiplici priuilegio venerationis, peragi decreuerunt. Veſtem quam *cappam* vocant in pace, in bello per delectos ad hoc munus ſacerdotes, ad munimen ſuum & felix rerum auſpicium, circumferri fecerunt. Denique ad cuius glorioſæ memoriæ exaltationem, innumeras Deo aras, templa, cœnobia extruxerunt, conſecrarunt. Clerus verò & Populus Galliarum ab innato deuotionis affectu, eo honore iugiter ab hinc eumdem proſecutus eſt, vt poſt Deiparam & Apoſtolos hunc maximè venerantes, ceu communem ſuſpicerent tutelarem, ſolatorem & opitulatorem, cuius meritis ſuffragiis & patrociniis, ſuis quíque miſeriis datum cœlitus ſubſidium atque remedium experti, tot ſæculis pro fœnore auxilij votorum debita exoluerunt, innumeráque ediderunt ad eius

charitatis commendationem, memoriæque clarificationem, piæ iuſtæque gratitudinis monumenta, toto Galliæ qua latè patet ſinu non ita diù conſpicua: at proh dolor! magna iam ex parte exciſa & deleta, ab exitiali *filiorum perditionis & ſubtractionis* phalange, qui pietatis auitæ deſertores, antiquorum dierum obliti, Galliæ tam nobili benefactori patronóque ingrati, cum fraude Turonenſem vrbem occupâſſent: vim ipſius beatiſſimi Confeſſoris venerandæ baſilicæ intùlerunt, auſúque horrendo effracto eius tumulo, quem diuina gloria tot virtutum coruſcationibus per mille & ducentos ferme annos clarificauerat: ſacratiſſima ipſius glorioſi cœlitis oſſa, pretioſo è lipſanodochio quo condita tanto in honore quieſcebant, impiis manibus arripientes, poſt illata iiſdem immania ludibria, ſuccenſis flammis iniecerunt, cineréſque in auras diſſiparunt: ſtupente cœlo, tremente ſolo, Gallia quæ tanto patrocinio ac ſolatio orbabatur, ad tantum ſcelus exhorreſcente, lachrymíſque profuſis ac inexſiccabilibus vicem ſuam deplorante, quòd à filiis id propudioſum dedecus ac diſpendium grauiſſimum & irreparabile perpeſſa ſit, quod ab hoſtibus infeſtiſſimis, à barbatis quantumuis truculentis, à Danis infidelibus non recepit, *à diabolis ipſis non timuit*. Vt iam ſit omnino quod doleat portenta, monſtris infernalibus funeſtiora ferocioráque ſuis è viſceribus edidiſſe: quæ in id in lucem erupetunt, vt matris viſcera diſcerperent, atque patriæ lumen extinguerent, eiúſque ſingulare columen & vnicum euerterent ac tollerent præſidium. Quo tamen tetro facinore, non ita inquinata putanda eſt ipſa Gallia, quæ id abominandum ſcelus ſuis ex intimis execratur, neque ſuo hoc patrono deſtituta prorſus exiſtimanda eſt, quem vt perpetua veneratione colit, ſic aſſiduum apud Deum ſuffragatorem ac præpotentem ſentit opitulatorem. Neque enim exuſta oſſa glorioſiſſimi Antiſtitis, Galliæ auerterunt deuotam in ipſum mentem: nec ipſius beati charitatem, potuerunt fluctus in quos eius cineres proiecti ſunt ab impiis, extinguere: cuius pignus adhuc hoc Gallia retinet, quod ſeipſam ei debet, apud quam æterna monimenta ſuppetunt illius erga ſe indelebilis operæ & virtutis, atque Apoſtolicæ gratiæ & prædicationis. Ob quæ ſuſcepta ab eo æterna beneficia, prominentibus literis, iſtud hîc glorioſæ eius recordationi mnemoſynon, ante mille annos exaratum, nec deletum hactenus, nec in poſterum vſquam delendum appendit: quo fauſta eius exordia & progreſſus, Gregorius Turonenſis dignus tanti Pontificis hæres ac encomiaſtes, dudum honorauit. *Tunc iam lumen noſtrum exoritur, nouiſque lampadum*

radiis Gallia illuſtratur. Hoc eſt, eo tempore beatiſſimus Martinus prædicare exorſus eſt, qui Chriſtum Dei filium per multa miracula verum Deum in populis declarans, Gentilium incredulitatem euertit. Hic fana deſtruxit, hæreſim repreſſit, Eccleſias ædificauit: & cùm aliis multis virtutibus refulgeret, ad conſummandum laudis ſuæ titulum, tres mortuos vitæ reſtituit. Ipſo die Lugduni

VERANVS. ſancti VERANI Epiſcopi & Confeſſoris. Qui poſt ſanctum Eucherium ad ſedis huius nobiliſſimæ ſolium euectus, ſanctitatis in eo lumen claris religionis & iuſtitiæ ac doctrinæ actibus perennauit. Zelator pietatis, ſancti Leonis Papæ celebrem ad Flauianum Epiſtolam, exaratis ad eum apicibus, multa reuerentia cum pleriſque aliis præcipuis Galliæ Epiſcopis, ſuſcepit, ingenti præconio commendauit, cultorem illius Apoſtolatus ſe ſubſcribens, & orationum eiuſdem enixè depoſcens ſubſidia. A cuius ſucceſſore Hilario tractatoriis reſcriptis etiam cum nobiliſſimis collegis ſalutatus: at præ cæteris honoratus ſpeciale mandatum accepit, *Mamertum* Epiſcopum Vienneſem, parumper à canonibus deflectentem, in obſeruationis viam Apoſtolicis hortationibus reducendi: eius ſanctis moribus & manſuetudine ad hoc inducto Pontifice, qui deuium fratrem acerbè increpandum non cenſebat, ſed benigna voce benigniſſimi fratris ad rectum tramitem reuocandum. Erat hic beatus nòn tam ſedis dignitate, quàm merito virtutis & priuilegio ſanctitatis inter Epiſcopos facilè princeps, quorum neceſſarias ſuggeſtiones & conſultationes, ad ſedem Apoſtolicam ceu arbiter & cæterorum interpres, frequenter referebat: ſicut idem teſtatur Hilarius Papa, ea recenſens ſcripta, quæ Veranus ipſe ad deceſſorem ſuum magnum Leonem direxerat, pro Hierarchiæ Viennenſis, Alpinæque Galliæ legitima inſtauratione. Quibus tandem piis ſolicitudinibus perfunctus, meritis paſtoralis vigilantiæ diues, ſanctitatíſque gloria multiplici præclarus, extremo occupatus ſomno in æternæ pacis requiem conceſſit, inſcriptúmque reliquit nomen Eccleſiæ ſacris tabulis, ob memoriam exploratæ ſanctitatis perenni cultu venerandum. Sepultus fuit beatus Antiſtes in Eccleſia ſancti Nicetij, antiqua ſedis Epiſcopalis baſilica, in cuius crypta ſanctus Pothinus Protomartyr ac Pontifex Lugdunenſis, primum altare *in honorem ſanctiſſimæ Deigenitricis dedicauerat*: ſicut ex probata traditione teſtatur in inſigni ſuo diplomate, plumbo rotundo ad formam & morem Apoſtolicæ ſedis obſignato Guillelmus de Suza Primas Lugdunenſis: qui coruſcantia huius cœlitis oſſa miraculis commemorat in hac Eccleſia repoſita, cum quadraginta octo Martyrum, necnon *Barbarini*,

barini, Viuentioli, Geneſij, Aureliani, Ruſtici, Cicarij, Deſiderij ſanctiſſimorum Epiſcoporum primæ illius ſedis, pretioſis exuuiis. Ad quorum beatorum feſtiuitatibus conciliandam ampliorem ſolito celebritatem, ſpiritualia xenia illam Eccleſiam in his diebus piè viſitantibus diœceſanis, paterna pietate impertit. Maloniæ ad Sabim fluuium in diœceſi Leodicenſi ſancti BERTVINI Epiſcopi & Confeſſoris, qui de Hibernia veniens, ad quietè in ſeceſſu Domino famulandum: ibidem oratorium in honorem ſanctiſſimæ Virginis Mariæ ædificauit, vbi totus à carne abſtractus, puri ſpiritus ſacrificia Deo litauit, & perfecto ſui holocauſto, piis affectibus potitus, æternam euolauit ad gloriam. Locum verò in quo tam miram conuerſationem exegit, ſuo tumulo & meritis exornans, eum ſenſim prouexit ad ſplendorem, quo erecta illic ſub Abbatiæ titulo regularium Canonicorum congregatione, in hunc vſque diem patentibus gloriæ ſignis triumphat. Ipſo die in cœnobio aureæ Vallis Ducatus Lutzemburgenſis veneratio ſancti MENNÆ Martyris, hac die ſub Diocletiano Cotyæi in Phrygia illuſtri martyrio coronati. Cuius ſacratiſſimum corpus ad inſtantiam ſancti Bernardi, beatus Albero Virdunenſis Epiſcopus, aſcetis illius cœnobij Ciſtercienſis ordinis, ad perpetuam venerationem conceſſit. Quo in loco ſeruatur etiam calix deauratus, quo beatus ipſe Bernardus tremendi in myſterij celebratione vtebatur. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confeſſorum, atque Sanctarum Virginum.*

Bertuinus. Mennas.

TVLLI Leucorum hac ipſa die facta ſunt encænia Principis Eccleſiæ, quam Eugenius Papa III. dedicauit in honorem ſancti STEPHANI Protomartyris. Petrexit ad deſideratum Regis gloriæ conſpectum beata OZILIA iuxta Eccleſiam ſancti Seuerini in præſulatu Leodicenſi recluſa ordinis Ciſtercienſis, raris pœnitentiæ factis & claris virtutum meritis planè mirabilis. De hac refertur quod ex nimia contritione lachrymas ſæpè vſque ad ſanguinem profuderit, vinculiſque ferreis ſe conſtrixerit, quibus diuina virtute diſruptis, etſi peccata ſua ſibi remiſſa cœlitus percepiſſet, nihil tamen de rigore minuit priſtinæ auſteritatis.

Stephanus. Ozilia.

Pridie Idus Nouembris. Luna

12 A x.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
22	23	24	25	26	27	28	29	30	1	2	3	4	5	6	7	8
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
9	10	11	12	13	14	15	16	16	17	18	19	20	21			

SS. RENATVS.

ANDEGAVI ſancti RENATI Epiſcopi & Confeſſoris glorioſi. Quem ex diuina promiſſione à ſterili matre genitum, paulóque pòſt defunctum ſanctus Maurilius Epiſcopus Andegauenſis, ſeptem annos integros in monumento iacentem, *excellentiſſimo* (vt ait Petrus venerabilis Abbas Cluniacenſis) *miraculo ad vitam ſuſcitauit:* expolitúmque omni liberali diſciplina & ſpiritualibus imbutum documentis, cùm gratiæ etiam donis ornatum cerneret, iámque ad Chriſti militiam aptiſſimum, Clericali ordini adſcripſit. Virtute quàm ætate maior tum enituit Renatus: cuius infimus in Eccleſia gradus excelſam indolem, & deſtinatum ad maiora munera Dei diſpoſitione animum, non obumbrauit, ſed præmonſtrauit. Omnibus ſiquidem inſignior modeſtia, humilitate demiſſior, deuotione feruentior, præſtantior eruditione, atque nitidior puritate, clericis præeminebat. Vnde conciliato iam euidentia ſanctitatis omnium amore, ſuæque non modico prouectionis deſiderio: Dei nutu euenit vt *Neſindo* Epiſcopo ſarcinam mortalitatis exuente, conſona Cleri electione & populi ardenti voto, Renatus Antiſtes proclamaretur. Delatum ægrè ſuſcepit onus vir minimè honoris cupidus, at ſuſceptum ea virtutis acceſſione geſſit, vt ſeipſum tranſgreſſus, & conceptam de ſe omnium præſtantem exiſtimationem longè ſuperans, omnia ad miraculum perduxerit. Facilius eſt diuina eius facta religioſo commendare ſilentio, quam facundo quantumuis eloquio prædicare; Nulla enim fuit virtus, quam in ſe viuam non protulerit. Has verò omnes ita actibus animabat, vt ſingulas peculiari ſtudio colere videretur. Attamen in miſericordia præcellebat, quæ cum eo nata, creuit cum eo, vt ipſum ad extremum vſque ſpiritum non reliquit. Proceſſerat iam ætate ſanctus Pontifex, cùm in Epiſcopatu ſuo perpendens omnia ſecundum Dei placitum eſſe diſpoſita, animo adiecit Apoſtolorum

principum limina viſitare. Igitur commendatâ *Talaſio*, qui ei ſucceſſit tandem, ſua Eccleſiâ, aſſumptíſque aliquot ſelectis ex Clero viris, iter arripit, Italiam ingreditur, mirabilia vbique in tranſitu operatur. Deinde Romæ piè luſtratis fidei Principum trophæis, Martyrúmque veſtigiis, dum feſtinus ſedem repetit de gregis ſtatu ſollicitus, apud Surrentum Campaniæ Romanæ litoralem ciuitatem, viribus corporis exhauſtus, in Domino obdormiuit. Et tranſitum quidem ſuum vir beatus diuina inſpiratione cognitum ſuis diſcipulis prædixerat, quibus etiam vt ſuum ad patriam cadauer referrent iniunxit. Cuius iuſſionem illi religiosè exequentes ſanctum corpus, non ſine Surrentinorum ciuium renitentia, tandem Andegauum reuexerunt, miraculis circumquaque coruſcans. Huius ſuſceptione peroptata lætificati Andegauenſes, magno cum triumpho id in baſilicam ſancti Maurilij deportárunt, vt ſub huius vmbraculo vir beatus quieſceret, cuius ex vaticinio natus, & miraculo renatus: ſedem digna imitatione emeruerat, auctóque decore ſanctitatis illuſtrauerat. At deinde templô cathedratico ſumptuoſa mole extructô ſacratóque, ſub ſancti Mauritij Martyris & ſociorũm nobili nuncupatione, quò loco inſigniori cœleſtis Senator deponeretur, lipſana eius veneranda in nouæ ipſius baſilicæ ſacrarium illata ſunt. Huius autem poſtremæ tralationis memoriam ob edita tunc diuinæ virtutis magnalia, annua celebritate recolit Eccleſia Andegauenſis decimo tertio Kalendas Septembris. Viennæ ſancti ISICII Epiſcopi & Confeſſoris: qui poſt Mamertum celebris beatitudinis illius Eccleſiæ Pontificem, obeundum paſtorale munus ſuſcepit, clarúſque ſtrenuæ adminiſtrationis actibus, virtutibus ac miraculis præſtans, poſt vberes collectos Deo animarum manipulos, abiit ad præmium. Quieſcit in baſilica Apoſtolorum, quam qui piè in hoc eius feſto ob eius venerationem viſitauerint, iis Innocentius Papa quartus indulgentiam quadraginta dierum de theſauro militantis Eccleſiæ largitus eſt. Ipſo die ibidem alterius ſancti ISICII itidem Epiſcopi & Confeſſoris, qui tempore poſterior, at non impar meritis, faſtidiens ſæculi honores, clericali militiæ voluit, vt Chriſto in humilitate ſeruiret, mancipari: at micans Dei gratia, hanc ad Cathedram ſublimatus poſt exceſſum Pentagathi, inſigni eam Pontificio repleuit. Cúmque Concilio tertio Aurelianenſi pro reſarcienda Eccleſiæ Gallicanæ nonnihil collapſa diſciplina, interfuiſſet: ad conſeſſum cœleſtium procerum, ob

ISICIVS ſenior Vienenſis.

Alter poſterior ISICIVS, itidem Vienenſis.

ſanctiſſimæ conuerſationis inſignia Chriſto vocante euectus eſt. Iacet in baſilica Apoſtolorum, prope tumulum ſancti Auiti conditus, cuius hortatu Chriſto ſe dederat. Vbi elogium habet perſpicuum, à ſorore *Marcella*, probante ſacerdotali ſenatu ipſi appoſitum: in quo laudatur maximè *de fuga & contemptu ſaculi, de zelo religionis, pacis ſtudio, affectu charitatis, ſedula gregis ſolicitudine, ac eruditione, ceteriſque glorioſis Epiſcopi ſanctiſſimi titulis*. In territorio Senonenſi natalis ſancti PATERNI Martyris, ibi pro conſtanti Chriſti nominis confeſſione & glorificatione ab impiis trucidati. Ipſo die ſancti LEONIS, aliàs LEONII, Epiſcopi Metropolitani Senonenſis & Confeſſoris. Qui nobiliſſimæ huic Eccleſiæ diuino conſilio præpoſitus, eidem velut ſplendidiſſimum ſidus illuxit. Hanc enim lumine verbi ſalutaris quaſi ſol quidam illuſtrauit, & virtutis ſuæ perfectæ exornauit decore. Quo ſedente ſol certè in Leonis ſigno emicuit: nec enim nomine ſolum Leonem ſe præbuit, ſed etiam robore ac infractæ mentis conſtantia, qua Eccleſiæ ſuæ iura tutatus, Childeberto Regi Epiſcopatum in oppido Melodunenſi conſtitui iubenti, ſic cum verborum modeſtia repugnauit: vt ſacerdotali tamen vigore, illum de temerata canonum reuerentia, ſcriptis ad ipſum memorabilibus apicibus admonuerit: planéque ſe non paſſurum obteſtatus ſit, vt Eccleſiæ vnitas hactenus in ſua diœceſi illibatè obſeruata, diſſectione quam non neceſſitas, ſed ambitus exigebat Meloduni incolarum, præcepto regio ſolueretur. Summi Pontificis etiam *ad audientiam* ſe cauſam delaturum, quæ ex maioribus eſſet, inſinuans, ſi quid in præiudicium ſuæ ſedis, & contra canonum tenorem regio fauore à quouis ſacro vel laico homine tentaretur. Qua autem conſtantia vir beatus, Eccleſiæ ſuæ iura ac dignitatem tuebatur: Dei legem ſtudioſius vindicaſſe, Cleri curaſſe ordinem, populi diſciplinam, obſeruantiam canonum, cuſtodiam rituum, vel ex eo manifeſtum fit, quòd Synodo ſecundæ Aurelianenſi cùm hoc zelo æſtuans adfuiſſet: tertiæ cui ob ſenilem ætatem fractáſque corporis vires non poterat intereſſe, *Orbatum* ad hanc legauerit preſbyterum, qui ſui vice, ſacra hæc ſtudia quibus feruebat, promoueret. Nec mirum ſi Præſules, Regéſque ipſi, magnopere tanto Antiſtiti deferebant: quem morum incredibilis puritas, doctrinæ ſingulare decus, intenſus religionis amor, perpetuus ornandæ Eccleſiæ

PATERNVS.

LEO.

affectus, gregis indefeſſa cura, aliáque præclara perfecti Epiſcopi inſignia commendabant, ſed Deus quoque mirabilium operum editione, quibus ipſum effecerat præclarum, honorabat: Quem demum ætate in fideli ſuo obſequio confecta, vt mercede emerita tam fideli vilicatione muneraret, abſolutum mortis vinculis, beatam ad immortalitatem euocauit. Honorifico autem funere vir ſanctus in Eccleſia Beatorum Martyrum Geruaſij & Protaſij ſepultus eſt. Verùm cùm ſigna hic eius gloriæ crebra radiarent, quæ in morborum curationibus patuerunt, tantus ſplendor effecit, vt ſuppreſſa priſca ædis ſacræ nuncupatione, ipſa de eius titulo vocaretur: quo in hunc vſque diem inſignita pollet, vna ex vrbicis Senonum parœciis. Attamen eius corpus iampridem Melodunum ad Sequanam delatum, celebrem ibi eius memoriam reddidit: quem ibidem Vſuardus in Romanæ Eccleſiæ Martyrologio iuſſu Caroli Magni à ſe recenſito, hac die annotat colendam. *Sedit porro annis ſexdecim glorioſus Antiſtes, ſanctitate* (vt antiqua ferunt teſtimonia,) *perſpicuus, animo pius, operibus miſericordiæ profluus.* In portu Gandenſi ſancti LIVINI Epiſcopi & Martyris. Qui Scotus genere, ſpiritualis è ſacro fonte magni illius Auguſtini Angliæ Apoſtoli filius, diſcipulus autem ſanctiſſimi Sacerdotis Benigni: Ob micantes ſibi cœlitus inditas gratiæ dotes, ad Archiepiſcopatum Scotiæ, flagitante tota gente, ipſius ſancti Auguſtini manibus promotus eſt. Sed cùm ægrè delatum onus ſuſcepiſſet, Siluano reſignato munere, quò vberiorem fructum faceret diuinæ ſementis, cum *Foiliano, Helia* & *Kiliano* Apoſtolicæ vitæ ſectatoribus, plantandi Euangelij deſiderio, in Flandriam venit, benignéque à ſancto Amando atque Florberto Abbate ſancti Bauonis ſuſceptus: poſt petita ſancti illius Confeſſoris nuper defuncti ac miraculis coruſcantis ſuffragia, ad opus Euangelij profectus eſt. Innumeros ad Chriſti fidem, verbo & exemplo magníſque adiunctis diuinæ virtutis operibus diuinus præco, conuertit. Qua re exaſperati impij quibus Chriſti religio erat exoſa, (prauis enim ipſorum cupiditatibus obicem afferebat:) miris eum modis cœperunt inſectari, nec omnino deſtiterunt, donec extractam eius linguam, veritatis gratiæ & ſalutis nunciam, canibus deuorandam proiicerent: quæ tamen diuina operatione, illi reſtituta fuit. Tandem apud Heſcham Flandriæ vicum, ipſum rurſus interceptum multis vulneribus confoderunt. Sicque pugil Chriſti peruenit ad agonis ſui coronam. Cæterùm iidem perſecutores eodem loco CRAPHAILDEM Liuini hoſpitam nobilem ac generoſam matronam, vnà cum filiolo

LIVINVS.

CRAPHAILDIS matrona cum

filio BRIXIO. eius BRIXIO, quem Liuinus de ſacto fonte ſuſceperat: cùm palam quererentur immeritò interfectum eſſe ſanctum Epiſcopum immaniter trucidarunt: qui ambo itidem hoc felici martyrio iuſtitiæ palmam ſunt Chriſti ſpeciali munere conſecuti. Ipſo die ſancti CVNIBERTI Epiſcopi Colonienſis & Confeſſoris: qui Francorum Regum Dagoberti magni & Sigeberti eius filij Cancellatius, omnia quæ potuit in Dei cultum augendum, decorandam Eccleſiam,.& fouendum gtegem ſuum retulit. ſuper huius ſacrificantis caput columba miri candoris & ſplendoris volitans appatuit. Ipſe verò quadraginta annis in Epiſcopatu ſanctiſſimè completis æternam ad gloriam migrauit, ac in Eccleſia ſancti Clementis quam conſttuxerat ſepultus eſt. Item ſancti LEBVINI Pteſbyteri, & Confeſſoris, ſancti Gregorij Vltraiectenſis Præſulis, diſcipuli. Qui ab eo in opus ſanctæ prædicationis legatus, ſecus Iſelam fluuium multos infideles conuertit: póſtque multorum labotum tolerantiam, plenus bonis operibus, feruidus zelator animatum, doctórque veritatis præclarus, ad quietis ſupetnæ beatam ttanſiuit fruitionem. Cuius corpus vrna honorificè reconditum fuit in Eccleſia portus Dauentrienſis. Eodem die inuentio cotporis puriſſimi ſanctæ HVNEGVNDIS Virginis, quæ apud Vitomanduenſes colitur, maximè in ſuo depoſitionis feſto die vigeſima quinta Auguſti. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confeſſorum, atque Sanctarum Virginum.*

CVNIBERTVS. LEBVINVS. HVNEGVNDIS.

Gaufridus. CLARÆVALLIS depoſitio beati GAVFRIDI Sorenſis Epiſcopi. Obiit felicıter ibidem IOANNES prior regularis diſciplinæ obſetuator accuratiſſimus, ſuique corporis rigidiſſimus caſtigator. *Ioannes.*

Idibus Nouembris. Luna

13 B IX.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ		
23	24	25	26	27	28	29	30	1	2	3	4	5	6	7	8	9		
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P					
10	11	12	13	14	15	16	17	17	18	19	20	21	22					

SS. BRICCIVS. TVRONIS ſancti BRICCII Epiſcopi & Confeſſoris. Hic ob eximium donum caſtitatis, aliáſque optimas animæ dotes creatus à ſancto Martino huius ſedis Archidiaconus: ſuſcepto honore cum iuuenili faſtu ſuperbiret, plurimíſque inſidiis ac maledictis vexatet ſanctiſſimum Antiſtitem, ab eo ſæpè paterna voce admonitus eſt, vt modeſtiùs ac religioſiùs ſe gereret. Cu-

ius pias cùm irrideret voces, vir Dei miſericordia plenus, iniuriæque immemor à Deo pro ipſo impetrauit, vt in ſui defuncti locum ſufficeretur, Epiſcopaliúmque virtutum donis Spiritus ſanctus illum exornaret. Poſt ſe igitur Briccium futurum Epiſcopum, ipſi prænuntiauit Martinus, eumdem ſubinde præmonendo quamplures ea in dignitate iniurias & calumnias, illum ex Dei iudicio perpeſſurum. Quæ cùm velut deliri verba ex more haberet Briccius, eorum omnium veritatem rerum euentus confirmauit. Siquidem Martino ad beatitudinem euocato, factus eſt Briccius (quem vir Dei iam Preſbyterum ſacrauerat) Epiſcopus, trigintáque tribus annis ſic præfuit faſtu & vanitate inflatus, vt quamuis ab aduerſariis variis inſidiis & calumniis pulſaretur, caſti tamen & pudici nomen purum conſeruaret. At tandem Deo id ad eius patientiæ exercitationem permittente, orta eſt occaſio, qua grauiſſimo crimine impudicitiæ non abſque ſpecie veri impeteretur. Etenim mulier quædam cœlibem vitam profeſſa, ad quam cubicularij veſtes eius abluendas deferebant, peperit puellum. Cuius rei piaculum populus in Epiſcopum facilè retulit. Vox omnium erat diſſimulatam diù tandem, volente Deo, patuiſſe eius luxuriam. Cuius pollutas manus, deinceps horrerent oſculari. Conflata conſpiratio eò proceſſit, vt ſaxis peteret inſana plebs Epiſcopum. Víxque abfuit quin ab iis furentibus ille obrueretur. Verùm ipſe ſibi nil malè conſcius, obiectum falsò crimen magna innocentiæ fiducia propulſauit, rationibúſque primùm, deinde & miraculis ſeſe probauit inſontem. Infantulum quippe triginta dierum in medium deportari exigit. Húncque per Chriſti IESV adorandum nomen adiurat, vt altè edicat, vtrum qui loqueretur eius eſſet pater. Reſpondit puerulus tam mira quàm ſyncera voce, genitorem ſuum haud eſſe Antiſtitem ipſum, à quo in Dei nomine interpellaretur. Non ceſſit populus teſtimonio tam patenti. Quamobrem Briccius, ſequentibus turbis magis efferatis quòd factum illud magicis artibus deputarent, ad ſepulchrum ſancti Martini accedit, prunas ardentes in veſtimento ſuo ferens, quibus ante ſancti tumulum proiectis, inuſtáque apparente veſte: turbis id intulit. *Sicut veſtimentum iſtud ab his ignibus illæſum videtis, ſic & corpus meum à mulieris eſt tactu impollutum*. Illis verò non acquieſcentibus, ſed contradicentibus magis, calumniis atrocioribus oneratur, trahitur, eiicitur. At ille cum tali ignominia pulſus, Romam ad Papam properat, cui ob creditas Saluatoris vices cura Eccleſiarum atque Antiſtitum competit omnium: huiúſque affuſus ſacris veſtigiis, multo cum fletu miſerandum renun-

tiat caſum: meritò ſe hæc pati confitens, ob diuini viri Martini contemptum cuius irriſerat virtutes, ſpreuerat monita, núncque vaticinij tanta in calamitate veritatem experiebatur. Interim Turonenſes pulſo Briccio, Iuſtinianum ſublegunt. At veriti ne conquerente apud ſummam ſedem Briccio, irrita ſubrogatio illa decerneretur à Pontifice: ſícque ipſe veniens Briccius recepta ſede, æmulum ſuum cum ipſorum ignominia detruderet, compulerunt Iuſtinianum negotium vt perſecuturus ſuum Romam proficiſceretur. Sed verò ille egreſſus Turonis, Vercellas vſque veniens, illic morte præoccupatus eſt. Cuius obitum Turonici audientes Armentium quemdam in eius ſubſtituunt locum. Cæterùm Briccius ad ſedem Apoſtolicam reſidens, plerumque Miſſarum ſolemnia corde contrito celebrauit: ibíque amarè defleuit quidquid in ſanctum Dei deliquerat, donec anno ſeptimo egreſſus Roma, cum auctoritate Papæ, qua Epiſcopatum ſibi reſtitui Turonicis præcipiebatur: ad ſedem redire diſpoſuit, peragratíſque interiectis locis, ſexto ab vrbe Turonenſi milliario apud vicum Laudiacum pauliſper conſedit exiguo quo cum comitatu regreſſus erat. Atque interim diuino nutu contigit, vt Armentius correptus ſubita febre ſpiritum efflauerit. Quod ipſa nocte Briccius oraculo cœleſti percipiens, ſuos vt ſurgerent commonuit: *ad tumulandum enim*, ait, *fratrem noſtrum Turonicum Pontificem feſtinandum eſt.* Sic igitur dum portam ciuitatis ingreditur, occurrit ex aduerſo funus, procedentibus ciuibus qui mortuum Præſulem efferebant. Impleuit pietatis officium vir beatus, ſepulto ſuo æmulo multo cum honore. Itaque in Cathedram diuinis auſpiciis ex Apoſtolica iuſſione receptus, ſumma cum ſanctitatis laude Eccleſiam ſuam ſeptem à reditu annos gubernauit: demúmque anno quadrageſimo ſeptimo ſui Epiſcopatus, feliciter poſtquam multa inſignia edidiſſet purgatam exilio, lachrymis, ſignı́ſque, ab omni næuo Chriſto reſignauit animam. Sepultus eſt in baſilica quam ſuper ſancti Martini ſepulchrum ædificauerat. Per vicos autem diœceſis ædes ſacras pleraſque pius Epiſcopus inſtituit, & magna prorſus peregit, quibus cùm ſuum in Deum amorem, tum in populum diù ſibi rebellem paternum affectum affatim teſtatus eſt. Huius beati viri reliquias ſanctus Gregorius, qui Turonis Epiſcopus quindecimus, poſt eum ſedit Claromontem Aruernorum detulit, ad Eccleſiam ſancti Laurentij, vt ſancti Galli patrui ſui illic quieſcentis memoriam illuſtraret. In Vaſconia natalis ſancti ABBONIS Abbatis Floriacenſis in territorio Aurelianenſi, & Martyris: qui ſuo ſæculo perlucidum ſidus eluxit, ſanctimonia ſingulari rará-

Abbo.

que qua præcelluit doctrina. Nam literis ſacris philoſophicíſque inſtructiſſimus, peritúſque etiam poëticæ facultatis, necnon rituum Eccleſiaſticorum ſcientiſſimus: plurima clari ingenij & piæ mentis reliquit à ſe exarata monimenta. Etenim *ſuper circulo Victorij* librum vnum texuit. duos verſibus hexametris exaratos de vrbis Pariſiacæ per Danos obſidione, concinnauit. Vitas ſummorum Pontificum breui elogio complexus eſt. Ad Gregorium quintum Pontificem Maximum, multas epiſtolas de Eccleſiaſticis neceſſitatibus ſcripſit. Item ad ſanctum Odilonem Abbatem Cluniacenſem. ſed & ad Robertum Regem Francorum, quem ſanctis hortationibus, ad meliorem frugem reduxit. Stetit in Remenſi Concilio fortiter vir pientiſſimus, pro ſedis Apoſtolicæ auctoritate: cuius obtrectatores aculeatis ſcriptis repreſſit. Sanctitate verò haud minùs quàm ſcientia præſtans, cùm ſuum monaſterium ad Dei beneplacitum diſpoſuiſſet: augendæ pietatis deſiderio in Vaſconiam perrexit, ibíque magno animarum ſalutis zelo verbum Dei Apoſtolico ſpiritu prædicauit. Cæterùm orto, die quadam in atrio monaſterij in quo morabatur, inter aliquos litigioſos acri tumultu, occurrens ipſe pacis amicus ad motum ſedandum, ab vno è vulgo lancea transfoſſus eſt: cuius percuſſor paulò pòſt arreptus à dæmone miſerabiliter vitam finiuit. Corpus verò ſancti Abbatis honorificè ſepultum, multis poſtea claruit miraculis. Senonis Natalis ſancti PATERNI Martyris glorioſi. In territorio Attrebatenſi ſancti CHILLENI Epiſcopi: qui patria Scotus, ad ſanctum Pharonem Meldenſem Epiſcopum, pietate celebrem, ad quem ſæculi fucos aſpernatus nuper beatus Fiacrius è paterno Scotiæ regno, tanquam ad aſilum religionis profugerat, hoc excitus exemplo ſe contulit. benignéque ab eo ſuſceptus, cùm lumina gratiæ qua præditus erat celare non poſſet: admonitus ab eo eſt, in commodum populi adhuc errorum caligine impliciti, vt illa effunderet. Quapropter eiuſdem beatiſſimi Antiſtitis ſtudio & cooperatione conſecratus Epiſcopus, quatenus hoc euectus ſacerdotij apice, ſalutis opus maiori auctoritate exequeretur: ipſo hortante in regionem Attrebatenſem profectus, hunc populum qui maiori ex parte ethnicam adhuc ſuperſtitionem ſequebatur, ſana doctrina, virtutibus ac miraculis ad Chriſtum traduxit: ædificatóque in Albiniaco vico monaſteriolo, vitam inſtituit cœleſtibus virtutibus perſimilem, ſícque tandem ex hac vita deceſſit, vt inſitæ pietatis & gratiæ Apoſtolicæ, extremo in ſpiritu ſignificationem dederit inſignem. In agro Cameracenſi ipſo die natalis ſanctæ MAXELLENDIS Virginis & Martyris, quam cùm ob in-

Paternus. Chillenus. Maxellendis.

expugnabile caſtitatis quam Chriſto dedicauerat propoſitum; iuuenis qui nuptias eius concupierat immaniter gladio interfeciſſet, viſo eius cruore ille protinus excæcatus, non potuit niſi facti pœnitens, & ad corpus ſanctiſſimæ Chriſti ſponſæ coruſcum miraculis ſupplex veniam petens, lumen amiſſum recipere. Ad cuius memorandæ rei commendationem ædificata ſuper tumulum beatiſſimæ athletæ Eccleſia, patrocinio eius dicata eſt meritiſque clarificata: editis ibidem per ſuffragia ſanctæ Martyris, pletiſque diuinæ gloriæ, in deuotorum clientum gratiam, inſigniis. Attamen inde ſubmotum ad ampliorem honorificationem ſacratiſſimum Virginis corpus, ad caſtellum Cameraceſij tranſlatum eſt ad ſancti Andreæ Apoſtoli cœnobium, quod Gerardus Epiſcopus anno milleſimo vigeſimo primo fundauit, eiúſque ſucceſſor Lietbertus perfecit. Eodem die ſancti SIARDI Abbatis horti beatæ Mariæ ordinis Præmonſtratenſis in Traiectenſi diœceſi: viri Prophetiæ ſpiritu clari, qui eximia humilitate præſtans, in ſeipſum pluſquam ſeuerus, in pauperes liberalis fuit, erga Deum autem ita exæſtuantis amoris, vt auditâ quauis harmoniâ ad cœleſtia protinus raperetur, oculis in lachrymas liqueſcentibus: quibus quanto affectu ſupernæ Sion melodiam ſpiraret, ad dignas Deo laudes promendum patenter innuebat. Claruit in vita & poſt obitum vir ſanctus multis miraculis: eius porro reliquiæ diuina clarificatione inſignitæ, in Tongeloami cœnobio ipſius ordinis in Brabantia, magna in veneratione obſeruantur. Lutetiæ Pariſiorum ſuſceptio pretioſi corporis ſancti GENVLPHI aliàs GENDVLPHI Epiſcopi Caturcenſis, ex eius cella Bituricenſi, vbi ſanctiſſimè demortuus eſt, poſt edita Apoſtolicæ gratiæ teſtimonia, decimo ſexto Kalend. Februarij. Apud Siluiniacum in Aruernia tranſlatio Sanctorum Abbatum Cluniacenſium MAIOLI & ODILONIS facta per Vrbanum II. Pontificem Maximum, quondam celebris illius monaſterij alumnum. Item ipſo die apud Malbodium monaſterium tranſlatio ſanctæ ALDEGVNDIS Regiæ Francorum proſapiæ Virginis, eiuſdem virginalis ſodalitij fundatricis: vbi colitur proprio natali tertio Kalend. Februarij. In monaſterio Sitiuenſi prima eleuatio & tranſlatio corporis ſancti FOLQVINI Morinorum Epiſcopi. In agro Pariſienſi ſuſceptio corporis ſancti MAVRI Confeſſoris & Leuitæ, cùm ex Glanofolio ob incurſiones Normanorum, ad Foſſatenſe monaſterium tranſlatum eſt, nunc eius nomine inſignitum. Aureliis tranſlatio ſancti MAMERTI Epiſcopi Vienenſis. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confeſſorum, atque Sanctarum Virginum.*

Siardvs. Genvlphvs, aliàs Gendvlphvs. Maiolvs & Odilo. Aldegvndis. Folqvinvs. Mavrvs. Mamertvs.

Trecis in Campania eleuatio corporis piiſſimæ memoriæ Ioannis Gandauenſis dicti ſancti Claudij Eremitæ: facta inſtante Ludouico XI. Chriſtianiſſimo Rege (qui natalia ſua eius precibus ac vaticinio referebat) per Ludouicum Epiſcopum Trecenſem: à quo pretioſa ſerui Dei gleba deprompta è tumulo, in arcam ligneam illata eſt, vt honorificentius ſeruaretur, donec à ſumma ſede, Rex iuſta illi rependi procuraret. In ordine ſancti Benedicti feſtum omnivm Sanctorvm qvi svb ipsivs regvla militarvnt, Pauli V. auctoritate inſtitutum.

Ioannes Gandauenſis Eremita.

Omnes Sancti Monachi ordinis ſancti Benedicti.

Decimo octauo Kalend. Decembris. Luna

14 C VIII.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
24	25	26	27	28	29	30	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
11	12	13	14	15	16	17	18	18	19	20	21	22	23			

IN Aruernia Natalis ſancti Adoratoris Martyris. Hic patria Turonenſis clara ortus proſapia, Elefano ac Adaltrude parentibus, cùm ab ipſis idolorum cultui admodum deditis, inſtituendus cum literis tum ſacrorum impiorum ritibus ſedulo curaretur, adhuc puer diuina inſpiratione afflatus, à vanis ſuperſtitionibus abhorrere, atque veræ pietatis, quam aliquot Chriſtianorum ore delibauerat, vehementi deſiderio flagrare cœpit. Porro cùm religioſæ mentis affectum parentibus prodidiſſet, quos ad eiuſdem diuinæ veritatis agnitionem perducere ſatagebat: patre ſalutaria eius monita ægrè ferente; pius adoleſcens natale ſolum deſerere, atque eò ſe vertere vbi ſibi ſuppeterent ſalutis ſubſidia, conſtituit. Aſcitis igitur ſibi aliquot ſociis quibus lucis diuinæ ſibi infuſæ copiam impertiuit, Mediolanum perrexit, fama ductus ſancti Ambroſij Epiſcopi, qui tum huic Eccleſiæ præſidens, admirabilis ſanctitatis & diuinæ ſapientiæ celebritate orbem implebat: vt plenius quæ Chriſti ſunt perdiſceret, atque diuino ab ipſo fonte initiaretur. His potitus votis, Spiritu ſancto dirigente in patriam regreſſus, felicioribúſque auſpiciis quod antè fruſtra tentauerat aggreſſus, parentes ſuos Deo acquiſiuit, quorum admiranda vice pater ſpiritualis effectus, eoſdem cum vniuerſa familia Chriſti lauacro conſecrauit. Fortunatus filij pietate pater, paulò pòſt quàm fidei ſacramento illuminatus eſt, vita functus, diuinæ miſericordiæ munera percepit. Adaltrudis verò mater, cùm filij ſuaſu, omnia quæ penes ſe habebat Chriſti amore in pauperes erogâſſet: ad ea largienda quæ ſupererant in Aruerniam cum Adoratore profecta eſt. Ampliſſimas ibi habebat poſſeſſiones, quarum procurator *Socronius*

S. Adorator.

quidam nuper vita exceſſerat, hunc Dei ſeruus ſtupendo opere à morte excitauit, vitæque redditum Chriſtiana regeneratione expiauit. Hinc opes quaſcunque in pauperum ſolatia diſpertiens, Chriſti nomen in Aruernia prædicare aggreſſus eſt, multóſque eius ſalutari agnitione illuſtrauit. Quæ res cùm idolorum ſacrificulos exaſperaret, ab iis timentibus ne ſancti viri præconio ſalutari, fictitiorum numinum fucata religio tolleretur, magnis perſecutionibus impetitus eſt: deinde cùm nullis minis nec preſſuris à ſancta prædicatione deterreretur, dirius exagitatus, tandem poſt inuictæ mentis teſtificationem, fortémque Chriſti confeſſionem, gladio percuſſus detruncatione capitis glorioſum martyrium conſummauit. Corpus inclyti athletæ à pia matre collectum, pura ſindone inuolutum, eo quo licuit funere honoratum eſt, quouſque afflante rebus Chriſtianis ſereniori aura: hinc vbi primùm conditum fuerat, ad Luperciacum vicum diœceſis Lemouicenſis: (vbi quondam Martyr beatus cum quibuſdam à ſe Chriſto dedicatis aſſeclis, diuinis intentus obſequiis conſederat:) delatum, atque repoſitum multa cum honorificatione, gloriæ præclara edidit inſignia. Auguſtæ Trecarum Natalis ſancti VENERANDI Martyris, ibidem ſub Aureliano Imperatore, ob egregiam Chriſti confeſſionem amputatione capitis immolati. Item in Gallia paſſio ſanctæ VENERANDÆ Virginis & Martyris, quæ ex parentibus ſterilibus diuino munere nata: Chriſto à puerili flore ſe dedicans, tanto eius gloriæ prouehendæ deſiderio exarſit, vt finem nominis eius prædicandi non fecerit, donec ſub Antonino Imperatore, ab Aſclepiade Præſide eò titulo comprehenſa, quod ab auitis ſacris nouæ religionis diſſeminatione populi mentem auerteret: in lebetem æneum pice & oleo liquentibus plenum iniecta eſt, è quo illæſa diuinitus educta, cum NONGENTOS NONAGINTA QVINQVE ſui agonis ſpectatores deinde ſectatores Chriſto acquiſiuiſſet: capite ad extremum cæſa, glorioſam fidei confeſſionem nobili trophæo abſoluit. Corpus eius puriſſimæ vaſculum, clanculum collegit Antimus vir religioſiſſimus, eáque reuerentia ſepeliuit, qua ſponſam athletámque Regis æterni triumphantem, tótque fidelium animarum parentem feliciſſimam nouerat proſequendam. Ipſo die Cabellione Cauarum ſub Metropoli Auenionenſi ſancti VERANI Epiſcopi huius ciuitatis & Confeſſoris glorioſi. Hic Gabalis ciuitate Aquitaniæ ortus, à prima ætate in Dei cultu & amore effloruit. Vnde ob perſpicua gratiæ qua micabat inſignia: Clericus Eccleſiæ Mimatenſis (quæ Gabalorum matrix eſt) effectus: cùm fama ſanctitatis iam polleret, impatiens humanæ

[Margin notes: VENERANDVS. — VENERANDA. — Sancti nōgēti nonaginta quinque, à ſancta Veneranda illuminati, deinde coronati. — VERANVS.]

manæ exiſtimationis, Cabellionem prædictam vrbem Maſſilienſis tractus perfugit: vbi fugato ope diuina ingenti dracone ædiculam ſanctæ Deigenitricis conſtruxit. Verùm orta hinc eius ſanctimoniæ apud incolas opinione, iterum ſibi fuga conſulens, Romam pio voto perrexit. Cuius in peregrinationis aditu & reditu plurima ſuæ ſupernæ virtutis ſigna, in afflictorum gratiam, per eum Deus operatus eſt: quo aſpirante Cabellionem iterum beatus vir delatus, primúſque illius vrbis Epiſcopus conſecratus, mira in ſanctiſſimæ religionis propagationem, Eccleſiæque gubernationem peregit: qua diuinum ad beneplacitum perfunctus, poſtquam ſecunda Matiſconenſi vbi multa ad Chriſti glorificationem, regníque eius decorum ac commodum ſancita ſunt, cum quadraginta duobus ſanctiſſimis Galliarum Epiſcopis interfuiſſet, feſſus ſanctis laboribus maturúſque iam æternæ gloriæ, carnis oculos in mortem clauſit, purúmque ſpiritum ad vitæ immortalis ſplendores & gaudia tranſmiſit. Sepultus autem in oratorio ſanctæ Mariæ quod ad fontem Sorgiæ extruxerat, multis reſplenduit ſignis emeritæ beatitudinis. Verùm inde Gergolium præſulatus Aurelianenſis oppidum tranſlatum fuit eius ſacratiſſimum corpus, ad collegiatam Eccleſiam ſanctæ Crucis, quæ tanti cœlitis ditata pignoribus, clarificatáq. meritis illius demum nuncupationem recepit. Ipſo die feſtiuitas S. Martini, inde orta, quòd poſt altercationes Pictauienſium conantium ſibi eiuſdem ſancti Pontificis corpus vendicare: à Turonenſibus clam ablatum atque nauigio impoſitum, magna cum alacritate (ſicut S. Gregorius Turonenſis commemorat) in ipſam Turonenſem ciuitatẽ receptum eſt. Cuius rei (haud ſine diuino fauore geſtæ) recordatio, annua celebritate conſectata, eo honore in Gallia emicuit, vt ex recepto more, Epiſcopi Turonenſes conuenirent ex diuerſis regni prouinciis, ad ſacratiſſimæ feſtiuitatis ſolemnia peragenda. Cuius occaſione Concilium primum Turonenſe habitum eſt, quod tredecim in canones digeſtum, à tribus Metropolitanis, ſeptémque Epiſcopis ſubſignatum, ipſo in limine præfert tantæ celebritatis monimentum: eáque explicit actorum coronide, qua ſacri proceres canonicas à ſe editas leges, orant ſanctiſſimi Chriſti ſacerdotis Martini interceſſione muniri, vt à ſubiecta plebe queant ſine tranſgreſſione ſeruari. Eodem die depoſitio corporum Sanctorũ Qvintini Martyris & Cassiani Pontificis *imminente triſtitia:* quando Normanis in agrum Viromanduorum irruentibus, ſacra beatorum ipſorum Quintini & Caſſiani pignora leuata de tumulis, ne infidæ gentis feræque direptioni paterent, in latibulo cryptæ imperuiæ, fuerunt recondita. Augæ cœnobio in Normania

Martinvs.

Qvintinvs & Cassianvs.

Lavrentivs. migratio ſancti Lavrentii Dublinenſis Epiſcopi & Confeſſoris: qui Hibetniæ Primas, diuinis virtutibus plenus, cùm Henricum Regem Angliæ, ſub quo inclyto martyrio occubuit S. Thomas Cantuarienſis, de pace cum Doronogo Rege Hiberniæ ineunda ſollicitaret, febre correptus paulò pòſt quàm illum ſecutus eò applicuiſſet, ibidem ſuſcepto per manus venerabilis *Oſberti* Abbatis cœleſti viatico, iter ad æternitatem ingreſſus eſt. Cúmque gloriæ coruſcationes ederet, ab Honorio III. Papa relatus eſt in album ſanctorum Deo fruentium. Ipſo die Senonis ſuſce-

Maria Magdalena. ptio coſtæ S. Mariæ Magdalenæ: cuius cùm ex Aquenſi ſacrario veneranda pignora, diuino nutu ductúque ad Vezeliacenſe in Burgundia monaſterium fuiſſent tranſuecta: ex his deinde coſta auctoritate Martini II. aliàs IV. Papæ decerpta, religioſo munere ab ipſo Senonenſi Eccleſiæ Metropolicæ, conceſſa eſt: in qua ab hinc deinceps condigno cultu ſeruatur. In Rotomagenſi

Sidonivs. monaſterio S. Sidonii Abbatis, qui S. Leufredum ad ſe diuinitus miſſum ſacræ militiæ adſcripſit: multíſque patratis virtutibus, ad æterna tabernacula migrauit. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum*, &c.

Decimo ſeptimo Kalend. Decembris. Luna

15 D VII.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
25	26	27	28	29	30	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11

t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P
12	13	14	15	16	17	18	19	19	20	21	22	23	24

SS. Evgenivs. IN territorio Pariſienſi natalis ſancti Evgenii, viri Apoſtolici Dionyſij, ſymmyſtæ, athletæque Chriſti perilluſtris. Qui ab ipſo Dionyſio (dum Arelati ageret, creditas ſibi auxiliares copias, in Gallicæ gentis & vicinarum nationum ſubſidium varias in plagas diſpertiens) in Hiſpaniam ſublegatus, Toletúmq. miſſus ad Gentibus Chriſti Euangelium ſalutare prædicandum: vrbi huic nobiliſſimæ, fidei primitias inuexit: ingentíque cum diuinæ gratiæ fœnore, compoſitâ illic Eccleſiâ, Chriſti regnum ea in regione inchoauit, fulſit, dilatauit. Deinde verò incenſus deſiderio diuini magiſtri reuiſendi, vt quæ in credito opere Euangelicæ diſpenſationis peregerat, ipſi referaret: viciſsímque ab eo prouehendæ amplius Chriſti gloriæ & ſalutis Hiſpaniæ mutuaret conſilia, in Galliam profectus, Toloſæ pedem aliquandiu fixit, vt gregem Dominicum atroci martyrio ſancti Saturnini primi illius vrbis paſtoris perturbatum exterritúmque confir-

maret. Cui præfecto ad inſtantiam *Honeſti* Preſbyteri Apoſtolicæ vitæ & gratiæ, *Honorato* Epiſcopo, rectà Lutetiam Pariſiorum tendit: vbi nuper confectum Dionyſium cum ſociis multiplici martyrio vulgari fama perceperat, afflictis vt rebus nouellæ huius Eccleſiæ, tanto orbatæ parente ac doctore, ſtudio operáque ſua ſuffragaretur. Sed iam cùm vrbi approximaret, à Feſcennini præfecti ſatellitibus propter ſpecimen Chriſtianæ modeſtiæ, ipſo in itinere prope Diogilum vicum comprehenſus, quódque inquiſitus num Chriſti ſectator eſſet, qui fidem eius diſſeminatum veniret, iámque hac ferè paſſim imbutos Lutetiæ incolas vellet in huius obſeruantia obfirmare: nihil præſentem necem veritus, Chriſti præconium extuliſſet, ſe ſeruum eius cultorémque intrepidè profeſſus: illicò à furente hac impiorum caterua, haſtis, gladiiſque impetitus, transfixus, capiteque ad extremum truncatus, atque in Marcaſium lacum, pone quem extremum fudit ſpiritum, coniectus eſt. Delituit ſacratiſſimum Martyris corpus in profundo laci annis fermè ducentis. At Galliâ demum Chriſti ſacris populariter imbutâ: *Hercoldus* vir primarius, cùm deſperato morbo laboraret, ſancto Dionyſio admonente, qui ei diuinitus apparuit, pretioſum inclyti herois cadauer, ex aquarum latibulo euexit: cuius ex conſpectu & veneratione, recuperata optata incolumitate ædiculam in ſancti Martyris cultum extruxit, in qua ſacroſancta eius lipſana depoſuit multa cum honorificatione. Quæ deinceps irradiata beati hoſpitis ſplendoribus, in amplam excreuit baſilicam, eiuſdem Martyris nomine, tumulo, patrocinio, necnon cœnobitico cœtu, & parœciali titulo quo etiamnum fulget conſpicuam. Cæterùm hac ex Eccleſia haud ſine diuinæ diſpoſitionis ſignificatione, ad baſilicam ſancti Dionyſij poſtmodum gleba beati Eugenij delata, ibidem per annorum multorum curricula in ſibi deſtinato ſacello, marmore, auróque decorato, honorificè requieuit. Sed pars inde in Belgium diuina ex reuelatione à ſancto Gerardo monacho Sandionyſiano, deportata, in Leodienſi Præſulatu excitauit ad perpetuam huius Martyris venerationem Bronienſe monaſterium editiſque magnis ſignorum fulgoribus eò compulit *Stephanum* Leodienſem Epiſcopum, qui beati Eugenij cultum auerſatus, ob ídque morbo affectus graui, opem eius à ſe imploratam, opportunè recuperata ſoſpitate perſenſerat: vt coactâ ſynodo, in qua tanti Martyris paſſionem fecit recitari, feſtum eius natalis quotannis illa in diœceſi celebriter agendum decerneret, maximè verò per totam Decaniam, in qua Bronienſe cœnobium ſitum eſt: cuius in gre-

mio pignora huius Martyris aſſeruantur veneranda. Deinde *Raimundus* Archiepiſcopus Toletanus, qui Remenſi Concilio ab Eugenio III. Pontifice anno milleſimo centeſimo quadrageſimo ſexto habito, interfuit, cum nonnullis Hiſpaniæ Præſulibus, piè affectus in memoriam ſancti Eugenij ſuæ Eccleſiæ parentis, ad eius ſepulchrum adorandum, ſupplex ad S. Dionyſij baſilicam acceſſit, ſolutiſq. votis poſtquam rediiſſet ad ſedem, Alphonſum Regem Vracæ filium inſtigauit, vt ad munimen patriæ ſibi tranſmitti aliquot pignora primi ſui regni Hierarchæ ac tutelaris, à Rege Chriſtianiſſimo Ludouico ſeptimo cognomine Pio flagitaret. Huius igitur deuotæ petitioni, vt ſatisfaceret Ludouicus brachium vnum glorioſi illius cœlitis ad eum miſit: à quo omni honore ſuſceptum atque in primatiali templo Toletano magnificè repoſitum fuit. Denique quo Hiſpania integro pignore frueretur, beneficio id accepit Caroli IX. Galliarum Auguſti, qui inſtanter hac de re à Legatis Hiſpaniæ obſecratus, reliqua ſancti Eugenij lipſana anno milleſimo quingenteſimo ſexageſimo quinto, conceſſit Philippo II. Regi Catholico, qui regiis humeris ſubuectam venerandam ſarcinam intulit religioſiſſimo cultu & ampliſſimo apparatu, in primæ ſedis Toletanæ Eccleſiam. Ibi glorioſus ædis ſediſque huius Apoſtolus decentiſſimo honore conditus, hodie quieſcit & colitur, in capella ſubtus altare maius conſtructa. Verumtamen aſcetæ Dionyſiani cùm ægrè ferrent iuſſione regia ſibi tantum pignus eripi, & ad exteram deferri gentem: portiunculam aliquam è ſacra gleba decerpſerunt: os ſcilicet ex brachio, quod in fomentũ pietatis, ſibi imò Frãciæ reſeruârunt condigno colẽdum honore. Thenſam etiã retinuerunt in qua tot ſæculis iacuit cœleſtis heros, rati in ipſa aliquam adhuc beati hoſpitis virtutem, etiam eo ablato remanere: cuius in vicem corporis, exuuias trium purpuratarũ Chriſti Virginum *Panefridis, Secundæ & Semibariæ*, ipſa in capſa repoſuerunt, nunc vſq. reconditas illo in ſacello, in quo primarius ille Galliæ Apoſtoli diſcipulus collocatus dum degeret, diuinis tot prodigiis emicuit. Cuius res geſtæ, paſſióque, reuelatio, triumphus & miracula in marmore candido exculpta, ibidem etiamnum conſpiciuntur. Apud Caturcum in Aquitania prima S. DESIDERII Epiſcopi & Confeſſoris. Hic oppido Obrege in extremis Galliæ partibus Aquitaniæque finibus, non longè à Prouincia Narbonenſi ſito oriundus extitit, parẽtib. nobiliſſimis Saluio & Archenefreda. Duo ei fuere fratres *Ruſticus & Siagrius*. Ambæ item ſorores, quarum altera *Solina*; altera vocata eſt *Auita*. Deſiderius autem ſumma parentum cura enutritus bonarum literarum ſtudiis ſe dedidit: in quibus breui

Desiderius.

temporis interuallo mirificè inſtructus, Romana imprimis eloquentia ciuiliſque prudentia præditus enituit. Quas ob dotes à Clothario Rege in aulam aſcitus, arcæ regiæ præfectus, intimíſque conciliis adhibitus, eam laudem tulit vt parem erga Regem fidelitate, erga Deum religione, erga populum iuſtitia, erga pauperes charitate, erga omnes manſuetudine, æqualémque ipſimet ſapientia & integritate neminem Gallia prædicaret. Clothario vita functo, filius Dagobertus vtroque in regno ſucceſſit: qui Deſiderium non minori quàm pater amore complexus eſt. Adeovt Siagrio Deſiderij fratre præmortuo, qui ſub eodem Rege vrbis Maſſiliæ gubernacula, necnon Albigenſem Comitatum, pluribus annis rectè adminiſtrauerat: ipſe Dagobertus Deſiderio regni ſummo arcario, vtramque præfecturam attribuit. Interea *Ruſticus* alter illius germanus, addictus ſacris, primùm Archidiaconi munus in Ruthenenſi Eccleſia laudabiliter geſſerat: deindéque in palatini oratorij Abbatem præfectus, tandem interempto impiè à ciuibus *Euſebio* Caturcenſi Epiſcopi: eius in ſedem mandante Rege, qui parricidas illos acerba animaduerſione corripuerat, ſublectus eſt, actorúmque celebritate & æquali meritorum gloria, populo cui datus erat paſtor illuxit, inter æui ſui Præſules, omni pontificali virtute conſpicuus. Quo ſplendore ad occaſum vſque vitæ prorogato, cùm Ruſticus ipſe in Sanctorum gloriam tandem aſſumptus fuiſſet, dignus habitus Deſiderius, *qui mortuo fratri ſemen ſuſcitaret*, populi prece, Cleri ſuffragio, Regis aſſenſu & gratulatione, factus Antiſtes, munus ſuſceptum, ſanctè, piè & iuſtè adminiſtrauit. Quo primùm enim fuit ad hanc cathedram euectus, Eccleſiæ illius primæ ruinas ſarciendas ratus, necnon Cleri reformationi, pauperúmque alimoniæ perquam intentus, Baſilicam ſancti Stephani loco humili antea ſitam, in eam loci & operis maieſtatem venuſtatémque quæ etiamnum ſupereſt, paucis deinde additis, à fundamentis erexit: cœnobitáſque qui in ea Deo ſacra perpetuò facerent & ſeruirent ſtatuit. Templi autem adeo auguſti perennando decoro, aſcetíſque fouendis, facultates proprias condito teſtamento legauit: in quo omnia ſupellectilia, aurum & argentum quod ex ſucceſſione parentum, vel obſequio Principum obtinebat, chariſſimi ipſi ſuæ Eccleſiæ poſſidenda reliquit. Alias tamen plures Eccleſias extruxit, & prædiis ditauit. Miſericordia in pauperes effuſus, his alendis, ſolandis, iuuandis accuratam curam impendit: verbi diuini pabulo indeficienti paſcendis ciuibus accolíſque, operam peruigil paſtor intendit. Publicis etiam commodis Eccleſiæ procurandis inſtitit, quà verbis, quà ſcriptis &

factis vir diuinus: cuius tractatoriæ, commonitoriæque in hunc vſq. diem ſuperſunt literæ, quas de rebus ſacris & Eccleſiaſticis negotiis primoribus Galliarum Epiſcopis zelo pietatis direxit: in quibus potiores dedit *Modoaldo* Treuirenſi, *Dadoni* Rotomagenſi, *Sulpitio* Bituricenſi, *Felici* Narbonenſi, *Gallo* Aruernenſi ſanctimoniæ celebris Epiſcopis: cum quibus commercium non modò pontificij muneris, ſed publicæ religionis curæ & vindiciarum Eccleſiaſtici decoris, omni ſtudio exercuit. At huic cùm præberet intenſum animum, curam tamen pauperum non deſerebat, his aliena manu ſubſidia perpetim impertiens: ſiquidem per *Aruanum* fidum miniſtrum natione Scotum, nullo alio id ſciente, ſacculos moneta plenos egenis paſſim erogabat. Porro fixum cœlo animum nullæ tamen curæ à Deo auocabant: cui pura deuotáque mente iugiter ſeruiebat, orationibus, meditationibus, vigiliis, gregis luſtrationibus, concionibus, diuinis officiis, & omni pontificali ſtudio actibúſque aſſiduus. Quem tandem cùm in Epiſcopatu iam annum vigeſimum tertium ingenti cum geſtorum gloria, decurreret, pia cupido inceſſit paternum ſolum Albigenſe inuiſendi, à quo dum ad Epiſcopatum ſuum reuertitur febre in itinere admodum feruente correptus: deſideratam ſibi horam vbi adeſſe cognouit, forti animo ſeſe ad extremam cum carne & dæmone colluctationem præparauit, diuiníſque ſubſidiis munitus, oratione ad Deum intimis ex præcordiis fuſa, hilari vultu animam ad cœlum tranſmiſit. Sic curſum feliciter exegit ſuum vir beatus, qui opere iuſtus, mente deuotus, charitate plenus, eleemoſynis profluus, in proſperis modeſtus, fortis in aduerſis; quandiù vixit in terra, totus cœlo inhæſit, *nilque inter homines quàm ipſorum ſalutem poſt Dei gloriam quæſiuit.* Funus eius à famulis curatum eſt, qui corpus ſancti Præſulis intra terminos Cadurcenſis diœceſis aduectum, vbi ad Milliarcum oppidum deportaſſent, mulier energumena id cœpit multis clamoribus inſequi: ante cuius feretrum demum proſtrata, illico ope diuina à dæmone quo vexabatur liberata eſt. Sic diabolus ſancto Dei amico reuerentiorem ſe præbuit, nuperis hæreticis, qui anno milleſimo quingenteſimo octingenteſimo per fraudem ciuitate Cadurcenſi occupata, ſacros beati iſtius artus è tumulo (quo conditus tanta cum gloria beatitatis quieuerat annos ferè mille, in cathedrali Eccleſia intra ſacellum Dei Seruatoris:) nefariè eruerunt, erutóſque ſacrilegis auſibus & præcindendis manibus ſic diripuerunt, vt nec horum inde portiuncula vlla deinceps apparuerit. Verumtamen illuſtris nihilominus permanet, æternúmque perſeuerabit, glorioſa tanti

cœlitis apud fidei eius hæredes (hoc eſt pietatis Catholicæ & Apoſtolicæ doctrinæ ſynceros aſſertores cultoréſque meritorum eius) memoria. Cui dicata viſitur ad mœnia vrbis, parœcialis Eccleſia, ad quam hac die annis ſingulis conueniunt Caturcenſes confertiſſimo cœtu, tanti Antiſtitis natalem religioſiſſimè celebrantes, cuius opem, ſubductis licet ſacrorum oſſium pignoribus, perennem apud Deum cui viuens placuit & iam beatus adſiſtit, omni in neceſsitate experiuntur. Ipſo die Burdigalæ ſecundæ Aquitaniæ Metropoli ſancti LEONTII Epiſcopi & Confeſſoris cognomento iunioris, ſeu ſecundi. Hic apud Santones alto genere ortus, cum omni nobilitatis, ac virtutis floreret decore: *Placidinæ* ex Imperatorio ſtemmate procreatæ Virgini præſtantis formæ & pudicitiæ, coniugatus, ſic in connubio vixit, vt cunctis ciuibus ſuæ ſimul in rebus gerendis ſolertiæ, & perfectæ iuſtitiæ ac pietatis in priuatis moribus ac publicis muneribus obeundis, rarum ſpecimen præferret. Cui caſta & religioſa vxor proximè imitatione cohærens, ſexus ſui ſpeculum, in omni virtute ac religione renidebat, cùm Cyprianus Burdegalenſis Antiſtes ſtramen mortalitatis abrupit. Quo carne exempto, omnium votis Leontius ad Epiſcopatum vocatus, delatum honorem cum modeſtiæ ac humilitatis cultu, & amore charæ coniugis reſpueret: caſtiſsima pientiſsimáque fœmina perpendens quantum commodi ex tanti viri præſulatu Eccleſiæ acceſſurum eſſet, ipſi perſuaſit, vt paſtorale munus Dei amore ſuſcipiens, ſpontaneum ſecum diuortium iniret: eo pacto vt quæ vxor fuerat, deinceps chara ſoror cenſeretur, diſſectóque quo ad vſum connubij carnis nexu, cordis tamen mutuus ſingularíſque affectus inter ambos perduraret. Acquieuit piæ fœminæ caſtiſſimæque monitis Leontius, admiſſóque cum fœdere eiuſmodi religioſo, pontificali onere: Epiſcopatum hac ſanctitate, prudentia, zelo, fortitudine, pietate, miſericordia iniit ac exegit, vt immortale decus ſibi copioſis apud Deum & homines meritis comparârit, diuini honoris cultor ſtudioſiſsimus, templorum ornator munificus, pauperum miſericors pater, peregrinorum hoſpes benignus, canonum aſſertor & vindex, Regum monitor & arbiter, populi correptor & defenſor: omnium denique amor & delicium, cuius affabilitas mulcebat feroces, facundia rapiebat errantes, zelus tepidos inflammabat, vita quoſque excitabat ad virtutem. Cecinit Fortunatus egregius ſuo ſæculo poëta & hierarcha, tanti viri diuinas dotes, quibus huic neminem vidiſſe parem ſuo tempore Galliam aſſeuerat. Inter cuius clara facinora ſancti Bibiani baſilicæ apud Santonenſes, necnon Eccleſiæ LEONTIVS.

ſancti Martini apud Burdegalenſes ſuos ædificium nobilis ſtructuræ ab ipſo editum commemorat: quarum ſacrarum ædium decoramento *Placidinam*, quæ pios eius conatus magna vnanimitate ſemper ac vbique promouebat, innuit religioſo ambitu ſuffragatam. Quæ etſi diuiſa corpore à ſancto viro, eidem non modò in bonis operibus indiuidua comes adhæſit: ſed eidem manens ſuperſtes, funeris officium ipſimet magna veneratione præſtitit, poſtquam ipſe abſolutis in decurſu ſanctiſſimæ vitæ annis quinquaginta quatuor in Epiſcopatu aliquot luſtris, ſuperatis nonnullis quas ſubiit pro ſacrorum canonum obſeruantia perſecutionibus, editis multis ſanctitatis prodigiis, depoſita carnis mole, ſpiritum Deo dignum æternam ad requiem emiſit. Tunc verò patriæ caput excidiſſe, plebis & vrbis honorem diſparuiſſe, vnaque hac die Galliam ſingulare decus, populum omne gaudium & ſolamen ſibi ſublatum luxiſſe, idem Fortunatus haud immeritò autumat. Cæterùm huius ſancti Epiſcopi nomen clarum actis IV. Concilij Aurelianenſis, cui interfuit, hæret ſubnotatum. A quo & Santonenſe Concilium prouinciale zelo ſacerdotali habitum eſſe, contra ſedium Epiſcopalium per potentiam ſæcularem inuaſores: narrat ſanctus Gregorius Turonenſis in ſua Francicæ gentis hiſtoria. His igitur meritis reliquit Leontius pium nomen perenni in ſua Eccleſia venerationi conſecratum: quæ ab hinc inter ſanctos ſuos Pontifices ipſum annumerat, colítque eius felicem tranſitum annuatim hac die ſacris officiis. Romanæ Eccleſiæ Annaliſta, præclara eius decora luculenter deſcripſit: vbi alterius *Leontij* dicti ſenioris meminit, quem cenſet fuiſſe æquè nobilitate ac ſanctitate conſpicuum. Verumtamen non huius, ſed illius ſolùm Burdegalenſis Eccleſia beatitudinem honorat: in cuius tabulis nitet inſcriptus titulo exploratæ hactenúſque excultæ ſanctitatis. Venit tamen

PLACIDINA. ALCHIMA.

cum ipſo meritorum eius particeps PLACIDINA pari cultu proſequenda. Cuius & pia æmula ſoror ALCHIMA itidem iuncta coniugio, indulſit viro ſuo Apollinari, vt Epiſcopus Aruernorum crearetur, pariterque ſanctis cum eo operibus intenta, templa Martyribus conſtruxit, pauperibus ſuccurrit, demúmque cumulata pietatis officiis, placida abſorpta morte, æternitatis migrauit

MACLOVIVS, aliàs MACHVTVS.

ad præmia. Eodem die in Aquitania ſancti MACLOVII, aliàs MACHVTI Alethenſis primi Epiſcopi & Confeſſoris, diuinis operationibus clariſſimi. Hic origine inſularis, natus in maiori Britannia, ex matre ſuprà ſexagenaria quæ ſoror erat Hamonis patris ſancti Samſonis: à *Bradone* celebris ſanctimoniæ Abbate baptizatus, adoptatus in filium, atque regulariter educatus fuit

in monaſterio Benchorenſi: quem Dei virum à popularibus ſuis exagitatum, pulſúmque patria per ſeptennium ſecutus, ſic ſanctos eius induit mores, vt typum perfectæ religionis præ ſe ferret. Cuius iuſſu etiam miracula inuitus licet aggreſſus, defunctum, ſub ſanctæ Trinitatis inuocatione à mortuis ſuſcitauit: húncque fidei documentis informans, vitali fonte regenerauit. At cùm ex tam admirando opere fama ipſius excreſceret, aſpernator propriæ gloriæ, clam ſe ſubduxit vir ſanctus, ínque Armoricæ Inſula ſub *Aarone* Angelicæ puritatis æmulo, vitam eremiticam aliquandiù coluit. At latentem ſub modio lucernam diuinus prodidit ſplendor: cùm enim & eloquij diuini gratia & miraculorum gloria pollentem peregrinum virum, incolæ huius inſulæ abditum ibi à communi concurſu audiiſſent, à nonnullis, qui opem eius perſenſerant, facto concurſu, ipſum abreptum à ſeceſſu ſibi paſtorem elegerunt: vocatíſque Epiſcopis, in Pontificali cathedra apud Aletham ciuitatem collocari, ſibi vt præeſſet quà vi, quà prece coëgerunt. Sublimatus eo faſtigio Macutus, gratiæ qua plenus erat cœleſtes fulgores exeruit, animas Dei agnitione illuſtrans, amore inflammans, omníſque virtutis exempla quibuſque præbens & monita, quæ miris etiam operationibus incutiebat. Vix poſt Apoſtolos de quopiam legitur, maiora qui prodigia in Chriſti nomine patrauerit. Siquidem mare tumeſcens verbo cohibuit, mortuos tres vitæ reſtituit, cæcis reformauit viſum: dæmones aquæ benedictæ aſperſione expulit, virus ſerpentum extinxit. At non miraculis tantùm; principibus fidei euaſit ſanctus vir ſimilis: ſed patientia etiam probatus, crucem cum ipſis poſt Dominum forti animo pertulit, cùm ab impiis impetitus, multáque ob iuſtitiæ & religionis cultum perpeſſus, ſolo ſolióque Epiſcopali extruſus eſt; cum pleriſque, quos ſibi adlegerat vitæ puriſſimæ imitatores. In Aquitaniam igitur cum his perfugiens, apud Santonenſem ciuitatem à prælaudato beato *Leontio* Burdegalenſi Archiepiſcopo; (qui eiuſdem ciuitatis indigena ſimul ac Metropolites erat) benigniſſimè ſuſceptus, paterníſq. ſolatiis ſubuectus, placida etiam ad Deo famulandum habitatione donatus eſt. Miris enim affectibus eum Leontius ipſe, qui diuina omnia in eo ſuſpiciebat; proſequebatur: quem ſibi in ſubſidium muneris paſtoralis, cœlitus miſſum arbitrabatur. Igitur quoties luſtrabat diœceſim vel prouinciam, hunc ſibi comitem adhibebat, enixè oratum, ſanis ſuis conſiliis & gratis Deo orationibus, vitæq. ſanctiſſimæ exemplis ſibi vt dignaretur eſſe ſuffragio. Porro vir Dei quamquã exul, gregis minimè obliuiſcebatur ſui: quin & iniuriarum immemor,

Chriſti clementiam pro peruicacis populi conuerſione aſſiduè flagitabat. Votis eius ſuperna Maieſtas ſe tandem inflexit, à qua miſſus ad ſanctum virum Angelus, eidem nuntiauit, populum pœnitentem iam paſtoris vultum propitium deſiderare: diuinæ porro eſſe voluntatis ipſum illic pergere, afflictam iræ Dei flagellis ſanare regionem, reddere ſterili terræ vbertatem, hominibus benedictionem impendere. Móxque Santonas repetere, vbi carnem foret exuturus, quò cœlo ſpiritum beandum tranſmitteret. Impleuit omnia ex Dei nutu vir ſanctus: quem Leontius reuerſum à Britannia magno gaudio recepit, vberioríſque quàm antea beneuolentiæ officiis excoluit. Prouectus iam erat ætate admodum Dei famulus, qui centum triginta tria annorum ſolſtitialium curricula tranſegerat in hac miſeriarum valle, cùm eum ad pacis, lucis & vitæ æternæ fruitionem, Chriſtus labores eius vt præmio compenſaret deſtinato inuitauit. Itaque gratioſus beatitatis æternæ candidatus, iuſto ſpectante iudice curſum demum præfixum legitimè compleuit, vinculíſque ſolutus corporeis, pennis verò ſubuectus columbæ argenteis, in cœlorum ſublimia euolauit. Cuius glebam pretioſam honorifico funere colligens beatus Leontius, non vt ſpolium mortis humo texit, ſed vt Spiritus ſancti organum decenti in tumulo ſeu potiùs thalamo collocauit, ædificata Eccleſia in qua per merita tanti Confeſſoris, magna diuinæ virtutis lumina in piorum clientum gratiam refulſerunt. Tametſi verò pignoribus primi ſui Antiſtitis, quem perſecuti ſunt, priuati fuerint hoc pacto Alethenſes: manſit nihilominus apud ipſos eiuſdem beati Maclouij nomen nulla obliuione delendum, quod in hunc vſque diem ciuitatem ipſam glorioſo præſulatu & diuinè factis clarificat, munit atque decorat. Ipſo die Lemouicis ſancti CESSATORIS illius ciuitatis Epiſcopi & Confeſſoris. Qui zelo Dei plenus viriliter contra Saracenos in Aquitaniam irruentes decertauit, ſeruatóque ab excidio populo ſuo, alter Phinees & Onias in pace conſummatus, æterni nominis & immortalis gloriæ præmia adeptus eſt. Quieſcit vir beatus apud ſanctum Sanctinum iuxta caſtrum *de mala morte*, vbi à plebe fideli digno honore habitus, reſplenduit præclaris meritorum inſigniis. Item ibidem ſancti PADVINI Abbatis, perfectæ religionis documentis ac exemplis nobilis. Ipſo die ſancti IVNIANI Confeſſoris & Eremitæ: quem ſanctus Remigius baptizauit. Spiritus ſanctus multiplici gratia repleuit: Pipinus Rex Aquitaniæ carne exutum & miraculis clarum, templo cœnobitico honorauit, ad quod vt tanquam patronus ibi coleretur, ſacros eius artus ſolemniter deferri fecit per *Sigi-*

CESSATOR.

PADVINVS.

IVNIANVS.

brannum pietatis conſpicuæ Epiſcopum Pictauienſem. Extat adhuc inſigne hoc monaſterium *Nobiliacenſe* nuncupatum in Pictauienſi tractu, vbi à prima repoſitione congrua cum veneratione ſancti Iuniani corpus ſeruatum fuit: quouſque hæreticis vbiquę in Gallia furentibus, iámque Pictauiam ipſam vaſtantibus, monachi ſeniores illius cœnobij veriti, ne impetu repentino impia hæc turba in hoc ſacrarium irrueret: maturè glorioſi ſui tutelaris pretioſa lipſana, parenti loco ſubmouerunt. Cæterùm ita profundè abſconderunt, vt poſtquam ipſi ſedato exitiali hoc turbine obiêre, nemo ſcire potuerit locum, vbi ab his abditus fuit tam pretioſus theſaurus. Tulli Leucorum ſancti ARNVLPHI Epiſcopi & Confeſſoris, teſtificatione diuina ſanctitatis glorioſi. Qui Frotarij ſucceſſor Cathedram hanc omni ſplendore ſapientiæ & Angelicæ virtutis, exornauit. Demúmque poſt Concilium cui interfuit, ad Saponarias ſua in diœceſi celebratum: poſt Bertulphum Metropolitam ſuum conſecratum, poſt exacta ſanctiſſimæ adminiſtrationis officia, ad emeritæ felicitatis æternæ properauit vſuram. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confeſſorum, atque Sanctarum Virginum.* ARNVLPHVS.

ALBERTVS Magnus ordinis Prædicatorum ſingulare lumen, ſub quo ſanctus Thomas Doctor Angelicus Lutetiæ Pariſiorum magna omnium admiratione docente, Philoſophiæ ac Theologiæ tyrocinium peregit: hac die poſtquam ad Epiſcopatum Ratiſbonenſem inuitè prouectus, delatum paſtorale munus diuinè obiiſſet, deinde abdicaſſet, ſanctiſſimæ vitæ abſoluto decurſu, ad debitam perrexit lucis ſempiternæ fruitionem. Coloniæ defecit in ſuóque monaſterio ſepultus eſt, vbi hactenus ſeruatur, viſitúrque eius corpus ſine labe tabéque poſt annos trecentos & quinquaginta edurare, certum ſanctè cuſtoditi pudoris argumentum: dictus eſt porro ſua ætate *maior Platone & vix inferior Salomone*: ob ſapientiæ cœlitus inditæ prodigium: cuius monimenta adhuc illuſtriſſima in eius ſcriptis, quæ moriens Eccleſiæ iudicio ſubmiſit, ſuperſunt. Nec vnquam conticeſcent tam nobilis mentis in ore eruditorum, quin & piorum elogia, cùm vix ſtatui poſſit magíſne doctrina, an religione & ſanctitate præcelluerit, in vtraque planè admirabilis. Certum eſt tamen ſapientiam à pietate mutuaſſe, atque ab hac tanquam à fonte riuulum delibaſſe, ſanctiſſimæ Virginis Deiparæ auxilio, cui à pueritia impensè deuotus fuit. Magno etiam erga venerabile Euchariſtiæ ſacramentum pietatis æſtu flagrauit: in cuius honorem inſigne illud opuſculum concinnauit, quod *de Miſſæ myſteriis* inſcriptum eſt. Seruatur etiam Coloniæ manuſcriptus ab eo codicillus, qui magna ex parte refert opuſculum, quod de *diuina ipſa Euchariſtia*, ſancto Thomæ paſſim habetur adſcriptum, *Albertus Magnus.*

Decimo ſexto Kalend. Decembris. Luna

16 E VI.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
26	27	28	29	30	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
13	14	15	16	17	18	19	20	20	21	22	23	24	25			

SS. EVCHERIVS Lugdunenſis.

LVGDVNI ſancti EVCHERII ſenioris, primæ huius ſedis Epiſcopi & Confeſſoris: qui à natalibus pernobilis, *ſplendidus mundo, ſplendidior Chriſto* (vt de eo ſcribit ſanctus Hilarius Arelatenſis) cùm ex caſto connubio binum ſanctitatis germen *Salonium* & *Veranum* poſtea caſtiſſimæ religionis Præſules & magiſtros ſuſcepiſſet: ætate adhuc viridi, maturus animi, terræ deſpuens, cœli appetens, humilis ſpiritu, arduus merito, ingenio ſubtiliſſimus, ſcientia plenus, eloquio profluus: in inſulam Lirino vicinam, diuinæ amore ſapientiæ ſecedens, piis ſtudiis & exercitationibus ſe addixit. Filióſque (viduus iam ipſe) vt ritè, & ex Chriſtianæ pietatis regulis componerentur, admodum humili ætate, in Lerinenſem diſciplinam ablegauit. Sic nexibus carnis expeditus, totus in ſpiritum tranſiit, omnique animi puritate æterno rerum conditori aſſiduos obtulit famulatus. Atque vt non otioſè diuino otio frueretur, ſed talenta cœleſtis ſapientiæ, ſibi ad cumulum tradita in Domini fœnora & proximi commoda erogaret: ſpelunca illa vt officina ſanctarum lucubrationum, imò palæſtra diuinarum exercitationum oportunè vſus, quæ ex iugi cœleſtium rerum meditatione, vel ſacrarum literarum lectione hauriebat, chartis imprimens, atque admirando verborum ornatu, quo ſupernè dotatus erat, veſtiens, ad amicos dirigebat, quos vel à fluctuantis ſæculi iactatione, ad tutum religionis & caſti ſeceſſus portum, crucíſque, vt aiebat, anchoram aduocaret, vel iam adductos animaret: quin per eorum induſtrioſam charitatem, cæteros mundi adhuc turbinibus implicitos, diuinorum placitorum promiſſorúmque prædicatione, beatorum qui ſæculum fortiter calcauerunt commendatione, & delectatione ipſa Chriſtianæ ſapientiæ (cuius mirificis artificiis decora promit) ex ipſo exitiali pelago, ad eundem ſalutis portum abduceret. Extant diuini illius viri pia, præclaráque opuſcula, quæ ſanctiſſimi quíque diſertiſſimi tum huius æui, tum ſequacium annorum Patres & Scriptores, miris extulerunt præconiis, in quorum laudibus magno præ cæteris æſtu commendationis arsêre ſancti Epiſcopi Hilarius Arelatenſis, Sidonius Aruernenſis,

ſis, Iſidorus Hiſpalenſis, Ado Viennenſis: Claudianus Mamertus Preſbyter itidem Viennenſis, Saluianus Maſſilienſis: præter Gennadium, Cyprianum vitæ ſancti Cæſarij ſcriptorem, Marcellinum Comitem, Honorium Auguſtodunenſem, & innumeros recentiores, etiam pietatis parum amicos, qui vno ore floridiſſimi omnino & doctiſſimi diſſertatoris, libros ſuauiſſimos, eruditiſſimos, ſapientiſſimos, exculτiſſimos, atque vt vno dicam verbo diuiniſſimos prædicant & mirantur. Ex his tam excelſæ diuinitúſque impregnatæ mentis fœtibus, præcipui qui hodiéque manent, libri ſunt *de contemptu mundi, de laude eremi*; *epiſtola illa inſignis parænetica ad Valerianum, Commentarij ad filios Salonium & Veranum in Geneſis & Regum libros*. Item, *Intelligentiæ ſpiritalium formularum*; *libri duo inſtructionum ad ipſum Salonium*, præter multas ad pleroſque cedro dignas *Epiſtolas*, & aureos *quinquaginta ſermones* ſeu *homilias*, quos *de ſanctis Lugdunenſibus* omni cum venuſtatis flore & pietatis affectu concinnauit. Quorum encomia vt pangeret ex officio adductus eſt. Nam tot doctrinæ & ſanctimoniæ titulis celebris, Cathedra cùm Lugdunenſis vacaret, in eam renitens licet inuectus, factúſque magno cum deſiderio & applauſu nobilis illius vrbis Pontifex, populum vt ad cœleſtia excitaret: ſanctorum qui ibi triumphauerant trophæa exempláque iis laudibus celebrauit, quibus eorumdem cultum & imitationem, validè in conciuium ſuorum mentes incuteret. Cæterùm vir beatus cùm ipſe credito populo iter ad æternitatem diuinè factis dictíſq; propalaſſet: I. Concilio Arauſicano (in quo præfuit S. Hilarius Arelatenſis S. Auguſtini diſcipulus) interfuiſſet, ac viginti nouem ibi ſancitis canonibus de Eccleſiaſtica diſciplina, pro ſe & comprouincialibus ſuis Epiſcopis ſubſcripſiſſet: meritis plenus, geſtis ſcriptíſque glorioſus, ad regni cœleſtis lauream euolauit, anno Chriſti quadringenteſimo quinquageſimo quarto, Leone Magno Pontifice, Valentiano III. imperante. Eodem die ibidem ſancti EVCHERII cognomēto Iunioris eiuſdem vrbis Epiſcopi & Confeſſoris itidem præclari. Hic ex nobiliſſimo Senatorum ordine, poſtquam caſto felicíque coniugio potitus, ex *Galla* vxore pientiſſima fœmina, geminam Deo dilectam prolem (*Conſortium* & *Tulliam* ſuſcepiſſet: ad religioſam vitam habitúmque conuerſus, carnis voluptatibus deliciiſque Chriſti amore ſpretis, ad cliuum Marci in agro ſuo Aquenſi ſuper fluuium Durentiam, intra ſepta ſpeluncæ ſe concluſit: ibíque in orationibus & ieiuniis Chriſto ſtrenuè ſeruiuit, donec S. Viuentiolo Lugdunenſi Pontifice ad ſupernas ſedes euocato, cùm vniuerſa hæc Eccleſia iuxta morem à ſe antiquitus obſeruatū, triduanis ieiuniis & obſecrationibus, qui

EVCHERIVS Iunior.

gubernationem ſuam ſuſcipere deberet, ſibi poſceret à Domino reuelari, cuidam puero apparens in viſu Angelus Domini ſic præcepit. *Eſt Senator quidam Eucherius nomine ſuper fluuium Durentiam recluſus in ſpecu, qui relictis omnibus quæ poſsidebat, ſecutus eſt Dominum ad hunc deducendum pergite, & paſtorem vobis illum conſtituite, quoniam à Deo eſt electus.* Quod cùm puer preſbyteris diluculo retuliſſet, illi omnipotenti Deo gratias referentes, Archidiaconum cum Clericis ad locum deſignatum miſerunt: qui beatum virum ad ſuſcipiendum cœlitus ipſi demandatum munus adduceret. Verùm Eucherio ire omnino refragante, Archidiaconus effracto muro ſpeluncæ eduxit eum, vique currui impoſitum Lugdunum perduxit. In cuius occurſum ouantes progreſſi Clerus vrbis & populus, magna cum veneratione ſuſceperunt: atque Pontificem ordinatum à comprouincialibus Epiſcopis, in ſacerdotali Cathedra ſolemniter collocârunt. Móxque nouum ſidus, miros fulgores prodidit doctrinæ, ſanctitatis & gratiæ. Quandoquidem feruidis prædicationibus, piis exemplis & miraculis ſic illuxit, vt quanto vicinorum ſemotorúmque Præſulum quorumuis præſtantiſſimorum ſplendorem inumbraret: tanto Eccleſiæ noua inderet decora, populóque ſuo maiores ad virtutis & religionis cultum ſtimulos ingereret. Hunc ob perſpicua chariſmata gratiæ ſanctus Cæſarius Arelatenſis ita reuerebatur, vt obuiam morbidam mulierem contractione membrorum, quam vi diuina ſibi paſſim opitulante curare poterat, ab ipſo ſanari depoſceret. Plenus igitur meritorum eius fiducia Cæſarius omni inſtantia eum renitentem, ſeriò & ſeuerè, compulit illam primùm Chriſti trophæo conſignare, deinde apprehenſa eiuſdem manu ipſam erigere. Quod ita demum ceſſit, vt ſtatim ac Eucherius reptanti per terram mulieri dexteram porrexit, & eam ſubleuauit: illa mox integrè ſanata ad hoſpitiolum abierit. Flagrauit eximio Dei amore Pontifex beatus, ideóque martyres qui ex perfecta charitate animas pro diuina gloria effuderant, præcipua veneratione proſequebatur. Quo ex pio æſtu maximè in *Thebæorum Martyrum* cultum ſuccenſus, illuſtris eorum agonis hiſtoriam ſtylo aureo deſcripſit, poſteriſque reliquit. Hinc cùm orthodoxæ religionis aſſertor in Arauſicano ſecundo Concilio anno Domini quingenteſimo vigeſimo nono, pro Dei gratiæ vindiciis contra Pelagij errores Iudex conſediſſet: at antea anno ſcilicet Chriſti quingenteſimo vigeſimo ſeptimo in Carpentoractenſi (vbi de Eccleſiaſtica Oeconomia inter Epiſcopales baſilicas & parœciales Eccleſias obſeruanda ſancitæ ſunt leges:)

ſuffragium inter primores Hierarchas Galliæ contuliſſet: confectus ſenio, cumulatus meritis, emeritus gloriæ, ad præmium lætus profectus eſt. Sed verò GALLA eius pientiſſima coniux, quæ ſatagenti ad ſublimia molimina pietatis, Dei amore vltro aſſenſerat, initóque colendæ impenſius caſtitatis obtentu ſpontaneo carnis diuortio, eidem ſuaſerat, vt facultates tres in partes diuiderent: quarum vnam pauperibus erogarent, alteram diſtribuerent famulis, tertiam filiabus ſuis relinquerent: tota Deo dedita, viri ſeſe obſequiis pio religionis commercio mancipauit, cui incluſo in ſpelunca quotidie per feneſtellam cibos ad veſperam miniſtrabat, ſancto habitu induta, orationibus, vigiliis, ac ieiuniis intenta. His perfuncta exercitiis in innocentia vitæ & ſpiritus puritate, curſum mortalitatis compleuit: atque miſericordiæ & iuſtitiæ præmia feliciter adepta eſt. Quam TVLLIA filia ad gloriam anteiuit, quæ aliquot annis Chriſto Virginum ſponſo in omni caſtitate & pietate famulata: cùm ad ſupernas nuptias gratiæ ſpeciali munere ſe nouiſſet euocari, matri ſuæ reſerauit ſibi diuinitus propalatum: propter impletionem Dei mandatorum iam iuſtitiæ accepturam à Domino coronam. Eucherium verò, Pontificali cathedra ſublimandum: Denique Conſortiam germanam ſuam in virginitate Deo gratum famulatum vbi perſolueris: ſimili laurea gloriæ ſecum inter beatas virgines potituram. Quæ omnia ex vaticinij ſerie proceſsêre. Parentes enim Tulliæ ambo vt præſagierat diuina aſpiratione, ad gloriam per gradus deſignatos peruenerunt. Itidemque CONSORTIA. Quæ à patre in ſpelunca concluſo ſibi permiſſa: iam nubilis ad nuptias ab Aurelio expetita, Chriſtum ſponſum prælegit, hæc poſtulanti affata: *ſponſum habeo Chriſtum, qui me non derelinquet, donec in ſuum thalamum introducat.* Itaque patre poſt Epiſcopatum Lugdunenſem defuncto xenodochium & Eccleſiam ex bonorum ſuorum parte exædificauit. Horum autem operum confirmationi & ſtatus ſui tranquillitati conſultura, Clotharium Regem Francorum adiit. Cæterùm quod pulcherrima & ditiſſima eſſet ab Heca aulico, Sigeberti Regis ipſius Clotharij filij auctoritate interpoſita iterum ſollicitata de nuptiis: cùm acrius vrgeretur, numen ſupplex precata eſt, ne ſerpens antiquus in ſe hac impetitione præualeret. Exaudiuit Chriſtus puellam in neceſsitate clamantem ſubmoto de medio effreni adoleſcente, qui mari cupiens appellere aquis in ipſo littore periit ſuffocatus. Hoc miraculo, quod Angelus ſibi prænuntiauerat, Virgo Conſortia diſcrimen votiuæ caſtitatis euaſit. Quo beneficio magis erga Chriſtum incenſa, ipſius

Galla. Tullia. Conſortia.

ſanctus pater, affluénſque bonis operibus, quæ pro Dei glorificatione, religionis augmento & animarum conuerſione ac felici prouectione inſtanter edidit, addidit, cumulauit in gaudium Domini ſeruus fidelis introiuit: atque in baſilica ſancti Petri (vbi beati Deſiderij Martyris corpus quieſcit) foris ad Orientalem vrbis plagam, ſummo cum honore ſepulturæ traditus eſt. Remis ſancti BALSAMIÆ, nutricis ſancti Remigij Francorum Apoſtoli: matris verò ſancti Celſini eius diſcipuli Preſbyteri & Confeſſoris. Quæ ob puros mores à beata Cilinia ſancti ipſius Remigij pientiſſima genitrice, ad ipſum infantulum alendum electa: lacte quo ipſum nutriebat in *Montani* Anachoretæ ſancti at cæci oculos infuſo, iuxta diuinum quod ipſe Montanus antea promiſerat promiſſum, lumen ei optatum refudit. Operibúſque lucis intenta, poſtquam tam fauſtæ educationis munus digniſſimè abſoluiſſet, fœta meritis, innocentis vitæ perrexit ad præmium. BALSAMIA.

Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confeſſorum, atque Sanctarum Virginum.

SANCTUS EDMVNDUS Cantuarienſis Archiepiſcopus: qui in adoleſcentia Pariſios miſſus, vt Philoſophicis ſtudiis & Theologicis, Gallicæque ſimul linguæ operam daret: ibique poſt felicia tyrocinia ſupremæ ſcientiæ laurea donatus & profeſſor conſtitutus, magna cum laude docuerat, in ſcholis diſputator ſubtilis, in concionibus facundus orator: diuinæque gloriæ æmulator ſuo æuo præcipuus. Vnde reuerſus in patriam poſt ordinem ſacerdotij ſuſceptum, factus Sariſburienſis Eccleſiæ Theſaurarius: ad concionandi munus ſe totum conferens, magnam partem Comitatus Oxonienſis, prout etiam Gloceſtrenſis & Vvigornienſis peragrauit, verbum Dei vbique prædicans: quo ex labore magno fructu ſuſcepto, ob Apoſtolicæ gratiæ inſignia, agente ſummo Eccleſiæ paſtore, fauente Rege, eligente Clero, gratulante populo, ad Archiepiſcopalem ſedem Cantuarienſem euectus eſt. In quo munere adminiſtrando præclarè, & eo quo decebat ſacerdotali vigore cùm ſe gereret: Regiſque & regni Procerum qui Eccleſiæ libertatem labefactabant, Clericos qui dignitatem fœdabant, liberè impios auſus ac ſacrilegia inſectaretur, ab iis vndique impetitus, cùm nec ſe nec Eccleſiam iam poſſet tueri, ſibi ipſi exilium indixit, & Angliæ deflens ærumnas in Galliam tutum piorum azylum (vbi ſapientiæ puros latices primùm imbiberat) tranſmigrauit. Atque ad Pontiniacum cœnobium fama ſanctæ obſeruantiæ conſpicuum ſe recepit, vbi multa non modò legit, docuit, ſcripſit, ſed fecit penitus admiranda: cùm ſomni ita eſſet abſtinens, vt breuiſſimo raróque admodum, non in lecto, ſed aut ſedens, aut humi cubans vteretur. Reſpondebat tantis vigiliis & victus ratio, qui parciſſimus & tenuiſſimus erat, adeovt ob humoris defectum & inopiam labra quaſi finderentur, capitiſque & barbæ pili defluerent. Hunc omnem viuendi rigorem, duriſſimum nodiſque grauibus vndique exaſperarum cilicium augebat. At exrenuato ſic corpore alacriorem ſpiritum ad cœleſtia erigebat vir ſanctus, cui ſanctiſſimis affectibus & ſuauiſſimis meditationibus hærebat defixus. Donec tandem nimio celſæ mentis pondere attrita carne, incidit primum in tabem deinde febri acutiſſima correptus, è Pontiniaco ad Soliacum Prioratum migrauit: vbi ad extrema deueniens, maximo cum pietatis ſenſu & fidei teſtificatione, Seruatoris adorando corpore ſuſcepto, atque ſacræ vnctionis lenimento, dum in cruce pendentis Chriſti vulnera deoſculatur, lachrymiſque rigat: conuerſo ad plagam lateris intuitu, ſanctam animam in eius deuota exoſculatione efflauit. *Edmundus.*

Viſcera eius apud Soliacum in pignus memoriæ venerandæ retenta ſunt: quæ tamen deinde apud Pruuinum in Eccleſia ſancti Iacobi ſuêre amplioti honore recondita. Corpus verò Pontiniacum relatum, qua par erat reuerentia exceprum, atque tandem honorificæ ſepulturæ (coruſcante interim Dei gloria) mandarum eſt. Ad cuius tumulum cùm crebra miracula fierent, menſe quarto à ſepultura pontificali auctoritate Innocentij Papæ IV. qui nomen eius inter Sanctos adſcripſit, eleuatum eſt, integrúmque reperrum ſanctus Ludouicus Rex ad honoratiorem locum fecit transferri, feretróque indidit auro, gemmíſque pretioſis decoraro. At inumbrar auri gemmarúmque ſplendorem pignoris ibi reconditi, ſacri ſcilicet corporis decus, quod prodigiis perennibus micans, merita tanti Dei amici & gloriam, non ſine vberi piorum clientum commodo indicant & teſtantur. Multa ſcripſit vir iſte bearus docta ac pia opuſcula, quæ etiamnum ſuperſunt; *de Sacramentis, Eccleſiaſticis officiis, & ſacra politia ac œconomia*: item, *de caſibus conſcientia.* Præter nonnullos myſticos tractatus ſcilicet 1. *de contemplanda Deitate*, & alrerum inſcriptum *ſpeculum Eccleſia*: quos Gallica lingua concinnatos, Pontiniacenſibus aſceris in vicem hoſpitalitaris dedicatos reliquit. Gallicam ſiquidem linguam adeo perfectè calluit, vt non rarò Gallicè conciones habuerit, eo eloquij nitore, vt non minùs facundia auditores illiceret, quàm vehementia pij feruoris inflammaret. De hoc ſancto viro id doctoribus ſpecialiter obſeruandum narrarur: *quòd ſacra Biblia nunquam aperire conſueuerat, quin ea adorata vt Dei viuentis eloquia, magna cum reuerentia deoſcularetur.* Ipſo die in monaſterio Bonæuallis Viennenſis diœceſis exceſſit à morte piæ
Andreas. memoriæ ANDREAS monachus multis gratiæ donis clarus: atque poſt mortem miraculis etiam inſignis.

Decimo quinto Kalend. Decembris. Luna

17 F v.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
27	28	29	30	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
14	15	16	17	18	19	20	21	21	22	23	24	25	26			

SS. Aciscivs & Victoria. NATALIS Sanctorum Martyrum ACISCLI & VICTORIÆ: qui Cordubæ in Hiſpania ſæuientibus in Chriſtianos Diocletiano & Maximiano Imperatoribus, Dionis Proconſulis decreto dirè excruciati, coronas honoris & gloriæ à Domino illuſtri agone meruerunt. Aciſclo caput amputatum, Victoriæ mammillæ & lingua abciſſæ ſunt, quæ lac pro ſanguine reddiderunt: ad vltimum ſagittis confoſſa, nominis ſui omen, victoria inclyta reportauit. Ad quorum teſtandam beatitudinem roſæ purpureæ iuxta eorum tumulum diuinitus ortæ narrantur. Amborum horum athletarum corpora à Carolo Magno ex Hiſpania in Galliam allata: Toloſæ ab ipſo in auguſtiſſima ſancti Saturnini Eccleſia (quam plerique Apoſtolorum ac Martyrum pretioſis ditauit exuuiis) qua par eſt reuerentia condita aſſer-
Anianvs. uantur. Aurelij ſancti ANIANI Epiſcopi illius vrbis & Confeſſoris præclariſſimi. Hic ſancti Leoniani frater, ab exulibus parentibus quos ſæua incurſionum procella è Pannonia in Galliam

iactauerat, Viennæ Allobrogum genitus ac in lucem editus: mox ac cœlum intueri cœpit, ſuperni rerum conditoris vnicè maieſtatem colere inſtituit. Vnde vix adhuc pueritiam egreſſus extra murum ciuitatis, in loco qui dicitur Vetus Caſtrum, cellam ſibi conſttuxit, in qua diu noctúque, orationi lectioníque ſanctarum ſcripturarum intentus diuinis ſeſe dedit obſequiis. Ibi per annos plures à reliqua plebis multitudine ſemotus, carnem ſuam affligebat ieiuniis, cunctos ad ſe venientes ſalutaribus monitis inſtruebat, quin & eleemoſynis adiuuabat profuſis. Donec audita ſancti Euurtij Epiſcopi Aurelianenſis fama: venit ad eum, à quo in contubernium admiſſus, ob exploratæ ſanctitatis lumina preſbyter primùm creatus eſt, deinde ad ſanctum Laurentium factus Abbas, & Deo inſpirante Epiſcopatus ſucceſſor deſignatus eſt. Cùm enim S. Euurtius iam ſenex de ſuo certior factus à Deo eſſet tranſitu, ne ſicut olim, ita poſt obitum ſuum, acerbæ ſuper electione futuri Antiſtitis fierent diſceptationes, ſe viuente ſacra comitia ſuper ipſa electione fieri voluit. Quæ cùm verſatur in populo, poſt triduanum ieiunium, infans cui neduin vſus loquendi fuerat, ſumpta ex altari chattula, ter voce ſuprà humanam inclamauit, *Anianum à Deo electum Epiſcopum*. Hunc igitur beatus Euurtius in Pontificem more ſolemni conſecratum, in cathedra ſua ſuperſtes adhuc conſtituit. Mos inoleuerat apud Aurelianẽſes, vt nouus Epiſcopus in vrbem ſolemni ingreſſu exciperetur: in cuius gratiam, præfectus conſueuerat vinctos quoſcumque in cuſtodia haberet, liberos eius in occurſum dimittere: à quo paternis hortationibus ad meliorem frugem excitati, pœnitentiæ dignos ederent actus. Vrbem igitur intraturus Anianus ab Agripino Præfecto flagitauit, captiuos pio ex more liberari. Recuſauit ille, æquam non eſſe poſtulationem prætexens. Sed non tulit diuina vindicta diutiùs hanc ſancto Pontifici irrogatam iniuriam. Mox enim lapſu lapidis læſus grauiter dum ad templum iret Agrippinus, & à beato viro prece ſignóque crucis curatus, quod antè negauerat vltrò conceſſit. Poſt hæc ſanctus Euurtius ad ſupremos cœli honores aſſumitur, cuius corpus digno funere in agro *Tetradij* nobiliſſimi viri ſepeliuit Anianus: eo loco vbi nunc ipſius ſancti Euurtij nomine ædificata baſilica conſpicitur. Quo vita functo viſum eſt Aniano ſtructuram Eccleſiæ ſanctæ Crucis, quam ille ædificauerat, altiori culmine exornare. At dum attollitur faſtigium ſacræ ædis Mellius architectus labante pede de ſublimi in imam terram corruit, penéque exanimis mortem opperiebatur: cùm ſanctus Antiſtes oppidò aduolans lapſi manum prehendit, ſignóque cru-

cis expreſſo vitæ, dicto citiùs reſtitutum, ad perficiendum opus iuſſit proficiſci. Interea in Gallias irruentibus Hunnorum populis, Attila Rex eorum ſæuiſſimus, virga furoris Domini, è Metenſi à ſe peſſumdata vrbe ſoluens cum caſtris, Aureliam verſus ad eam quoque vaſtandam properabat. Itaque Anianus Arelatum ad Aëtio Præfecto Galliarum auxilium pro ciuitate ſua petitum, proficiſcitur: ipſóque in itinere Dei virtute irradians hoſpitem ſuum *Mamertum*, iam vicinum morti, reſtituit ſanitati. Hinc diuertens ad Arnainam cellam, in qua monachorum præclara multitudo degebat, Abbatem horum triginta iam annorum lumine orbatum (mœrentis commiſeratione excitus) ſputi linitione quo eius oculos terſit, videntem reddidit. Aduenit demum Arelatem, cui præter morem venerabundus Aëtius occurrit demiſsè percontatus arrepti cauſas itineris. Cladem populo ſuo ciuitatique nobiliſſimæ imminentem, ſanctus Epiſcopus inſinuat: ſpiritúque prophetico prænuntiat diem, quo beſtia illa immanis Attila, dominicum gregem eſſet inuaſurus. Admonet deinde in Dei nomine, vt ſi vrbem ſeruatam velit, ſignato adſit momento hoſtem truculentum profligaturus. Venerabili ſeni opem ſuam vbi pollicitus eſt Aëtius, ille Aureliam reuertitur: quam non multò pòſt Attila ingenti agmine militum circumcingit, grauiſſimóque arietum impulſu nititur expugnare. At ſanctus Epiſcopus confidens in Domino monet ſedulò ciues omnes ad orationem proſterni, & cum lachrymis præſens ſemper in neceſſitatibus Dei auxilium implorare. *Si petitis*, ait, *fideliter: Dominus velociter adeſt.* Profundentibus illis preces, ſanctus Pontifex forti animo eſſe iubet: *Et adſpicite de muro ciuitatis* (infit) *ſi Dei miſeratio iam ſuccurrat.* Cúmque de muro aſpicientes vidiſſent neminem. *Orate*, inquit, *fideliter. Hodie ſiquidem Dominus non deerit.* Nihil tamen ſecunda hac vice cùm cernerent, tertiò poſt iteratas preces è muro præcipit ſpeculari. Túmque aduertunt quaſi nebulã è terra ad aërem excitari. Quod cùm inſpectores renuntiarent, ait Anianus: *auxilium Domini eſt.* Et repente contra barbaros expuit, ſimúlque cum ſputo, tanta pluuiarum inundatio è cœlo proſiliit in hoſtes, vt nedum pugnare, ſed nec mutuum aſpicere per tridui ſpatium inter ſe caperent, tenebras oculis infundente nimbo, quem preces viri Dei excierant. At nihilominus cæco furore actus Attila, cuius ſe flagellum nominabat, dum virgam ſpernit, in vrbem perfractis portis ferociter poſt triduum illud irrumpit: iámque de capta ciuitate inſoleſcebat. Cùm ecce improuiſus, Deo volente, adeſt Aëtius. In cuius caſtra ſuperna manu ſanctus Antiſtes tranſla-

tus præcedenti die, per obuium ſibi militem admonuerat, vt aduentum maturaret. Si enim biduum expectaret, fruſtra foret acceſſurus. Aduentante itaque Aëtio cum Merouæo Francorum Rege & Theodorico Gothorum: exterritus Attila non tam ſuperuenientium numero copiarum, quàm occulta Dei ira, fugam arripit, tantáque clade eius exercitus labitur, vt plures aquis fluentibus ſuffocati, gladióque mutuo necati ſint, quam Aëtij ferro trucidati. Qui tamen hoſtem ad Catalaunicos vſque campos inſecutus, ingenti prælio debellauit, prorſúſque attritum viribus Gallia profligauit. Hanc tantam victoriam, ſanctiſſimi Aniani Aurelianenſis Epiſcopi precibus obtentam eſſe, omnes qui de hac ſcripsêre conſentiunt. Verùm beatus Antiſtes, non ſuis meritis, ſed diuinæ miſericordiæ tantum beneficium adſcripſit: in hócque maximè lætatus, quod de ſuis neminem amiſiſſet, niſi ſi quis fortè diuinam deſperaſſet opem: ingentes Domino gratias feſtinè rependit. Tanta autem meritis ipſius poſt eam victoriam extitit frugum vbertas in Aurelianenſi agro, vt magna inde ad ſuperiorem lætitiam fieret acceſſio. Soluta enim fuerat obſidio illa immanis decimo octauo Kalendas Iulij, cùm iam hoſtilis exercitus, equorum vngulis ſegetes ferè omnes conculcaſſent, aut flammis incendiſſent, vnde ſpes meſſis ſublata erat: ſed iuſti oratio aſſidua, damna hæc maiori frugum cumulo reparauit. Biennio deinde elapſo, Anianus tot virtutum ornamentis illuſtris, poſt calcatos ſæculi fluctus, iam emeritus miles, carnis nexibus expeditus, ad ſalutarem interminabilis vitæ portum aſcendit. Conditus eſt autem publico funere ad occidentalem vrbis plagam in beatiſſimi Martyris Laurentij, cui præfuerat Abbas, Eccleſia: vbi meritorum eius præſtantiam Chriſtus multiplici miraculorum gloria declarauit. Coluit pro patrono ſingulari hunc beatum Robertus Francorum Rex piiſſimus, cuius ſuffragiis Belnæ Lingonenſium à ſe conſecutam victoriam, aliáſque retulit. Quotum beneficiorum haud ingratus, vt memoriam tanti Confeſſoris exornaret, inſignem baſilicam ſub eius titulo cum monaſterio nobili ædificauit. Lecticam inſuper præparauit argento mero inſtructam, auro optimo pretioſiſque lapidibus mirè decoratam, in quam venerabile ipſius ſancti Antiſtitis corpus per Gauzlinum Bituricenſem, Leotherium Senonenſem Archipræſules: Odolricum Aurelianenſem Theodoricum Carnotenſem, Bernerium Meldenſem, Vvarinum Beluacenſem, Rodulphum Siluanectenſem, præſente venerabili Odilone Abbate Cluniacenſi, cum pleriſque aliis ſacris viris & regni proceribus, inferri fecit: templíque encæniis ab his ſolemniter celebratis,

tantum pignus ibidem ineffabili lætitia & honore, cum pretioſiſſimis donariis, inuexit. Fuſis autem poſt peractum tantæ pietatis opus deuotiſsimis precibus, ſe filióſque & Regnum vniuerſum tanto patrono in perpetuum commendauit: quem nuncupare ſolebat eius merita affatim expertus, *Regum protectorem, Principum defenſionem, Pontificum exultationem, Clericorum ac Monachorum patrem, orphanorum & viduarum egregium ſubleuatorem.* In hunc etiam effusè propenſus fuit ſanctus Ludouicus Rex, quo inſtante & præſente cum duobus filiis ſuis Ludouico primogenito & Philippo: Philippus beatæ memoriæ Bituricenſis Patriarcha, & Robertus Epiſcopus Aurelianenſis, corpus ſacratiſsimum eiuſdem cœlitis, de veteri theca in recentem, tranſtulerunt magna cum honorificatione. Cuius deuotione etiam ardens Ludouicus XI. inſignibus donis eius baſilicam cumulauit. Verùm anno milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſecundo, qui Galliæ luctuoſus in æternum erit, Caluiniani hæretici interceptam Aureliam ſacrilegiiſque repletam, miſeranda clade cùm vaſtarent, atque pietatis auitæ monimenta quæque inſignia diriperent ac demolirentur, nobiliſsimam ſancti Aniani Eccleſiam, opus regale quin diuinum, nefanda barbarie ſubruerunt, arreptámque cum omni ſacra ſupellectile, aulæis, ornamentis, crucibus, calicibus, vrceis, thuribulis, codicibus, imaginibus: ſancti Aniani capſam, direptámque in profanos vſus, eruta hinc ipſius *beati oſſa* ipſis verenda dæmonibus, impiè tractauerunt, atque cum *ſancti Mamerti Archiepiſcopi Viennenſis, Sanctorum Baudelij, Scubilij & ſancti Dorothei Martyrum; ſancti Reſtituti Epiſcopi, Sanctorum Euurtij, Floſculi, Monitoris, Samſonis Confeſſorum, itidémque Pontificum corporibus; capite ſancti Quiriaci Epiſcopi & Martyris, reliquiis Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli, brachio ſancti Andreæ Apoſtoli; crucis Domini fragminibus; reliquiis ſancti Mauritij; corporibus Sanctorum Abbatum Euſpicij & Ebrulphi: necnon ſanctæ Agiæ matris ſancti Lupi Archiepiſcopi Senonenſis, aliiſque innumeris beatorum exuuiis, charitatis eorum in nos chariſsimis pignoribus, Dei gloriæ organis & futuræ immortalitatis ſeminibus, tragicè habita diſsipârunt.* Quo flagitio ſe diaboli aſſeclas vt manifeſtè prodiderunt: ſic Dei ſe hoſtes & amicorum eius inimicos, ipſorúmque fidei oppugnatores, vt oſores felicis eorumdem memoriæ palam ſunt teſtati. Verùm vt ſanctis ipſis nihil his tam ſacrilegis auſibus gloriæ quàm ſolidam poſſident, detractum eſt: ſic piis veréque orthodoxis nil hinc excidit de ea deuotione, qua veneranda eorum nomina proſequuntur: fiduciáque quam ob communis chari-

tatis nexum, piè de eorum affectibus & meritis (quorum vim hactenus ſunt experti) contraxerunt. Nec enim cineribus Sanctorum cum dedecore conſperſis, & in ventum iactatis Catholicis mentibus auelli poſſunt indigenarum olim Cœlitum teſtatiſſima pietatis veſtigia. Imò in dies beatorum opera eluceſcunt, & inuitis & renitentibus diaboli aſſeclis, à maioribus tradita nobis diſciplina, in exemplum benè agendi, rectéque de Chriſto ſentiendi, proferuntur. Eodem die Turonis ſancti GREGORII Epiſcopi & Confeſſoris, fide, vita, doctrina clariſſimi. Hic Claromonte Aruernorum illuſtri proſapia progenitus, filius Florentij viri Senatoriæ dignitatis: ſtudiis literarum primitus ſub *Gallo* Epiſcopo Aruernenſi patruo ſuo incubuit generoſiſſima indole præditus, quæ veram ingenuitatem ſpirabat. Nam fucos ſæculi illecebráſque ſpernens, viſus eſt ipſis à teneræ ætatis exordiis, æterna caducis, diuina humanis, ſeria ludicris, anteponere. Sanctorúmque vt ambire mores, ſic eorum ope plurimùm niti ac meritis fidere. Vnde cùm vix adhuc ephœbus, nimio febrium ardore & dolore ſtomachi fuiſſet repente correptus, poſthabita quæ inanis fuerat medicorum induſtria ingraueſcente morbo ſe ad ſancti Illidij ſepulchrum fecit deferri, cui affuſus votum edidit, ſi ſoſpes regrederetur, ſe ſine mora clericalem mox habitum induturum. Vix dixerat & fidei præmium adeptus, ſenſit protinus febris æſtum deficere. Hinc cum gaudio regreſſus ad ſuos, comâ deciſâ ſacræ accepit militiæ teſſeram. *Auiti* Epiſcopi qui poſt Cautinum Gallo in Aruernenſi cathedra ſucceſſerat, beneuolentiam inde emeruit: qui cùm mores & ingenium adoleſcentis exploraſſet, nihil prætermiſit ſuæ tum curæ, tum magiſtrorum induſtriæ vt ingenuum iuuenem ad ſapientiæ arcem proueheret. Quibus in ſtudiis eam tamen Gregorius ipſe modeſtiam ac diſcretionem adhibuit: vt non tantùm literis tribueret, quin pietatis officiis potiorem concederet curæ ac operæ inſtantiam. Poëtarum, quorum nænias abhorrebat, venuſtatem non prorſus neglexit. Nec his ita ex aduerſo animum fixit, vt ſolidæ ſapientiæ, quæ in libris Sanctorum eſt vnicè non hæreret. Fecit quod ſatis erat, vt quod futurus erat euaderet, nempe magnus in vera Dei ſcientia & caſto eius timore. Aruernis tunc erant plerique viri religione præſtantes. Hos Gregorius ſedulò inuiſebat, quatenus vt aiebat ex his ſolis iuſtitiæ qui Chriſtus eſt radiis, facta lucis diſceret operari, ſe felicem demum putans, ſi ex eorum dictis vel actibus quippiam ad Chriſti gloriam, & vſum poſſet ſuum reflectere. Factus interim diaconus grauiſſimo morbo corripitur cum alio Clerico, quo cum ſpreta hu-

GREGORIVS.

mana ope, vt ſancti Martini cui impensè affectus erat, patrocinia demereretur, ſe ad eius ſepulchrum fecit deportari, vbi cùm vna nocte in precibus vigilaſſet, à morbo prorſus liberatus eſt. Paulò pòſt contigit vt beatus Euphronius Turonenſis Antiſtes ſenio confectus de mortis ſtadio excederet: cúmque Gregorius nobilitate ac ſanctimonia præſtans omnium votis expetitus, almæ huius ſedis Deo volente Præſul renunciaretur. Probatur à Rege Sigeberto, renitens à Brunechilde Regina perurgetur: tandémque vix ægrè aſſentiens, ab Ægidio Remenſi Metropolita ſolemniter conſecratur. Factus Epiſcopus, paſtorem gregis prouidum, diſpenſatorem myſteriorum Dei fidelem ſe præſtitit, aſſiduis hortatibus Clerum & populum erudiuit, ſacram Scripturam dictis & ſcriptis explanauit. Ritus diuinos, proprio tractatu de *curſibus Eccleſiaſticis* prænotato illuſtrauit. Libros in laudem Sanctorum, quo ad eorum imitationem lectores prouocaret pleroſq. conſcripſit: quorum adhuc extant illi quos inſcripſit *de gloria Martyrum*, itémq. *de gloria Confeſſorum*. Itē, *de miraculis S. Iuliani Martyris. Déque miraculis S. Martini Confeſſoris*: cuius baſilicam vetuſtate collapſam magnificentiùs inſtaurauit. In qua SS. Agaunēſium Martyrum reliquias, recondidit. Aduſtas, quas Perpetuus extruxerat, ſacras ædes reſtituit: baptiſterium ad matricem Eccleſiam ædificauit. baſilicam ſanctæ Crucis in Artenſi villa condidit. Pleraſque alias in toto tractu Turonenſi extruxit, dicauit, decorauit: illatis Sanctorum reliquiis, quas ex vrbe Roma per diaconum afferri, dono ſancti Gregorij Papæ impetrauit. Cùm enim vir Dei ob gratæ Deo mentis puræ merita, dono miraculorum colluceret, ne virtus ſibi operum quæ in ſolatium infirmorum patrabat tribueretur, paſſim reliquias Sāctorum circumferebat, quibus omnia referebat quæ Deus per ipſum operabatur. Longum eſſet quæ mira edidit vir ſanctus recenſere. In quo nōn modò viguit pietas, humilitas, charitas, ſed etiam robur animi & vigor pontificalis zelúſque Apoſtolicus excelluit. Quo æſtuans Fredegundem Reginam liberè corripuit. Chilperico Regi regulas Eccleſiaſticas temeranti obſtitit: quem & impingentem in Sabelianiſmum erexit. Impetitus calumniis fortiter illata probra retudit: ſuámque innocentiam media in ſynodo propalauit. Pius hic Pontifex ſanctam Radegundam Reginam velauit Pictauis in monaſterio quod illa conſtruxerat. Labente autem ætate, eum pius ardor inceſſit Apoſtolorum limina inuiſendi. Romam itaque profectus à ſancto Gregorio Papa multa cum beneuolentia ſuſceptus eſt: afflatúque diuino arcana eius animi penetrauit. A quo cum myſticis muneribus ad ſedem ſuam

remiſſus,

remiſſus, vigeſimo primo Epiſcopatus ſui anno completo, hoc eſt *ſeptenario numero ter in fide ſanctæ Triadis abſoluto*, omni perfectione plenus, & ſanctorum laborum meritis cumulatus, mortalem vitam, æterna beatáque immortalitate commutauit. Cæterùm humilitatem quam hactenus coluerat, adhuc voluit in ſepultura profiteri. Eo enim ſe loco iuſſit tumulari, vbi cogente ipſa neceſſitate tranſeuntium calcibus tereretur, ne ſibi iacenti vlla vnquam reuerentia deferri poſſet. At Deus ingenti gloria famuli ſui humilitatem compenſauit, iis editis ad eius tumulum prodigiis, quibus & merita eius teſtata cuique fierent: & debitus honos beatæ eius memoriæ rependeretur. His enim ſignis deuotus grex commotus, ſancti Paſtoris ſui, corpus de vili loco leuauit: & edito nobili mauſoleo in intimam beati Martini baſilicam, ad læuam ſancti ipſius ſepulchri deferens, Dei amicum collocauit. Quem viuentem Fortunatus perdoctus ac religioſus Antiſtes Pictauienſis, mitis at vetis laudibus extulit: pleriq. verò poſteri defunctum cùm propter ſanctitatis copioſa merita, tum ob clara quæ reliquit ſapientiæ & pietatis monimenta, magnis commendationibus celebrarunt. Eccleſia verò Catholica quæ ſcriptis eius Catholicis plurimùm munitur, factis glorificatur, & lætatur ſuffragiis, ſacris ſuis tabulis hac die perenniter & vbique colendum congruo meritis honore inter ſanctos Confeſſores Pontifices eumdem adſcripſit. Eodem die Viennæ Allobrogum S. NAMATI Epiſcopi & Confeſſoris. NAMATIVS. Qui Patricius dignitate; Præſes ſuæque patriæ Rector, hos omnes titulos ſæcularis gloriæ, vnico Chriſti Seruatoris amore contempſit: opéſque & quaſcumque delicias abiiciens, vt ipſi æterno Regi placeret, totum ſeſe eius obſequio ſubmiſit. Vnde ſicut integritate iuſtitiæ in præfectura claruerat, ita pietate in religioſa conuerſatione præcellens, *Iſicio* ſanctæ vitæ Epiſcopo Viennenſi ad præmium abeunte, ipſi pro meritis ſurrogatus, tantò digniorem ſe Præſulem exhibuit, quantò longiori tyrocinio virtutis & amplioribus gratiarũ muneribus, huic obeundo Deus illum effecerat paratiorem. *Nobilis ſtemmate, vita* (vt ait Fortunatus eius decora pangens) *nobilior*; *nobilior etiam* (Ado & ipſe Viennenſis vt addit) *eloquio:* Dei placita mentibus ſui Cleri & plebis profluis gratiæ verbis inſtillauit. Quem & exemplis ad omnem virtutem excitauit. Cùm autem perfecta in obſeruantia diuinæ legis gregi ſuo paſtor hic beatus præluceret, nulláque virtute non polleret: charitate tamẽ & miſericordia potiſſimum præeminuit, cui ita deditus fuit, effuſis vt paternis viſceribus ſe ſuáque omnia in vſus & ſubſidia pauperum impenderet. *A quo nudus nunquam niſi opertus, inops niſi lætus diſceſſit.* Perfugium ſiquidem vir bea-

à Vvandalis Gallias iuſto Dei iudicio diripientibus: (qui in Lingonenſi tractu ſanctum Deſiderium Epiſcopum cum Valerio Archidiacono ac pleriſque è Chriſti plebe trucidârant: Remis verò necato ſanctiſſimo Præſule Nicaſio cum ſorore Eutropia, ſtrage immani omnia repleuerant: ſuo in oratorio impetitus, necatiſq. in confeſſione pietatis ambabus ſororibus hinc abſtractus, raptúſque vſque ad vicinum montem: ibi gladio abſciſſo capite, glorioſum agonem conſummauit. Vix lictor feralem ictum incuſſerat, cùm diuinus pugil ſe erigens deciſum caput manibus excepit, & ad lapidem quemdam detulit, cui ex defluenti cruore crucis Chriſti Seruatoris triumphale ſignum impreſſit, etiamnum in eo conſpicuum. Hincque vlterius progreſſus, ſacrum ipſum verticem in fontem immerſit, ablutúmque ad tumulum vexit, quem ipſe ſibi parauerat. Cæterùm infecto riuo ſacri cruoris fonti, diuina ſubinde inhæſit virtus, qua incolæ ſuis morbis dari optatam medelam, meritis beati Martyris teſtificantur. Nec minora eo loco vbi ſanctum cadauer quieuit edita ſigna glorificationis memorantur. Puteolum in Eccleſiola ſua fodi fecerat Dei famulus, è cuius laticibus Betto illius ædis preſbyter balneum ſibi paratum ingreſſus, ſic elanguit, vt vſque ad anni terminum ægrotus iacuerit. Denique Sanctorum iſtorum trium corpora vno in ſarcophago recondita ipſa in Eccleſia tamdiu iacuerunt, quouſque Deo ſanctos ſuos mirificante, humo prius ſponte patefacta, & loculo in quo quieſcebant vltro surſum mirabiliter eleuato, SEVLFVS Archiepiſcopus eadem dignis honoribus proſecutus, debito beatis triumphatoribus cultu exornauit: ad quorum non diù pòſt glorioſum conſortium iniuſta ſublatus morte, ſed felici euectus quod paſſus eſt ab Eccleſiæ inuaſoribus martyrio, commigrauit. Eodem die apud Lemouicos in Aquitania natalis S. THEOFREDI Martyris, ibidem pro Chriſti fide ab impiis perempti: atque à Laurentio Preſbytero eo loco ſepulti, vbi deinde coruſcantibus ex eius tumulo miraculis S. Eligius Solemniacum conſtruxit percelebre cœnobium. Ipſo die monaſterio Calmeyo ſexto à Podieſi vrbe lapide in Vellaumis S. THEOFREDI itidem Martyris, ſecundi illius aſceterij Cœnobiarchæ, & deinde tandem patroni glorioſi: qui Theofridi Arauſionum Principis & Lerlitridis eius coniugis fœminæ pernobilis filius, nepos verò ſancti Eudonis, primi ſignati loci Ætheriarchæ eius ſanctitate irradiatus, ſæculo valedixit, & ſanctæ conuerſationis habitum in eodem monaſterio à patruo ſuſcepit: à quo ad humilitatis exercitium & exemplum cellæ vinariæ Præfectus, id munus magna obedientia & charitate tamdiù obiit,

SEVLFVS.

THEOFREDVS.

THEOFREDVS.

donec ipſo S. Eudone ad meliorem vitam tranſeunte, omnium monachorum ſuffragiis Theofridus in patrui locum ſuffectus eſt. Quo tempore Saraceni vocante Eudone Aquitanorum duce, aduerſus Carolum Martellum, numeroſo exercitu ex Hiſpania erumpentes, omnem ſæuo incurſionis turbine Aquitaniam populabantur. Quamobrem pius pater Theofredus de filiorum ſalute ſollicitus, conuocatis monachis poſtquam prædixiſſet, barbaros monaſterium inuaſuros, ſuaſit eiſdem, vt in ſyluis latebras quærerent. Cari filij tam pium Patrem deſerere renuebant, at victi tandem non tam eius precibus quàm præcepto, in abditiores ſeſe receſſus nemoris receperunt: iis ſummotis Theofridus ante aram ſancti Petri proſtratus enixè Deum precabatur, vt ſe dignam fidei hoſtiam reciperet, cùm feri illi Iſmaëlitæ in monaſterium irruperunt: atque huc illuc diſcurrentes ſanctum Abbatem inuenerunt ſacro in loco orantem. Quem probris primùm aggreſſi, deinde aucto furore ex eius patientia, virgis atrociſſimè cædentes immaniter dilaniàrunt. Sed tot lupis inhiantibus, cùm ouis vna ſatiandis cruore non ſufficeret: ab ipſo petierunt ſæui illi graſſatores, vbinam monachi eſſent, à quibus tot cellæ iam vacuæ incolebantur. Reſpondit Chriſti Martyr, eos Dei prouidentia ab eorum feritate eſſe ſubductos: nec in eorum poteſtate eſſe cuipiam ex illis abſque Dei voluntate nocere. At illi ſe omnia flammis ſuccenſuros, eúmque morte acerbiſſima excarnificaturos, minitati ſunt, niſi quamprimum ſocios patefaceret. Vir Dei adiecit, Deum eſſe loci ſibi dicati defenſorem: porro officij ſui & deſiderij eſſe, pro charis ouibus animam ponere. Illi verò nimio furore exacerbati, neruis cædentes, eum ſemianimem reliquerunt. Tum fortè ſolemnis quædam dies iuxta ritum gentis interuenerat, in qua ſacra quædam impia perſoluebant. Sanctus Theofridus reſumptis diuina virtute viribus, afflatúque ſuperno excitus ſurrexit: irrumpénſque in mediam turbam, eos vehementer ob eiuſmodi ſacra nefanda increpauit. At ſacrificulus in eum frendens, iacto lapide eius capiti graue inflixit vulnus: ex quo ſtatim vir Dei in terram corruit. Móxque locus ille contremuit, fulgura, tonitrua, tenebroſus imber, & venti barbaros exterritos, quin & læſos turbinis onere fugam capere coëgerunt. Quibus diſſipatis monachi poſito timore paulatim è latebris emergentes, ad monaſterium reuerſi Theofridum iacentem reperêre, ictu lapidis vertice comminuto, extremos ferè ſpiritus exhalantem. Quem multis cum lamentis in cellam deportant, pedes & manus eius oſculantur. At ille omnia venerationis officia

refugit, filióſque tanta calamitate afflictos per ſeptem dies in Domino conſolatur. Quibus expletis rurſus eoſdem diuinis ſermonibus adhortatus ad regulæ obſeruantiam, feliciter ruptis carnis obicibus, animam trabea martyrij decoratam ad cœleſtes triumphos emiſit. Conſtantiæ in Normania ſub ſecunda Lugdunenſi S. RVMPHARII Epiſcopi eiuſdem ciuitatis & Confeſſoris. Qui illuſtrium in Anglia parentum Hermolai & Delphinæ filius, natalium dignitatem, raræ pietatis inſigniis admodum decorauit: Quibus cũ ſuis coætaneis præcelleret, vt auræ popularis ingratos ſibi declinaret rumores, patria exceſſit, atque in Neuſtriam appellens, omni humano ſubſidio deſtitutus, totus ſe cœlo commiſit. Diúque in ſeceſſu agri Conſtantienſis diuina ſpeculatus, miráque etiam in Dei obſequio, & incolarum ſalute operatus, ſancto Laudo ad cœleſtia euocato, Dei nutu eius in vicem qua omnium digniſſimus erat ſublectus eſt. Quo in munere poſtquam omni pietatis inſtantia diuina procuraſſet, multóſque ad iuſtitiam & religionem promouiſſet caſtis monitis & exemplis, cupidus Domini ſui cui fideliter ſeruierat beati conſpectus, eius ad fruitionem euolauit: noménque benedictione plenum, æternæ venerationi conſecratum, in terra, cœli iam felix municeps, reliquit. Rotomagi tranſlatio ſancti ROMANI illius Metropolis Epiſcopi & Confeſſoris: cuius depoſitione claret inſignita dies vigeſima tertia Octobris. Apud Lerinum Sanctorum Abbatum NAZARII, ANSELMI, EVCHERII, VINCENTII, AMANDI & SYLVANI Confeſſorum: qui fortunatiſſimæ huic inſulæ, in quam tot Sanctorum myriades tanquam ad tutum animæ portum confugerunt: propria cuique vice præſidentes, ceu ſplendida virtutum ſidera eamdem colluſtrârunt: in hácque efformatis per lucis exempla pleriſque vaſis gloriæ, demum ipſi ad Sanctorum indeficientes ſplendores pro meritorum munere vocati ſunt à Domino. In territorio Pariſienſi Latiniaco Cœnobio ſancti MOMBOLI Abbatis & Confeſſoris. Hic Sanctorum Furſei, Vltani, Foillani, *Boëtij, Eloquij, Adalgiſi & Columbani* collega digniſſimus: cùm ob lucida Apoſtolicæ gratiæ chariſmata S. Eulogio Epiſcopo Nouiomenſi admodum acceptus eſſet, ab ipſo per vniuerſam illam diœceſim, quæ tum vaſtiſſima erat, verbum Dei felici ore ac manu diſperſit. Híncque poſt tranſitum ſancti Æmiliani, quem ſanctus Furſeus primum poſt ſe Abbatem Latiniaci conſtituerat, ad huius cœnobij regimen euocatus, multa illic lumina edidit ſanctitatis. Cæterùm haud appetens otij, ſed animæ cœlo propius prouehendæ cupidus, dimiſſa cœnobitica præfectura, cum fratribus aliquot qui magis cœleſtia ſpira-

RVMPHARIVS.

ROMANVS.

NAZARIVS, ANSELMVS, EVCHERIVS, VINCENTIVS, AMANDVS & SYLVANVS.

MOMBOLVS.

bant, ſecretum à turba in locum ſe recepit ad Iſaram fluuium: vbi ſupernis ſpeculationibus intentus, perfecto puræ animæ holocauſto, candidatus gloriæ feliciter expirauit. Sacrum eius corpus per pios alumnos ad cœnobium Latiniaci reuectum: ibidem ab iis conditum fuit cum debita honorificatione. Ipſo die Pariſiis ſanctæ AVDÆ Virginis Deo ſacratæ. Quæ ſanctæ Genouefæ aſſecla, ab ipſa informata perfectæ pietatis, caſtimoniæ, abſtinentiæ, ac humilitatis exemplis, magnis quoque cœli fauoribus potita, ſplendidam decore animam, poſt decurſum immaculatæ vitæ tramitem, ad ſponſum æternum tranſmiſit. Cuius ſacra buſta in baſilica ſanctæ ſuæ informatricis veneranter repoſita, ipſius in ſacrario cultu religioſo conſeruantur, atque ad triumphalem proceſſum vnà cum S. Clothildis lipſanis efferuntur, quoties ſanctæ ipſius Genouefæ venerabile corpus, ad ſanctiſſimæ Deiparæ templum ſolemni ſupplicatione deportatur. Turonis ſancti ODDONIS Abbatis primi Cluniacenſis & Confeſſoris, qui ex militari Francorum proſapia ducta origine, magis tamen fide quàm claritate natalium reſplenduit. Emenſo ſiquidem pueritiæ ſpatio, cùm in pleniorem adoleſcentiæ gratiam formaretur, Clericalibus ſtudiis intentus, ínque Clerum ſubinde cooptatus, primùm Canonicus factus eſt, deinde Præcentor Eccleſiæ ſancti Martini Turonenſis, tanta abſtinentia iam præditus, vt dimidia panis libra per ſingulos dies corpuſculum ſuſtentaret, ſitímque modica aquæ perceptione ſedaret. Nullus tamen ex ieiunio perpeti in labiis pallor, nullus in corpore ſqualor vel debilitas ex voluntari inedia eiuſmodi apparuit. Dei enim feruidus amor, vires & ſpeciem pio iuueni conferebat. Qui diſcendi pia cupiditate ſuccenſus, Pariſios contendit, vbi Remigius Autiſſiodorenſis, theſauris diuinæ ſapientiæ depromendis felici opera deſudabat. Huic adhærens Oddo, ad magnæ ſcientiæ faſtigium euolauit. Interea verò cùm hiemis tempore in atrio Eccleſiæ pauperem nudum & algore miſerabiliter pereuntem puer adoleſcens inueniſſet, huic compaſſus tunica ſua ſe latenter exuens illum inueſtiuit. Paulóque pòſt ingreſſus ad diſcipulos, frigoris inclementia ita correptus eſt, ad lectulum vt vix ad ſe refouendum redierit: vbi repoſitam auri libram ex improuiſo repetiens, Dei bonitatem cui qui commodat in paupere fœneratur, admiratus: inde aculeos ad maiora ſibi indidit diuinæ gratiæ promerendæ officia. Regreſſus igitur à ſtudiis, à ſuis concanonicis rogatus eſt vt Moralia in Iob, quæ texuit aureo ſermone at fuſiori ſanctus Gregorius, breuiori compendio coarctaret. Renuenti ex modeſtia beatus ipſe Gregorius paulò pòſt apparens, pennam ei porrexit, ſic

AVDA.

ODDO.

ipſum affatus. *Accipe frater hanc pennulam, & opus tibi à fratribus iniunctum aggredere*. Qua commonitione impulſus, opus egregiè aggreſſus eſt, & peregit. Deinde audita *Bernonis* Abbatis Balmenſis celebritate, ipſum cum beato *Adegrino* tunc ſæculari milite adiit. In cuius diſciplinam ſe totum committens, ſpiritualis militiæ cingulum accepit. Móxque de virtute in virtutem aſcendens, ea pietate, mundicia, doctrináque in oculis Abbatis effulſit, vt ab ipſo ſcholæ monaſterij præficeretur, quo munere defungens, nihil reliquit quod in ſe deſideraretur. Intuens itaque Berno Abbas tantam in viro Dei virtutum copiam, abundantiam gratiarum, dignum qui ſacerdotio inſigniretur cenſuit, à quo honore abhorrentem flexit demum obedientiæ nexu, oblatúmque *Berengario* Veſuntionenſi Archiepiſcopo conſecrari fecit preſbyterum. Cuius Præſulis rogatu ſcripſit poſtea aliqua *in Hieremiam*: ſuáque opuſcula in tres libellos, quos *occupationes ſancti Oddonis* poſteri nominarunt, ipſomet admonente digeſſit. Tandem autem vergente ad extrema Bernone, qui Cluniaci aſceterij fundator erat, Oddo ipſi præ cæteris filiis dilectus, qui monaſterium ſancti Petri Senonis iam regebat, in Abbatem primum illius loci inſtituitur. Qui ſic inuitè ad regimen promotus à ſignato Archiepiſcopo ſolemni benedictione pedum paſtorale ſuſcepit. Víxque id attigerat, cùm magna pro domus illius, imo aliarum regularium vtilitate eſt aggreſſus: Cùm enim in Galliis paſſim obſeruantia regulæ ſancti Benedicti laxata, ordóque totus monaſticus collapſus eſſet: huius ſancti viri induſtria exſiccata religio mirificè refloruit, & tepor monachorum eius ardore verſus eſt in feruorem, totáque Galliâ & Italiâ ſancti Benedicti inſtitutio, quæ emarcuerat, primum viforem recepit. Non facilè quiſpiam enumerare poteſt monaſteria quæ Dei villicus vbique inſtaurauit vel condidit, muros moréſque ſimul ædificans, factis, dictis, ſcriptis quæ ad præſentium poſterorúmque informationem exarauit, animas in ſemitas pacis & iuſtitiæ dirigens, puræque religionis ſyncera inflammans deuotione. Vnde *Legiſlator cœnobitarum* ſuo tempore promeruit vocitari. Cùm miracula quibus ſuperna maieſtas conatus eius firmauerat, cœptis ab eo firmandis non deeſſent: vitæque ſanctimonia ſingularis admodum quam ſuadebat diſciplinam commendaret. Qui tandem cùm abſoluta & conſecrata Eccleſia matrice Cluniacenſi, ſanctáque religione ibi quaſi in ſumma arce collocata, & quibuſque ſuffulta piæ inſtitutionis munimentis, Turonis vbi ſancti Iuliani cœnobium cum Eccleſia conſtruxerat, febre correptus ſe ad extrema parauit, monachóſque vn-

decumque venientes, & vocationem eius profuſo luctu deflentes, ſalutaribus verbis inſtruxit; Deo orationibus conſignauit, benedictione ſua roborauit, túmque ſpirituali pinguedine recreatus, & poculo viuificanti vegetatus, corruptibili carne depoſita, liber ad filiorum Dei deſideratum contubernium in cœlum æternùm beandus commigrauit. In crypta autem Eccleſiæ ſancti Iuliani ſubtus altare honorificè tumulatus, inde prodidit maximos ſuæ glorificationis ſplendores. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confeſſorum, atque Sanctarum Virginum.*

Stephanus. TOLOSÆ & Lemouicis hodie ſolemni officio tranſlatio ſancti STEPHANI Protomartyris harum Eccleſiarum patroni celebratur. Auriſſiodori quoque recolitur dedicatio baſilicæ ſancti GERMANI cum ſuperioribus cryptis. *Germanus.* In Clarauallc piè moritur ODO Subprior, vir verè pauper ſpiritu, manſuetus & humilis corde, cuius defuncti pedes deuotè ſanctus Bernardus oſculatus eſt. *Odo.*

Decimo tertio Kalend. Decembris. Luna

19 A III.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
29	30	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15

t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P
16	17	18	19	20	21	22	23	23	24	25	26	27	28

SS. Severinus, Exuperius & Felicianus.

VIENNÆ Allobrogum Natalis Sanctorum Martyrum SEVERINI, EXVPERII & FELICIANI: quià *Iuſto* Antiſtite Viennenſi (ad quem Pius glorioſus Papa & Martyr, paulò ante mortem, de Epiſcopatu delato poſt tranſitum *Veri*, ſcriptis Apoſtolicis gratulatus eſt:) pietatis Chriſtianæ myſteriis initiati, cùm Chriſti amore feruerent: orta acri illa perſecutione, in qua *Iuſtus* ipſe illuſtriſſima fidei confeſſione decertans, cum pleriſque è grege ſuo mactatus, victor in morte occubuit: & ipſi hoc nomine comprehenſi, quòd qui nobilitatis erant apices, nouæ ſuperſtitionis aſſertores effecti Chriſtianorúmque duces, ſacra auita contemnerent, iuſsíſque Cæſarum obniterentur: ad tribunal ab armatorum cohorte publicè traducti ſunt. Vbi à Præſide de fide examinati, at intrepidè Chriſti gloriam profitentes: cùm nec diis immolare, nec ſuſceptum vnici veríque numinis cultum ſalutarem eiurare aſſentirent: ſed Idolorum vanitatem atque ſpurcitias impiæ ſuperſtitionis altè execrarentur; capitali ſententia damnati, protinus rapti ſunt ad ſupplicium. Cùm autem ad locum certaminis perueniſſent, poſitis genibus deuota oratione profuſa, datis fortiter pro Chriſto ceruicibus,

abſciſiſque, agonem glorioſum in communi victoria conſummârunt. Quorum corpora in vicino vrbis prædio Breniaco nomine, à fidelibus decenter humata ſunt. Ibique abdita eouſque quieuêre, quoaduſq. pace à Conſtantino Eccleſiæ conceſſa, ipſis ſe reuelantibus pio cuidam viro, de ſqualido ſitu leuata à *Paſchaſio* ſanctiſſimo Archipræſule, atque ab ipſo aſſiſtente Clero, populóque fideli confluente, ad ſanctæ Columbæ vicum, in recens condito martyrio, ſolemniter fuerunt repoſita. Inde traducta ad baſilicam ſancti Romani Martyris, quæ ſita eſt in Orientali parte ciuitatis, ibi ſubtus aram rurſus condita ſunt ampliori honore. At deinde poſt nonnulla annorum curricula à *Barnardo* ſanctæ memoriæ Archiepiſcopo iterum hinc ſublata in baſilicam cœnobij Romani, quam ipſorum in honorem conſtruxerat, illata ſunt magno cum Eccleſiaſticæ celebritatis triumpho: aſſiſtentibus ipſimet Metropolitæ digno cum decoro comprouincialibus eius Epiſcopis, qui dedicationi eiuſdem Eccleſiæ peractæ ab ipſo interfuerant. Ipſo die Aruernis ſancti PATROCLI viri Dei. Qui è ſolo Bituricenſi prodiens, à fratre è domo paterna, probris, quòd oues paſceret, exagitatus, literis ſeſe ſtudiosè applicuit. Mumionique Childeberti Regis præcipuo familiari factus charus, quo ab eo potiori beneuolentia honorabatur, eò maiori ſe humilitate demittens: ſic illius in ſe auxit affectus, vt ab eo tanquam filius haberi promereretur. Aulicorum etiam amorem ob ingenuam bonitatem & ſpecimina virtutis aſſecutus. Hæc tamen adoleſcens mundi illicia, omnéſque qui à Chriſti famulatu quem medullitus ardebat ipſum auocare obices poterant, adeo paruipendebat: vt patre æmulóque fratre defunctis, cùm ei à matre cui iam vnicus erat puella ingenua ſpecioſáque in coniugium vnà cum amplis poſſeſſionibus offerretur: hanc ipsáſque maternas blandicias aſpernatus, ſe ad *Arcadium* Bituricenſem Epiſcopum contulerit, à quo capitis ſibi comam tonderi impetrauit, aſciríque in Clericorum ordinem. Deinde factus etiam volente ipſo Pontifice Diaconus quò gradu maior, eò ſanctimoniæ ſtudiis feruentior, humilitati, deuotioni, piiſque exercitationibus prorſus ſe dedidit. Vacabat ieiuniis, delectabatur ieiuniis, inſiſtebat lectioni, ac in oratione aſſidua, ita promptus effundebatur: vt nec ad conuiuium menſæ canonicæ cum cæteris accederet Clericis. Quamobrem increpatus ab Archidiacono, reprehenſionem quæ acrior fuerat, cum omni manſuetudine excepit. At tandem hinc ad ſublimiora diuino ſpiramine excitatus, vrbe egreſſus, ad vicum Nereenſem venit: paruulóque in oratorio ſancti Martini reliquiis conſecra-

PATROCLVS.

to, ſic Deo hæſit deuotus, vt nihilominus ſeſe ad eruditionem vſque puerorum affectu charitatis demitteret. Quæ humilis mentis exercitatio, paulò pòſt diuino fuit munere compenſata: dono enim miraculorum illuſtratus, venientes ad ſe infirmos quoſque ſanabat: atque energumeni (tam formidabilis factus erat dæmonibus) ſolum nomen eius perferentes emundabantur. At pertæſus frequentioris concurſus, votis precibúſque à Deo cœpit depoſcere, vt quo ſe verteret ad perfectioris vitæ exercitium ſibi indicare dignaretur. Reſponſum accepit diuinum vt eremum peteret. Adlectis igitur ad Chriſti obſequium Virginibus, oratorium ſuum cellulámque quam incolerent aſſignauit. Nihil in diſceſſu ſumens niſi raſtrum vnum, vnámque bipennem qua tuguriolum in remotiori loco abditioríque fabricaret. Ingreſſus autem aſperam ſyluæ ſolitudinem in loco qui Mediocantus dicitur pedem fixit, atque in mappali à ſe ibi conſtructo Deo ſtrenuè operabatur: cùm mox erumpente ſanctitatis fulgore, vndiq. cœperunt accolæ ad ipſum ſolatij cauſa concurrere. Energumeni verò ad ipſum plerique adducebantur, quos crucis ſigno à vexatione liberabat. Vnus fuit qui à dæmonio immaniori agitatus, nonniſi poſt triduanum ab eo peractum ieiunium, precéſque interim aſſiduas, potuit ab ipſo ſanari: in cuius os vir Dei digitos immittens, protinus ferocem ſpiritum abegit. Inquinaria peſtis regionis huius accolas miſerè depaſcebat. Capta occaſione diabolus, *Leubellæ* matronæ deuotæ apparuit, ſe Martinum beatum mentitus, oblationes ipſi præbens quas præcipiebat offerri, quibus populus ſolamen reciperet. At Spiritu ſancto dolum famulo ſuo propalante, oblationes ad ipſum delatæ confeſtim ad eius aſpectum non ſolùm euanuerunt, ſed & malignus ſpiritus, apparere compulſus, nequiter quæ ſuggeſſerat, palam declarauit. Hinc liuidus hoſtis in Patroclum odia acriora conuertit, cœpítque eum inſtanti tentatione vrgere, vt dimiſſa eremo ad ſæculum rediret. Oratione autem cùm prauæ ſuggeſtioni Patroclus reluctaretur ſortes ſuas in Dei manu reponens, Angelus ad ipſum è ſuperno miſſus eſt. Cuius iuſſu in columnam ante ſe poſitam vbi aſcendiſſet, hinc dilucidè contemplatus omnia praua quæ in mundo geruntur, confeſtim deſcendens ductorem ſuum enixè precabatur, ne ſe in hanc malorum lacernam, à qua ante diù fugerat ſineret relabi. Cui Angelus; *Deſine ergo quærere mundum, ne pereas cum eo, ſed potiùs vade in oratorium, in quo Dominum depreceris, & ibi quod inueneris, hoc erit tibi conſolatio in peregrinatione tua.* Ingreſſus igitur cellulam oratorij, inuenit regulam fictilem, in qua ſignum crucis

dominicæ erat impreſſum: agnoſcénſque munus diuinum, intellexit ſibi ad omnia mundanæ perſuaſionis incitamenta, hoc eſſe inexpugnabile munimentum. Confluxére inde ad eum plerique Chriſtum ſitientes. Quibus datis vitæ præceptis conſtruxit quinto ab cellula ſua milliari Columbarienſe cœnobium, Abbatémque iiſdem quem probauerat præfecit. Expletóque in ſolitudine ſua octodecimo anno, in omni ſpiritus puritate & ſanctarum exercitationum inſtantia, fratres euocauit, iíſque denuntiato quem diuino afflatu præcognouerat tranſitus die, & datis extremæ cohortationis monitis, fœtam meritis animam in cœlum efflauit. Quam Chriſtus beatis conſociauit choris, corpus verò præclaris illuſtrauit, ipſius gloriæ indiciis. Ipſo die Auguſtoduni Æduorum ſancti SIMPLICII eiuſdem ſedis Epiſcopi & Confeſſoris: qui cùm alius ſit ab eo quem eadem Eccleſia die vigeſima quinta Iunij colit: meritis tamen non impar, eoſdem debitæ venerationis exploratæ ſanctitati qua claruit, hodie ab ipſa pridem decretos recipit honores. Apud Conuenas eleuatio corporis ſancti BERTRANDI illius ciuitatis Epiſcopi & Confeſſoris: eiuſdémque Eccleſiæ ac vrbis patroni, facta per Clementem Papam V. qui ante Apoſtolatum ſuſceptum Bertrandus appellatus: ſancti huius cuius tulerat nomen, memoriæ honorandæ ſtudioſus, poſtquam Pontifex ſummus factus eſt tumulum eiuſdem veneratus (ad quem Deus in dies edebat gloriæ ſuæ mirabilia:) illius ſacra buſta è ſinu terræ ſuſtulit, Chriſtíque fidelibus ad venerationem expoſuit. In Monaſterio Miciacenſi territorij Aurelianenſis ſancti THEODEMIRI Confeſſoris. Qui primùm matricis Eccleſiæ Aurelianenſis Decanus, quo diuinæ ſeruituti ſtrictius manciparetur, abdicata dignitate, apud Miciacenſe aſceterium in magna ſpiritus humilitate monachum profeſſus eſt: quantóque demiſſiorem de ſe exiſtimationem habuit, tanto ad ſublimiorem conſcendit religioſæ perfectionis excellentiam. Vnde ad ipſius monaſterij regimen quartus ordine euectus, iámque magiſter virtutum effectus, ea reniduit ſanctitatis gloria, quam plerique admirantes certatim ſub eius diſciplinam confluxerunt: ex quibus nonnulli preſſiùs eiús veſtigia conſectati, eiuſdémque decora ſanctimoniæ æmulati, idem abſolutæ virtutis & gratiæ nomen ſacrum demeruerunt. Ipſe verò cæterorum dux & pater, in ipſorum informatione aſſiduóque Dei famulatu feliciter excurſis diebus, mortalem vitam æterna commutauit. Cuius animam ſanctus *Liephardus* vidit ab Angelis pſallentibus in cœlum deferri. Corpus eius pridem miraculis coruſcum honorificè Magduni aſſeruatur in collegiata Eccleſia, diœceſis iam

SIMPLICIVS. BERTRANDVS. THEODEMIRVS.

dictæ Aurelianenſis. Ipſo die in Aruernis monaſterio Calmeliacenſi ſeu ſancti Theofredi, depoſitio ſancti EVDONIS, qui primus loci illius Abbas nepotem ſuum Theodefredum fulgore ſanctitatis ad ſe traxit: inſtructúmque ad culmina virtutum, coronæ qua demum potitus eſt præparauit. Ipſe verò huius & multorum verus in Chriſto pater, collecta multa ſegete iuſtitiæ, cum opimis meritorum manipulis ad cœleſtem ouationem profectus eſt. Ipſo die dedicatio Epiſcopalis Eccleſiæ Regienſis in honorem ſancti MAXIMI glorioſi Pontificis. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confeſſorum, atque Sanctarum Virginum.*

(Margin: Evdo. — Maximvs.)

HODIE colitur apud Cluniacum ſanctus ODDO Abbas, qui obiit Turonis Kalendas Decembris, quo die copioſiûs de eo. Item Bruxellæ ſanctæ ELIZABETH Andreæ Regis Hungariæ filia. Cuius caput ſacratiſſimum, piæ memoriæ ISABELLÆ Brabantiæ Ducíſſæ datum à Philippo Principe Arauſionenſi: ibi decenti cultu ſeruatur in ſecreto Principis oratorio. Eiuſdem verò beatæ nonnulla oſſa in ſacrario Virginum Carmelitarum ibidem honorantur. Hallis verò & Viluordiæ ſeruantur imagines ſanctæ Deigenitricis, quam beata Elizabeth eidem addictiſſima, olim in veneratione habuit: quæ prodigiis pleriſque claruêre. Ipſo die charitatis igne decoctus Lugduni expirauit Pater AYMARDVS Guerin Societatis IESV Confeſſor, Chriſtianæ fidei apud Turcas egregius. Claræuallis diù ante ſancto fine quieuit GVILLELMVS ſancti Bernardi diſcipulus, cœleſtium rerum contemplatione & lumine prophetiæ nobilis. Item apud Namurcum tranſitus beatæ memoriæ ELIZABETH eiuſdem ordinis ſancti monialis, diuinis fauoribus ob vitæ puritatem cumulatæ.

(Margin: *Oddo.* — *Elizabeth.* — *Iſabella.* — *Aymardus.* — *Guilielmus.* — *Elizabeth.*)

Duodecimo Kalend. Decembris. Luna

20 B II.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
30	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
17	18	19	20	21	22	23	24	24	25	26	27	28	29			

(Margin: SS. Silveſtar.)

CABILONE Æduorum ſancti SILVESTRI primi ſedis illius Epiſcopi & Confeſſoris. Hic extinctum fere fidei lumen (quod Marcellus Valerianúſque Chriſti teſtes purpurati, primùm in hac vrbe & adiacenti ſolo accenderant:) miro pietatis zelo reparans, incolarum ira animis infudit, vt ciuitate populariter ad Chriſtum conuerſa, ipſa primam puræ religionis formam indueri̇t. Conſtitutâ enim illic Eccleſiâ ſub patrocinio B. Stephani Protomartyris, & Clero ordinato, Silueſter primus ſacrorum Præſes Paſtórque animarum, religionem à ſe inſtauratam mirificè curauit ac prouexit. dum contemplatione rerum cœleſtium & aſſiduis occupationibus circa plebis ſalutem, ſanctiſſimæ

Saluatoris

Saluatoris noſtri vitæ & veſtigiis inſtitit, neque diebus quietem neque noctibus admittens, non ſolùm vt cultum dæmonum penitus de hoc ſolo tolleret: ſed & vitiorum exitioſa germina radicitus euelleret, animáſque his expurgatas, at ornatas iuſtitiæ ac pietatis decoris, in viam ſalutis perduceret. Ex quo factum, vt arduis innumeris ſuperatis, ciuitati & regioni cui præerat, gratiæ cœleſtis imbres & bonorum quæ ſubſecuta ſunt, ex propagato per eius curam diuinæ religionis cultu, cumulos ingentes demereretur. Ferunt tamen eius tempore Attilam flagellum Dei Cabiloni, ſicut cæteris penè omnibus ciuitatibus Galliarum, cladem immanem intuliſſe. At quam vir ſanctus ſi non amouit, præpedientibus incolarum peccatis: ita officiis paternæ ſolicitudinis & meritis acceptæ Deo vitæ reſarciuit, vt damna in lucra ceſſerint, caſtigatæque ciuitati non exciſæ, potiora perditis acceſſerint ex ſyncera pietate commoda & decora. Quapropter ipſo Silueſtro magno cum ſplendore ſanctitatis, Cabilone poſt tetrum hunc turbinem Epiſcopali in ſolio ſedente, venit ad eum candidatus ille patis gloriæ *Cæſarius* qui Arelatenſi poſtea Eccleſiæ tanto cum nomine religionis præfuit; vt factis eius manibus in Clericum attonderetur. Coactóque interfuit celebri illo Concilio Epaonenſi, vbi Eccleſiaſtica politia poſt caſus tam diros reparata, diſciplináque Cleri ac populi quadraginta canonibus vindicata fuit à viginti quinque ſanctiſſimis Patribus, inter quos maximè ob ætatem & ſanctimoniam ſpectabilis, primus poſt duos Metropolitas præſidentes *Auitum* Viennenſem & *Viuentiolum* Lugdunenſem, ſubſcripſit. Tandem vir ſanctus innumeris mirabilibus in Dei obſequio, animarum ſalute, religionis augmento, Eccleſiæ decoramento, & ſanctæ vitæ operationib. diuinè editis, quadrageſimo ſecũdo ſacerdotij ſui anno, plenus dierum atq. virtutũ migrauit ad Dominum. Qui verò mortalis adhuc ſignis admirabilib. fulſerat, iam beatæ immortalitatis compos, maioribus reſplenduit meritorum indiciis. Refert enim oculatus teſtis Gregorius Turonenſis, lectulum ſancti huius viri quod funibus ſubtilibus innexum erat, ea cœlitus energia donatũ ex ſacrorum eius membrorum contactu: vt huic poſt eius obitum admoti ex fiducia opitulationis pleriq. infirmi, maximè febribus æſtuantes, ſtatim latenti virtute fuerint incolumes redditi. Cæterùm lectulus ipſe in Eccleſiæ ſacrarium deportatus, vim eãdem retinuit. Multique *abſciſſas de funibus illis particulas in longinquum deferebant: quibus ſuper infirmos locatis, ſanitatis adeſſe beneficium contuebantur.* Cuius Gregorij mater, *vt deciſam ab ipſo lectulo viri Dei particulam, puellæ à frigoribus febricitanti collo dependi fecit: morbo ex-*

templò depreſſo, puellam ſanam aſpexit: (ſicut oculis vidit propriis Gregorius ipſe, qui rem illam teſtatur.) Viguit exinde perennis ciuium Cabilonenſium in ſanctum hunc ſuum Præſulem deuotionis affectus. Attamen cùm iugiter diuinæ virtutis coruſcatione beatus Confeſſor in tumulo radiaret: conditus tamen in ſepulchro ſuo iacuit, donec agente *Gilbodo* Cabilonenſi Antiſtite, è loculo eductus fuit ad cultum ampliorem. Cùm enim Ioannes VIII. Papa Româ exagitatus confugiſſet in Galliam, Trecíſque Concilium cuius acta extant habuiſſet, in reditu Cabilone viginti diebus conſedit. Quam fauſtam occaſionem benè nactus præfatus Gilbodus Epiſcopus, ab eo ſupplicationibus obtinuit, vt Sanctorum Pontificum Cabilonenſium *Silueſtri* & *Agricolæ* ſacra corpora de tumulis, vbi mira diuinæ gloriæ clarificatione renidebant, leuaret, atque honorificentioribus loculis inferret, quatenus à populo fideli impenſius percolerentur. Quin & ipſos beatos Antiſtites Apoſtolica auctoritate ſanctos pronunciare, beatorúmque vellet albo adſcribere ſolemni decreto, alios ſeptem qui Cabilonenſem vrbem illuſtrauerant ſanctæ vitæ meritis, (ceu perpetuos ſoli illius opitulatores & patronos;) Epiſcopos Confeſſores, nempe

Tranquillus, Deſiderius, Ioannes, Flauius, Veranus, Gratus, Lupus, & Deſideratus.

TRANQVILLVM, DESIDERIVM, IOANNEM, FLAVIVM, VERANVM, GRATVM, LVPVM: cum DESIDERATO Preſbytero, qui cultor eremi apud Gordanum reclusus, miræ ſanctitatis veſtigia reliquerat. Piam Epiſcopi petitionem benignis auribus excepit Pontifex Apoſtolicus, factáque de piorum illorum octo virorum moribus, meritis, miraculis ſedula indagine, quos Deo placuiſſe reperit ex zelo eius gloriæ & perfectæ vitæ innocentia: ab eóque viciſſim mira ſignorum operatione, cùm in vita, tum poſt mortem clarificatos, Apoſtolico oraculo inter beatos vindicatos annumerauit: atque à fidelibus ſanctitatis honoribus decreuit in perpetuum percolendos. At verò cùm temporis anguſtiis & rerum ingruentium mole premeretur, ſingulorum ipſorum Sanctorum, vt Giboldus deſiderabat, ſacra buſta ex tumulis non eruit, ſed duntaxat pretioſa Sanctorum Silueſtri & Agricolæ lipſana: quibus recondendis decentius Gilbodus ipſe Antiſtes Cabilonenſis thecas inſigniores parauerat.

Apothemius.

Eodem die Iuliomagi Andium S. APOTHEMII tertij illius vrbis Epiſcopi & Confeſſoris. Qui nouellæ huius Eccleſiæ cunabula fouens, adultam eam in fide & virtutib. ſancto *Funerio* ſuo ſucceſſori dimiſit. Sanctæque ſollicitudinis copioſis meritis ditatus, in pace quæ Chriſtus eſt requieuit.

Mandetus.

Eodē die S. MANDETI Abbatis & Confeſſoris. Hic regali ſtemmate

oriundus *Herdeo*, ſcilicet Rege Hiberniæ & *Gietuſa* Regina, ab ipſo ortu diuino cultui dedicatus ab iiſdem fuit. Cùm enim parentes nouem filios procreaſſent, decimum Mandetum in gratiarum actionem decimantes, ad diuinæ maieſtatis obſequium decreuerunt educandum. Itaque literis traditus quo melius eiſdem operam daret, paterna domo relicta, longiſſimas terrarum oras adiit. Contigit autem vt defunctis nouem fratribus, Mandetus à regni proceribus quæreretur, atque inuentus Regiæ cuidam puellæ matrimonio traderetur inuitus. Qui virginitatem quam Deo vouerat violare timens, orauit ad Dominum, vt immiſſa infirmitate, à deſponſata virgine odio haberetur. Qui continuo pro piæ mentis inſtantia exauditus ex ægritudine adeo fœtere cœpit vt quiſque exhorreſceret ad eum accedere. Hinc facilè impetrata diſcedendi licentiâ, ab infirmitate paulò pòſt conualuit, diuináque ope nexibus coniugij expeditus, totum ſe diuinæ ſeruituti quam regno prætulerat mancipauit. Suſcepto igitur cum duobus aſſeclis Bothmaclo & Tudeto, religioſo ſcemate, fragili nauicula in minorem Britanniam traiecit, appulſúſq. ad portum qui dicitur benedictus, pone vicum Leheluam in ſaltuoſo loco ſubſtitit aëris inclementiæ expoſitus, vbi cum ſociis Angelicæ mētis puritate Deo ſeruiens, herbis & radicibus crudis, hauſtúque propinqui fontis vitam ſuſtentabat, cùm venatores Childeberti Regis Francorum illic ex improuiſo tranſeuntes, repertos pios illos ſyluicolas in oratione proſtratos, vbi ſancto horrore correpti cum reuerentia, de patria déque cauſa abceſſus & vitæ inſtituto interrogaſſent: commiſerati tantæ auſteritatis, Dacgio tractus illius Comiti rem vt di dicerant renunciârunt. Qui accerſitum mox Mandetum cum aſſeclis, magna veneratione ſuſcipiens, neceſſaria condendo domicilio ac oratorio eiſdem vel inuitis cum alimoniæ prouidentia impertiuit. Cuius Comitis filium puerum à fratre inter ludendum ſagitta tranſuerberatum ac mortuum, Mandetus dum cœnobiolum extruebatur, vitæ per orationem reſtituit. Inſulam etiam ad ſolitariæ vitæ cultum ſibi eodem à Dynaſta conceſſam, ſerpentibus & venenoſis quibus ſcatebat herbis fuſa ad Deum prece expurgauit. Sed diaboli inuidia in ſeceſſu tam apto Deo operantem Mandetum diù quietè agere non permiſit, ſed dirè eum aggreſſus cùm ſuperare non poſſet, quidquid die Mandetus ipſe illic cum ſociis extruebat: nocte ſequenti demoliebatur, piíſque viris illudens orationes eorum impediebat. At Mandetus hac moleſtia ſe ſuóſque tandem liberauit: fidei magnitudine deuictum hoſtem expellens, quem viſibiliter inſecutus in maris vorticem præcipitauit. Abſoluto igitur

cœnobio, anachoretas ibi pleroſque acciuit Dei ſeruus, quibus mira vitæ innocentia, pietatis feruore & præclaris religionis exercitationibus, ſigníſque mirificè præluxit. Ob quæ patentis in eo diuinæ gratiæ teſtimonia ab Epiſcopis Britanniæ ſacrum in ordinem adlectus, ſacerdotio etiam honoratus, poſtquam ab ipſis Præſulibus quibus admodum charus & venerabilis erat, ſuum monaſterium vidiſſet conſecratum, filióſque in omni religione inſtitutos: iam nihil appetens quàm Solis iuſtitiæ faciem conſpicere, eius ad beatam ſpeculationem & æternum quod inde manat gaudium, ſpiritum puriſſimum emiſit. Apud Lerinum

Evda. ſancti Evdonis Monachi & Confeſſoris, ſancti Maximi Abbatis præcipui diſcipuli., à quo ob probatas virtutes quarum ornatu cæteris antecellebat ſpeciali exiſtimatione habitus, Calmeliacenſi nouo aſceterio rector delectus, id non tam ſtructuræ mole, quàm religionis ſanctiſſimæ diſtricta obſeruantia, in perennem pietatis arcem & ſublimem virtutum aulam prouexit: demúmque placido fine conſummatus deſiderio cœleſtis patriæ potitus eſt. Ambianis inuentio & tranſlatio corporum,

Valerivs & Lvxor. Chriſti glorioſorum Confeſſorum Valerii & Lvxoris. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confeſſorum, atque Sanctarum Virginum.*

Edmundus. Colitvr hodie deuoto populi concurſu Toloſæ in Eccleſia ſancti Saturnini, iam pridem ibi delatum ac conditum corpus S. Edmvndi Angliæ Regis & Martyris, hoc ipſo die iuſtitiæ laurea, & martyrij palma Dei munere decorati.

Vndecimo Kalend. Decembris. Luna

21 C I.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
18	19	20	21	22	23	24	25	25	26	27	28	29	30			

SS. Deigenitrix. Præsentatio Sanctæ Mariæ Virginis. Quæ feſtiuitas cùm apud Græcos iampridem fuiſſet celebrata, vt Sanctorum Patrum Germani Epiſcopi Conſtantinopolitani & Georgij Nicomedienſis indicant de ea habitæ conciones: inde in Eccleſiis Galliarum recepta eſt, ex deuotione Caroli V. Chriſtianiſſimi Francorum Regis cognomento Sapientis., vt teſtatur eius Epiſtola data ad Nicolaum de Arceiis Epiſcopum Autiſſiodorenſem ipſius præcipuum Cōſiliarium. Cuius Regis pietatem ea in re ſummi Pontifices Pius Secundus, Xiſtus Quartus, & Paulus Secundus collaudantes, Apoſtolicis ſuis apicibus, eandem celebritatem propagârunt per vniuerſum Occidentem,

ſpiritualiáque munera ex theſauro militantis Eccleſiæ, iis qui deuotè idem feſtum colerent impertierunt. Metis ſancti PAPPOLI Epiſcopi & Confeſſoris. Is *Arnoaldum* in ordine ſequens, meritis ſic æquauit, vt pari ſplendore ſanctitatis, pari vigilantia, nec minori ſapientia populo ſuo prælucens ſedem hanc colluſtrârit. honoris autem cœlitum augendi & ſanctæ religionis prouehendæ ſtudioſus, ad vrbis ſuæ mœnia monaſterium aſcetarum ordinis ſancti Benedicti ſub patrocinio beati Symphoriani Martyris, (cui ſpeciali deuotione affectus erat) fundauit. In quo, poſt prorogata iuſtitiæ opera, & abſolutum dignè paſtorale officium funere merito tumulatus, beatitudinis ſigna prodidit, & nomen ſanctitatisglorioſè factis auguſtum, ſacris Metenſis Eccleſiæ dyptychis, inter ſanctos Præſules eiuſdem, reliquit conſignatum. PAPPOLVS.

Caturci in Aquitania I. ſancti NAMPHASII Confeſſoris. Qui Caroli Magni conſanguineus, virtute & annis clarus, at religione imprimis præſtans: cùm in Aquitania attritam ægrè cerneret ſanctæ Eccleſiæ faciem, per illata templis, cœnobiiſque à Saracenis paulò antè ex Hiſpania in hanc regionem haud ſemel erumpentibus excidia, & incolarum corrupta per horum impietatem ingenia: expellendis vi armorum fœdorum illorum Iſmaëlitarum reliquiis, reſtituendis ſacris locis, pietatiſque moribus in mentes popularium refigendis, intenta contentione deſudauit. Réque diuinis auſpiciis ad optatum perducta, cùm Carolus Magnus debellatis prorſus his impiis, purgatâ prouinciâ, inſtaurata religione, victor interiorem in Galliam rediiſſet; Namphaſius de ſæculari militia ad ſpiritualem haud ſine ſuperno afflatu tranſiens, prope Caturcum ſubſtitit, inueſtigatóque circa Marciliacenſe monaſterium, aptum ſeceſſui quem meditabatur locum: inter dumeta & vepres eremum feris & belluis tantùm agnitam deprehendit, quam ingreſſus oratorium ibi vetuſtiſſimum ſancto Martino dicatum reperiens, ibidem commorari ad diuinis rebus inhærendum conſtituit. Déque Ambroſij ſanctiſſimæ vitæ Epiſcopi Caturcenſis licentia ædificatâ inibi amplioris ſtructuræ Eccleſiâ, erratorum veterum pœnitens in planctu, lachrymis, ſuſpiriis, ieiuniis ac orationibus contriti cordis ſacrificia Deo, magna in humilitate, puritate & feruore immolauit: donec iam ſenio grauis à tauro cornupeta, obuio, quem bubulci per incuriam laxauerant impetitus, inſultibus in ſolum proiectus, ac cornu in ventrem vibrato dirè læſus ac tranſuerberatus, fuſis viſceribus cum ſanguine, in magna patientia & deuota oratione ſanctam animam exhalauit. Ferũt effuſa viſcera manibus ſuſcepiſſe, atque ad oratorium ſancti Martini detuliſſe, vbi NAMPHASIVS.

demum diuina maieſtate adorata, ſanctíque tutelaris imploratis ſuffragiis, deficiens, æterna in pace quieuit. Eodem in loco, cui iam Canhaco nomen honorificè ab accolis ſepultus eſt vir ſanctus, ad cuius ſepulchrum in dies noua miracula fiunt. Cæterùm cùm infirmi, quocumque grauentur incommodo, beari ipſius patrociniis ſubleuētur, maximè ij qui morbo comitiali laborāt, ſancti Confeſſoris auxilio imploraro, Domino qui glorificatur in honore Sanctorum aſpirante, ſua ab infirmitate liberanrur.

COLVMBANVS. Item ſancti COLVMBANI Abbatis, viri Apoſtolicæ gratiæ & virtutis, qui ortu Hibernus, Pictos ad fidem conuertit, propagandæque ſanctæ religionis deſiderio in Gallias tranſiens ſanctam Pharam parentum culpa viſu orbatam, apud Meldas illuminauit, & Chriſto deſponſauit: Fontanenſe & Luxouienſe monaſteria in Burgundia fundauit. Sed inde vrgente Brunechilde Regina, quæ tantum ſanctitatis lumen non ferebat, in exilium iuſſu Regis Theodorici pulſus, Veſuntione aliquandiù apud ſanctum Nicetium Archiepiſcopum ſubſtitit, ac demum in Italiam progreſſus apud Inſubres condidit nobile cœnobium Bobienſe: vbi edita multa filiorum Dei progenie, partíſque vberrimis iuſtitiæ lucris, clarus miraculis felicirer expirauit.

AVTBOTVS. Lauduno Clauato rranſitus ſancti AVTBOTI Confeſſoris, teſtificatione diuinæ gratiæ conſpicui. Qui cùm diuino zelo Chriſti nomen in Attrebatis mulra cum fruge laborum prædicaſſet, Laudunum veniens ad viſitandam ſanctæ Deigenitricis Eccleſiam, ibidem curſum piæ conuerſationis expleuit, ſigníſque poſtea fulſit emeritæ beatitaris. Colitur præcipuè in pago Vancourt, haud procul ab Attrebato, vbi patronus habetur.

VENERANDVS. Aruernis tranſlatio ſancti VENERANDI Epiſcopi & Confeſſoris. Cuius ſacratiſſima pignora Arbertus Epiſcopus petitioni annuens Guidonis Scoti Abbatis Illidiani, in hierotheca concluſit, & ſuo annulo obſignauit. Sed tamen ſancti Confeſſoris nonnullam partem pulueris & oſſium dimiſit in ipſius beati tutelaris capella, ſub altari infrà priſtinum eius ſepulchrum, ſub analogio factum.

ALBERTVS. Remis ipſa die Natalis ſancti ALBERTI Epiſcopi Leodienſis & Martyris, necnon ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis illic à ſicariis Henrici V. Cæſaris, pro defenſione libertatis Eccleſiaſticæ nequiter interempti. Quem Paulus V. inter Martyres vindicatos adſcribens, Apoſtolico diplomate colendum honore congruo præcepit, inſtante Alberto pio Belgarum Principe, qui corpus ſanctiſſimi Præſulis in gremio conſeruatum Eccleſiæ Remenſis, à Ludouico XIII. Galliarum Auguſto impetratum, iuſſúque Ludouici Archipræſulis Remorum,

ac poſtea Cardinalis de tumulo leuatum, per Melchiorem de Marconnay Epiſcopum Briocenſem, magna ſacri apparatus celebritate: inde conſpicuo comitatu Bruxellas tranſuexit, ſuiſque humeris illatum in ſacram ædem Carmelitarum Virginum diſcalceatarum intulit, die vndecima Decembris, anno ſalutis milleſimo ſexenteſimo duodecimo, aſſiſtentibus Guidone Bentiuolo apocryſiario Apoſtolico, deinde Cardinale; Matthia Machlinienſi, & Ioanne Cameracenſi Archiepiſcopis, Alfonſo Roſonenſi in Dalmatia Epiſcopo; Abbatibus plurimis ſacris inſignibus ornatis, cum aulæ proceribus pleriſque, & copioſo populo. Huic beato Martyri quid ſimile cum ſancto Thoma contigit, in eo quod ſimili ferè de cauſa necatus cùm fuiſſet, technis impij Principis: Deo pugilis ſui huius, vt illius, iuſtitiam miraculis propalante, ſicut Henricus Rex Angliæ necis ſancti Thomæ indignum facinus erubeſcens & horreſcens, veniam peccati implorauit: ita Henricus Germaniæ Imperator facti pœnitens, ad cor poſtea rediit: inque reſipiſcentiæ ſignum duas aras apud Leodium munificè dotauit, quo pietatis opere, per interuentum Martyris admiſſum ſcelus expiaret. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confeſſorum, atque Sanctarum Virginum.*

PIE in Chriſto obdormiuit ALBERTVS Patriarcha Hieroſolymitanus, pronepos *Petri* Ambianenſis cognomento *Eremitæ*, qui Vrbano II. Papæ auctor belli ſacri extitit. Porro ſanctus hic Patriarcha Brocardo Priori, cæteriſque fratribus in Carmelo degentibus, vitæ regulam, quam hodiéque ſeruant monachi Carmelitæ, dedit. Atque viuus & mortuus miraculis multis claruit: vnde toto hoc in ordine ex ſedis Apoſtolicæ indulto ſacris honoratur officiis. Eodem die apud montes Hannoniæ pura clauſit lumina beatæ memoriæ IDA Leuenſis, Virgo ſanctimonialis in Rameya monaſterio Brabantiæ: columbæ pennis deargentatæ in pallore auri, caſtitatis decore & feruore charitatis ſcilicet decorata. *Albertus.* *Ida.*

Decimo Kalend. Decembris. Luna

22 D *.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
19	20	21	22	23	24	25	26	26	27	28	29	30	1			

AVGVSTODVNI Æduorum ſancti PRAGMATII Epiſcopi & Confeſſoris. Hic poſt Euphronium ſanctitatis admirandæ Præſulem, ob raram ſapientiam & nitidos mores ſedis huius ad regimen admotus: quæcumque ad crediti gregis ſalutem conferebant, ſedulo curauit, & impleuit, intentus verbo *SS. PRAGMATIVS.*

prædicationis, operibus ſanctæ conuerſationis, & diuinarum li-tationum officio. Poſtquam verò Epaonenſi Concilio ad tutelam Chriſtianæ ſanctitatis & Eccleſiaſticæ diſciplinæ interfuiſſet: editiſque illic triginta nouem decretis de ſacra œconomia ſubſcripſiſſet cum ſanctiſſimis qui conuenerunt Epiſcopis; in pace conſummatus, ſalutis miniſterij bene & feliciter exacti, emeritum percepit à Domino donatiuum. In monaſterio Lu-
COLVMBANVS. xouienſi ſancti COLVMBANI monachi, diſcipuli B. Columbani Abbatis. qui & eius conſanguineus cum ipſo de Hibernia egreſſus, in Galliam venit, ſanctæ eius conuerſationis non minùs imitator quàm teſtis. A quo fundato Luxouienſi aſceterio ibidem reſidens aſcitis religionis tyronibus, magno obſeruantiæ ſanctæ exemplo præluxit. Iámque maturus gloriæ, quamuis minimè annis prouectus, in extremum delapſus morbum, cùm ad Chriſtum arderet proficiſci, ipſius ſe aſpectibus vir ſplendidus ſiſtit: quominúſque eum valeret adhuc tunc de corpore educere, ait Abbatem ſuum Columbanum orationibus ac lachrymis ſuis remorari. Quod ille audiens in fletus ſolutus, ſanctum Patrem rogat per nuntium, vt tranſitum ſuum nolit impedire, quin potiùs huic piis ſubſidiis faueat. Venit ad filium pater, ſacrámque Euchariſtiam ei porrigit, quam vbi ille ſuſcepiſſet, petito ſumptóque pacis oſculo, de patris licentia migrauit in pace, ſepultúſque ipſo in monaſterio miraculis ſe viuere beatum oſtendit. Ipſo die
CALMELIVS. in Aruernia ſancti CALMELII Confeſſoris. Qui nobilitate clarus, opibus potens, ac pietate inſignis, cingulo militiæ poſito, ſæculi repudium & Chriſti, cui ſe deuouerat obſequium, à peregrinatione quam fecit ad limina Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli inchoauit. In quorum honorem in regione Vellaunorum ad radices montis Monſencij agri Anicienſis, Monaſterium ædificauit: vbi adiunctis ſibi ſociis aliquot, diſtrictam vitæ rationem ſecutus eſt, ſub ductu ſancti Eudonis, quem à ſancto Maximo Lerinenſi petierat atque ſuſceperat ſui & aſſeclarum rectorem: qui monaſterium ſumma religione gubernans, alumnos ad perfectæ vitæ obſeruantiam perduxit. Cæterùm Calmelius ſanctum vt inſtitutum, quo à tam excellenti pædagogo imbutus erat dilataret, interiori in Aruernia nouum monaſterium conſtruxit, vbi vita ſanctiſſimè peractâ, ſui zeli ac indefeſſi laboris pro Chriſti honore & animarum acquiſitione ſuſcepti, emeritam obtinuit à iuſto Domino mercedem. Item ibidem
SABINIANVS. ſancti SABINIANI Confeſſoris, qui ſanctum Theofredum ſecundum Calmeliaci ipſius cœnobij Abbatem, martyrio coronatum ſepeliuit. Cuius in vicem ſacro in regimine ſuffectus,

poſt multos iuſtitiæ progreſſus, particeps eiuſdem beatitudinis effectus eſt. Apud Laudunum Clauatum ſancti GOBERTI Confeſſoris, meritis diuinæ glorificationis præclari. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confeſſorum, atque Sanctarum Virginum.* Gobertus.

COLITVR hodie in Hibernia ſancta OSMANA Virgo regia, cuius corpus ſanctum in beati Dionyſij regali monaſterio decenti cum honore quieſcit. *Oſmana.*

Nono Kalend. Decembris. Luna

23 E xxix.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	p	q	r	ſ
3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
20	21	22	23	24	25	26	27	27	28	29	30	1	2			

NATALIS ſancti CLEMENTIS Papæ & Martyris, Apoſtolorum coadiutoris præcipui, Gallicanæque Eccleſiæ (cui primos paſtores dedi.) pij parentis & peruigilis prouectoris. Cuius ob beneficij eximij gratam memoriam, ſanctus Illidius Epiſcopus Aruernenſis deuotè in ſanctum hunc Pontificem propenſus, ſepulchrum eius diuinis clarificatum prodigiis adiit: ibique Martyrem tantum multò cum ſpiritus ardore veneratus, ita feruidis ſuis efflagitationibus profecit, vt diſponente Dominó partem illius reliquiarum, *brachium ſcilicet eius dextrum* in munus piæ peregrinationis acceperit. Quod pretioſum pignus lætus ſuos ad Aruernos afferens, in oratorio ſeu martyrio quod *Vvinebrandus* vir illuſtris & religioſus, ſuo hortatu ad hoc extruxerat in ſuburbio Aruernenſi, ſub arca altaris collocauit, atque ſuo obſignatum ſigillo recondidit: ſacrata in ipſius glorioſi Martyris venerationem ædicula. Quam Clodouæus Magnus peculiari cultu honorans, indominicatam cum appendiciis, chariſſimæ ſuæ filiæ *Theodechildi*, diuinis flammis incenſæ, cum multis aliis locis quæ intenta pietate foueret, dono dedit. At fluxu temporis ſtructura cùm collapſa eſſet huius ſacræ ædis, *Bego* Epiſcopus & *Mancidius* Illidianus Abbas, cùm dolerent ſancti Clementis memoriam ruina imminente ipſius Eccleſiæ ſepeliri, deſtructa veteri fabrica, nouæ ampliorìſque molis decreuerunt erigere baſilicam. Igitur brachium ſancti Clementis quod ibi conditum ſciebant, defoſſum ex antiqui altaris ſitu, in ſcrinio eburneo affabrè facto recondiderunt. Recentíque Eccleſiâ in honorem ſancti Martyris dedicatâ, ad altare ipſimet nuncupato re- SS. Clemens Romanus.

poſuerunt ſpectante populo, Cleróque athletam diuinam laudibus multis proſequente anno circiter nongenteſimo nonageſimo quinto, ſexto Kalendas Iulij, quo die ſignatâ in diptychis Illidianæ baſilicæ ſancti Clementis Eccleſiæ eſt dedicatio, feſto duplo maiori recolenda. At nonſatis erat diuinæ bonitati Galliam fulcire brachio dextro ſancti Clementis; cuius robore à fœdo dæmonum cultu & ſeruitute fuit per ſummiſſos Euangelici muneris præſtantes operarios, erepta. Capite tandem ipſo, ex quo ſalutaria illa conſilia proceſſerunt, quibus in Chriſti regnum aſſerta fuit, cuiúſque benedictorum ocellorum Apoſtolicis ſpeculationibus, fuit irradiata: placuit etiam eius miſericordiæ Galliam ipſam decorare ac munire. Cui adeo pretioſum pignus cœleſti munere acceſſit, eo tempore quo Conſtantinopoli à Francis capta: hinc, ex aſceterio ſancti Clementis, vbi ad peculiarem cultum ab Imperatoribus Græcis ſub Monachorum ſancti Baſilij obſeruantia iampridem collocatum fuerat, non ſine ſuperno fauore ſublatum, & poſt multa viarum diſcrimina ad Cluniacenſe Archimonaſterium aduectum fuit, per Dalmatium de Sarceio militem fortiſſimum & Poncium de Buſſeria virum æquè nobilem ac pium eius ſocium, qui ſacratiſſimum ſpolium in manibus Hugonis V. Cluniacenſis Cœnobiarchæ & religioſorum eius depoſuerunt. A quibus honorificè & cum ingenti lætitia ſuſceptum, in capſa concluſum argentea, cum aliis pretioſiſſimis beatorum lipſanis reconditum eſt anno Chriſti triumphantis milleſimo ducenteſimo ſexto, VI. Kalendas Auguſti, ſicut illa die in his diptychis legitur memoratum. Metis ſancti CLEMENTIS vrbis illius Apoſtoli. Qui Romanus ciuis à ſancto Petro baptizatus ac Epiſcopus conſecratus, ab ipſóque in Galliam ad hanc ciuitatem directus cum *Celeſtio* Presbytero & *Felice* Diacono aliiſque præſtantiſſimis myſtis, tantæ vrbis ſubiugationem ſub Chriſti imperio, eius diuinis fretus auſpiciis, feliciter iniit ac peregit. Primúmque cùm ad hoc ſolum perueniſſet, vt facinus adeo memorandum fauſtè aggrederetur, non impetu irruendum, ſed ſedatè ac manſuetè vt Chriſti fert ſpiritus progrediendum ad tantum opus, exiſtimauit. Quapropter non ipſo in aditu Mediomatricum ingreſſus eſt: ſed in cauernis, vt ferunt, amphitheatri, quod extra vrbem ſitum erat, ſubſiſtens cum ſociis, ad diuinam opem profuſis orationibus ac ieiuniis promerendum, primum illic hoſpitium habuit: eóque loco oratorium conſtruens, altare ibi ſtatuit, in quo Chriſtianæ litationis ſacras primitias ſummæ Triadi obtulit, ſanctíque Petri ſui præceptoris memoriam ibidem conſignauit. Opus diuinum ſic à diuina ado-

Clemens Metenſis.

ratione exorſus, vrbem famoſam pleriſque gloriæ titulis: at horrendis dæmonum ſuperſtitionibus offuſam ſuis cum aſſeclis ingreſſus eſt: ciuibúſque nouum Chriſti nomen, at æternum vnicúmque numen ſalutare, cœleſti qua pollebat facundia prædicauit. Cooperantéque ſibi diuina miſericordia maximam ex eis multitudinem à ſordidis idolorum cultibus, & erroris cæcitate liberatam, ſedula admonitione & admirandis operibus, ad veræ fidei ſplendorem primus illis oſtenſor iuſtitiæ & index veritatis perduxit. Quibus cœleſti fonte abluendis, & in fide erudiendis iis qui in dies ad ſe confluebant, baptiſterium conſtruxit. Cùm autem quotidie maior ad diuinum gratiæ & veritatis patefactum lumen fieret acceſſio, vt creſcebat credentium numerus ipſa in vrbe, iis colligendis & paſcendis tres Eccleſias excitauit. Prima ex his fuit ſub ſancti Petri nomine, in qua & ſedem paſtoralem conſtituit. Altera haud inde procul, quam ſancti Stephani titulo inſigniuit, ad quam demum tranſlata cernitur pontificalis ſedes. Tertia in monte Iouis è quo pſeudonuminis illius idolum profligauit, erecto illic crucis Chriſti trophæo à quo & ipſam voluit nuncupari. Extra ſepta verò, quoniam & accolæ ad purum Chriſti cultum repudiatâ ſimulachrorum ſpurcitiâ certatim ex vicinis locis concurrebant, tria itidem condidit oratoria: quorum illud fuit præcipuum, in quo ſub ſancti Ioannis Chriſti præcurſoris nomine baptiſterium publicum erexit: ſed & in crypta arenaria, in qua ingentem draconem exitiali halitu vrbem propinquam inficientem fuſa prece extinxerat: aram erexit *Deo viuo infernalium monſtrorum domitori*, in Petri Apoſtolorum principis, cuius charum habebat nomen, recordationem. Demúmque poſt nefandum dæmonum cultum ferè abolitum, poſt animarum myriades verbo vitæ Chriſto progenitas, poſt erecta tantarum victoriarum trophæa, patratáque in comprobationem diuinæ veritatis ſtupenda quæque opera, poſt exactos in procuratione myſterij gratiæ annos tres ſuprà viginti, tréſque menſes: ornatam tot meritis animam, defixis in cœlum oculis, Chriſto Regi gloriæ, cui adeo ſtrenuè ſeruierat reddidit, beatæ æternitatis præmio munerandam. Sepultus eſt vir beatus in illa crypta, quam ſibi ad ſecretæ orationis officium foderat: vbi iis refulſit gloriæ radiis, quibus quam grata Deo fuerint præſtita ab ipſo in opere ſalutis obſequia, perſpicuè innotuit: ſuper quam inde extructâ Eccleſiâ ſub ſancti Felicis nomine, tandem quod præpolleret diſcipulo magiſter titulo, merito & miraculis, *Clementis beatiſſimi Metenſium Protopræſulis* iure cœpit, quo adhuc claret nomine inſigniri. Cæterùm *Heri-*

manus venerabilis huius vrbis Antiſtes, anno Domini milleſimo nonageſimo, ſexto Nonas Maij, ſancti Clementis corpus ex crypta ipſa expromens, in Eccleſiam ſuperpoſitam ſolemniter inuexit. Quâ iam Abbatia titulo ſancti Clementis illuſtris ad vitandam imminentis vrbi obſidionis cladem, demum dirutâ: titulus eiuſdem intra vrbem tranſlatus eſt, cùm pretioſa ſancti huius Pontificis capſa gemmis quidem ornata plurimis: at magis venerandis oſſibus eiuſdem cœlitis ditata. Teſtantur porro antiqua Eccleſiæ Metenſis monimenta, locum prima eius habitatione ſanctificatum, ſignum adhuc inditæ ſanctitatis retinere: cùm vſque in præſentem diem nullus ſerpens ibi conſiſtere queat, ſed omnino noxiæ peſtes locum illum refugiant, vnde olim veræ ſalutis

PHALETRVS. flumina emanârunt. Ipſo die Carobryæ in Bituricis ſancti PHALETRI Preſbyteri & Confeſſoris: qui patria Aquitanus ex vrbe Lemouicenſi clara prognatus ſtirpe, ab ipſo pueritiæ flore, à ludicris & omni voluptate animum auocans, diuinis ſeſe totum obſequiis addixit. Sacræ igitur militiæ poſt tyrocinia literarum adſcriptus, ea vitæ continentia & morum integritate inter omnes effulſit, vt à Cuthberto Epiſcopo ſacris præter votum meruerit initiari. Sed honoris impatiens quem auctum iri verebatur, procul abſcedere decreuit. Ideóque luſtratis pleriſque cœlitum veſtigiis, loca Chriſti cunis, vita ac funere conſecrata, deuoto animo viſitauit. Hinc Romam profectus à Stephano Papa, ob clara ſpecimina ſanctitatis benigniſſimè ſuſceptus eſt: Apoſtolorúmque & Martyrum adoratis ſepulchris, in Aquitaniam rediit, & Agenni pauliſper ſubſiſtens, Vadiæ cuidam mutæ à natiuitate ac cæcæ loquelam & lumen reſtituit: agróſque huius tractus iam ab aliquot annis aëris iniuria vaſtari ſolitos, fuſis ad Deum piis gemitibus alter Helias cuius lingua clauis cœli erat, ab his procellis liberauit. At concurſus & venerationis ideo ſibi delatæ pertæſus ſolum vertit, hincque ad Aruernos perrexit, vbi quinquennium traduxit miris operibus ſimul ac ſanctis collucens, ob quæ inuitus ab Epiſcopo ad ſacerdotium cùm prouectus fuiſſet: non diù poſt hinc cœleſti afflatu diſceſſit. Duce igitur Angelo Carobryam locum circa fines Bituricos horridum ſilueſtrémque petiit, vbi mappali oratorióque extructo, cum adlectis puræ vitæ imitatoribus totus Deo intentus hæſit, ea religione & abſtinentia ſe gerens, vt ceu portentum ſanctitatis ab alumnis ſuſpiceretur. Fulſit ibidem diuinæ virtutis ſibi inſitæ inſigniis: dæmones enim ab obſeſſis, mero nutu fugabat, & ægros quoſque ſui veſtimenti tactu, etiam cùm abeſſet reddebat incolumes. At id perfectæ viri innocentiæ diuinum fuit indicium:

cium: quòd cùm infantulorum ſanare languores ipſimet cœlitus datum eſſet, vndique ad ipſum quaſi proprium eorum opitulatorem, preſſi hac tabe infantuli deferebantur. Qui tandem poſt ſexageſimum ætatis annum in perfecta pietate, charitate & religioſæ vitæ exercitatione decurſum, ſuperno oraculo de exceſſu beato præmonitus, ſuſcepto cum ingenti deuotione & reuerentia viuifico agni immaculati corpore, omni deinceps carnali alimento abſtinuit, fratribúſque paterna adhortatione ad pacem & dilectionem excitatis, inter illorum lachrymas & pia vota expirauit. Cæterùm ſuo in oratorio conditus prodigiis vitæ prioris ſanctimoniam perenniter oſtendit.

In Haſbania ſancti TRVDONIS Preſbyteri & Confeſſoris. Qui cùm magnam ſibi virtutis & pietatis laudem collegerit, tum maximè benignitate in pauperes enituit. Tradunt ex nobiliſſimis parentibus qui multas ditiones habebant in Flandria, Haſbania, Campania progenitum, mortuis parentibus, conſilio ſancti Remacli beatum Clodulphum Epiſcopum Metenſem celebris ſanctimoniæ adiiſſe, ibique quidquid in Haſbania patrimonij habebat Eccleſiæ Metenſi in honorem ſancti Stephani reſignaſſe. Cúmque ſanctus ille Pontifex præſtantem moribus, pietate & eruditione cerneret, illum non modò ordinaſſe preſbyterum: ſed ob Apoſtolici ſpiritus clara ſpecimina eundem ad verbum Dei in patria ſua diſſeminandum remiſiſſe. Vbi quod puer vouerat templum magnificè conſtruxit ad riuulum Ciſidriam, extructúmque in honorem ſancti Quintini Martyris, & beati Remigij Francorum Apoſtoli per ſanctum Theodardum Epiſcopum Traiectenſem curauit conſecrari. verbum inde Euangelicum locis ombus circumiectis magna ſedulitate prædicauit: paganiſmum nondum plenè depulſum ſtudioſiſſimè profligauit. Cúmque multi adoleſcentes caducis contemptis in eius contubernium recipi flagitarent, eorum cauſa monaſterium fundauit opulentiſſimum. Incredibile memoratu eſt quæ ſiue viuens, ſiue mortuus miracula ediderit, vir ſanctiſſimus, qui ætatis anno ſexageſimo in prædicto monaſterio glorioſum Chriſto ſpiritum reddidit. Oſtenditur eius corpus tot mirabilium Dei perpetuum inſtrumentum in vrna ibidem pretioſiſſima conditum, ad cuius venerationem qui confluunt pij clientes, deuotionis ſuæ præmium per præſentem ſancti tutelaris opem paſſim conſequuntur. Ipſo die in territorio Cameracenſi ſancti SARI Preſbyteri & Confeſſoris in ſancti Andreæ Came-

TRVDO.

SARVS.

raceſij cœnobio quieſcentis: vbi ex Cameraco tranſlatus cum ſancta Maxellendi Virgine per Gerardum primum Præſulem, delatos ſuæ beatitati honores, magna opitulationum munificentia, auſpice Chriſto, cuius fidelis olim ſeruus, iam glorioſus amicus eſt, compenſauit. Colitur autem ſanctus Confeſſor etiam in Lambriæ pago apud Duacum eius loci tutelaris, quod ibi vixiſſe in ſancta conuerſatione memoretur. Eodem die in Brabantia monaſterio Nungellenſi depoſitio ſanctæ VILFETRVDIS Virginis & Abbatiſſæ, quæ neptis ſanctæ Gertrudis gregi dominico plurimis ſanctitatis exemplis præluxit: magnáque meritorum meſſe collecta, ad æternæ pacis & gloriæ properauit fruitionem. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confeſſorum, atque Sanctarum Virginum.*

VILFETRVDIS.

Adela. BEATA ADELA ſancti Trudonis mater fœmina pientiſſima: (quæ erat ex Auſtraſiorum Ducum ſanguine:) iuſtitiæ, pietatis & miſericordiæ meritis cumulata, hodie migrauit feliciter ad Dominum. Sepulta eſt in pago ſuo hæreditario Zelem, non longè ab oppido Diſtenſi in Brabantia, vbi magna in veneratione habetur. Pars maxillæ eius, cum oſſe magno corporis in monaſterio ipſius ſancti Trudonis etiam religioſè obſeruatur. Eodem die molem carnis exuens pium ſpiritum ad Dominum emiſit GVILELMVS de Siligniaco Pariſienſis Antiſtes ex Epiſcopo Autiſſiodorenſi, libertatis Eccleſiaſticæ ſua ætate incomparabilis aſſertor, Dei verbi præco eximius, ſacræ Theologiæ lucidator ſolertiſſimus: cuius *ſummam* ſcripſit etiamnum conſpicuam. Librum etiam *de diuinis officiis*: qui quam decori Eccleſiæ eſſet amans & peritus ſacrorum rituum perſpicuè prodit. Comperitur de pio hoc Præſule: quod Pariſiis cùm ægrè videret complures mulierculas turpi corporis quæſtu viuentes, eaſdem aſſiduis concionibus & conatibus tandem de lupanaribus extraxerit: háſque meliorem ad frugem conuerſas cùm in cœtum aggregaret, regula muniérit ſanctiſſima. Ad cuius obſeruantiam cùm non ignauiter intenderent, emeruerunt vt à ſancto Ludouico Rege *Filiarum Dei* cognomine inſignirentur. Quiquidem Rex optimus cùm eis monaſterium conſtruere propoſuiſſet, eo loco vbi nunc cernitur celeberrimum Theologorum Sorbonæ collegium: à Roberto ſuo Confeſſario, qui hoc gymnaſium ibi ædificare cupiebat, diſſuaſus, ipſarum Monialium ædem in ſancti Lazari fundo via regia erexit. In qua ducentæ tum recenſitæ ſunt, quibus ex theſauro ſuo cenſum tunc non inſufficientem aſſignauit: fundationem probante *Guilelmo III.* vrbico Præſule, qui poſt Bartholomæum biennij Antiſtitem, præfato Guilelmo de Seligniaco non immeritus ſucceſſit. Obiit verò iſte de quo agimus pio fine apud ſanctum Clodoaldum ipſo hoc feſto ſancti Clementis. Vnde corpus eius ad Pontiniacenſe cœnobium delatum, ibi vt præceperat ſepultum eſt. Tranſiit deinde illud monialium ſodalitium, in familiam ordinis Fontis Ebrardi: in quo hodiéque cenſetur multo religionis ſplendore coruſcans.

Guilelmus.

Octauo Kalend. Decembris. Luna

24 F XXVIII.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
21	22	23	24	25	26	27	28	28	29	30	1	2	3			

APVD Blauiam ad Garumnam fluuium in Aquitania ſecunda ſancti ROMANI Preſbyteri & Confeſſoris: qui vita & ſanctitate conſpicuus, doctrináque Euangelica & ſcientia ſalutis pollens, pagum hunc circumiectámque regionem, magnis coruſcationibus vtriuſque gratiæ illuſtrauit. Atque animas innumeras Chriſti placitis obſequentes, verbis, factis, ac diuina virtutis oſtenſione reddidit. Cùm autem tanta meritorum eminentia clarus in Chriſto obdormiſſet, à ſancto Martino virtutum eius ſpectatore ac veneratore, (qui opera eius in ethnicæ ſuperſtitionis abolitione vſus fuerat,) honorificæ ſepulturæ ibidem traditus eſt. Porro tutelam loci diuinitus creditam magno ſplendore ſuum poſt obitum perennauit, ſoli ſalíque potentem ſe indicans. Cùm & terræ clades, & fluminis rapidos curſus, caſúſque impendentes nauigantibus, cohibere pretioſa apud Deum interceſſione promeruerit, ſicut ſanctus Gregorius Turonenſis, qui ipſius ope à ſe exorata, frænatos vidit exitioſos fluminis illius tumores, graui relatione teſtatur. Corpus huius cœlitis à Dagoberto Rege ex Aquitania interiorem in Galliam traductum, ab ipſo in inſigni cœnobio ſancti Dionyſij ſibi dilectiſſimo piè repoſitum eſt, vbi etiamnum quieſcit. Ipſo die Lutetiæ Pariſiorum ſancti SEVERINI Monachi & Confeſſoris. Qui flammis diuini amoris ſuccenſus, quicquid non Deus eſt paruipendit; terren quáe cuncta deſpiciens vt Chriſto frueretur, prope hanc ciuitatem in cellula ſe incluſit, vbi abſtractus ab omnium conuictu & conſpectu ea ſanctitate floruit, vt decore & ſuauitate diuinarum virtutum vrbem ipſam vniuerſam in ſui amorem rapuerit ac admirationem. Quibus glorioſis pietatis inſigniis concuſſus ſanctus Clodoaldus Clodomiri Francorum Regis filius, ad eum à ſæculo perfugiens, ſanctæ religionis inſtitutum eo doctore didicit, atque huius militiæ teſſeram de ſacris eius manibus ſuſcepit. Non modicum ex hoc vtrique acceſſit decus. Nam Clodoaldo magnus honor fuit tanti Dei amici operâ, Chriſti iugo mancipari. Et Seuerino id ad celebritatem nominis ac meritorum laudem hinc additum eſt, quòd in ſcientia ſancti-

SS. ROMANVS. SEVERINVS.

tatis tantum diſcipulum erudierit: qui vt Elizeus alter magiſtri ſui Eliæ duplicem ſpiritum promeruerit. Cæterùm Seuerinus incenſo ſuis ſplendoribus hoc nouo ſidere, paulò pòſt ad lucendum in perpetuas æternitates in firmamento gloriæ, ſolo exemptus cœlo exceptus eſt. Sanctitatiſque & vitæ planè Angelicæ relictâ immortali memoriâ, ibidem in cellula vbi pridem mundo mortuus, Chriſto viuus ſeruierat digno funere conditus, meritorum fulgore è tumulo ſuo erumpente inſignem baſilicam ſui nominis excitauit, quæ parœciali titulo & Archipreſbyteriali honore iamdudum in vrbe regia præeminet. Corpus tamen ſancti Confeſſoris hinc maiorem ad Eccleſiam pridem delatum, in ſacrario ſanctiſſimæ Deigenitricis multis cum cœlitum venerandis pignoribus, in lipſanotheca religioſo cultu ſeruatur.

PORTIANVS. In territorio Aruernenſi ſancti PORTIANI Abbatis. Qui de ſeruo liber, per felicem Chriſti ſeruitutem euaſit: déque puſillo magnus, ipſo cultu humilitatis in Dei conſpectu factus eſt. A quo & miraculis honoratus, ſigno crucis cæcum illuminauit, diabolum ſibi moleſtum profligauit, vaſculum fregit venenoſo potu impletum, placauit Theodoricum Regem in Aruernia furentem, populum ab excidio ſubduxit: demúmque placido mortis ſopore defunctus, poſt funera in tumulo ſe viuentem diuinæ virtutis ſignis oſtendit. Claromonte Aruernorum tranſlatio

RVSTICVS. ſancti RVSTICI Epiſcopi: cuius clarus eſt natalis die decima quarta Septembris. Ipſo die Præmonſtrati Archicœnobio ſuſce-

GEREON & ſocij. EVVALDI ambo. VIRGINES S. VRSVLÆ SODALES. ptio ſanctarum reliquiarum beati GEREONIS Martyris, & aliorum pugilum ex legione Thebæorum: necnon duorum Chriſti Confeſſorum EVVALDORVM, ac aliquot SANCTARVM VIRGINVM EX SANCTÆ VRSVLÆ SODALITIO: quas ſanctus Norbertus ordinis Præmonſtratenſis Patriarcha, poſtquam diuina aſpiratione pretioſum ſancti ipſius Gereonis corpus per tot ſæcula latens, indutum adhuc veſte militari, integrum intactúmque Coloniæ inueniſſet: potiori eius parte donatus, in munus tanti beneficij accepit: atque ad matricis Eccleſiæ ſui ordinis munimen & decoramentum, Præmonſtratum, magno cum ſpirituali gaudio aduexit: atque ibi in ſanctuario cum ingenti reuerentia collocauit. Sed tamen horum aliqua portione diſtractâ, quam Ermenſendi coniugi Godefridi Namurcenſis Comitis, ad ornandum monaſterium Floroffienſe, quod illa nuper fundauerat, impertiuit. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confeſſorum, atque Sanctarum Virginum.*

Svpernas hodie petiit ſedes beatæ memoriæ Lvdovicvs Comes, fundator monaſterij Arenſtenij in diœceſi Treuirenſi ordinis Præmonſtratenſis. Qui piiſſimus Dynaſta caſtrum ſuum in prædictum Cœnobium conuertit: factúſque ibi humilis aſceta, claſſis quam vocant conuerſorum, poſt multiplicata pietatis opera, feliciter obdormiuit in Domino. Apud Pontiniacum tumulatio ſancti Edmvndi Cantuarienſis Epiſcopi, qui ibi iuxta quod prædixerat die ſtatuta reuerſus, hoc eſt reuectus poſt felicem in Soliaco aſceterio mortem: quatriduo poſtquam ſuſceptus eſt à Pontiniacenſibus cœnobitis, honorificè ab iiſdem traditus eſt ſepulturæ. Obiit ipſo die in Brabantia Nicolavs Ciſterciensis monachus, vir miræ in pauperes miſericordiæ: qui Dominum Iesvm in forma pueri inopis, tempore niuis, apparentem recipere inter brachia meruit. *Ludouicus.* *Edmundus.* *Nicolaus.*

Septimo Kalend. Decembris. Luna

25 G xxvii.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
22	23	24	25	26	27	28	29	29	30	1	2	3	4			

Natalis ſanctæ Catharinæ Virginis Alexandrinæ & Martyris: cuius opem apud Deum præpotentem Chriſtianiſſimi Reges in ſacris bellis experti, cultum in gratitudinem ſibi præſtiti multis in periculis præſidij, in Galliam proſequendum perenni pietate inuexerunt. Qua deuotione incenſus ſanctus Ludouicus ad regiæ vrbis mœnia nobile monaſterium Canonicorum Regularium ſub inuocatione ſanctæ ipſius Chriſti ſponſæ & athletæ, excitauit. Cuius lapidem primum poſuit, cenſúmque aſcetis dedit eo pacto, vt pro animabus anteceſſorum Regum, maximè verò Philippi Auguſti, & Ludouici VIII. aui nimirum & parentis ſui, pias preces & ſacrificia propitiatoria impenderent. Deuota admodum fuit in hanc beatam *Ioanna Arcia*, ſceptri Gallici inclyta vindex, quæ admonitione ipſius ſanctæ Catharinæ ſibi in oratione non ſemel apparentis, tam arduum opus æternúmque memorabile aggreſſa eſt: enſéque ſibi per ipſam deſignato munita: (quem ex vico Turonenſi, memoria fanóque ſanctæ Catharinæ nobili, liliis diſtinctum, vt monita fuerat, ſibi fecit afferri:) hoſtibus regni mirabiliter profligatis Carolum VII. Regem, diademate auito inſigniendum Remos magna felicitate perduxit. Hincque ſanctæ Catharinæ nouo iure opitulationis obſtricta Gallia, tanto vberiorem ei rependit venerationem, quanto opportuniori ac magis admirando ſubſidio, virgo ipſa per virginem, regni rebus collapſis ſuffragata eſt: Chriſto auſpice & *SS. Catharina.*

IIii iij

largitore, qui Chriſtianiſſimum Imperium ferè exciſum, hoc ſingulari miraculo, quo beatam Catharinam clarificare dignatus eſt, priſtinum in decus reſtituit. Ipſo die in territorio Metenſi prope Marſalium natalis ſancti LIVARII Martyris. Qui contra Barbaros ſtrenuè pro fide & patria decertans, in prælio captus, quódque Chriſtum eiurare nollet capite plexus, deciſas ceruices vectitauit longè à loco agonis, ad montem vſque vbi greſſus ſiſtens, demum ex Dei nutu tumulatus eſt: iiſque inclaruit prodigiis quibus quantum coram Domino mors eius fuerit pretioſa vicinis & remotis populis innotuit. Hinc tamen à *Theodorico* Præſule, qui tantum theſaurum tuto vt in loco collocaret, ab agro in vrbem tranſuexit, in baſilica ſancti Vincentij, quam nuper nobili opere ſtruxerat, repoſitus fuit multo cum honore. Ibi verò tandiu quieuit Martyr beatus, quouſque delatus ad parœcialem ſui nominis Eccleſiam (decerptis aliquot oſſiculis, quæ pro hoſpitij fœnore apud ſanctum Vincentium retenta ſunt:) in hac, ad hos vſque dies, congruo decore ac cultu obſeruatur. Mons verò in quo trophæum erexit & mauſoleum elegit, perenni victoriæ eius monimento diuinitus coruſcat, manante ex ipſius Martyris tumuli meatibus fonte ſaluberrimo, cuius hauſtu, glorioſi militis Chriſti clientes, percipiunt in dies optatam morbis medelam. Lemouicis ſancti IVSTI Preſbyteri & Confeſſoris. Hic cœleſti lumine irradiatus, cùm octauum adhuc ætatis annum ageret, inuitis parentibus, qui ethnicæ ſuperſtitioni dediti erant, ad Eccleſiam pergens cum ingenti ſpiritus feruore, inter Catechumenos adſcribi enixè poſtulauit. Ablegatus hinc à parentibus ad paſcendos greges, diuini ſermonis germen ſedula meditatione excoluit. Iámque Angelis ob innocentiam & pietatem charus, ab his à grandine deiiciente homines & pecora, in agro illæſus ſeruatus eſt. Poſt parentum funera Lemouicam reuerſus, baptiſmi gratiam recepit: cúmque aliquando è baſilica ſancti Martialis in qua frequentius orabat egrederetur, cæcum Chriſti inuocatione illuminauit. Poſtmodum profectus ad ſanctum Hilarium Epiſcopum Pictauienſem ſingulare tum lumen religionis, aſcitus ab ipſo in diſciplinam & contubernium; ob nitidos mores, & perſpicuam Spiritus ſancti gratiam Preſbyter ordinatus eſt, atque ad Pettacorienſes directus, prædicatione Euangelica cùm fideles confirmauit, tum pleroſque ethnicos conuertit; hæreticos autem qui Arianiſmum exitioſa manu ſpargebant, forti reluctatione repreſſit. Deinde reuerſus ad ſanctum Hilarium præcipuus ei hæſit aſſecla ac

LIVARIVS. IVSTVS.

cooperarius, cui & morienti cùm aſſiſteret, & odorem percepit ſuauiſſimum, & lumen perſpexit ſplendidiſſimum, quo ille ſpiritum beatum exhalando, totum cubiculum perfudit. Is Iuſtus ille eſt, qui ſedulus beati Antiſtitis comes glorioſa eius facinora quæ viderat, veraci ſtylo deſcripſit. Ex cuius charta, quæ diu à poſteris multa religione ſeruata eſt, *Hildebertus* eruditiſſimus ſuo æuo Epiſcopus, teſtimonia tanquam exploratæ auctoritatis Turonis in Patrum conſeſſu laudauit. Nec verò ſolùm geſtorum ſancti Hilarij fidelis ſcriptor fuit Iuſtus, ſed & morum ac miraculorum ſuſpiciendus imitator. In quibus, mira frequentíque captiuorum liberatione Pictauis inclaruit. Quem ideo Pictauienſes euidentia eius ſanctitatis commoti, in demortui ſancti Hilarij locum ſufficere cogitârunt, atque reipſa ſublegiſſent, ni humilitatis diſcipulus tanto ſe oneri ratus imparem, ſemet maturè ſubduxiſſet. Romam igitur cum fratre pio voto profectus, ſpirantia illic ſanctitatis monimenta magno pietatis ſenſu inuiſit, adorauit. At cùm ex diuturno labore in morbum quem præſenſit lethalem incidiſſet, rheda reuectus in patriam, ibi munitus æternitatis pignoribus, beatam animam efflauit. Cuius pretioſum corpus in pago illo ſepultum eſt, cui deinde ob claram ſancti viri memoriam, eiuſdem charum cœlo nomen obtigit. Ipſo die in monaſterio Fontanellæ diœceſi Rotomagenſi ſancti HERBLANDI Monachi meritis præclari. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confeſſorum, atque Sanctarum Virginum.* HERBLANDVS.

BEATÆ memoriæ TOVSSANVS Monachus & Prior monaſterij Cluniacenſis, exemplo vitæ & ceremoniarum, monaſticarum obſeruantia venerabilis, tramitem mortalitatis expleuit: in cuius morte ſigna plurima diuinæ gloriæ apparuerunt. *Touſſanus.* Item Viennæ Allobrogum de morte ad vitam properauit piæ memoriæ IOANNES Monachus ordinis Cœleſtinorum, vir admirabilis abſtinentiæ: qui viuens Deo placuit, atque in teſtimonium gratiæ, diuinæ virtutis operationibus pro meritis honoratus eſt, quibus etiam exutus carne in tumulo refulſit. *Ioannes.* Placida itidem hodie morte quieuit venerandæ memoriæ GVILELMVS de Sardis ex Arelatenſi Archiepiſcopo, Hieroſolymitanus Patriarcha, poſteris multa relinquens pietatis monimenta, ac exempla Deo gratæ ſeruitutis. *Guilelmus.*

Sexto Kalend. Decembris. Luna

26 A 25. xxvi.

a b c d e f g h i k l m n p q r ſ
6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20 21 22

t u A B C D E f F G H M N P
23 24 25 26 27 28 29 1 30 1 2 3 4 5

SS. AMATOR. AVGVSTODVNI Æduorum ſancti AMATORIS Epiſcopi & Confeſſoris. Qui poſt illuſtrem Andochij & Thyrſi Apoſtolorum huius vrbis agonem, orbatam diù hanc Eccleſiam paſtorali cura recreauit, ſerióque operi diuino admouens manus, non modò gregis diſſipati reliquias collegit, at diuinæ vocis oraculo, ſanctæque operationis exemplo, & aſſidua animas lucrandi ſollicitudine, ouile Domini adaugens, populum ferè vniuerſum illius ciuitatis, ab antiquæ ſuperſtitionis erroribus, ad veram purámque Chriſti fidem conuertit, atque ad formam pietatis Chriſtianæ ipſam ciuitatem compoſuit. Demúmque ſtarutâ Epiſcopali ſpeculâ, ædificata Eccleſia, Clero ordinato, plebéque feliciter in ſcientia ſaluris erudita, ad præmia fidelis villicationis euolauit. Cuius veneranda ſpolia condita eo loco, vbi deinde ſancti Stephani à ſtrata Eccleſia inſurrexit, diuinis claruêre emeritæ cœleſtis coronæ inſigniis. Auguſtæ Treuirorum SEBAVDVS. ſancti SEBAVDI Epiſcopi illius Metropolis, qui poſt *Gaugericum* ſancti nominis Epiſcopum, hanc ex Dei placito Eccleſiam gubernans: ſic lectioni, prædicationi, & actibus quibuſque iuſtitiæ ac paſtoralis vigilantiæ inſtitit, vt ſuam ſuorúmque ſalutem his progreſſibus operatus, æternam emeruerit beatitudinem. BASSOLVS. In territorio Remenſi ſancti BASSOLI Eremitæ, qui in Aquitanica prouincia inclyto parentum genere apud Lemouicam vrbem natus, felici auſpicio metas infantiæ ſupergreſſus, iam à tenera ætate quantum ſpiraret Dei cultum parefecit. Relictis enim nugis & vitiis quibus illa ætas implicari ſolet, terebat frequens Eccleſias, inuiſebat monaſteria, pauperes tanta charitate proſequebatur, vt quicquid haberet facultatis præter quotidianum victum, in ipſorum ſolatia effunderet. Vix ex ephœbis egreſſus erat, cum Angelo duce, deſerta paterna domo, Remos perrexit deuotione ſepulchri beati Remigij viſitandi captus, cuius res miras audierat. Vbi ab Ægidio Archipræſule benignè ſuſceptus, propalato eidem piæ intentionis affectu, locum ad radices montis Remenſis, ad condendum ſecretioris conuerſationis habitaculum ab ipſo impetrauit. At priuſquam ſo-

litudinem incoleret, Monachis ſancti Columbani, qui prope ſaltum illum degebant ſe commiſit, à quibus ſic imbutus eſt regularis vitæ inſtitutis, & ſacræ ſcripturæ theorematibus, vt breui, ſomni ſapientia ac religione præcelleret. Hinc tandem horum conſuetudinem relinquens vt in ſeceſſu degeret, cacumen montis conſcendit, vbi cellulam cum oratorio conſtruxit, in quo annis quadraginta lectionibus & orationib. vacans, ſic ieiuniis carnem perdomuit, vt eius ſpiritus totus ab ea abſtractus, in Dei perfecto amore & cultu conquieſceret. Sed cùm ibi aquæ penuria laboraret, inuocato in ea neceſſitate Domino, protinus fons vberrimus de terra erupit, è quo non ſolùm ardorem ſitis deinceps temperauit: at ſi quis quacunque infirmitate detentus de eo delibaret, meritis viri Dei confiſus, feſtinam hinc reciperet ſoſpitatem. Tandem ſtudioſiſſimus eremi cultor ſuæ reſolutionis diem præuidens, *Balſemium* nepotem ſuum diuino nutu ad ſe euocauit: túmque onus deponens corporis, animam ad æthera tranſmiſit diuina ſpeculatione in gloria potituram. Sacri cuius artus eadem in cella ſepulti ſunt, vbi diuinæ clarificationis fulſerunt inde lumina. Ob quæ Hincmarus Archiepiſcopus ad monaſterium, quod in montis illius faſtigio in honorem Sanctorum Martini & Baſſoli recens conſtructum fuerat: eius corpus tranſtulit, in ſolemni Clericorum frequentia, cuius repoſitionis dies ob oſtenſa nunc magnalia deitatis, iam ab hinc tabulis ſacris inſcriptus colitur ab Eccleſia Remenſi anniuerſaria litatione, decimo ſexto Kalendas Nouembris: ſicut hoc in agiologio ſignatum eſt. Ipſo die, cœnobio Vendopera ſancti LEONARDI Abbatis illius loci & Confeſſoris: qui Chriſti mores præcipuo ſtudio imitatus, ea potiſſimum humilitate excelluit, qua infrà omnes ſe demittens, omnium ſe minimum exiſtimaret: eámque manſuetudinem exhibuit, vt perſecutores, ſuos diſcipulos efficeret. Cuius rei inſigne exemplum edidit, cùm apud Clotharium Regem delatus, quaſi aulicos ficta ſub religione alliciens, quicquam regno detrimentoſum moliretur: miſſos ad ſe expellendum regios miniſtros ea affabilitate excepit, iíſque officiis humanitatis ac charitatis complexus eſt, vt ipſi de ſua feritate compuncti, veniam non modò depoſcerent, ſed etiam ſub eius diſciplina Chriſto conſecrati, ſui ſæculíque abnegatores ſeſe ſeriò profiterentur. Sic Rex cùm cognoſſet virum Dei non aliis ad ſe homines trahere artibus, quàm philtris innocentiæ & charitatis, petiit ſupplex ſibi ab ipſo ignoſci. Calumniatores autem eius aula expulſos dignitatibus priuauit. Verùm Chriſti LEONARDVS.

diſcipulus pro æmulis enixè deprecatus, id precibus apud Regem effecit vt culpâ eis condonatâ, muneribus reſtituerentur. His ſimilibúſque ſtupendis operibus pietatis Leonardus emicuit: quin & illuſtratus diuinæ virtutis ſignis, vitam ſanctiſſimam morte feliciſſima conſummauit. Eodem die apud augu-
GENOVEFA. ſtam Pariſiorum Lutetiam veneratio ſanctæ GENOVEFÆ Virginis, ob beneficium pia eius apud Dominum intercesſione acceptum, *in miraculoſa ardentium infirmorum curatione*, quos in verendi peccati pœnam, ignis diuino furore immiſſus immaniter depaſcebat. Cuius opitulationis monimentum hodiéque prodit, non modò inducta in tanti beneficij gratitudinem præcepto Innocentij II. Papæ (qui non diù poſt factum miraculum Pariſios venit) annua feſtiuitas: ſed & ipſa Eccleſia ſanctæ Genouefæ nuncupata *de miraculo ardentium* perennem eius memoriam conſeruat, quæ in vico principalis baſilicæ Deigenitricis ſub eodem tempore extructa ſubſiſtit etiamnum parœciali titulo, at magis continua ſanctæ Genouefæ inuocatione inſignis. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confeſſorum, atque Sanctarum Virginum.*

Gunſtannus. PERREXIT ad gloriam beatæ memoriæ GVNSTANNVS Monachus conuerſus cœnobij ſancti Gildæ in Armorica ſub *Vitali* Abbate: à quo miſſus in tractum Pictauienſem, apud Monachos Malleacenſes curſum ſanctæ vitæ compleuit, vir miræ ſimplicitatis & innocentiæ, necnon raræ omnino pietatis, qui
Valterus. multis miraculis claruit. Felici etiam exitu quieuit VVALTERVS Prior Alnenſis, vir totus Chriſto deditus, cuius cùm arderet deſiderio, & quotidie illud feruenti hoc ex affectu replicaret: *quando veniam & apparebo ante faciem Dei?* Vocem demum illam audire meruit. *Regem in decore ſuo videbis.* Qua promiſſione lætificatus paulò pòſt exceſſit à ſæculo. Qui dum ſpiritum redderet creatori, ſtella luciduſſima, die clara & Sole ſplendente, ſuper locum eius migrationis apparuit: indicans quod ſancta illa anima Chriſto ſoli iuſtitiæ protinus coniungenda eſſet.

Quinto Kalend. Decembris. Luna

27 B xxiv. xxv.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23

t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P
24	25	26	27	28	29	1	2	1	2	3	4	5	6

SS. MAXIMVS. ALBECI Reiorum in Gallia Narbonenſi ſancti MAXIMI Epiſcopi & Confeſſoris, omni gratia virtutum ac ſignorum gloria præclariſſimi. Qui eiuſdem ſoli alumnus, cuius exinde pater, ab ipſis infantiæ rudimentis ita lubricos annos

morum maturitate caſtigauit: vt rarum in eo caſtimoniæ exemplum eluceret. Vbi autem per ætatem licuit, cunctis ſuis facultatibus quibus copiosè abundabat pro Deo abiectis, ſæculo valedicens Lerinenſe monaſterium petiit: vbi monachus factus, tam eximia vitæ integritate ac ſanctitate floruit, vt cunctis mirificè charus, ſancto Honorato Abbati ſuo, ſummis virtutibus ornatiſſimo, meritis haud inferior ſuccederet, *ex oue in gregis arietem commutatus*. Quo in munere cùm ſuprà ouile ſibi commiſſum paſtor bonus aſſiduè vigilaret, nocte aliis ſomno deditis, monaſterium luſtranti, horribili forma hoſtis humani generis apparuit: quem ſigno fugauit crucis, monachúmque huius ſpectri ſecretum teſtem atque exploratorem, qui præ ipſius terrore in febrim inciderat, ſua oratione ſanauit. Rurſum cùm pertinax dæmon, eidem ſancto viro ſub ſpecie ignei draconis occurriſſet, iterum ab eo expulſus eſt. *Eminebat in ipſo viri Dei habitu*, animi fortitudo: ita vt quiſquis in ſpecie exteriori, ipſam putaret expreſſam imaginem ſanctitatis. *Terribilis erat inceſſu, reuerendus aſpectu, metuendus ſeueritate, venerandus benignitate: auctoritatis cenſuram, humilitatis manſuetudine temperabat. Minabatur quidem frontis auſteritas, ſed cordis ſerenitas blandiebatur. Ac ſic conniuente in hoc diuerſitate gratiarum, Paulus apparebat in vultu, Petrus in ſpiritu. Huius enim pietatis æmulator, illius autem ſimulachrum erat grauitatis. Ita vt cùm præſentiam eius vix ſuſtineres, ferre non poſſes abſentiam. Internarum autem virtutum ſuarum formas ac ſpecies, ſicut nemo ad plenum inſpicere potuit, ita nemo ſufficit explicare, quas ille ſicut extollere ſtuduit, ita elaborauit occulere: ſed abſcondi non poteſt ciuitas ſupra montem poſita.* Tanta bonitatis fama vbique volitabat, & longè latéque fundebat odorem amœniſſimæ ſuauitatis. Ambiebant illum diuerſæ patriæ, ſed vel maximè proxima ciuitas, quæ territorij ac finium ſuorum ſuſpiciebat incolam, velútque proprium indigenam amplectebatur. Regium hæc erat, ciuitas clara Galliæ Narbonenſis, quæ obitu *Proſperi* celebris fama Antiſtitis, orbata patre, Maximum ſibi hoc nomine præfici cupiebat. Qua ille ſuſpicione perculſus, triſtem parat egreſſum, ac longinquum exitum meditatur. Sed repentino occupatus aduentu inſiſtentium ſacerdotum, in condenſa ſyluarum proſiliit. Irruentibus fidelium turbis, dum profunda eremi ſecreta verſantur, ſub nudo axe cœli trium dierum ac noctium imbribus verberatur, & fatigatâ perquirentium tandem induſtriâ, eorum manibus demum elabitur, inſtructóque nauigio ex dulcibus ſecedens locis, ad vltimos tranſuolat Galliæ fines: extremos hominum viſitat

Morinos, quos verbo, moribus, ſignis; docet, expolit, illuminat. Proditur demum ſidus perlucidum ſuis fulgoribus, atque ab ſedulis exquiſitoribus repertus demum vir ſanctus, inde abducitur, raptúſque potiùs quàm deductus ad ſedem, Epiſcopus ordinatur. Cum illo Regium ingreſſi ſunt non ſequaces extranei, *ſed proprij ac domeſtici ſuffragatores: principium ſapientiæ timor Domini, compunctio, purificatio, perfecta religio, & vniuerſus pietatis chorus; ſanctitas, benignitas, caſtitas, ſapientia, iuſtitia ſimul ac miſericordia. Dudum in Abbate ſeruus Dei Pontificem geſſerat: poſtmodum Abbatem in Pontifice cuſtodiuit, neglector quietis, fugax voluptatis, appetitor laboris, cupidus abiectionis, honoris impatiens, pauper in pecunia, diues in conſcientia, humilis ad merita, ſuperbus ad vitia*, cum Dei afflueret donis ſic in ſe excoluit vnamquamque gratiam, quaſi ſolam habuiſſet: paucíque ſic tenuerunt ſingulas, quomodo ille in ſe impleuit vniuerſas: quibus vndique plenus omnium cumulum ſecum commiſſam in Eccleſiam inuexit. *Sicut legitur in Euangelio de beata muliere, effracto alabaſtro vnguenti pretioſi vnguentum ſuper carnem Domini profudiſſe, ita glorioſa illius anima inito paſtorali officio latentes in ſe diuitias aperuit cœleſtium munerum, & de armario ſuaueolentium virtutum aromata ſanctificationum & gratiarum ſuarum, ſuper omnem hanc Eccleſiam quam quaſi in Chriſti corpus effudit, & ad ipſum caput membrum iuſtificationem tranſmiſit:* vt verè dictum ſit ab ipſo rerum inſpectore, *repletam fuiſſe vniuerſam hanc domum ex odore cœleſtis vnguenti.* At non virtutum ſolùm odore fragrantiſſimo hanc perfudit Maximus, ſed & illuſtrauit lumine. Siquidem ſignorum ſplendore quæ Apoſtolorum miracula exæquant, vrbem, regionémque totam perculit & impleuit. Nemo trophæa cenſere numero poteſt, quæ de hoſte filiorum Dei ſibi ſemper infeſtiſſimo, fide, oratione, Chriſti ſigno reuexit. Quin & mortis profligator, puerum defunctum puellámque ad vitam ſuſcitauit. Cæco refudit lumen, flatu ſuo rabidum canem extinxit, vulneráque ab eo inflicta puero, ſanauit. Pleraque alia admiranda diuinè operatus eſt, ſed piam eius animam nil ex his ſatiabat: cùm præter vitam quæ Chriſtus eſt nihil eſuriret, nihil ſitiret præter iuſtitiam. His cùm extabeſceret piis affectibus, Chriſtus tandem ipſum compotem deſideriorum effecit. Poſtquam enim vir ſanctus diù ad cœleſtes montes, præſtolans ſolatium, ſuſpexiſſet: vigilias in æde ſacra peragens quam ſancto Albano conſtruxerat, ac preces fundens, Angelico concentu recreatus eſt, ac inter beatos Apoſtolos Petrum & Andream, mutuo honore ſe inuicem præuenientes, in ipſius beati Andreæ (cui

impenſiùs

impenſiùs deditus erat) peruigilio, à *Cariattone* Subdiacono viſus eſt hymnos ac laudes diurnas alternatim cum ipſis recitare. Tempus migrationis ſuæ diuinâ admonitione cognouit & prædixit, ac in eodem cilicio quo pro interiori tunica perpetuò vſus fuerat, nec vnquam depoſuerat, ſepeliri voluit. Demum in lectulo ſuo repoſitus tanquam ſomnum placidè capturus, inter pſallendum feliciter in Chriſto obdormiuit. Cuius corpus cœleſti fragrans odore in ſepulchrum ſua in Eccleſia illatum eſt, quæ pignora eius ſacratiſſima etiamnum religioſè obſeruat, memoriámque in æternum benedictam, condignâ veneratione proſequitur: quæ & clara perdurat apud Morinos, ob eius illic Apoſtolici excurſus perſpicua monimenta, & in Vernonenſi oppido ad Sequanam, vbi reliquiæ eius aliquot ex Regienſi ſacrario deportatæ, omníque honore ſuſceptæ, in hunc vſque diem aſſeruantur. Ipſo die Nouiomi ſancti AICHARII Epiſcopi itidem & Confeſſoris. Hic ſancti Euſtachij celebris cœnobiarchæ Luxouienſis in Burgundia nobilis diſcipulus: ob claritudinem pietatis & doctrinæ ad regimen ſedium Epiſcopalium Nouiomenſis & Tornacenſis tunc vnitarum, poſt Ebrulfi obitum magnâ omnium ordinum conſenſione, Rege Clothario Magno iubente euocatus: primùm ſuum in Dei glorificatione ſtudium conſtituit. Videns enim Flandrorum gentem adhuc tenebris infidelitatis offuſam, omnem in eo operam poſuit, vt depulsâ erroris exitioſi caligine, horum mentes Chriſti lumine illuſtraret. Miſit igitur ad Gandenſes ſanctum Amandum Apoſtolicis donis præſtantem, cuius felici ore ac labore tandem hanc ciuitatem vindicatam à Dæmonum nexu, Chriſto Seruatori ſubegit. Porro cùm ob ſpectatam ſanctimoniam apud Dagobertum Regem, qui parenti Clothario ſucceſſerat, magnâ auctoritate valeret, id apud eum egit vt ſanctus Audomarus, qui reliquias infidelitatis ſuſtulit in Flandria, ad gubernandum Taruanenſem populum, Epiſcopus crearetur. Ipſe verò quod per alios promouebat diuinum opus, omni quô poterat nixu exequens, feliciter adimpleuit: ſummiſque in hoc officio pietatis exantlatis laboribus, ad emeritam demum proceſſit meritorum lauream. Sepultus eſt vir beatus extra muros vrbis in Eccleſia Apoſtolorum Petri & Pauli, in ſacello ſancti Georgij: ſuccedente in Epiſcopatu ſancto Eligio digniſſimo tanti deceſſoris hærede. Cæterùm ſanctus Aicharius diu poſt glorioſum tranſitum Henrico Canonico Tornacenſi apparens cum ſancto Eleutherio & Eligio, in glorioſo amictu, ſedem Epiſcopalem quam propriam per nonnulla ſæcula Tornacenſis Eccleſia non habuerat, breui reſtituen-

AICHARI.

dam prædixit: quod triennio pòſt contigit prece & conſiliō ſancti Bernardi, creato per Eugenium Papam III. Anſelmo peculiari huius Eccleſiæ Epiſcopo: anno gratiæ milleſimo centeſimo quadrageſimo ſexto. Tunc verò Henricus ipſe conſpexit in brachio glorioſi Pontificis Aicharij, hanc inſcriptionem fulgidis characteribus expreſſam, *In nomine Domini* IESV *per me mortuus reſuſcitatus eſt*. Quod Apoſtolicæ gratiæ mirandum opus, à geſtis ſancti Præſulis quæ ſupererant in libris, exciderat.

EVSICHIVS. In territorio Bituricenſi ſancti EVSICHII eremitæ, qui è condenſo nemore, vbi ſecretus ab omni hominum familiaritate ſe Dei amore incluſerat, miros emittens ſanctitatis fulgores, cùm iam agnitus ab incolis ſæpiùs pro ſolatio adiretur, magna per inuocationem almæ Trinitatis, & impreſſionem ſigni crucis, in curatione quorumlibet infirmorum, potiſſimum verò infantium à tumore afflictorum, faciebat. Febre quaternariâ laborantibus, aquæ benedictæ poculo ſanitatem reddebat. Munera quantumuis exilia reſpuens, aurum, diuitias, & quicquid mundus in pretio habet aſpernabatur. Vnde cùm Childebertus Rex in Hiſpaniam tranſmiſſurus, per eleemoſynam eidem quinquaginta obtuliſſet aureos, regium munus ſtrenuâ mente, ac aſperâ voce reiecit: Regem hortatus, *vt iis daret in manus, qui pauperibus erogarent: ſibi enim qui omnia in vno Deo collocaſſet, nihilo opus eſſe. At ſecurus eſſet Rex ipſe de proſpero exitu, victorem enim auſpice Chriſto, qui ſibi reſtrauerat, ipſum indubiè rediturum*. Abiit Rex viri Dei benedictione munitus, victórque ex vaticinio regreſſus, baſilicam ſuper defuncti interim ſancti ſenis tumulum, pia gratitudine erexit. Cuius memoria clarificata ſubſequentibus ſignis, diptychis Eccleſiæ Bituricenſis ad cultum exhinc manſit adſcripta.

ODA. Rodæ in Siluiducenſi agro ſanctæ ODÆ Virginis: quæ regiæ ſtirpis Hibernicæ proles, à primæuo flore ætatis irradiata gratiæ ſupernæ lumine, ſuam Chriſto virginitatem dedicauit: cuius ſeruandæ ſtudio à facie patris fugiens, qui ad nuptias eam trahere volebat, eò conceſſit, vbi per ſanctitatis vitæ obſequium abſoluto puri ſui cordis & corporis holocauſto, demùm dignam Deo efflauit animam. Rodæ ſepulta eſt felix virgo pro Chriſto peregrina, cuius caſta membra Orbertus Epiſcopus Leodienſis, ob ſigna patentia gloriæ de terra leuauit. Ad quæ ſubinde crebreſcentibus prodigiis, *Hildeuaris* nobilis & pia matrona Canonicos, ad ſplendidum deitatis cultum, & ſanctæ Virginis honorificationem, pia munificentia conſtituit.

AGRICOLA & VITALIS. Claromonte Aruernorum veneratio Sanctorum Martyrum AGRICOLÆ & VITALIS:

quorum reliquias ſanctus *Namatius* Epiſcopus à Bononia in Aruerniam transferendas curauit: & ſuſceptas in matrice Eccleſiæ ſanctiſſimæ Virginis Mariæ omni cum reuerentia collocauit, in qua exinde glorioſi ipſi Martyres ſanctis loci Tutelaribus annumerati hoc potiſſimum die, qui ipſorum tranſlationi ſacratus eſt, proprio in altari honorantur. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confeſſorum, atque Sanctarum Virginum.*

ABIIT ad Chriſtum piæ memoriæ GVILELMVS ex Abbate ſancti Albini humilis ſancti Bernardi in Claraualle diſcipulus, multis reuelationibus & ſupernorum ciuium familiari colloquio illuſtratus. Item FASTRADIVS primus Abbas Villarienſis, eiuſdem beati patris diſcipulus, à quo informatus pietatis diſciplinis, cæteros vbi ſuæ curæ commiſſos in perfectæ iuſtitiæ ac religionis tramitem direxit, conſummatus in omni opere bono de palæſtra virtutum properauit ad coronam. *Guilelmus. Faſtradins.*

Quarto Kalend. Decembris. Luna

28 F xxiii.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
25	26	27	28	29	1	2	3	2	3	4	5	6	7			

NATALIS ſancti STEPHANI dicti IVNIORIS Conſtantinopolitani Patriarchæ: qui cum multis commilitonibus, ſub Conſtantio Copronymo pro ſanctarum imaginum veneratione, variis excruciatus ſuppliciis, veritatem Catholicam Antiochiæ effuſo ſanguine confirmauit. Cuius brachium dextrum hinc aductum integrum prorſus cum carne, neruis, digitis & vnguibus: thecáque argentea pulcherrimè elaborata, & à duobus eiuſdem materiæ Angelis ſuſtentata recluſum, pernobilis ac piiſſima Vicecomitiſſa Meldenſis, dynaſta Vindeuillenſis: Canonicis ſancti Amati apud Duacum ſacro munere obſeruandum dedit: à quibus cum plurimis aliorum Sanctorum lipſanis cultu perpetuo conſeruatur. Maclouiopoli Natalis ſancti RVPHI Martyris, agone glorioſo coronati. Ipſo die ſancti GREGORII Papæ III. & Confeſſoris, qui dignus Apoſtolorum hæres, ipſorum & cæterorum beatorum venerandas imagines, magno pietatis æſtu contra Leonem Cæſarem Bizantinum Iconoclaſtam propugnauit: harum cultum orthodoxum ſcriptis eruditis, & viro Apoſtolico dignis, egregiè defendit. Exagitatus deinde à Luitprando Rege Longobardorum, infeſtiſſimo ſedis Apoſtolicæ hoſte, ad Carolum Martellum Fran- SS. Stephanus dictus Iunior. Rvphvs. Gregorius.

corum Principem, Ducémque fortiſſimum, Anaſtaſium Epiſcopum, & Sergium Preſbyterum, cum ſacris muneribus clauium ſancti Petri, honorificâ legatione dirigens, afflictæ matri ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, vt in preſſura ſuccurreret enixè obſecrauit. Eúmque denique titulo CHRISTIANISSIMI, ob præſtitum iam ſanctæ ſedi præſidium primus omnium illuſtrauit: quem deinde honorificentiſſimum titulum huius regni Regibus ſummi Pontifices ob egregia ipſorum Regum in Eccleſiam Romanam merita, perenniter tribuendo, proprium iiſdem fore, vt reipſa permanet, decreuerunt. Cæterùm beatiſſimus hic Pontifex, poſt nauatam Chriſti gregi paſcendo, tuendo, ampliando ſtrenuè operam: perfunctus glorioſis laboribus, à paſtorum Principe, cuius vices ſanctiſſimè obierat, euocatus eſt ad iuſtitiæ coronam: ſepultúſque in cœmeterio ſancti Petri clara ob ſanctitatis inſignia, ſacros qui cœlitibus deferuntur honores conſecutus eſt, hácque die ipſorum in faſtis ex decreto Eccleſiæ adſcriptus, æternam beati nominis retinet venerationem. Diuione ſancti HILARII Senatoris, & ſanctæ QVIETÆ eius coniugis: in quibus caſtitate atque omni tàm corporis quàm animi puritate florentibus, ſanctus Gregorius Turonenſis aureo illo in libro de Confeſſorum gloria, illud Apoſtoli, *Honorabile connubium & thorus immaculatus*, ſcribit fuiſſe perfectiſſimè conſummatum. Vnde ſanctæ prolis ex Dei dono parentes effici meruerunt. Nam ſanctum Ioannem Reomenſem Abbatem, virum ſtupendæ abſtinentiæ, pietatis & gloriæ, caſtis ex complexibus progenuerunt. Inſuper poſtquam bonorum operum collecta meſſe euocati ſunt ad præmium, miro decorati ſunt poſt mortem, gratæ Deo vitæ & mutuæ charitatis indicio. Poſtquam enim Hilarius deceſſit in mauſoleo, quod ex pario marmore ſtructum erat, conditus eſt. Víxque decurſo anni curriculo Quieta quoque diem obiit. Erat Hilarij ſepulchrum ita diſpoſitum, vt, duo poſſet corpora continere. Præceperat enim moriens, vt, coniuge defunctâ ſecum ipſa reconderetur. Quæ cùm de more abluta inferretur in tumulum, amoto cooperto-rio, ſubitò eleuatâ dextra vir charæ coniugis ceruicem amplexus eſt. Quo prodigio, ſpectator populus facilè animaduertit, quàm pura, quàm accepta Deo fuerit duorum illorum coniugum dilectio, qui ſe ita in Dei timore amauerunt, vt potiorem in Dominum refuderint charitatem: itáque connubio indulſerunt, vt honoratam à Chriſto coluerint caſtitatem. Hoc diuino teſtimonio clarificati ſunt ambo illi iuſti, quibus

HILARIVS & QVIETA.

& ille acceſſit honos, vt propter inſignis iuſtitiæ merita, eorum tumulus in crypta ipſa collocaretur: vbi inclytus Chriſti Martyr humatus erat Benignus, ad cuius ſepulchri dexrram cùm poſitum fuiſſet ſancti Euſtachij mauſoleum: ipſorum vrna ad læuam eiuſdem Martyris fuit depoſita. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confeſſorum, atque Sanctarum Virginum.*

MIGRAVIT ad Chriſtum Poſnanniæ, beatæ memoriæ CASIMIRVS Rex Poloniæ huius nominis primus, qui ex Monacho Cluniacenſi, ad ſuæ gentis principatum diſpenſatione Benedicti VIII. Papæ euectus, in pupillos & viduas clemens & beneficus, confecto in Dei timore vitæ curſu, ſanctæ religionis (cuius habitum ex ſola obedientia exuerat) non amiſit aliis compenſatam meritis remunerationem. Obiit quoque in Belgio feliciter GVNFRIDVS Clariſmatici monaſterij primus Abbas, dotibus Angelicæ conuerſationis ſigniſque ſanctitatis nobilis. Item piè deceſſit GVILELMVS Abbas Ciſtercienſis XIII. qui vt vitam pulchris moribus decorauit, ſic & ſuum ordinem ſanctis fulſit ornauitque inſtitutis. Ipſo die Turonis in decrepita ſenectute curſum peregit Pater PETRVS Haquenier ordinis Minimorum quattùm apud ſuos Prouincialis: cuius eximia pietas, nunquam ſatis laudata, virtutibus quibus ad cumulum ornatus erat ſupremum decus impoſuit. *Caſimirus. Gunfridus. Guilelmus. Petrus.*

Tertio Kalend. Decembris. Luna

29 D xxii.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	p	q	r	ſ
9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
26	27	28	29	1	2	3	4	3	4	5	6	7	8			

VIGILIA ſancti ANDREÆ Apoſtoli. Ipſo die Toloſæ natalis ſancti SATVRNINI Epiſcopi & Martyris, in Galliam à ſancto Clemente, cum beato Dionyſio aliiſque ſacramenti pietatis & operis gratiæ propagatoribus directi. Cuius Apoſtolicæ miſſionis auſpicia, iam in natali ſancti Dionyſij oſtenſa ſunt. Acceſſus verò eiuſdem ad Toloſam, ibique prædicationis Euangelicæ fauſta exordia, & progreſſus per Aquitanicam & Narbonenſem Galliam, in ſancti Papuli ſui præcipui ſymmyſtæ trophæo die tertia huius menſis prænarrantur. Quem Papulum cùm vice ſua Toloſæ paſtorem nouo Chriſti gregi præfeciſſet: ipſe Saturninus cum Honeſto Preſbytero, diuini verbi ampliori diſſeminatione concepta, Nouempopulaniam petens, Eluſæ Vaſconum Metropoli, cui Chriſti nomen hactenus inauditum fuerat, ſalutiferæ eius prædicationis primitias erogauit. Cuius felici energia, adductis ad diuinum lumen gratiæ & fidei pleriſque incolis, ſub Virginis Deiparæ titulo ſacram condidit ædiculam, eiſque Pa- SS. ANDREAS. SATVRNINVS.

ternum dedit primum animarum curatorem. Hinc digreſſus, ad vicum Vallis-claræ paululum ſubſiſtens, illuſtratis ibi quorumdam animis, oratorium erexit, ac ſacrauit in memoriam ſancti Petri, Chriſti amoris in oues vicarij, iam beati. Ex qua origine inſurrexit poſtea in monte proximo Eccleſia Auſcienſis, quæ Eluſâ dirutâ, Metropolis Auxitaniæ titulum ac honorem quo iamdudum potitur, recepit. Sic Nouempopulaniæ luſtrata, nec modicùm illuſtratâ cœleſti ſplendore prouinciâ, Chriſti præco indefeſſus, ad Hiſpaniæ quæ ſideribus pietatis orbata erat colluſtrationem animum intendit, excitus Paterni ipſius gemitibus, qui Toleto ad eum veniens, ei gentis illius deſolationem notificauerat. Ne quid verò diuinus nuntius obuium præteriret, Pompeiopolim Vaſconibus ad Pyrenæorum montium radices poſitam, vrbem amplam & munitam, quam per Honeſti excurſum iam explorauerat, facibus illuminandam diuini luminis aggreditur, eáque vi ſermonis & operum magnificentiâ ciuium mentes perculit, vt miræ eorum mox factæ ſint à tetra dæmonum religione, ad agnitionem & cultum Dei ſeruatoris conuerſiones. Ferunt antiqua illius Eccleſiæ monimenta, prædicante illic ipſo Saturnino, ſubitò concurſus ciuium factos fuiſſe creberrimos. Intra triduum verò contigiſſe, vt viſis ſignis multiplicibus, atque prodigiis quæ in confirmationem dictorum edebat: *quadraginta millia* gentilium eius in verba conceſſerint, qui veri Dei numen vnicum confitentes adorantéſque, expiati ſunt ab eo lauacro ſalutis; quorum coryphæus extitit Senator *Firminus*, vberioris poſtea ſementis irrigator. Non his ſtetit lucris Saturninus, quem ea quâ ardebat, ſalutis animarum cupiditas, quietum ſibi non ſinens, ad copioſiores impulit pretioſæ huius mercis, cui parandæ Chriſtus ipſe vitam profudit, addendos quæſtus. Toletum igitur Tarraconenſis Hiſpaniæ antiquam ciuitatem ampliſſimámque Metropolim ad Tagum fluuium ſitam, Chriſtúmque (cuius gratiæ latices martyre Eugenio propinante iam prælibauerat) ſitientem, ipſiúſque opem intimè cupientem, magna fiducia proſperi ſucceſſus adit, ingreditur, flammis diuinæ gratiæ illuminat, & inflammat: deinde aquis vitalibus abluit, irrorat, ſanctificat. Biennium exequendo ſalutis opus hic exegit vir diuinus, Epiſcopi non modò obiens munus, ſed & proprij Apoſtoli officio defungens. Interim Papulus quem Antiſtitem Toloſanis dederat, martyrio abripitur. Huius audito agone Saturninus Toleti fidelibus *Honeſto* commendatis, feſtinè Toloſam reuertitur, ne orbata Præſule nouella plebs (quam à ſe primogenitam teneriori affectu diligebat) circumfuſa hoſtibus

Chriſtiani nominis, iterata damna reciperet. Viſo parente deſideratiſſimo mirum in modum lætificati ſunt, obfirmatique credentes: ad cuius aduentum omnia in melius ceſsēte. Nam præſente ipſo pietas refloreſcere, Eccleſia augeri cœpit. Dæmonum verò oracula ceſſare, commenta ipſorum nudari, artes detegi, & omnis illorum apud Gentiles potentia omníſque fallacia: Chriſtianorum increſcente fide, decreſcere. Cùm enim vir Dei è domo ſua in Eccleſiam ſæpiùs in die iterando, coram Gentilium fano quod Capitolium dicebatur tranſiret, præſentiam ſuam fallax dæmonum turba ſuſtinere non valens, ad ſacrilega obſequia, & ad conſulentium vota omnino obmutuit. Cuius rei nouitate ſtupefacti impiæ ſuperſtitionis cultores, impetu facto Saturninum corripuerunt, & in arcem Capitolinam traxerunt, vbi magnis vociferationibus comminati ſunt ei diriſſimam necem, ni more patrio ſacrificaret. At ille Deo vero & viuo, non autem dæmonibus ac truncis, qui ad ſui homunculi, quòd verum vnici omnium conditoris ſeruatoríſque numen coleret, colendúmque aſſereret, occurſum obmutuerant, ſeſe immolaturum aſſeuerauit. Quibus ſancti Epiſcopi verbis auditis, impia illa turba magno furore excandeſcit; pugnis, calcibus, fuſtibus Chriſti teſtem tundit: at magis Chriſti præconium attollentem, demum tauro ad victimam deſtinato alligat, quem acribus concitat ſtimulis. Efferata beſtia, per ſcalas Capitolij ruit præceps, Saturninum diſtraxit, caput eius illiſit, cerebrum excuſſit, ac penitus membra diſcerpſit. Sic occubuit glorioſo agone Chriſti inclytus teſtis & Antiſtes, cuius laceros artus, cùm nec quippiam piorum colligeret; duæ fœminæ ſexus infirmitatem fidei virtute ſuperantes dilaniatum ſacrum cadauer ſurripiunt, & non tam ſepeliunt quàm in profunda ſcrobe recondunt, vbi longo pòſt tempore fuit à ſancto Hilario Toloſano Epiſcopo repertum. In cuius honorem poſtea beatus Exuperius baſilicam à ſancto Siluio prædeceſſore ſuo cœptam feliciter conſummauit & ſacrauit, vbi in hunc vſque diem quieſcit & aſſeruatur ſancti tutelaris corpus in lipſanotheca pretioſa: quam ipſi ciuium pietas, educto de veteri capſa reponendo dedicauit, anno milleſimo ducenteſimo octogeſimo tertio, die vigeſima quinta Iunij. Habuit ad hunc beatum deuotionem ſingularem Carolus Magnus, qui vt baſilicam tanti Martyris toto orbe auguſtam redderet, illam theſauro omni auro & gemmis longè pretioſiore ditauit, ſex ſcilicet Apoſtolorum venerandis corporibus, plurimorúmque aliorum beatorum Martyrum, Confeſſorum & Virginum ſacratiſſimis exuuiis: quibus etiamnum ornata ne tota quidem Gallia, ſed

& vniuerſo orbe ſplendet & coruſcat. Antiquam baſilicæ huius molem cum ſtructura noua excuſſiſſet: Vrbanus II. Papa anno milleſimo nonageſimo ſexto, Indictione quarta, nono Kalendas Iulij, ipſam Eccleſiam ad ſpecialem cultum glorioſi Martyris Saturnini ſolemni ritu dedicauit, choro ſtipatus ſeptemdecim Antiſtitum ſibi aſſiſtentium: inter quos exteri etiam adfuêre Toletanus & Piſanus Archiepiſcopi. Cultus certè ſancti Saturnini plurimùm eius miraculis dudum auctus, reliquiarum eius aliquot per varia Galliæ loca diſperſione: quæ Eccleſias ipſi ſacras plurimas excitârunt. Ex quibus antiquiſſima omnium illa cenſenda venit, quam ſanctus Vrſinus in honorem ſancti Stephani Protomartyris, & ipſius ſancti Saturnini, Bituricis ædificauit. In quem etiam ſpeciali deuotione propenſus ſanctus Vvandregeſilus Abbas Fontanellæ in agro Rotomagenſi, Eccleſiam in monte ſuo monaſterio impendenti conſtruxit. Nec cenſeri minutim poſſunt parœciales Eccleſiæ, oratoria, ſacella in memoriam tanti cœlitis toto Galliæ ſinu condita. Carpentoracti in Viennenſi

Siffredus. Gallia ſub ſede Metropolica Auenionenſi ſancti Siffredi Epiſcopi & Confeſſoris. Is ex Campania ortus, à Patre *Albano* viro nobili & prædiuite, ad Lerinenſe monaſterium, moribus ſanctis & literis informandus, ſub ſancto Cæſario tum celebri aſceterij illius Abbate adductus eſt. Vbi ipſe *Albanus* diſruptis ſæculi nexibus, ſeſe itidem Chriſto mancipans: poſt exactum ſanctæ conuerſationis decurſum, in pace quieuit vigeſima ſexta Iulij. Porro Siffredus feliciter in omni literarum diſciplina excultus, at magis morum ſanctimonia ornatus: eo mox ſplendore gratiæ emicuit, vt in diuinæ virtutis iam organum mirabile euaderet, tantâ contra dæmones vi præualens, vt de obſeſſis corporibus eoſdem, fuſa oratione dominica, facilè expelleret. Ambiebant iam plerique Galliarum Clerici hunc Epiſcopum, Monachi Lerinenſes Abbatem, Cæſario tranſlato ad Pontificium Arelatenſe, depoſcebant: ſed vir Dei ſe imparem paſtorali oneri aſſerens, enixè refragabatur. Et præualuit quidem aliquandiù eius recuſatio. Sed beato Iuliano Præſule Vendacenſi, qui inter Patres Epaonenſis Concilij non ita diù conſiderat, de humanis ſubducto, tanta contentionis vehementia à Clericis illius Eccleſiæ expetitus eſt, vt vim neceſſe fuerit illum perpeti: qui renitens & coactus, abreptus ex eremo Lerinenſi Arelatem ductus eſt ad ſanctum Cæſarium, vt in Epiſcopum promoueretur. Perſuaſit dilectiſſimo alumno ſanctus Pontifex tandem, vt tam feruidis Clericorum non modò, ſed & ciuium votis aſſentiretur, quò talenta ſibi diuinitus concredita in cupidæ plebis ſalutem

opportunius impenderet. Ceſſit paternis monitis vir beatus, ſuſceptóque onere, iam cùm nouus ſacerdos & Pontifex ſe ad Deo ſacrificium offerendum præparaſſet, omnibúſque de more pacis oſculum impertiretur: cæcum ordine ſuo oſculatus, eidem crucis dominicæ indito ſigno lumen refudit. Omen illud fuit interni luminis, quòd offuſis ſæculi caligine mentibus, ſanctis prædicationibus & exemplis redditurus erat. Et ſacerdotij quidem munus à ſe inchoauit, qui viua Deo hoſtia factus, aſſiduâ mortificatione carnem ſuam immolabat. Panem itaque mediocrem neceſſitate potiùs ſumens quàm voluntate, aquam ad menſuram, paruulo lenticulæ edulio corpuſculum refocillabat. Miſſarum ſolemnia iugiter celebrabat, ſine intermiſſione diuini verbi pabulum miniſtrabat ouibus: inuiſebat infirmos, inopes ſuſtentabat, tegebat nudos, nullúmque afflictum carere ſolatio ſuo permittebat. Ædificauerat ſanctus Antiſtes tres ſua in terminatione Eccleſias. Nimirum apud Carpentoractenſe Caſtrum (ad quod poſtmodum Vendacenſi ciuitate dirutâ, ſedes Pontificia tranſlata eſt) S. Antonio ſacram ædem. Porro in ipſa vrbe Vendacenſi baſilicam S. Ioannis Baptiſtæ. Ibidémque templum ſanctæ Deigenitricis, quam intimis ſemper coluit præcordiis. Iuxta hanc pietatis arcem domunculam conſtruxit, in quam iam canitie venerandus ſeſe continuit, orationibus peruigil, meditationi mortis intentus, diuinis contemplationibus defixus. Nec tamen populo quicquam paternæ curæ ſubtrahebat, quinimo omnibus infirmis ad ſe venientibus Dei fultus auxilio orando ſubueniebat, mœſtis infundebat lætitiam, deſolatis conſolationem. Tanta gratia ex eo redundabat, vt quoſcumque dextra benediceret, in iuſtitiæ obſeruantia & cultu ſyncero deitatis, ad extremum vſque diem roboraret. Quæ magna per eum peregit Chriſtus, cuius nomen ſemper in ore, ſemper in voce reſonabat: nemo potuit præ numero & excellentia recenſere. Res in explorato eſt, ad nutum dæmones abegiſſe, curaſſe morbos, mortuos ſuſcitaſſe. Qui tandem ad extrema deductus, quæ antè præſcita ſuis Clericis propinqua eſſe dixerat: cùm ab iis obſecraretur, vt piis votis ſibi protelari vitam à Domino impetraret, ne grex ſuo deſtitutus præſidio, à lupis inſidiantibus exitium pateretur. *Adeſt* (ait eis) *ſemper Saluator Chriſtus, qui vos de formidoloſis inimicorum laqueis, ſi perfecto corde ipſi ſeruieritis, liberabit. Itaque monita Dei attendite, reuerentiam Eccleſiæ & miniſterio veſtro exhibete, de pauperibus curam agite, quidquid me vidiſtis patrem veſtrum facientem, imitatione peragite, vt vos & quotquot vos audierint in illa die tremendi iudicij vt ſ ios habeam, méque*

patrem poſſideatis & vos Deo repræſentare valeam. His aliiſque ſanctis admonitionibus confirmato Clero & plebe, ſpiritum ab omni colluuione huius ſæculi immunem, in manus creatoris reddidit. Tantáque mox fragrantia locum illum perfudit, vt cuncti mira ſuauitate ac dulcedine repleti, Deum glorificarent, in cuius conſpectu fidelis famuli mors pretioſa, hac clarificatione enituit. Sepultus fuit vir ſanctus in noua baſilica, quam conſtruxerat in nomine ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis: vbi ſe viuere per beneficia oſtendit, quæ meritis eius poſcentibus diuina maieſtas elargitur. At inde ſacra eius pignora Carpentoractum delata, ibi in ſummo templo magna veneratione habentur. Ipſo die Dauentriæ in Belgio ſancti RATBODI Epiſcopi Traiectenſis & Confeſſoris, qui regio Friſiorum vetuſto genere natus, prima ætatis ſtudia apud Gunterum Archiepiſcopum Colonienſem auunculum ſuum exegit. Poſt in Ludouici Imperatoris IV. nomine aulam aſcitus, ſub Nannone raræ ſapientiæ viro effloruit, cum Stephano Tungrenſi & Mancione Cabilonenſi poſtea Epiſcopis, in omni litteratura eruditus, nec minus moribus optimis excultus. Quæ res effecit vt Egilberto Vltraiectenſi Præſule demortuo, Arnulfi Regis, Cleri populíque ſtudio, ſucceſſor daretur. Auxit dignitas ſacra Radbodo animos, ad maioráque virtutum culmina prouexit. At pietatis imprimis enituit ſtudiis, orationibus ſiquidem eleemoſynis, abſtinentiis quibus tota vita incubuit. Acceſſère ex diuino munere miracula, prophetiæ ſpiritus, cœleſtes apparitiones. Etenim Danos immani ſtrage fideles proſternentes, cùm manſuetè rogaſſet vt à cædibus abſtinerent, Deóque colla ſubderent: illi verò magis efferati necem piè monenti comminati eſſent, delapſo per preces ſuperno igne nouus Elias conſumpſit. Aquam mutauit in vinum. Baldrico ingenuo adoleſcenti ſibi clericos duos promouendos ad ſacerdotium commendanti, ipſum poſt annum poſt ſe futurum Epiſcopum, hóſque ordinaturum prædixit. Cúmque valida ægritudine decumberet, mater miſericordiæ Virgo Deipara, comitantibus Tecla & Agnete beatis Virginibus, ei in gloria apparens, incolumitatem reſtituit, nec tamen diù in ſtadio deinceps inſudaturum intimauit. Animo ſuo Virginis beatiſſimæ Sanctorum Reginæ, intimè impreſſit effigiem, fratribúſque eiuſdem decora & maieſtatis ſplendorem, quam aſpexerat enarrauit. Deinde lectulo decumbens apud Otmarſum vicum lætus de reuelata ſibi gloria, de repoſita laurea, beatum ſpiritum cœlo emiſit. Rexit ſacer hic Epiſcopus in graui Danorum perſecutione, ſanctè, fortiter, mirabiliterque Traiectenſem Eccle-

RATBODVS.

ſiam annis ſeptemdecim. Atque à Clericis & populo delatus poſt obitum Dauentriam, ibi honorificè ſepultus eſt: vbi crebris miraculorum coruſcationibus refulſit. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confeſſorum, atque Sanctarum Virginum.*

Decessit beatæ memoriæ Iosbertvs Monachus Dolenſis Bituricis, Deiparæ Virgini ſingulariter addictus: in cuius honorem quotidie quinque Pſalmos incipientes, à quinque litteris quæ nomen benedictum Mariæ conficiunt recitauit. Ex cuius obſequij munere factum eſt, vt ex ore defuncti & oculis ac auribus quinque fragrantes ſpecioſæque roſæ in vigilia ſancti Andreæ erumperent, impreſſam cuique ſingularem ſacri illius nominis litteram referentes. Quo audito ſtupendo prodigio Archiepiſcopus Bituricenſis cum Cleri primoribus ad monaſterium accurrit, viſiſque & collectis roſis illis mirificis, ſanctum corpus beati Reginæ cœli clientis, ſolemni funere (quod peregit infulatus) elatum in Eccleſiam tumulauit. Feliciter etiam hac die migrauit Robertvs Domus Dei Abbas, meritis religioſæ vitæ & ſignis admirabilibúſque conſpicuus: quem rigidioris diſciplinæ impatientem, & ob id Claramuallem egreſſum ſanctus Bernardus, cui carne propinquus erat, parænetica Epiſtola, cœli teſtimonio approbata, ad iugum quod excuſſerat reuocauit, iiſque regreſſum ad regulam prouexit virtutibus, quibus poſtea ſingulare decus pietatis emeritus eſt. Obiit etiam Gvillelmvs Abbas ſeptimus Villarenſis, vir egregiæ charitatis in pauperes, quíque ſuæ huius miſericordiæ poſteris exempla inſignia reliquit. *Joſbertus.* *Robertus.* *Guillelmus.*

Pridie Kalend. Decembris. Luna

30 E xxi.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26

t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P
27	28	29	1	2	3	4	5	4	5	6	7	8	9

Natalis ſancti Andreæ Apoſtoli, præcipui ſancti Ioannis Baptiſtæ ſymmyſtæ; primi Chriſti ſectatoris & diſcipuli; Apoſtolorum ſecundicerij; Petri eorum Principis germani, doctoris, ducis, illuminatoris, eiuſdémque præcurſoris ad vitam, & ad mortem ſucceſſoris; primi cum eo hominum Piſcatoris: gentium Iesvm *videre quærentium*, ad ipſum grati officioſíque ductoris; Agni immaculati quotidiani immolatoris, eiuſdémque viuæ carnis & realis in magno illo pietatis ſacramento præſentiæ magnifici aſſertoris: Crucis amatoris & Paranymphi; crucifixi in virentis oliuæ tranſuerſo ſtipite pendentis; biduo in Chriſti lectulo decumbentis, decumbendo prædicantis, prædicando patientis, patiendo exultantis, exultando morientis, moriendo viuentis, fulgentis, fragrantis, triumphantis. Quem Patres in trophæo admirati nuncupârunt, Angelum terreſtrem, homi- *SS. Andreas.*

nem cœleſtem, Dei & hominis perfectum ſimulachrum, veſtigiorum Chriſti propinquum ſectatorem, militem eiuſdem præ cæteris animoſum, caſtrorum eius ſigniferum, imò ducem inuictum; feruentem Domini æmulum, in laboribus, in vigiliis, in contumeliis; in paupertate, in manſuetudine, in charitate & miſericordia, in obedientia, in humilitate, in patientia, in vita denique & in morte. Cuius recolentes Martyrium non vt cæterorum pietatis athletarum dixêre ſe agere *natalem*, ſed, *glorioſum celebrare triumphum*. Quem etſi vbique terrarum conſtet fuiſſe ſemper illuſtrem & venerabilem: Galliæ tamen imprimis fuiſſe clarum, charum ac ab initio honorabilem, vetera non modò euincunt Eccleſiarum diptycha, quæ trium indicant præcipuo cultu peragenda Apoſtolorum ſolemnia: nempe natalem vnicum Petri & Pauli, & ſingulare Andreæ trophæum. Quod feſtum Chriſtianiſſimi Reges Carolus Magnus, Ludouicus Pius, & Carolus Caluus omni religione præcipientes celebrari, cum præcipuis Domini & ſanctæ Virginis Deigenitricis feſtiuitatibus connumerârunt, ſpecialíque honore colendum Patres Gallicani in Moguntiaco Concilio ante annos octingentos decreuerunt. Itémque in Remenſi ſub Sonantio Archipræſule, & Turonenſi ſub Herardo. Quo ex Gallicanæ Eccleſiæ ritu perantiquo Innocentius IV. Pontifex Maximus Lugduno cùm Cluniacum veniſſet, in feſto paſſionis ſancti Andreæ, quod in Gallia maximè ſolemne eſſet, nec minus apud ſedem Apoſtolicam, ob memoriam tanti Apoſtoli (qui prima fuit vocatio Domini Saluatoris, & germanus ſociúſque Petri) conſpicuum & venerandum: Miſſam ad ſummum altare eiuſdem monaſterij cum maximo ſplendore Apoſtolicæ dignitatis celebrauit: adſiſtentibus ſibi ad aram duodecim Cardinalibus; ſacra verò myſteria in Pontificali decore ſpectantibus Antiocheno & Conſtantinopolitano Patriarchis, Archiepiſcopis inſuper Remenſi, Lugdunenſi & Biſuntino; Pariſienſi verò, Cabilonenſi, Lingonenſi, Claromontenſi, Catalaunenſi, Sueſſionenſi, aliíſque multis Epiſcopis: Cluniacenſi Cœnobiarcha, & Ciſtercienſi cum aliis plurimis Abbatibus. Nec modò feſtum ſancti Andreæ in Gallia illuſtre fuit, ſed nomen, ſed memoria, ſed reliquiæ, ſed patrocinia admodum iam olim inſignia, chara, pretioſa & venerabilia extitêre. Quam deuotionem in hunc beatum Apoſtolum ab ipſo erumpentis in Gallia Euangelici luminis exordio cœpiſſe exploratum eſt: quin & ab ipſis primis Chriſti gloriæ præconibus, & Eccleſiarum Apoſtolis hanc emanaſſe: qui vt ſancti Andreæ memoriam colendam populis infigerent, prima templa conſpicuis

in

in vrbibus ſub eius nomine condiderunt. In quibus primatum honoris tenet Burdegalenſis (Aquitaniæ ſecundæ caput) in honorem beatiſſimi huius Apoſtoli à ſancto Martiale Chriſti nobili diſcipulo & Apoſtolo Galliæ Aquitanicæ conſecrata: deinde huius glorioſo titulo dedicata iampridem eſt celebris, Pontificalis baſilica Agathenſis, in qua Patres numeroſo cœtu, ex quibúſque Galliarum prouinciis regnante Clodouæo magno conuenientes conſidentéſque ſeptuagintavnum Canones magnæ auctoritatis de ſacris rebus, ritibus & œconomia ediderant. In quorum limine ad precum commendationem & decretorum illuſtrationem, ſancti Andreæ ædis ipſius tutelaris nomen venerabile commemorârunt. Ex cuius nomine non modò, ſed multò magis meritis, pignoribus, miraculis clarificatam valde ſua ætate eminuiſſe hanc ipſam baſilicam, Gregorius Turonenſis qui certa teſtatur, in aureo opuſculo quod inſcripſit *de gloria Martyrum* luculenter enarrat. Proximè verò huic accedit Cathedratica quoque Eccleſia Abrincenſis ante mille ducentos annos fundata, quæ ditata iamdudum vno ſancti Andreæ, quo in cruce fixus hæſit brachio, patrocinio illius mirificè gloriatur. Alterum cuius brachium (vt Galliam vtroque tueatur) Remis in monaſterio ſancti Remigij religioſiſſimè in ſacrario reconditum eſt. Crux ſancti huius Apoſtoli à Stephano Burgundiæ Rege ex Achaia in Galliam deportata, apúdque Veaunenſes Virgines (nam virgo & Andreas fuit ac perſtitit) in agro Maſſilienſi depoſita: inde paulò antè anno ſalutis milleſimo ducenteſimo quinquageſimo ad ſancti Victoris famoſum cœnobium tranſlata eſt, vbi etiam aſſeruatur. Fundauit Guillelmus Godefridus Dux Aquitaniæ & Pictauiæ Comes in Pictauienſi ſuburbio nobilem Abbatiam in honorem ſancti Andreæ Apoſtoli & Martyris, & beati Ioannis Apoſtoli itidem & Euangeliſtæ in vico de Caſſania, *Monaſterium Nouum* vocitatam, quam Vrbanus ſecundus poſt abſolutum celebre Concilium Aruernenſe, inſtante ipſo Guillelmo Duce ritu ſolemni dedicauit. Aruernis verò extat antiqua ipſius Apoſtoli Eccleſia cuius Gregorius Turonenſis meminit, apud quam ſanctus Tigridius vrbis illius Epiſcopus quieſcit. Hanc æui ſenio collapſam inſtaurauit Vvilelmus Comes & Delphinus Aruerniæ anno Domini milleſimo centeſimo quadrageſimo nono, vbi idem inclytus Dynaſta aſcetas inſtituit ordinis Præmonſtratenſis, tunc efflorentis. Sed & Pariſiis vbi regni ſedes, conſpicitur nobilis ſancti Andreæ Eccleſia parœcialis, ipſius primario titulo & ſancti Ioannis (qui ipſimet paſſim in

locis Galliæ ſacris iungitur, ob prærogatiuam virginitatis & præcipuam Domini dilectionem) ſecundariâ inuocatione inſignis. Monaſticæ etiam ſunt nonnullæ in Gallia ſub patrocinio tanti Apoſtoli baſilicæ. Inter quas Abbatialis Eccleſia ſancti Andreæ monialium in vrbe Vienna inſtaurata à Conrado Rege Burgundiæ, & Mathilde eius coniuge: ſubindéque ab Andrea itidem Rege Burgundiæ; qui ibi reconditus iacet. Inſuper ſacra ædes Abbatialis ſancti Andreæ de Boſco præſulatus Saniciensis. Sancti Andreæ in nemore territorij Ambianenſis. Sancti Andreæ diœceſis Brugenſis, olim Tornacenſis. Cuius eſt præ cæteris fundatio memoratu digna. Anno etenim milleſimo nonageſimo octauo Robertus Flandriæ Comes, qui vindiciis Hieroſolymæ interfuerat, iuſſit per literas, vxori Clementiæ, vt cœnobium conſtrueret in honorem ſancti Andreæ: eo quòd beatus ille Apoſtolus Antiochiæ Petro ſacerdoti Maſſilienſi apparens, lanceam quà Chriſti latus percuſſum fuit, latentem in baſilica ſancti Petri reuelauerat: quâ inuentâ, & ex Apoſtoli monitu in acie exercitus delatâ, infeſtos infidelium cuneos deiecit, perculit, diſſipauit, Chriſtianorúmque agmina viribus collapſa ad pugnam animans, inſignem illam, quà Palæſtinæ regnum Chriſto reuendicatum eſt, peperit victoriam. Clementia viri piæ iuſſioni obtemperans, ſtatim à Baldrico (aliis Balduino) Epiſcopo Tornacenſi, altare in Stratis impetrauit iuxta Brugas, vbi monaſterium, ceu immortale tanti beneficij mnemoſynon, in memoriam conſtruxit ſancti Andreæ Apoſtoli, Chriſti paſſionis imitatoris, Chriſtianorum defenſoris, infidelium triumphatoris. Cuius & ope (præſidiis ſanctiſſimæ Deiparæ, quæ *Apoſtolorum regina eſt*) communita, inſignem illam naualem victoriam Chriſtianis obtigiſſe conſentaneum eſt credere: quà Turci in Corinthiaco ſinu *iuxta Patras, vbi magnus ille Apoſtolus hac die ſub Ægea crucifixus eſt*, ſtrage immani fuſi & ferè deleti ſunt: incredibili reipublicæ Chriſtianæ ſolatio & commodo. Eodem die apud Santonas in Aquitania ſancti TROIANI Epiſcopi & Confeſſoris, Apoſtolicarum virtutum viri, qui à parentibus diſparis cultus progenitus, patre Samuele Hebræo, matre Saracenâ, ab iis patrio ſolo abeuntibus, in Galliam ad hanc vrbem adductus: ſancti Bibiani Santonum Epiſcopi pietate & vigilantia, quòd præſtantis eſſet indolis, diligenter Chriſti fide & literarum diſciplinis excultus, eam ad virtutum laudem proceſſit, quà iam futuræ ſanctitatis & gloriæ magnum ſpecimen proderet. Vnde ab ipſo beato Antiſti-

TROIANVS.

te clericalem in ordinem cooptatus, etiam creſcente cum ætate ſapientiæ & pietatis gratiâ, Diaconus ab ipſo Præſule ſancto creatus eſt. Quo ſubducto è carne, ſub *Concordio* qui ei in Pontificatu ſucceſſerat, Troianus magis effloruit, debitámque meritis patétibus ſuſcepit, quamuis inexpetitam presbyterij dignitatem. Móxque Toloſam ex ſancti Bibiani præordinatione miſſus ad reprimendam Arianæ ſectæ perfidiam, tàm ſtrenuè fidei partes defendit, vt orthodoxa religio ab eo feliciter propugnata & vindicata, magnum ibi incrementum reciperet. Interea Concordius vita defungitur, Clerúſque Santonenſis, & populus conſonis votorum ſuffragiis, Troianum Apoſtolicis dotibus ornatum, & laboribus Euangelicis bene functum, in Epiſcopum appetunt, itáque abiens eligitur, quæritur, rapitur, conſecratur. Magis enituit in Præſulatu ſubuecta altiori faſtigio eius virtus. Nihílque deſiderandum in perfecto Epiſcopo vir iuſtus ac religioſus reliquit: mirificè diuinarum rerum ſtudioſus, prædicationi, myſticæ litationi, ac quibuſque ſacri muneris officiis intentus, ſibi parcus & ſeuerus, in alios munificus & lenis, *omnibus omnia factus eſt* (ſicut pridem Apoſtolus) *vt omnes Chriſto lucrifaceret*. Qui fidelis famuli vt merita honoraret, vim mira edendi ei indidit tàm inſignem, vt magnum ceu prodigium ſanctitatis & gratiæ ipſe Antiſtes pius, ab omnibus circumquaq. ſuſpiceretur. Qua opinione, delatam ad ſe infantulam grauiſſima ægritudine laborantem, iámque exitio proximam, plenæ reſtituit ſanitati. Tanta virtus ex eo fluebat, vt ſi quis infirmus veſtimenta eius contingeret, mox refuſam ſentiret diuinâ vi ſoſpitatem. Refert de eo Gregorius Turonenſis, quòd ſi nouum amphibalum ad circuiendum de more diœceſim induiſſet: tùm certatim omnes confluere, & ſolitos veſtimenti illius fimbriam ad pignus diſtractum & medelam inter ſe diripere. Quibus haud inanis ſpes, nàm quæ fides his quærebat adminiculis, Chriſto auſpice obtinebat. Ita verſabat vir Dei inter mortales, vt ſimul cum cœlitibus quorum puritatem redolebat amicis colloquiis miſceretur. Cui ſanctus Martinus, cùm nocte de more baſilicas viſitaret, comite Subdiacono, in lumine apparuit, quo cùm multa colloquutus ab eo didicit quo loco principalem Eccleſiam ſuæ vrbis, cuius fabricam meditabatur, conſtructurus eſſet: quid itidem factu opus erat, vt ædificatum in omni iuſtitia populum, ſub diuinæ legis obſequio in poſterum contineret. Inceſſit Subdiaconum cupido, quæ vir Dei in viſu conſpexerat, audierátque reſciſcendi. Huic vt ſatisfieret ſanctus Antiſtes, quæ petebat reſeruauit, diſtrictè inhibens ne cui ſibi concredita notificaret: futurum enim vt ſi religionem arcani

temeraret, protinus in vltionem temeritatis Dei iudicio moreretur. Quod haud dubiè euenit. Nam cùm Subdiaconus minimè tenax myſterij, ſacerdotibus præcipuiſque ciuibus illam viſionem enarraſſet, confeſtim in ipſo audientium conſpectu (quod & in dictorum confirmationem, futurum præfatus fuerat) ſpiritum exhalauit. Graui cum animi anxietate vir Dei temporum ſuorum conditionem ferebat, Galliarúmque commiſeratus, quas Ariani hæretici ſpurcitiis impietatis fœdabant; diripiebant circumfuſi feritate barbari: ſæpè Dominum ex præcordiis obſecrabat, vt adductis in vnum regnum ſolidúmque imperium tam amplis regionibus, Regem vnum, Chriſtianum Orthodoxúmque concederet. Piis eius affectibus pulſata diuina clementia, ipſimet demum hoc reſponſum dedit, bono vt animo eſſet, non enim priùs è ſæculo migraturum; quàm Catholicum Galliarum Regem mereretur conſpicere. Cùm igitur Clodouæus Rex à S. Remigio diuinè edoctus, expiatus, cœleſti vnctione delibutus, non tam propagator Imperij, quàm fidei, aduerſus Alaricum Vviſigothorum Regem, qui Aquitaniam tyrannide & hæreſi opprimebat, comitantibus ſignis diuinæ virtutis progreſſus, ipſummet impium Regem in prælio manu ſua occidiſſet: ſícq. perfidiæ Arianæ exciſo capite, Aquitaniam Catholicæ fidei aſſertam ſuo ſimul imperio adiunxiſſet: Troianus iam compos voti, lætus in occurſum Regis victoris, apud Engoliſmum venit, orthodoxum Galliarum Principem, quem ſperauerat ex ſuperna ſponſione inuiſurus, ac ſalutaturus. Porro eius aduentum diuina bonitas anteuertit, patefacto in ſomnis Clodouæo Regi venerabili ſene, qui craſtinâ die ad ipſum honoris causâ acceſſurus erat. Cautus vt ſibi Rex ipſe non ſineret, ab amico Dei ſanctiſſimo Pontifice, obſequia nimis demiſſa impendi. Accedente igitur Troiano, Clodouæus viſam in ſomnis effigiem ſanctitatis recognouit: cúmque Epiſcopus beatus coram ipſo ſe proſterneret reuerentiæ cauſa, id haud paſſus eſt Princeps pius, at religiosè illum affatus: *Tu*, inquit, *es Antiſtites digniſſimus, quem ego hac nocte vidi.* Nec ad oſculum admiſit, ſe haud dignum profeſſus tam ſancti contactus, qui humano cruore (redierat enim præteritâ die à pugna) inquinatus eſſet. Sancto igitur exiliit gaudio de ſpe conſummata vir beatus, canticúmque lætitiæ vbi cecíniſſet, Rege ſalutato ad ſuos rediit. Nec diù poſt quàm voti potitus eſt manſit ſuperſtes. At ruptis nexibus carnis ad æternam pacem & beatorum ſocietatem ſpiritum gloriæ maturum tranſmiſit, quadrageſimo ſui Epiſcopatus anno. Claruit in ſepulchro glorioſus Antiſtes iteratis prodigiis. Idcóque de tumuli

ſitu eleuatum eius corpus, ſacrario illatum eſt: in ſuáque Eccleſia (quouſque à ſegregibus impiè vaſtata ac diruta fuit) condecenti veneratione aſſeruatum. Cuius repoſitionis Clerus Santonenſis memoriam ſacris officiis honorat, at cùm hac die ſit peracta, propter maiora ſancti Andreæ ſolemnia, ſequentem in diem eius feſtiuitas protelatur. Cæterùm iam ex veteri more alia fit quotannis ibidem de eodem ſancto Pontifice celebritas, videlicet die decima Februarij, qua die fertur ipſe ordinatus: atque itidem ad ſupernam aſſumptus lauream. Ipſo die Trecoræ in Armorica S. TVGDVALI Epiſcopi & Confeſſoris. Qui Derochi Regis Britanniæ affinis, hinc in Armoricam tranſiens, Monachus apud Ambiliates & Abbas duorum & ſeptuaginta aſcetarum, demum huius Epiſcopatus fundator primus & Antiſtes fuit: cœnobióque & Cathedraticæ Eccleſiæ ſimul præſedit, abſoluti hic vbique paſtoris munia exequens, tantâ enim gratiâ præditus erat, vt inter monachos verſaret ſicut Angelus, cùm populo vt Apoſtolus frequentaret. Quâ & gratiâ apud illos ornatus, miraculis clarus, cumulatus meritis, collectis in horreum Domini multis manipulis animarum; ouans de felici meſſe perrexit ad præmium. Colitur ſanctus Pontifex & Confeſſor ſuæ Cathedralis Eccleſiæ patronus. Cuius & caput venerandum hinc Carnutum delatum, magno illic honore obſeruatur. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confeſſorum, atque Sanctarum Virginum.* TVGDVALVS.

ABIIT ad ſupernam patriam beatæ memoriæ IOSCIO Monachus Bettinianus, ordinis ſancti Benedicti, beatiſſimæ Virgini Mariæ deuotiſſimus: cuius numen impensè veneratus, nomen ſacratiſſimum etiam in morte gloriosè expreſſum in ore, oculis & auribus, magna cum ſpectantium admiratione protulit. *Ioſcio.* In Claraualle carnis molem feliciter exuit piæ memoriæ BERNARDVS conuerſus, vir admirandæ humilitatis & manſuetudinis: qui pro perſequentibus ſæpè apud Dominum orationibus profuſis interceſſit, quouſque iis demeruiſſet veniam. *Bernardus.* Pio itidem fine quieuit *Rufinus* Abbas XXVIII. Ciſtercienſis ſanctimoniæ inſigniis conſpicuus, déque ſuo ordine optimè meritus. Mediolani hodie celebratur memoria baptiſmi ſancti AMBROSII Epiſcopi, Eccleſiæ Catholicæ Doctoris, quem Gallia (cuius è ſinu prodiit flos illibatus Præſulum) iurè gloriatur ſuum eſſe ſingulare decus ac præcipuum ornamentum. *Ambroſius.*

DECEMBER.

Kalendis Decembris. Luna

1 F xx.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	p	q	r	ſ
11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
28	29	1	2	3	4	5	6	5	6	7	8	9	10			

SS. LEONTIVS. FORO Iulij in Gallia Narbonenſi Natalis ſancti LEONTII Epiſcopi illius ciuitatis & Martyris. Hic ſua ætate in omni gloria pontificali præcellentiſſimus, cum cæteris Galliarum Epiſcopis (ſicut graui encomio prædicat Sidonius ille magnus Apollinaris) *ætate vitæ, tempore dignitatis, priuilegio loci, laude ſcientiæ, &* (quod maius eſt) *dono conſcientiæ*, mirè admodum præpolleret. Eo in honore à ſancto Leone Papa habitus eſt, vt vices Apoſtolicæ ſedis, maximus ipſe Pontifex latis in Galliæ regionibus illi concederet: ſtatuens, vt ſine ipſius voluntate Concilia minimè ab Epiſcopis agerentur, atque vt ea reuerentia eidem à cunctis rependeretur, quæ cæterorum Patri Antiſtitum, non modò ob ætatem, ſed potiùs ob probitatem omnibus notiſſimam debebatur. Nec inferiori loco cenſitus eſt ab Hilario Papa, Leonis ipſius magni ſucceſſore. A quo vt Epiſcoporum Princeps præ cæteris honoratur: déque rebus grauioribus ad Gallicanæ ſtatum Hierarchiæ ſpectantibus, vt referat ad ſummam ſedem admonetur: quæ in ipſius ſolicitudine circa Epiſcoporum promotiones, eorumdémque mores & doctrinæ tenorem potiſſimum reclinabat: etenim quæque iniqua & contra ſtatuta Patrum præſumpta, ex officio iniunctæ generalis ſpeculationis compeſcere, & de iis Apoſtolicæ ſedi vbi opus erat renuntiare, Leontius conſueuerat. Cui idem Hilarius ſpeciali reſcripto mandauit, tanquam ordinario Synodorum Præſidi, & ſacræ diſciplinæ vindici, vt Mamerti Epiſcopi Viennenſis (aliàs laudatiſſimi) qui intra fines ſuæ prouinciæ Dienſem Epiſcopum

ordinare, vi etiam adhibitâ ciuitati, auſus erat, cauſam examinaret in Synodo, quatenus Spiritu ſancto dictante, quid faciendum eſſet ad comprimendos conatus illicitos ipſe Apoſtolicæ ſedis auctoritate fultus decerneret. At cùm Mamertus Leontij ſententiæ, cuius moderatio (ait ille Pontifex) formam continentiæ plus æquo ambienti præfigebat, morem gerere contempſiſſet: Pontifex zelo Apoſtolico exardeſcens aculeatas literas ad Epiſcopos harum prouinciarum direxit, quibus irrogatam Leontio *ſancto fratri*, ait, *& coëpiſcopo*, ſuam computauit iniuriam: nihílque iuris & honoris ipſi delati à deceſſore ſuo Leone, pro tutela obſeruantiæ diſciplinæ, & excidio confuſionis ſacrarum regularum, declarat potuiſſe vllâ contumeliâ imminui. Et auxit quidem Deus ſancti Epiſcopi in ſui regni commodis iugiter excubantis, meritorum gloriam: ita nomen eius clarificans teſtimonio ſanctitatis, vt huius ſplendore patentiſſimo, pleroſq. etiam ſanctitate famoſos in illius admirationem ac venerationem conuerteret. In his fuit ſanctus Honoratus percelebris ille Eremi Lerinenſis cultor, & ſubinde Epiſcopus Arelatenſis: qui poſt Orientales excurſus, ſedem illa in Inſula fixam delegit ac conſtituit, *Oblectatus* (ait ſanctus Hilarius præco Honorati & hæres) *ſancti ac beatiſſimi in Chriſto viri Leontij Epiſcopi viciniâ, & eiuſdem conſtrictus charitate.* Ad quem Leontium vt perlucidum Galliæ ſidus, Ioannes Caſſianus, teſtandi cultus gratiâ, collationum ſuarum primitias detulit, beatiſſimíque titulo (ob ſanctimoniæ clarum decus magis quàm ſplendidam Epiſcopatus ſedem) non ſemel honorauit. Senio iam venerabili confectus erat Leontius, nec minus fractus ſanctæ adminiſtrationis laboribus, adeo vt iam maturus gloriæ, leni ſomno placidæ mortis videretur proximè ad cœlum tranſiturus. Cùm ei ad cumulum meriti, nouum agonem quo illuſtrior ei exitus pararetur Chriſtus aperuit. Erat tenax iuſtitiæ, & ſerius obſeruator diuinæ legis vir beatus. Hoc incenſus æſtu pietatis, quòd nefanda quorumdam ſcelera carperet, & impiorum exitioſa reprimeret Apoſtolico vigore molimina, illorum in ſe odia acerba concitauit: qui nec eius canitiem, nec dignitatem, nec conſpicuam omnibus ſanctitatem veriti, truculentâ nece charum Deo Pontificem, vbique præcelſa ob factorum nomina celebrem immaniter trucidarunt, tametſi non tàm interfecerunt, quàm ad perennem tranſmiſerunt vitam & gloriam. Huius exploratum martyrium Eccleſia Foro Iulienſis iam abhinc colendum ſuis faſtis inſcripſit: quotanníſque hac die, quâ vt canit, duplicato manipulo is ad coronam proceſſit, triumphali pompâ eius reco-

AGERICVS. lit ac veneratur memoriam. Veroduni ſancti AGERICI Epiſcopi & Confeſſoris. Hic vrbis illius ciuis laude virtutum & pietatis ſingulari commendatione florebat, cùm Deſideratus ſpectatæ ſanctitatis Antiſtes eiuſdem ſedis, diem extremum peregit. Quo defuncto non ambitu, ſed merito, Epiſcopale ſolium conſecutus, ſic viduam Eccleſiam nouo pontificio recreauit, vt omnem mœrorem excuſſerit nuperæ orbitatis. Vix enim illa ciuitas, quæ continuâ ab initio religionis ſuſceptæ ſerie, Epiſcopos nouem omnes ſanctitate conſpicuos habuerat: quempiam illorum potuit deſiderare, cùm hunc ſedentem conſpexit, qui anteriorum Præſulum conglobata quaſi in faſciculum decora ſic referebat, vt proprias etiam dotes plurimas gratiæ & virtutis ſuperadderet. Vix huius ſæculo Gallia vllum habuit Pontificem, in quem vberiora confluxerint diuini ſpiraminis chariſmata: quíque præſulatu digniori & feliciori, creditam ſibi Eccleſiam rexerit ac illuſtrârit. Et hac quidem ætate lapides plerique pretioſi in fundamento poſiti Eccleſiarum Galliæ, templum Domini adornabant: at hic vnus inſtar omnium fuit, qui in ſe perfectum Deo habitaculum excitauit. Id iam tunc cecinit non tam eleganti, quàm vero carmine Fortunatus, qui demiratus in tanto Pontifice tot virtutum quibus radiabat vndique inſignia: ipſum *virum Dei, templum & vas nitidum gratiæ, in quo Chriſtus grato ſibi vt in ſanctuario habitaret*, enuntiauit. Quin & velut *ſolem eſſe pulcherrimum, in quo Rex ipſe gloriæ Chriſtus Dominus poſuit tabernaculum ſuum*. Solem inquam myſticos radios longè latéque expandentem, omnia illuſtrantem, Eccleſiæ agrum vi diuini feruoris fœcundantem. Minima antè in orbe ſuo ciuitas Virdunenſis cenſebatur, at magno hoc Præſule fulgente ſacro in ſolio, ipſa dilatauit terminos. Quæque vix vbera propriis alumnis præbebat, diſtentis charitatis mammis & diffuſis miſericordiæ viſceribus, auſpice Agerico, ſuo cœpit in ſinu exterorum egenorum greges numeroſiſſimos paſcere. Quo auctore Epiſcopo templa vetuſtate collapſa, inſtaurata, atque in maiorem venuſtatem prouecta ſunt, cultioríque ornatu inſtructa. At non ita parietes ſacros ſtudebat decorare pius pater, quin magis nudos operire, egenos iuuare, famelicos ſuſtentare, ſolari mœſtos, peregrinos excipere, orphanos fouere intenderet. Nec ſanctis locis decorem indidit, vt vel horum ſpecie & magnificentiâ ſuos paſceret oculos, vel emeritæ laudis rumuſculos captaret. Sed puro Dei amore decorem eius domus dilexit, híſque allexit religioſis illecebris in templa populos, vt ad Dei obſequium efficacius pertraheret. Nec pia opera excidit, vir ſanctus, nam ex quo

Eccleſias ſplendidiori cultu adornauit: ardentiori concurſu in has vndique confluxerunt plebes. Quas & diuina viri facundia, ſedulis prædicationibus ad obſeruantiam diuinæ legis adhortans: auidas diuini pabuli ſacro ex eius ore excipiendi, in dies magis ac magis reddebat. Cùm enim concionabatur, non mortalem hominem, ſed Angelum de ſuperis miſſum, omnes ſeſe audire arbitrabantur. Tanto fulmine ſacri feruoris tonabat, tanto fluxu diuini ſermonis mentes irrigabat, tantâ luce res propalabat cœleſtes, vt quotquot audirent Apoſtolicum præconem, Deum cuius attollebat magnalia, incutiebat placita; timere diſcerent, orare, adorare, amare ſeriò inciperent. Eloquia Pontificis, vita iis conſona fulciebat, quantumuis enim magna dictis promeret: maiora factis præſtabat, terrenarum rerum deſpectu, cœleſtium amore, laſciuiæ fuga, caſtitatis nitore, carnis fræno, ſpiritus libertate, peccati odio, iuſtitiæ cultu, religionis ſtudio, Eccleſiæ ſollicitudine, gregis cura, & totius boni operatione. Magna in eius ſemper enituit verbis ſynceritas, in moribus ſimpliciſſimis emicuit candor, in conuerſatione integritas, in adminiſtratione prudentia, in affectu charitas, in actu ſemper perfecta fulſit ſanctimonia. Horum luminum intuitu, non populis modò vir beatus, ſed regibus quoque verendus ac admirabilis fuit. Plurimum autem gratiæ ac exiſtimationis apud Sigebertum Regem promeruit, cuius propterea filium Childebertum de ſacro ſuſcepit fonte; qui tam inſignis officij memor, multum ſemper honorem ſancto Epiſcopo, cuius quoque ille ſuſpiciebat religioſiſſimos mores, rependit. Cæterùm Agericus cuius intimè in præcordiis diuinæ domus zelus ardebat: oratorium in Epiſcopali domo conſtruxerat, ad ſpirituales frequentandos actus, vbi Sanctorum multa congeſſerat pignora veneranda: in hanc ſacram ædiculam Bertrefredus aulicus quidam iram metuens infenſi ſibi regis, ſeſe ad tutelam recepit, loci reuerentiâ & auctoritate Epiſcopi, quem Regi charum eſſe nouerat, ſeſe munitum reputans, aduerſus Godegeſili impetum, qui armatâ manu ipſum inſectabatur. Et miſero opem piùs non denegauit Epiſcopus, permiſit enim in ſacro loco vt ſe contineret: egitque apud Godegeſilum, quibus potuit monitis & precibus, vt aſyli iure, ob Dei amorem & ſancti loci reuerentiam ſupplex ille aræque affuſus frueretur. At nihil effecit Dei ſeruus apud ferum hunc hominem. Qui contemptâ Epiſcopi interceſſione, ipſâque Dei præſentiâ, vim oratorio Epiſcopali militarem intulit, quâ tecto ſacræ ædiculæ elliſo, tegulis quibus operta erat, obrui fecit clientem diuinæ Maieſtatis, fruſtra tremendum numen

adorandæ triadis, & Sanctorum qui hîc quieſcebant veneranda nomina, Epiſcopíque beati qui ſpectaculum hoc impium piis cum lachrymis inſpexit, opem implorantem. acerbè id ita tulit ſanctùs Antiſtes, vt quamquam Rex audita re nefandâ, miſſis ad ipſum nunciis cum muneribus, conceptam ea de cauſa triſtitiam deponere rogauerit. Noluerit tamen conſolari vir beatus, cui illata Deo iniuria, mortem demum ex mœrore conciuit: at mortem felicem, quæ ad immortalem, cuius dignus erat hoc ex vno intenſo affectu pietatis, quaſi agone glorioſo ad coronam prouexit. Miris autem clarificationibus eum poſt beatam migrationem Chriſtus glorificauit. Dado verò qui vigeſimus poſt eum ſedit Epiſcopus, conſpicuum tot ſplendoribus gloriæ, ampliori cultu quàm antè obſeruatus fuerat honorauit. Mimate Gabalorum in Aquitania I. ſancti ISEKI Epiſcopi & Confeſſoris, qui Chriſto duce ad ſedis huius præfecturam admotus, poſt Innocentium indignæ commemorationis Præſulem, Eccleſiam illam, tantò felicioribus auſpiciis ac ſucceſſibus, quantò ille magis infauſtis facinoribus, regendam ſuſceperat, gubernauit. Quam verbo erudiens, opere muniens, omnique Epiſcopali virtute irradians, demum ex ſqualida florentem, ex abiecta glorioſam reddidit. Ipſe verò felici tramite, decurſâ mortalitatis palæſtrâ, non tàm diebus grauis quàm meritis diues, præmia bonis paſtoribus debita, cœleſti à munerario, qui paſtorum princeps eſt accepit. Eius nomen clarum ſanctæ vitæ patenti teſtificatione, in album beatorum Mimatenſis Eccleſiæ Pontificum iampridem relatum, perpetuâ etiamnùm colitur veneratione. Sed non hac modò die eius beata memoria illic celebratur: at iterum die ſexta Octobris. Quarum vna eſt depoſitionis, altera tranſlationis. Ipſo die Cenomanis depoſitio ſancti DOMNOLI Epiſcopi illius vrbis & Confeſſoris: cuius elogia expreſſa ſunt die eius ordinationis, decima ſexta ſcilicet Maij. Qua die ibidem celebriori cultu, eius eſt illuſtris memoria. Eodem die Nouiomi ſancti ELIGII Epiſcopi Confeſſoríſque glorioſiſſimi. Hic in Catalacenſi pago non longè à Lemouicis, Chriſtianis parentibus natus eſt, patre Eucherio, matre verò Terrigia, fœminâ piiſſimis moribus, & precandi imprimis ſtudio enixè deditâ. Quæ cùm filio grauida eſſet, vidit nocte quâdam ſecundùm quietem, inſigni pulchritudine aquilam, ſuprà ſtratum ſuum volitantem, & ſemel iterùmq. ac tertiùm ſe inclamantem. Quo præſagio proles illa generoſa deſignabatur, quam eſſet breui paritura, filium enim enixa eſt, qui ſpiritualis vitæ ſublimitate, acie pura mentis, vocis potenti clamore, robore virtutis, amplo

ISERVS.

DOMNOLVS.

ELIGIVS.

alarum tegmine, iter ad æthera mortalibus oſtenſurus, diuina luſtraturus; peccatores exterriturus, deſides excitaturus, obfirmaturus debiles, mœſtos, inopes, afflictos ſolaturus ac protecturus ſedulò quandóque erat. Igitur in lucem editus infans, cui pater Eligij nomen indidit; ante omnia magnum ſagacis ingenij præbebat ſpecimen, quem tamen parentes non liberalium artium ſtudiis, ſed Chriſtianâ ritè pietate imbutum mechanico operi adhibuerunt. Erat in vrbe Lemouica, auri faber Abbo nomine, qui publicam fiſcalis monetæ officinam gerebat. Hinc eodem artificio inſtituendus traditus Eligius, breui huius officij vſum pleniſſimè aſſecutus eſt. In Franciam deinde profectus, ibi per ſpectatam artis ſuæ præſtantiam; in intimam Clotharij Regis notitiam peruenit, cuius gratiam magis emeruit admirandâ induſtriâ & fide, elaborato opere quod Rex ipſe ab eo petierat. Interim Eligius opum & honorum ſtrenuus contemptor, totum ſeſe diuinis rebus mancipabat: inediæ & vigiliarum patiens noctes & dies precibus & lachrymis incumbebat: factáque apud ſacerdotem exomologeſi, quâ quæcumque ab adoleſcentia admiſerat piacula confeſſus eſt: auſteram pœnitentiam exercebat, ingentíque ſpiritus feruore cum carne colluctabatur: id vnicè enitens, vt ab omni peccati contagione purus, Chriſti gratiã poſſet vberiùs emereri. Erat illi in cubiculo ſanctarum reliquiarũ magnus theſaurus, ſub quarum ſacro velamine orare conſueuerat. Preces igitur cùm hîc aliquâ nocte funderet, ſomno correptus eſt. Túmque viſus eſt illi aſtare quiſpiam beatorum glorioſo amictu, qui de ſomno eum excitans admonuit bono vt eſſet animo: ſuas enim à Domino ſciret exauditas ſupplicationes. Mox ille excitatus cùm dubitaret, veráne res, an ſomnium eſſet guttæ ſuauiſſimæ ex gerulo reliquiarum ſuper caput eius defluxerunt, tantæque fragrantiæ hauſit odorem, vt iam planè perſuaſum habuerit, Sanctorum aliquem ſibi quæ dicta ſunt nuntiaſſe. Auxit inde pietatis affectus, cui fouendæ cùm auream ſupellectilem Regi fabricaret, codicem Dei legis præ oculis habebat apertum: ex quo dum artis ſcita ederet, diuina præcepta arcanáque ediſceret. Mortuo interim Clothario, Dagobertus ſolus monarchiæ gubernacula ſuſcepit: qui Eligium non ſolùm ob artificij peritiam, ſed multò magis ob perſpicua merita ſanctitatis tanto amore complexus eſt: vt è longinquis regionibus Legati ad regiam confluentes, eius imprimis conſpectum ac colloquium ambirent; nec priùs Regi occurrerent, quàm Eligium adirent gratiâ diuinâ perornatum, & regali fauore pollentem. Summâ benignitate erat affectus in pauperes, ita vt non rarò

ſe ſuáque oppigneraret, quò opem ſuam petentibus ſubueniret, & inopiam multorum ſubleuaret, ac captiuos aſſereret in libertatem. Hac ex charitate factum, vt ſi quis Eligij domum quæreret, ad domum vallatam pauperibus communi populi præconio mitteretur. Comptè quidem ornatus incedebat vt oſtentationem declinaret Dei ſeruus: at intrinſecus aſpero cilicio indutus erat. Verùm poſtquam ſolidiora pietatis iecit fundamenta, quæ humani fauoris auram non extimeſcebant: illico cuncta ornamenta egenis diſtribuit, vilibúſque deinde veſtimentis contectus & funiculo cunctas pauperum ædiculas benefactor luſtrabat. Regi ita acceptus erat, vt quicquid ab eo peteret ſtatim adipiſceretur. Sed id totum in egentium ſubſidia, in captiuorum pretia, aliáque pietatis officia conferebat: vnde Rex ei libentiſſimè dabat, quod ſciret non vni, ſed pluribus profuturum. Huius igitur fretus munifica pietate Eligius, prope Lemouicos Solemniacenſe Monaſterium; Pariſiis autem ſacrarum Virginum, quibus Auream præfecit, cœnobium; Eccleſias item Sanctorum Pauli & Martialis extruxit. Effecítque aſſidua vindicandæ religionis inſtantia, vt grauis ſimoniæ labes, quæ à tempore Brunechildis Reginæ Galliam deturpabat, penitus abſtergeretur. Quibus actibus ſedulò intentum Chriſtus eum tanta virtute & gratia decorauit, vt adhuc laicus miraculis coruſcaret, & modò cæcum, modò claudum ſanaret, modò exiguo vino multos reficeret: aliis id genus virtutibus fulgeret; quæ quàm apud Deum promeruiſſet gratiam affatim teſtabantur. At verò mira etiam valebat in curandis animabus induſtria, vtpote qui Chriſtianæ eloquentiæ præſtantia diuinitus decoratus, & cognitione ſcripturarum egregiè inſtructus, populum quocumque pergeret, viam ſalutis præclarè felicitérque edocebat. His igitur cùm niteret ſplendoribus, defuncto *Achario* probati nominis Epiſcopo Nouiomenſi, ad ſacerdotij faſtigium cœlebs, & nullis adhuc ſacris ordinibus initiatus, magno omnium deſiderio aſſumptus eſt. Nouiomenſis igitur ſimúlque Tornacenſis, quæ tum connexæ erant, Eccleſiarum ſuſcepto regimine, nihil antiquius habuit, quàm vt Belgas ſuæ curæ ſuppoſitos, at magna ex parte ethnicis ſuperſtitionibus adhuc implicitos, ad fidei Chriſtianæ veritatem adduceret. Igitur omnia huius regionis loca ſtudioſè peragrans, tubáque Euangelica incolas ad ſalutem vocans, quà verbis, quà ſanctè & diuinè factis cœpit eoſdem Chriſti in gregem adciſcere. Et quidem Flandrenſes atque Andouerpienſes, Friſones quoque ac Sueui, & Barbari quique, circa littora maris degentes, quos velut in extremis, remotos,

tos, nullus adhuc prædicationis vomere excoluerat; Eligium ad ſe venientem primùm hoſtili animo, & aduerſa mente exceperunt. Sed vbi eximiæ ſancti viri eis innotuerunt virtutes, pars maxima trucis ac barbari populi, relictis idolis, Chriſto ſeſe gaudens ſubdidit. Et quidem ſancti Epiſcopi ceruicibus mors ſæpè viſa eſt impendere, atrociáque infideles, illi, quæque, ob prædicationem veritatis minabantur. At vir beatus, cui vita Chriſtus erat, cùm mori lucrum reputaret: nihil his minis exterritus opus diuinum Euangelij perſequi non deſiit. Toto enim deſiderio martyrium ardebat, ſed nunquam voti compos fieri potuit: reſeruabat enim eum Dominus multorum adhuc ſaluti. Redux igitur poſt multa animarum lucra, apud Nouiomum, virginum Chriſto numeroſum cœtum conſecrauit, quibus diſciplinam ſanctiſſimam præſcripſit. Alia multa monaſteria partim eius opere, partim inſtitutione, latè per Galliam conſtructa ſunt. Multi etiam ex eius diſcipulis templa, cœnobia, xenodochia condiderunt: multi ex his monaſteria rexerunt, non pauci etiam ad Epiſcopale regimen ſublimati, Eccleſiis magno cum decoro gratiæ præfuerunt. Poſtremò autem vir ſanctus, poſtquam Concilio Cabilonenſi vbi Nicenæ regulæ firmatæ ſunt, ſacráque politia vindicata, interfuiſſet; Sancti Amandi tranſlationem procuraſſet; Sanctorum Quintini, Criſpini, Criſpiniani, aliorúmque beatorum diuinitus ſibi reuelata corpora, ſplendido cultu exornaſſet: poſt multarum virtutum inſignia, poſt ſplendidas miraculorum coruſcationes, poſt effractas vi ſuperna carcerum ſeras, & compeditorum nexus; poſt multa quoque ab eo diuino afflatu prædicta; poſt innumeras Domino animas acquiſitas: annos iam amplius ſeptuaginta natus, Nouiomi ſanctam animam efflauit. Cuius corpus cùm nulla vi aliò transferri poſſet, Bathilde Regina regiiſque liberis præſentibus, ibi honorificentiſſimè ſepultum eſt. Vitam eius admirabilem ſanctus Audoënus, qui ſemper ei coniunctiſſimus fuit, præclaro commentario eſt complexus. Suppetunt verò etiamnum aliqua ipſius ſcripta miram pietatem & ſapientiam Euangelicam diuinitus infuſam ſpirantia, quæ inter Sanctorum Patrum clara monumenta leguntur. Opera verò quæ ſingulari artificio Chriſtianus Beſeleel in ornatum ſanctuarij concinnauit, etiamnum pleraque in Gallia viſuntur: hierothecæ ſcilicet pretioſæ & elegantes, quibus quanta in Dei amicos beatos, affectus erat deuotione oſtendunt, & poſteritatis ingratæ, quæ opificia tantæ pietatis magna ex parte diripuit, ſcelera arguunt & teſtantur. Fabricauit enim ſanctus Eligius Sanctorum multorum capſulas,

ſeu thecas, quas ſplendida congerie ex auro, argento ac gemmis inſtruxit. Nimirum thenſam beatiſſimi Germani Epiſcopi Pariſienſis, Seuerini Abbatis Agaunenſis, Piatonis Epiſcopi Tornacenſis & Martyris, Luciani Bellouacenſium Apoſtoli, Maximianíque & Iuliani Martyrum eius ſociorum: ſanctarum inſuper virginum Columbæ & Genouefæ. Porro apud Turones, Dagoberto Rege ſumptus ſuggerente, ſancti Martini mauſoleum, poſt & ſancti Briccij feretrum, nobili opere adornauit. Sed, hagiomachi nuperi, vtrumque impiè diripuerunt. At verò ſancti Dionyſij & ſociorum ſepulchrum ſingulari ornamento decorauit, quod iampridem ſublatum excidit, eius rapacitate, quià paterna pietate degenerans, tectum baſilicæ ſancti ipſius Martyris argenteum itidem ſuſtulit, haud ſine diuinæ iræ teſtimonio. Cæterùm ſeruatur religioſo pignore Nouiomi ſancti ipſius Eligij calix liturgicus, in veteri templo ſancti Lupi, vbi ipſe Eligius primùm tumulatus, nominis maieſtate ſibi loci patrocinium, quod vſquedum habet, vindicauit. Fulget Lutetiæ Pariſiorum conſpicua eius memoria: in ſui nominis cœnobitica æde, quæ eo loco cernitur quo dum viueret habitabat: ac vbi idem vir Deo dignus Parthenonam excitauerat, ad quam ſanctam Auream Deo dignam virginem trecentis monialibus præpoſuit Abbatiſſam. Sed & Romæ: (ita longè diffuſa S. Epiſcopi gloria:) prope fontem ſancti Georgij in velabro, ſeu velo aureo, antiqua viſitur Ecclesia illius nominis decoratione inſignis. Caſtro Ambaſio ſancti FLORENTINI Preſbyteri & Confeſſoris, admirandæ virtutis: in cuius honorem Fulco Nerreus Andegauorum Comes ibidem nobilem Eccleſiam ædificauit, in qua collegium Canonicorum inſtituit, Crucíſque viuificæ Seruatoris portionem, quam è ſacrario Hieroſolymitano aſportauerat, ibidem repoſuit perenni cultu adorandam. Cenomanis vico Gabronico S. CONSTANCII Preſbyteri & Confeſſoris. Hic origine Aruernus, diſcipulus S. Frambaldi, in ſolitudine Nuſiaca, agri Cenomanenſis aliquandiu moratus, in ſpeculatione diuinæ legis & gloriæ, cælebs, abſtinentiſſimus, omninóque à ſæculi affectibus abſtractus delituit. Sed erumpente è latebris lucis ſibi cœlitus inditæ claritate, hinc à S. Innocentio Epiſcopo, ad opus Euangelij euocatus, preſbyterióq. inſignitus, circumquaq. directus eſt, quo ſanctis prædicationib. diffuſos per Galliam Francos nondũ Chriſtiana fide illuſtratos, ad Redemptoris agnitionem cultúmq. conuerteret: feróſque eorũ mores manſuetudine Chriſtiana tẽperaret. Quo ſalutari munere adeo feliciter functus eſt, vt accedentibus ad hortamẽta miraculis, toto hoc tractu degentes Frãcos ſacris imbuẽdo dogmatibus, Chriſti legib.

FLORENTINVS.

CONSTANCIVS.

ac obſequiis manciparet. Inde tamen ad ſeceſſum redire haud permiſſus, ſed parœciæ de Gabronico præeſſe iuſſus, Apoſtolicæ virtutis inſigniis, paſtorale munus adornans, mira ouibus ſolatia præſtitit, ſimul animæ ac corporis medicus. Nam mentes quidem lumine patentiſſimo ſanctitatis & diuini verbi pabulo, ad cœleſtia erexit. Corpora verò morbis depulſis recreauit, ſiquidem ſigno crucis & oratione, cæcum, cuius ſputo liniuit oculos, illuminauit; muto puero infudit loquelam; ſubmerſum aquis hominem delatum ad Eccleſiam, oleo ſancto perungens, ad vitam reuocauit. Energumenam puellam chriſmate ſancto conſignans, à Demonum qui eam vexabant exagitatione eripuit; moribundum Clericum ſeu aſcetam ſibi familiarem, porrecta diuina ſynaxi, perfectæ incolumitati reſtituit. Sed & [illegible]ico ſpiritu irradiatus, Clothario Regi contra Conanum Ar[illegible]corum Regulum in Britanniam proficiſcenti, ſuarúmque orationum ſuffragium depoſcenti, victoriam quam retulit, in Dei nomine vaticinatus eſt. Denique in omni ſanctitate conſummatus ex corporis ergaſtulo, imò cellulæ vbi poſt luſtratas oues ſe recluſerat antro, ad aulæ cœleſtis euolauit beatas manſiones. Collegerat vir Dei aliquot alumnos, quibus præcepta vitæ & diſciplinæ tradidit, corpúſq. tot mirabilium operum organum in pignus perennis dilectionis reliquit: à quibus in ſuo oratorio funere honorifico tumulatus eſt, ſigníſque emeritæ glorificationis refulſit. Huius tamen corpus tot radiis coruſcum poſtea ad agrum Bellouacenſem tralatum fuit, ad Bretolium monaſterium, piâ curâ *Godumi* fundatoris, Bretolij Comitis, & Carnutenſis Vicedomini, qui ibidem quieſcit. Ipſo die Remis tranſlatio S. MAVRI Preſbyteri & Martyris, cuius palma triumphalis claret vigeſima ſecunda Auguſti. Item Lætiis aduentus ſanctarum reliquiarum ab vrbe Conſtantinopoli. Ipſo die apud Floriacum cœnobium ſuſceptio reliquiarum ſancti MARTIALIS. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confeſſorum, atque Sanctarum Virginum.*

MAVRVS.

MARTIALIS.

VOCATVR ad præmium piæ memoriæ HENRICVS Archiepiſcopus Remenſis, Ludouici Iunioris Francorum Regis frater, antea Bellouacenſis Epiſcopus: qui humilitatis diſcipulus, *de tanto tantillum ſe fecit* (ait ſcribens ad S. Bernardum Venerabilis Petrus Cluniacenſis) *vt abnegans ſemetipſum, & tollens crucem ſuam, Chriſtum morientem ſecutus fuerit: mundum cum faſtu regij ſtemmatis, opibus & delicius robuſto pede calcauerit: & mille mortes ſeu mortificationes, quas in ſancta religione ante Epiſcopatum ipſóque in Epiſcopatu ſubiit, fluentibus pleno cornu illecebris, magno prorſus animo prætulerit.*

Henricus.

Quarto Nonas Decembris. Luna

2 • G xix.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
29	1	2	3	4	5	6	7	6	7	8	9	10	11			

SS. Verus & Securus. MACLOVIOPOLI Natalis Sanctorum Martyrum VERI & SECVRI, qui feruente in Chriſtianos perſecutione atrociſſima, intrepidè fidei inito certamine, ob conſtantem Chriſti confeſſionem dirè excruciati, in pietatis defenſione, inclyto agone occubuerunt. Ipſo die Iuliomagi Andium, receptio brachij
Mauricius. ſancti MAVRICII Martyris, Thebææ legionis Principis: cathedraliſque illius ciuitatis Eccleſiæ, patroni glorioſi. Ipſo die tranſ-
Bertharius. latio ſancti BERTHARII Abbatis Caſſinenſis & Martyris, qui natione Gallus ex regio ſtemmate, Baſſiaco Abbati illuſtris huius cœnobij quod ordinis ſancti Benedicti caput eſt, ſpectatæ ob ſanctimoniæ dotes ſuccedens, dum ad Dei beneplacitum paſtorale munus exequitur, à Saracenis in cœnobium hoc irruentibus, ante altare beati Martini decollatus eſt. Quo expleto feliciſſimo agone, diſcedentibus impiis illis graſſatoribus, ab aſcetis qui cellam repetierant ſepultus eſt, in ſuperiori monaſterio iuxta Eccleſiam ſancti Benedicti in Capitulo. At ſubinde honorificentioris ſitus gratiâ, ſacri eius artus ad monaſterium ſancti Saluatoris quod erat ad radices Caſſinenſis montis delatum: demum ob crebras miraculorum quibus renidebat coruſcationes, ad ipſum Caſſinenſe maius monaſterium deportatum: ibidem conditum fuit hac die inſigni cultu, in capella eiuſdem venerationi conſecrata: quam Leo Papa X. excitus tam conſpicuâ ſancti huius Martyris gloriâ, ſpiritualibus muneribus copiosè ditauit, in eorum gratiam qui ſacras eius reliquias ibidem quieſcentes, in hoc feſto eius tranſlationis, & die natali qui occurrit vndecima Kalend. Nouembris religiosè venerantur. Item Niuellæ in Braban-
Gertrudis. tia conſecratio ſanctæ GERTRVDIS Virginis & Abbatiſſæ, Pipini Ducis & Maioris regiæ domus Francorum in Auſtraſia filiæ: at verò S. Amandi diſcipulæ, à quo cum matre velata, Chriſtóq. hodie conſecrata: in viuum euaſit eiuſdem templum, cuius cor ara; anima lampas; oculi feneſtræ; os veſtibulum; aures minores ianuæ; puráque membra lapides ſacri & ſpecioſi extiterunt: ex quibus tam grata ipſi Regi gloriæ domus coaluit, vt non alibi placidiùs quàm in ſacrario cordis beatæ illius Virginis, ſeſe profeſſus

ſit inter mortales commoratum. Ipſo die ſanctus FRANCISCVS XAVIER natione Nauarrus, vnus è decem primis Patribus Societatis IESV (qui Lutetiæ Pariſiorum conuenientes S. Ignatio duce, voto ad aram ſanctiſſimæ Virginis in mõte Martyrum emiſſo, ſeſe ſub Chriſti IESV nomine, propagationi fidei, Infidelium conuerſioni, ſedis Apoſtolicæ defenſioni conſecrârunt:) vir planè Apoſtolicus, & Indiæ Apoſtolus, apud Catunam Chinenſium ciuitatem, poſtquam à Paulo III. has in regiones ablegatus, innumeros populos luce Euangelij perfudit: Goēnſi in ciuitate (quæ regni caput eſt) religionem Chriſtianam collegio ædificato ſtabiliuit. In Commorini ora centum quadraginta Eccleſias conſtituit. Malancam & ad pietatem erudiuit, & precibus tutatus eſt. Malucas Inſulas penetrauit. Truculentos Mori Inſulæ habitatores ac barbaros manſuefecit. In Iaponem primus cœleſtis doctrinæ lumen inuexit. Multos Reges idololatras Chriſti iugo ſubiecit. Denique in latiſſimi Chinenſis regni (quod Chriſti armis expugnare parabat) aditu, ſanctiſſimè vitam profudit anno gratiæ milleſimo quingenteſimo quinquageſimo ſecundo, ætatis quinquageſimo quinto. In quo diuino viro admirabilis ſubmiſſio animi, feruentiſſima Dei charitas, animarum zelus, magnanimitas, fortitudo, patientia, perpetuum orationis ſtudium, vitæ aſperitas, Euangelicæ paupertatis amor, cæteræque omnes virtutes, quibus præditi fuêre cœlitus Apoſtoli affatim enituerunt: quas vt enarrare nemo poteſt, ſic nec ea miracula enumerare, quibus viuus & mortuus nobilitatus emicuit. Hunc Gregorius XV. Pontifex Maximus, ob conſpicua Apoſtolatus inſignia, & vitæ ſanctiſſimæ merita, Sanctorum catalogo ſolemniter inſcripſit, vnà cum ſancto Ignatio, à quo, anteſignano ſanctiſſimi illius ſodalitij, hanc in Chriſti militiam (in qua tot trophæa reuexit) adſcitus ac adſcriptus fuerat. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confeſſorum, atque Sanctarum Virginum.* FRANCISCVS XAVIER.

PIA morte defunctus eſt ADRIANVS ESTIVS cœnobij Inſulæ beatæ Mariæ Traiectenſis diœceſis Canonicus, ordinis Præmonſtratenſis, regularis diſciplinæ obſeruantia, & vitæ ſeueritate: at in primis inſignis animi corporiſque puritate, & deuotione erga ſanctiſſimam Deigenitricem admodum ſpectabilis. A qua glorioſiſſima Deipara: (cùm ipſe arderet diſſolutionis deſiderio:) viſibiliter ſibi apparente recreatus & inuitatus ad gloriam, illis in verbis *Monſtra te eſſe matrem*, felicem animam exhalauit. Ipſo die in viridi valle cœnobio ordinis ſancti Auguſtini in Brabantia, religioſè deceſſit IOANNES RVSBROQVIVS illius domus Prior, ſpiritu ſapientiæ & intellectus illuſtratus: qui plures deuotiſſimos libros altæ contemplationis, ſtylo ſublimi, at materna lingua conſcripſit. Item ibidem venerabilis IOANNES COCVS cognomento bonus, qui literarum imperitus, ſed cœleſti irradiatus lumine, velut Spiritu ſancto (qui *Adrianus Eſtius.* *Ioãnes Rusbroquius.* *Ioannes Cocus.*

ſimplices ac puras mentes diligit) ſibi dictante, libros ſuperna ſapientia itidem refertos exarauit: in quibus admirationem excitat rerum ſublimitas, quam ne Theologi multi niſi affectionum diuinarum periti, aſſequi poſſunt.

Tertio Nonas Decembris. Luna

3 A xviii.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
1	2	3	4	5	6	7	8	7	8	9	10	11	12			

SS. Anthemius & ſocij. NATALIS ſancti ANTHEMII Epiſcopi Pictauienſis & Martyris, ac ſociorum. Qui glorioſus Epiſcopus ob conſpicuæ ſanctitatis mores & dotes eminentis doctrinæ à Carolo Magno eximia dilectione ac exiſtimatione habitus, primùm Aulæ Abbas ſeu regius Archicapellanus ab eodem factus eſt. Pauló-que pòſt ad Pictauienſis Eccleſiæ regimen euectus, ab ipſo Carolo Bellum Hiſpanicum aduerſus Saracenos ineunte, in comitatum aſſumptus fuit, vt ſibi & exercitui pietatis officiis ac exemplis præluceret. At dum Cæſarauguſtana ciuitate ſubacta, circumiacentéque regione, Nauarram Carolus his Chriſti nominis hoſtibus armis eripit: perfidi illi iam fracti viribus, pacis ſe cupidos ſimulantes, petierunt à Rege ſibi aliquos deſtinari, à quibus quæ ipſi placita forent, ſibi præſcriberetur. Miſſus eſt igitur ad eos Anthemius venerabilis Antiſtes, cum quibuſdam aliis ſelectis viris: quos batbari illi blandè inductos in caſtra, mox circumſeptos armatis cuneis, in odium Chriſtianæ fidei, haud minùs quàm Regis, truncatis capitibus impiè peremerunt. Corpus ſancti Anthemij Carolus poſt fœdorum illorum Maurorum excidium, in Galliam reuexit: atque in vico de Iouſaco agri Santonenſis honorificentiſſimè condidit, in Eccleſia Sanctorum Martyrum Geruaſij & Protaſij. Deinde coruſcantibus ad martyris tumulum gloriæ diuinæ ſignis, idem Rex corpus ſanctum per Epiſcopos de ſepulchro ſolemni titu leuari curauit, atque in thecam pretioſam tranſlatum, ſuper quatuor columnas retro altare collocari. In Belgio Natalis Sanctorum Martyrum WALFRIDI & RADFRIDI à Normanis infidelibus propter Chriſti Domini fidem intetemptorum. Hic Walfridus cùm morum ſanctitate clareret, vxorem ſibi conſimilem accepit, ex qua Dei munere ſuſcepit vnicum filium Radfridum. Frequentabat verò quotidie Eccleſiam vrbis opulentæ quæ Groninga vocatur, ſedulò diuinam maieſtatem exorans, vt imminentia populo ſuo

(margin: Vvalfridus & Radfridus.)

exitia, ſua miſericordia depelleret. Prophetico autem ſpiritu inter cætera præuiderat Normanorum in Friſiam irruptionem, qui poſt occupatam Groningam & ſancti Martini baſilicam ibi incenſam, inde redeuntes Walfridum in pago Bedumenſi orantem inuenerunt, ipſúmque cum filio Radfrido interfecerunt. Operante autem Domino ad clarificationem vtriuſque Martyris, multas virtutes, Eccleſia primùm lignea, pòſt lapidea ibidem eſt extructa: quam Epiſcopus X. Kalend. Iulij in honorem glorioſæ Deiparæ, ſancti Pauli Apoſtoli & beati Walfridi conſecrauit: cuius & reliquias eodem die tranſtulit. In territorio Laudunenſi ſancti ELOQVII Preſbyteri & Abbatis, qui ex Hibernia in Gallias veniens, cum Sanctis Furſeo, Vltano, Foillano, Columbano aliíſque verbi vitæ diſſeminatoribus: quà voce, quà opere in Belgica Gallia animas Chriſto multas peperit, ſanctæque religionis cultu illic mirificè ampliato, ita hæſit ſancto Furſeo, vt illum in interiorem Galliam progredientem comitatus, in excitatione Latiniacenſis cœnobij haud procul ab Auguſta Lutetia plurimùm ſancta cooperatione iuuerit. Abeunte autem Clotharij Regis inuitatione ad Peronenſe monaſterium erigendum ſancto Furſeo, Eloquius Latiniaci ab eo relictus eſt, vt nouellæ plantationi colendæ operam daret. Subiit igitur aliquandiu ibi Abbatis vices, ea felicitate vt nouus iſte cœtus perfectam religionis formam indueret. Igitur Eloquius (conſtituto illic, ex ſancti Furſei iuſſu, *Æmiliano* paſtore) quo talenta diuinitus ſuſcepta non inania retineret: noui fœnoris appetens, in Belgium quæ regio ſua opera magis indigebat, redire diſpoſuit. At dum Lauduni in tranſitu immoratur Dei opus exequens, eius incolatus diuino beneficio abbreuiatus eſt, déque via in patriam, de labore ad requiem, de morte ad vitam euocatus, æternam pro mercede fidæ villicationis percepit beatitudinem. Sepultus eſt vir ſanctus in Eccleſia campeſtri eiuſdem diœceſis ad Iſaræ & Sommeronis confluentem, vbi cùm magnificis gloriæ ſignis radiaret, per Eilbertum Comitem tempore Caroli Simplicis Regis, hinc ad Walciodorenſe cœnobium iuxta Moſam, ſacri eius artus delati in ſacrario beatorum exuuiis refertiſſimo, perpetuo cultui repoſiti ſunt, vbi hactenus ſeruantur. Ipſo die Inuentio & tranſlatio ſancti NORBERTI ordinis Præmonſtratenſis in Gallia parentis, facta cùm ſingulari Dei beneficio, delinitis feris hæreticorum, qui Magdeburgum occupant, cordibus, auctoritate Ferdinandi II. Romani Cæſaris interueniente: ſacratiſſimum ipſius beati Patriarchæ corpus, adhuc conditum ſub altare ſanctæ Crucis monaſterij bea-

ELOQVIVS.

NORBERTVS.

tæ Mariæ Magdeburgenſis, illius vrbis Senatoribus binis, Legatos ad hoc aſcetas Præmonſtratenſes comitantibus, detectum, inuentum adhuc in apparatu Pontificali, leuatum è ſarcophago, atque eductum è templo ſqualido & collabenti, ea qua licuit reuerentia, hinc collectum abductúmque ex hoſtium auitæ pietatis manibus, in Bohemiam ad cœnobium montis Sion nuncupatum è regione arcis Pragenſis, delatum, atque cum inſigni triumpho ab Erneſto Cardinale ab Harrach, Archiepiſcopo Pragenſi, vniuerſo Clero, proceribus regni & populo numeroſiſſimo, ibidem honorificentiſſimè collocatum fuit, ad ordinis totius præſidium, fidelium ſolatium, infidelium errantiúmque confuſionem, & beatiſſimi cœlitis æternam venerationem, anno ſalutis milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo ſeptimo, pridie

GVDVVALVS & BERTVLPHVS. Kalendas Maij. Gandaui ſuſceptio corporum Sanctorum GVDVVALI & BERTHVLPHI in Blandinienſi cœnobio facta per ſanctum Gerardum Abbatem, pietate Arnulphi Flandriæ Marchionis. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confeſſorum, atque Sanctarum Virginum.*

Albertus. IN Villarienſi monaſterio feliciter expirauit ALBERTVS Abbas cœnobij beatæ Mariæ de Oliua in Pruſſia, qui eò venerat excitatus celebritate ſanctitatis domus ipſius Villarienſis. Vir gratiæ multiplicis donis ornatus, & qui gregi ſuo magna pietate præluxit.

Pridie Nonas Decembris. Luna

4 B XVII.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	1
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
2	3	4	5	6	7	8	9	8	9	10	11	12	13			

SS. SIGIRANNVS. LVTETIÆ Pariſiorum *ſuſceptio ſanctarum reliquiarum.* Eodem die in territorio Bituricenſi ſancti SIGIRANNI Abbatis & Confeſſoris. Hic eodem ſolo editus in lucem, patre *Sigilacio* Comite Bituricenſi regia affinitate conſpicuo, natalium nobilitatem, accedente, ex Dei dono, ſanctitatis gloriâ plurimùm illuſtrauit. Viam illi ad virtutem munierat ipſe pater. Qui cùm ſtrenuitate militari polleret, pietate tamen & vitæ ſinceritate longè præeminebat. Cuius intuitu Valario Archiepiſcopo Turonenſi decedente, de Comitatu ad Pontificatum euocatus, vrbis illius Cathedram felici præſulatu inſedit. Huius ſub oculis verſans Sigirannus, Turonis ſeſe literis applicuit, non leui cum

progreſſu eruditionis. At hinc in comitatum à Flaucado Maiore domus Burgundiæ ſub Clodoueo II. aſſumptus, adductúſque ad aulam, adhuc ephœbus Regis pincerna factus eſt. Quæ res cùm Sigilacio innotuiſſet, quòd filium putaret aulicæ vitæ addictum, caſto eum ſtatuit connubio, maturè innectere, ne vaga libido iuuenem abriperet. Huic igitur impetratam Ardroaldi Dynaſtæ præpotentis filiam, venuſtate ſingulari puellam voluit copulare. At caſtus adoleſcens longè alia cogitabat, quippe qui ſæcularis vitæ pertæſus, carnem abdito at aſpero macerabat cilicio, cœlibémque vitam vni Deo deditam ducere conſtituerat. Non puellæ igitur nobilis modò recuſauit connubium, ſed & conſpectum aliarum vt fugeret: atque fucos omnéſque ſæculi illecebras deuitaret, palatio exceſſit regio, Turonéſque ad ſepulchrum ſancti Martini ſe contulit, cui demiſsè obuolutus, ope cœlitis enixè implorata, comam depoſuit, ſúbque tanti patroni præſidiis, ſeſe Deo in perpetuam dicauit ſeruitutem. Id vbi Pontifex vrbis comperiiſſet, filium magno amore complexus, atque ad intentum hortatus exequendum: Clericorum matriculæ inſcripſit. Factus Clericus nobilis adoleſcens, maiori animi contentione Deo placere ſtuduit. Cúmque omnes ſuo exemplo & ſuaui eloquentia ad Dei amorem inflammaret, omnéſque ſanctimoniam eius ſuſpicerent, ad Eccleſiæ Metropolicæ Archidiaconatum, pro meritis euectus eſt. Non gradus excelſior eius animum inflauit. At quo maior eò demiſſior factus, humilitatis ſtudia impenſiùs coluit. Munus verò ſuſceptum ad genium Stephani protoleuitæ exequens, prorſus curauit adimplere. Viduis ſiquidem & pupillis ſingulari charitate opitulabatur, pauperibus ſtipem liberaliter erogabat, nec modò vt iis ſubueniret Eccleſiæ impendebat ſibi creditas facultates: ſed patrimonium quod opulentum habebat, in opera miſericordiæ, quibus inopes aleret, afflictóſque quoſuis ſolaretur diſpertiebat. Tantam ſanctimoniam, capitalis generis humani hoſtis iniquè ferens, Quæſtorem ciuitatis facibus inuidiæ inflammauit: qui inſimulatum dementiæ ſanctum virum, omni ludibrio inſectatus eſt, tandémque, eo nomine conſtrictum nexibus, publicam in cuſtodiam coniecit. At Deo ſerui ſui iniuriam vlciſcente, liuidus ille Quæſtor paulò pòſt ipſemet mente captus, cùm in furorem prorumperet, percuſſus à quodam ſpiculatore, gladio, miſeram efflauit animam. At verò Sigirannus potenti Dei ope vinculis ſolutus carceris, omnia ſimul mundi vincula diſrupit. Siquidem quod reſiduum erat de patrimonio, in vſus pauperum conuertens, ſeſe ipſo Archidiaconatu abdicauit, vt omnibus im-

pedimentis expeditus, vni Chriſto deinceps perfectè inhæreret. Igitur *Faluio* Epiſcopo, qui ex Hibernia in Galliam tranſiens in Turonum fines, diuinis moribus in ſe omnium oculos conuertebat, ſeſe adiunxit, vt ſublimioris vitæ theoriis ab eo reformaretur. Quo cum ſubinde Romam cum ſoliis pleriſque ex deuotione profectus, Apoſtolorum Martyrúmque veſtigiis perluſtratis ac ſacris adoratis pulueribus, in patriam rediit. Subuectus autem Flaucadi præſignati Dynaſtæ ope, primùm in ſaltu Brionenſi cui Milibero nomen, ædificatâ cellulâ illic aliquot dies commoratus eſt cum aſſeclis, quos ſanctæ inſtitutionis diſcipulos aſciuerat. Sed cùm non longè ab hoc ſeceſſu locum oportuniorem deprehendiſſet, Longortum dictum, eò ſedem transferre diſpoſuit, ſi regia pietas ſuis votis faueret. Annuit vltro eius religioſis affectibus Dagobertus Rex, cui Dei ſeruus generis propinquitate coniunctus, at magis deſpectu ſæcularis gloriæ & caſtiſſimæ vitæ moribus, charus erat. Locum igitur peramœnum illi libenter conceſſit, ea lege vt ibi cum adiunctis fratribus, ſub regularis vitæ tenore Chriſto famularetur. Ibi Sigirannus ex ſignis primò cellam condidit, ſtatutáque habitatione, non lenocinari aſpectibus, ſed eniti cœpit laboribus, vigiliis, orationibus, ieiuniis, omníſque virtutis exercitationibus, Deo, quem ſolum cogitabat, ſuis cum alumnis piis hortationibus & exemplis, complacere. A quo viciſſim chariſmatibus eximiis illuſtratus, prophetiæ ſpiritu, miraculorum virtute, viſus eſt circumquaque ſplendeſcere, donec emenſo huius vitæ curriculo, fruge ditatus iuſtitiæ, ſæculo exceſſit, cœlóque triumphali ingreſſu exceptus, inter beatos ſupernæ patriæ municipes, à Rege gloriæ, quem indiuulſè ſecutus eſt, meruit connumerari: iiſque clarificari poſt mortem immortalis gloriæ indiciis, vt iam ab hinc memoria eius ſacris honoribus conſecrata, locum quem incoluit feliciſſimo ſeceſſu, perpetuo pietatis domicilio, & nomine glorioſo quo etiamnum decoratur inſigniêrit. Cæterùm hac ipſa die recolitur alius SIGIRANNVS non inferiori ſanctitate, Abbas Aniſolenſis apud Cenomanos, qui primùm coniugatus, abruptis ſæculi obicibus, ad Chriſti vexillum militiæ ſpiritualis amore euolauit: profuſíſque gratiæ priuilegiis ſuffultus, ex tyrone mox anteſignanus euaſit: adeovt in ſancti Carileſi monaſterio (cui Aniſolæ nomen) cùm miris virtutum ſplendoribus prælucęret, Abbas conſtitutus; pleroſque diſcipulos ad ſublimem ſanctitatis gradum prouexerit, inter quos proprium filium *Siuiardum* ea ſanctimonia imbuit, vt perfectæ vitæ viuum ſimulachrum exprimeret: ſuúmque in illo regimi-

SIGIRANNVS Aniſolẽſis Abbas.

ne dignum relinqueret ſucceſſorem. Eodem die in Bituricis S. BERTOARÆ Chriſti famulæ, quæ genere illuſtris, mundi omnem gloriam Chriſti vnico amore calcauit: ſanctiſque orationibus die ac nocte intenta, poſt actas laborioſas at felices excubias, in occurſum cœleſtis ſponſi glorificanda proceſſit, cum oleo miſericordiæ, lampade caſtitatis, & igne charitatis. Hæc tempore ſancti Auſtregiſili Epiſcopi floruit, ad cuius conſpectum hominem paralyticum, quem fide nixa fecerat ipſam in Eccleſiam deferre, ipſe glorioſus Pontifex Dei virtute qua plenus erat incolumem reddidit. Colitur autem patronæ titulo & honore hæc beata hodie in propria Eccleſia, quæ cognominatur de Salis, ipſo in agro Bituricenſi. Eodem die depoſitio ſancti GERARDI Archiepiſcopi Bracarenſis in Luſitania: qui natione Gallus, patria Caturcenſis, monachus Moiſſiacenſis monaſterij, ordinis Cluniacenſis in eodem territorio, ita ab ipſis teneris vnguiculis animum ad Dei cultum adiunxit, vt literis moribúſque præſtans in Hiſpaniam ad ordinem conſtituendum miſſus, cùm mira ſanctitate polleret Archiepiſcopus Bracarenſis electus fuerit, atque à Paſchali II. confirmatus: cúmque Romam veniſſet pallio donatus, hinc ad ſedem reuerſus, populo eximio ſplendore pietatis præluxit: ac demum in pace defunctus, ob pietatis conſpicuæ teſtimonia, Sanctorum honoribus potitus eſt. In Belgio ſancti FRIDEGANDI, qui natione Scotus in Belgicam Galliam, portans cœleſte lumen tranſmeauit: depulſáque ab incolarum plurimorum huius plagæ cordibus, triſti fœdæ ſuperſtitionis caligine, ſolem iis iuſtitiæ & gratiæ patefecit. Cuius ardore æſtuans, peragratis pleriſque locis, atque eodem incendio quo feruebat diuinæ gloriæ & ſalutis humanæ accenſis, ad axes ſupernos & ſedes beatas euolauit. Eodem die Natalis ſanctæ BARBARÆ Virginis & Martyris Nicomedenſis. quæ pro fidei Chriſtianæ propugnatione, ad durum crudelémque Iudicem patre impio procurante producta: cùm in eius animo altiſſimis defixa pietatis radicibus Chriſtiana virtus ineſſet, non terroribus, non vi, non promiſſis, non ſpe, non facibus, non vllis denique tormentorum machinis, è piæ mentis gradu depulſa: ſed Chriſti armaturâ virgo induta, cœleſti animi robore, cùm contra omnes cruciatus, vim Chriſtianæ religionis declaraſſet, demum ab impio patre ſecuri percuſſa, multis virtutibus & miraculorum gloria illuſtris, ad duplicatum virginitatis & martyrij præmium abiit in cœlum. Cuius reliquiæ in Occidentem delatæ, nomen eius & venerationem populis incuſſerunt. Maximè autem Gallis, qui peculiari deuotione in hanc beatiſſimam Chriſti athle-

BERTOARA.

GERARDVS.

FRIDEGANDVS.

BARBARA.

tam affecti, ad eius colendam memoriam plurima templa & ſacella toto hoc ampliſſimo regno conſtruxerunt. Creuit verò ipſius beatæ cultus poſt annum milleſimum quadringenteſimum quadrageſimum octauum, quo *Henricus* Vltraiectenſis ciuis, cùm propitiam hanc Virginem ſuis clientibus in hora præcipuè mortis eſſe didiciſſet, adeovt precibus apud Deum efficere ſoleat, ne noxis inexpiati & deſtituti gratiæ ſubſidiis corpore excedant: penſum deuotionis diurnum tota vita eidem piæ tutelari exoluit, à qua ſibi viſibiliter apparente, cùm repentino incendio exuſtus animam in rogo iam efflaret, de flammis extractus, atque felici expectatione ſalutis roboratus: promiſſum accepit non ipſum vita exceſſurum, quin priùs animam ſacra confeſſione expurgaſſet, diuinámque alimoniam, imo & linimentum extremæ vnctionis percepiſſet. Qua ſponſione vegetatus, corpore etſi ferè conſumpto, at doloris experto, integro die & ſequenti nocte ſuperuixit: magnóque cum pietatis ſenſu receptis ſacramentis, in collaudatione diuinæ miſericordiæ, & beatæ ſuæ patronæ (cuius viſum & occurſum mirabilem opémque ſalutarem aſſiſtentibus referebat) præconio ac honorificatione, candidatum gloriæ ſpiritum placida morte in ipſo auroræ ortu exhalauit, apud Gorcomum Hollandiæ ciuitatem, ad quam ob vitandum interdictum à Martino Papa V. in Vltraiectinos rebelles Apoſtolicæ ſedi pronunciatum, vir timoratus confugerat, honorificè funeratus. Quæ omnia authentica teſtificatione promulgauit Theodoricus Paulus, Gorcomienſis Paſtor, qui hominem ferè abſumptum flammis, haud ſine miraculo ſpirantem vidit, apparitionem prænarratam referentem audiuit, confeſſionem eius, vicibus quatuor excepit; ſacris muniuit præſidiis, plagáſque eius exitiales ac immunes doloris contrectauit, ipſum denique qui Dei magnalia, & ſanctæ Virginis opitulationem mirabili ſpiritus ardore ad extremum vſque vitæ momentum confluentibus ciuibus annunciauit, in pace defunctum, ſepulturæ Chriſtianæ officiis proſecutus eſt. Cæterùm Robertus de Torota Epiſcopus & Dux Lingonenſis, ſingulari deuotione propenſus in ſanctam Barbaram, eius feſtum ſua in Cathedrali Eccleſia inſtituit, aucta canonicorum præbenda, vt huic celebrandæ ſe præberent procliuiores. Floriaci tranſlatio ſeu

BENEDICTVS. relatio reliquiarum ſancti BENEDICTI, ex vrbe Aurelianenſi (quò propter incurſiones Normanorum delatæ fuerant) in monaſterium Floriacenſe: vbi ad præſentiam ſancti corporis gelu fluminis ſolutum eſt, & arbores tam pomiferæ quàm agreſtes, quaſi in medio Aprili diuinitus in flores eruperunt, aliáque multa

ta prodigia facta ſunt, quæ Petrus Venerabilis Cluniacenſis Abbas triumphali carmine prædicat. Diedericus verò Teutonicus ſingulari libro ad Richardum Marbacenſem Abbatem directo, ex ſerie narrat. Rei verò geſtæ perſpicuum prodit monimentum Eccleſia ſancti Benedicti dicta de Returno, Aureliis à Medone Abbate Floriacenſi ædificata. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confeſſorum, atque Sanctarum Virginum.*

Nonis Decembris. Luna

5																C xvi.
a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	1	2
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
3	4	5	6	7	8	9	10	9	10	11	12	13	14			

AVGVSTODVNI Heduorum ſancti RACHONIS eiuſdem vrbis Epiſcopi & Confeſſoris. Qui primùm Luxouienſis aſceta, ſancti Euſtaſij celebris illius Abbatis frater generoſo ſtemmate Burgundionum progenitus, primos ætatis flores in tyrocinio diuinæ ſeruitutis expandit, ſui germani, qui pietatis ſummus magiſter erat, hoc in monaſterio diſcipulus. Cuius mores ſanctiſſimos ſic imbuit, vt eius non immeritò frater, quia ferè alter diceretur. Hac verò exiſtimatione & merito ſubuectus, Proculo iuniore Æduenſi Antiſtite de medio ſubducto, ad huius Cathedræ Pontificalis ſacram præfecturam, non minori conſenſione Cleri ac populi electus, quàm proprio cum renixu admotus, verbi diuini ſemina, quæ hactenus apud ſe celauerat, populo ſedulus impertiuit: eáque religione, integritate, ſolertiâ, curâ munus ſuum executus eſt, vt copioſam diuinæ ſementis meſſem breui tempore ſuis ex laboribus excitârit. Excucurrerat frater eius Euſtaſius in Germaniam, vbi Apoſtolorum facta imitatus, dæmonum nefando exturbato cultu, puram vnius veri æterniq. numinis religionem inuexerat, ac conſtabilierat. Hic igitur in reditu tàm fauſtæ expeditionis Baſileæ ad Rhenum dum ſubſiſtit, orbatam Eccleſiam reperit Pontifice. Cúmque ſuffragatores in deſignatione ordinandi diſſentirent, commiſeratus gregis deſolati vir ſanctus, literis ſupplicibus Rachonem fratrem (quem & Rachonarium Germani poſtea vocitârunt) accerſiuit, egítq. apud eum feruidis efflagitationibus, vt Eccleſiæ Æduenſis gubernatione Agrippino, exploratæ religionis ac ſapientiæ preſbytero, cómen- SS. RACHO.

NNnn

datâ: Baſileenſis ipſe Eccleſiæ, quæ præſenti ope præpotentis curatoris indigebat, clientelam ſuſciperet. Id enim in maiorem Dei ceſſurum gloriam ampliorémque meritorum ipſius Rachonis cumulum, qui non quæ ſua, ſed quæ Chriſti quærens, ſola ex miſericordia, ſedem mutaret. Obſecundauit ductus hoc reſpectu pietatis monenti rogantíque fratri, imò patri ſuo vir ſanctus. Baſileæq. paſtorali ſolicitudine aſſumpta, quid poſſit Dei amor & gratia in Epiſcopo qui animas curat, præditus his affectibus præclarè oſtendit. Denique cùm nouis quotidie ſtimulis ad gregis commoda ſe incitaret: maioráque in dies animarum lucra Domino cumularet, abreptus felicis mortis ſomno, in cœlum commigrauit, hanc percepturus piorum laborum mercedem bonis affluentem, quam Dominus ipſe gloriæ fidelibus ſeruis pollicitus eſt. Viguit tamen poſt eius diſceſſum apud Æduos chara eius memoria, quam etiam poſtquam ad Chriſtum abiit, perpetuæ venerationi conſecratam Æduenſis ipſa mater Eccleſia anniuerſariis ſactis recolit. Idque non ſemel. Itenim faſtis ſuis inſcriptum eius nomen prodit octauo Kalendas Februarij, & his Nonis Decembris. Quòd ſcilicet bino Epiſcopatu ſucceſſiuè functus, Auguſtoduno vnâ die diſceſſerit, alterâ, Baſileæ è carne migrauerit. Ipſo die

NICETIVS. Auguſtæ Treuirorum ſancti NICETII illius Metropolis Epiſcopi & Confeſſoris, qui vir miræ ſanctitatis ex Abbate & monacho ſancti Maximini Treuirenſis, ad nobilis illius Eccleſiæ gubernacula euocatus, quod in Dei oculis officium exequens, omnia ad eius placita referret, nec vllo reſpectu humano ab iniquitatis reprehenſione abſterreretur, ita vt etiam Clotharij Regis iniuſta opera argueret, ab eo ſede eiectus, multa in exilio pro Dei amore & iuſtitiæ cultu perpeſſus eſt. At deinde præualente eius innocentiâ & pietate, cùm honore reuocatus, maiori quàm ante ſedulitate legem Dei tutatus, eius obſeruantiam zelo admirabili quibuſque inculcauit: quà voce, quà moribus, quâ ſignis à deuio peccati tramite homines auocans, atque reducens in vias rectas iuſtitiæ & pietatis. Cuius ſtudio propugnandæ cùm quinto Concilio Aurelianenſi & primo Aruernenſi interfuiſſet Pontificalis ſanctitatis apex, fidei vindex, Galliæ ſplendor, quin & orbis totius amor, ad conſeſſum cœleſtis aulæ profectus, Senatoribus illis qui thronum æterni regis conſpicuâ coronâ ambiunt,

BASILISSA. pro meritis adlectus eſt. Eodem die ibidem S. BASILISSÆ Virginis & Abbatiſſæ Hoirenſis, quæ à primæuo iuuentutis flore diuinâ gratiâ præuenta, virginitatem ſuam ſub ſancti Benedicti inſtituto conſecrauit, & diuinis rebus intenta, ei per amorem & puritatem ſpiritus adhærere ſtuduit: vnde & ſanctitate vitæ

& miraculorum gloria coruſcans, poſtquam in Abbatiali cura irreprehenſibiliter ſe geſſiſſet, caſtóque feruore gratiæ multas Chriſto filias, tot virginei germinis flores Chriſto ſponſo ſuo peperiſſet: conſummato feliciter curſu peregrinationis ſuæ ad patriam ſupernam, agníque cœleſtis deſideratas nuptias demum euolauit, ſigníſque admirandis in tumulo refulſit. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confeſſorum, atque Sanctarum Virginum.*

BEATÆ memotiæ REGINARDVS Leodicenſis Pontifex quinquageſimus, (cuius ab Angelo prædicta, à beato Stephano Abbate ptæuiſa fuetat conuetſio:) poſtglorioſi Epiſcopatus feliciſſimíque tegiminis expletos progreſſus, tempotalis vitæ luci ſubtractus, ſancti Laurentij cui impensè deuotus fuerat ductu, ad beatotum ciuium conſottium, & fruitionem piæ ſpei emetitam ditectus, aulæ ſupetnæ adyta penettauit. Fuit vit iſte ſimoniacæ labis abſterſot ſtrenuus, domus Dei magnanimus defenſot, libetalis pauperum nuttitot, Eccleſiarum ſtructor, decotatórque ſtudioſiſſimus. Quieſcit cum exiſtimatione ſanctitatis in celeberrimo monaſtetio ſancti Lautentij, cuius fundator ptæcipuus memoratur. Ad ætetni luminis conſpectum eodem die produit, ex Catoli-loci cœnobio beatæ memoriæ GODEFRIDVS Epiſcopus Siluanectenſis, qui pontificiâ dignitate, vt in humilitate moretetur abdicatâ: in ſui petfectæ abnegationis, obedientiæ, paupettatis, mottificationis holocauſto, Chriſto ſeſe immolauit, factúſque de ſacetdote viua hoſtia, excuſſis mottis nexibus, indeficientis vitæ ptæmium adeptus eſt. In Chriſto etiam felici ſomno quieuit piæ memoriæ IOANNA ex Comitiſſa Flandriæ, humilis monialis, vittutibus plena & opinione ſanctitatis clata.

Reginardus. *Godefridus.* *Ioanna.*

Octauo Idus Decembris. Luna

6 D xv.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	1	2	3
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
4	5	6	7	8	9	10	11	10	11	12	13	14	15			

NATALIS ſancti NICOLAI Epiſcopi & Confeſſoris Thaumaturgi: totâ Galliâ celebris; quæ iamdudum ſanctiſſimo huic Pontifici religiosè addicta, innumeras Eccleſias, ſacella, oratoria toto quo latè patet ambitu, huius colendæ memoriæ condidit & dicauit. Harum verò antiquiſſima ea eſt; quæ ante octingentos in meditullio vrbis regiæ Pariſienſis fundata, ipſo tanti cœlitis patrocinio iam ſpectabilis erat, cùm ſancti Maglorij corpus ex Britannia ad declinandam Danicam procellam, Lutetiam quaſi tutum in aſylum tranſuectum, pietate Hugonis magni Franciæ Ducis & Pariſiorum comitis, exceptum omni honore, in baſilica regij palatij, annuentibus Lothario & Ludouico Regibus Chriſtianiſſimis poſtrèmis Carolini germinis, re-

SS. NICOLAVS.

poſitum fuit. Tunc enim ipſorum Galliæ Auguſtorum iuſſione Canonici Palatini è ſacello regio quod aſcetis Maglorianis traditum eſt, ad ipſam ſacram ædem ſancti Nicolai, quæ haud procul erat à domo regali ablegati ſunt. Quam adhuc incolebant cùm Robertus Rex nouâ ſtructurâ regias ædes inſtaurans, ipſam ſancti Nicolai Eccleſiam ob ampliorem eius honorem intra palatij ſui ſepta concluſit. Id autem Philippus IV. qui pulcher dictus eſt mole magis conſpicuâ cùm adornaret, Eccleſiam illam nouâ fabricę decoratam, muris ſui ipſius palatij cinxit: verùm ſancti Nicolai patrocinio ſancti Michaëlis inuocatio tempore ſuccedente eidem ſacræ ædi acceſſit. Nec tamen minutus inde ipſa in vrbe regi ſancti Nicolai cultus, cui exequendo & memoriæ decorandæ baſilicæ plures quàm cuiuſquam alius beati nomini ibidem ſacræ conſpiciuntur. Duæ enim ſunt Pariſiis parœciales Eccleſiæ titulo ſancti Nicolai inſignes, nempe ſancti Nicolai à Campis ampliſſima baſilica, Clero populóque, ſi vnam fortè vel alteram excipias, omnium parœciarum frequentiſſima. Et ſancti Nicolai parœcialis Eccleſia quæ dicitur de Cardineto, in inclytæ Pariſienſis Academiæ ſinu condita. Perſtat inſuper intra regiæ Luparæ muros collegiata Eccleſia ſancti Nicolai adeo vetus, vt ipſo ſtructuræ conſpectu antiquiſſimam originem incutiat, ipſâ lapidum priſcâ congerie magis quàm literariis vllis monimentis (quæ temporum viciſſitudine exciderunt) patentem & exploratam. Cæterùm non Reges modò Chriſtianiſſimi, ſed Proceres quoque Galliæ Illuſtriſſimi ſancti Nicolai recordationem ſuis infixam præcordiis iam olim teſtati ſunt. Quorum pietate templa monaſteriáque inſignia ſub ipſius beatiſſimi Confeſſoris venerábili nomine extructa inſurrexerunt. In his magis eminet Abbatialis Eccleſia ſancti Nicolai Andegauenſis, quam à Fulcone Rechino trigeſimo nono Comite Andegauenſi nobili ſtructurâ & copioſo cenſu ac ornatu fundatam, Vrbanus II. Pontifex Maximus ſolemni ritu dedicauit anno reſtauratæ ſalutis milleſimo nonageſimo ſexto, quarto Idus Februarij. Tornaci Neruiorum alia aſcetica cernitur eiuſdem inuocationis Eccleſia ordinis ſancti Auguſtini dicta in Pratis, ab Ogero ante annos quingentos condita. Alia item in Laudunenſi Præſulatu ordinis ſancti Benedicti itidem vocitata de Pratis, aliæ denique plurimæ: quarum omnium illa iure cenſetur apex, quæ decus Lotharingiæ, in oppido de portu extructa fuit ſub titulo glorioſi huius Confeſſoris circa annum Chriſti reuelati milleſimum nonageſimũ ſeptimum, occaſione Reliquiarum eiuſdem beati eò illatarum,

quæ non baſilicam modò illam auguſtiſſimam excitarunt, ſed innumeris miraculis ibidem editis, & continuo concurſu populorum Galliæ præcipuè & Germaniæ clarificatam reddiderunt, toto occidente celebrem & venerabilem. Ipſo die in monaſterio charitatis beatæ Mariæ ad Ligerim ſancti GIRARDI Confeſſoris. Qui ſancti Hugonis magni illius Cluniacenſis Cœnobiarchæ diſcipulus, Cluniacenſíſque monachus: factus ex pullo grandis aquila, tranſuolans ad hunc locum prædæ animarum intentus, eo loco ſibi apto ad victoriam, arcem ibidem religionis inſtruxit. In qua tota ex Burgundia, auiculas aucupans cœleſtium cupidas amœnitatum, tantam congregauit ſpiritualium filiorum cateruam, vt numero, diſciplina, famáque & merito ſanctitatis nouus iſte cœtus, ſub tam inclyto duce militans, ampliſſima quæque & antiquiſſima religionis agmina ſuperaret. Ipſe verò Girardus victor triumphatórque ſæcularis nequitiæ, factis mirabilis, lumine prophetiæ micans, meritorum magnitudine clarus, de via ad patriam, de pugna ad coronam, de valle huius miſeriæ ad montem æternæ gloriæ feliciter euolauit. GIRARDVS.

Eodem die ſanctæ GERTRVDIS viduæ, Abbatiſſæ & fundatricis Hamaticenſis monaſterij ad Scarpam fluuium, haud procul à Duaco. Hæc Adalbadi toparchæ Duacenſis auia. Coniux verò Rigomari Dynaſtæ præpotentis, poſt eius mortem Apoſtoli conſilium numine aſpirante amplexata, libertatem quam viri obitu adepta erat, in Chriſti deſiderabilem ſeruitutem commutauit: cui corpore & ſpiritu deinceps tota dedita, ſuſcepto ſacro religionis velamine illud Monaſterium ex ſuis facultatibus erexit ac dotauit. Nec tàm ornauit vel ditauit fabricæ decore & opum affluentiâ, quàm nitore morum, ardore pietatis, & omni religionis obſeruantiâ decorauit. Adlectis enim ibidem in cooperationem gratiæ pleriſque virginibus ſic præluxit, vt virtutum quibus mirè pollebat ſplendorem iis affatim communicaret. Quibus meritis locupletata, fine beato conſummata eſt, ipſóque in ſuo monaſterio digno funere ſepulta. GERTRVDIS vidua.

Cui ſucceſſit in Abbatiali munere ſancta EVSEBIA eius proneptis, quam in omni pietate educauerat, à qua multæ etiam virgines Chriſto ſacratæ feliciter ad cultum perfectæ ſanctimoniæ prouectæ ſunt. Ipſa verò in omni ſanctitate defuncta, ibidem prope ſanctam Gertrudem tumulata tandiu hic quieuit, donec cum eadem ad Marchianenſe ſanctæ Rictrudis cœnobium tranſlata ſolidi ſitus obtinuit ſedem, & perennis obſeruantiæ decorem. EVSEBIA.

In pago Orpio territorij Namurcenſis ſanctæ ADILIÆ Virginis & Abbatiſſæ: quæ Sanctorum hoſpes, Angelorum ADILIA.

æmula & amica, Dei hæres & Chriſti cohæres tandem facta eſt in gloria. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confeſſorum, atque Sanctarum Virginum.*

Nicolaus. OBDORMIVIT in Domino beatæ memoriæ NICOLAVS Valcellenſis Abbas diuinis operibus clarus. Cuius auditis meritis & miraculis Alexander III. in Concilio Lateranenſi reſidens, corpus eius eleuari & debito honore coli mandauit. Eodem die piiſſimè quoque quieuit apud Alnam cœnobium Godefridus Monachus Claræuallenſis, à ſancto Bernardo miraculosè conuerſus, atque à Domino ſignis & virtutibus maximis illuſtratus.

Septimo Idus Decembris. Luna

7 E XIV.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	1	2	3	4
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
5	6	7	8	9	10	11	12	11	12	13	14	15	16			

SS. AMBROSIVS. ORDINATIO ſancti AMBROSII Epiſcopi, liliorum feracis Galliæ pretioſi germinis, vniuerſalíſque Eccleſiæ Doctoris præclariſſimi. Ipſo die apud Santonas in Aquitania ſancti MARTINVS. MARTINI Abbatis & Confeſſoris, qui beati Martini Archiepiſcopi Turonenſis diſcipulus, quem nomine prætulit, expreſſit etiam imitatione. Cuius dogmatibus ſacris imbutus, vt iis alios informaret apud vicum illius vrbis monaſterium excitauit. Imò totius pietatis & diſciplinæ Apoſtolicæ nobile erexit gymnaſium. Ibi cœleſtis vitæ ſectator, quin & doctor ductórque animarum, ad veræ ſapientiæ arcem agmina ſpiritualium tyronum traxit, duxit, prouexit. Functúſque ſalutis officio, beato fine quieuit. Ad huius tumulum creberrima diuinitus miracula facta ſunt, quæ Gregorius Turonenſis literis commendauit. Eo-
EVTROPIVS. dem die ibidem ſancti EVTROPII Confeſſoris. Qui eiuſdem Martini Santonenſis primarius aſſecla, ſic purus eius hæſit veſtigiis, vt ipſo ad præmium aſſumpto, locum eius repleuerit, déque filio factus pater, multos Chriſto alumnos conformauerit, ad cuius demum conſpectum glorioſum, pro laborum piorum munere feliciter tranſmigrauit. Ipſo die in agro Meldenſi
PHARA. ſanctæ PHARÆ Virginis. Quæ nata Agnerici Comitis Burgundiæ, & Leodgunte nobiliſſimâ fœminâ, ſoror verò beatorum Canoaldi, Walberti & Pharonis inſignium ſanctitate Pontificum: ſui æui clarum lumen in omni gratia emicuit. Quæ piè à tenera ætate erudita, adhuc infans à ſancto Columbano celebri illo Abbate Luxouienſi, futuræ ſanctitatis in ipſa ſpecimina in-

tuenti (cùm familiam Agnerici comitis viſitaret:) benedictione donata, hinc primitias illius gratiæ quâ poſtmodum clarificata eſt accepit. Vnde paululum progrediente ætate, iam rarâ venuſtate nitens cum Deo virginitatem ſuam deuouere ſtatuiſſet, à patre acerbius id ferente impetita: propter hoc ita fleuiſſe dicitur, vt lumina amiſerit, quæ ſanctus Euſtaſius beati Columbani diſcipulus & ſucceſſor ei per preces reſtituit. At cùm pater de matrimonio illius cum nobili adoleſcente contrahendo pertractaret: puella quæ ab omni nexu carnali abhorrebat, ſolíque Chriſto ſeſe addixerat, ad ſancti Petri Eccleſiam confugit, vt eius ope aduerſus tantum periculum muniretur. Verùm ſæui parentis iuſſu hinc violenter abſtracta, domi ita recluſa eſt, vt nullus ad eam pateret acceſſus. Quod vt nouit ſanctus ille Abbas Euſtaſius ſuis monitis in tantum apud Patrem profecit, vt ipſa ſecundùm voti ſui deſiderium à ſancto Gundoaldo Meldenſi Epiſcopo religionis teſſeram, inſigne pudicitiæ, titulum ſacræ virginitatis & tutelam, myſtico amicta velamine acceperit. Tum pater ad ſaniores conuerſus affectus, in ſui dominij prædio monaſterium ei ædificauit, in ſaltu Brigenſi cui loco tunc Eboriaci nomen: poſtea à ſanctæ Abbatiſſæ memoria, *Pharamonaſterium* eſt vocabulum inditum. Hîc poſita votis virgo ſanctiſſima ſocias multas adlegit, quibus facta mater, non tam nomine præfuit, quàm præluxit gratiâ & virtute. Et tantâ quidem celebritate ſanctitatis, vt huius ſplendore ad ſe innumeras traxerit piæ inſtitutionis ſectatrices. Certatim ex omni Gallia & Germania, imò Anglia, Hibernia, ad eam puellæ nobiles, quin & Regum Dynaſtarúmque filiæ mittebantur, quas Chriſti amore incenſas, moribus eiuſdem quos in ſe transfuderat informarét. Ex his enituit præcipua virtute *Edelburga*, Annæ Regis Anglorum Orientalium filia: quæ poſt migrationem ipſius Pharæ, eius vicem in virginum regimine ſubiit, & diuinâ vitæ ſerie poſt mortem ſanctis quoque beatis adcenſeri promeruit. Poſt hanc *Earthongatha* illius neptis, quæ Earcomberti Cantiæ in Anglia Regis filia, condigna tanti ſtemmatis ſoboles, magnarum virtutum decore florens, Deo in omni puritate carnis & ſpiritus ibidem ad extremos vſque halitus ſeruiuit. Nec huic inferior ortu vel merito ſancta Syra, quæ Eugenij IV. Scotiæ Regis filia, fratris ſui Fiacrij exemplo, terrena omnia aſpernata, ad ſanctam Pharam cuius virtutum ſuauiſſimos odores præſenſerat ſe conferens, eius ſub diſciplina ſanctiſſimam vitam traduxit, beatóque fine conſummata, cum fratre inter Sanctos digna inuenta eſt connumerari. Longum eſſet ſeriem texere he-

roinarum cæterarum, quas abſtractas à ſæculi blandientis illiciis, imò exitioſis nexibus, Chriſto copulauit generoſo contemptu gloriæ, cultu puritatis, affectu iuſtitiæ, religionis obſeruantiâ, glutinóque perfectæ charitatis. Sed & fauſtis artificiis Phara germanum ſuum Pharonem, mundi implicitum ſtudiis, in aula florentem, Clothario Regi chariſſimum, coniugio gratiſſimo copulatum, cum Blitilde ex prima nobilitate fœminâ ſpecioſiſſimâ, ſæculo abduxit. Quem cùm literis ſuauiſſimis ad ſe euocaſſet, poſt parentum mortem, ita diuinis alloquiis affecit, mundi vanitate propalatâ, Dei vnius commendatâ bonitate & gloriâ: vt extunc inualeſcentibus ſororis ſermonibus imò diuinis afflatibus, regiam ille amicitiam, mundi gloriam, & oblectamenta coniugij contempſerit, reliquerit: conſentientéque Blitilde coniuge, quæ monialis ſub Pharæ auſpiciis facta eſt: clero adſcriptus, ac cùm perfectior euaſiſſet ordinatus Preſbyter, demum fratre Walberto Meldenſi Antiſtite exploratæ ſanctitatis decedente: Pontifex eius loco creatus ſit, eóque ſalutis miniſterio ita ad Dei beneplacitum perfunctus, vt partâ ingenti ſanctimoniæ gloriâ, munus cum vita conſummauerit, noménque venerandum reliquerit ſacris Eccleſiæ tabulis inſcriptum. Cæterùm Phara quæ virgo in oculis ſuis puſilla magnas tot animas Chriſto enixa eſt, fide plena, meritíſque iuſtitiæ, Sponſi dilecti cùm beatos ardenter optaret aſpectus, iam ætate prouecta, laboribus perfuncta, gloriæ matura, anno vitæ octogeſimo ſexto ineunte deſideratam migrationem præſenſit: materníſque monitis filias quæ ferè nonaginta erant adhortata, iíſque ſua benedictione munitis, inuocatis Reginæ virginum Deiparæ beatiſſimæ præſidiis, pignoribus æternitatis religioſè ſuſceptis, Chriſti crucifixi adoratis vulneribus, exoratis fauoribus, animam fœtam meritis felici efflatu emiſit, déque ergaſtulo corporis, de vinculis mortis, de via miſeriæ, de hac labili luce, ad beatarum ſedium amœnas manſiones, ad optatam filiorum Dei libertatem, ad vitam, ad gloriam, ad indeficientes paradiſi ſplendores, denique ad deſideratiſſimam Regis gloriæ viſionem, boníque æterni fruitionem in cœlum tranſmiſit. Corpus eius, puriſſimum gratiæ Dei organum, germen futuræ gloriæ, pignus charitatis & opitulationis perpetuæ, inter manus chariſſimarum filiarum depoſitum ſanctus Hildebertus Epiſcopus Meldenſis, dignis exequiis ſepeliuit: adſiſtente ſibi ſancto Landerico Pariſiorum Pontifice, qui auditâ morte ſanctiſſimæ Virginis, eius vt honoraret: cuius coluerat virtutes, eò feſtinus aduolauerat cum pleriſque Abbatibus, Clericis & Proceribus, affluen-

téque innumera populi multitudine: qui non tam funebria mortuæ ſe exoluere, quàm beatæ triumphum proſequi, cuius ſanctitas cuíque notiſſima erat, ſuo concurſu ac veneratione prodiderunt. Conditum autem ſanctæ Pharæ corpus diù ob frequentes Danorum incurſiones, & ſæuos belli turbines ferè continuos, in tumulo delituit, nempe vſque ad tempora Alexandri III. Papæ. Tunc enim monente & inſtante *Maiolo* celebris ſanctimoniæ Abbate ſanctæ Crucis in vrbe Meldenſi, diœceſanus Epiſcopus conuocato Clero, ſolemni apparatu glebam hanc pretioſam de ſitu ſepulchri, hoc eſt de puluere gemmam perlucidam leuauit, ínque thecam argenteam, quæ aurea eſſe debuerat, nobilem hanc margaritam tranſtulit, ad perennem tantæ Chriſti ancillæ, iam amicæ & ſponſæ glorioſæ cultum & obſeruantiam. Cæterùm anno milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo ſecundo, irruente ex Germania in Galliam ferali illa pietatis hoſtium phalange, qui ad iuſtiſſimi inuictiſſimíque Regis Ludouici XIII. hæreticos perduelles debellantis ſubigentiſque, virentia remorandum trophæa, Campaniam ingreſſi, barbarâ feritate, obuia quæque peſſundabant: ad proximè impendentis exitialis turbinis impetum declinandum, Abbatiſſa & Conuentus Pharæ monaſterij loco ad tempus excedere, atque ſanctiſſimæ ſuæ matris ſacras reliquias cum quibuſque pretioſis ſacrarij monilibus, tutum in receſſum transferre diſpoſuerunt. At apertâ Capſulâ, in qua ſanctæ Pharæ pignora veneranda quieſcebant, cùm vota impenſiùs ad gloriam tutelarem dirigeret Abbatiſſa, ſuæque tanto exterritæ periculo Virgines, mox Dei magnifica manus apparuit. Illico ſiquidem cæca Monialis, quæ ante quinquennium extinctis prorſus luminibus, in mœrore tabeſcebat: appoſitis ſanctæ opitulatricis ad oculos magna fide reliquiis, viſum ſtupentibus cunctis circumſtantibus, cum integra incolumitate recepit. Procella verò illa quæ excidium huic ſacræ domui, quin & toti regioni minabatur, diſſipato diuinâ virtute illo filiorum perditionis exercitu, prorſus euanuit. Magno virginei illius collegij ſolatio, nec minori totius regni commodo, quo Deus Optimus Maximus Sanctorum ſuorum veſtigiis conſecratum, eorumdem meritis ab quacunque clade imminenti, nunc vſque ſæpiſſimè ſeruauit, atque vt fidendum eſt (niſi peccata grauiora præpediant:) in poſterum tutabit & præmuniet. Sed verò illud ad gloriam ſpecialem ſanctæ Pharæ attinet, quæ dignam meritorum vicem à Deo recepit. Cùm enim ob virginitatis cuſtodiam à patre vexata, lumina nimio ex gemitu perdidiſſet: ſingulari Dei beneficio illa non ſolùm dum in car-

ne viueret recuperauit, at in hoc ipſo quo dudum tentata eſt, poſt mortem facta *potens cæteris auxiliari*, virgini ſuis ſub præſidiis Chriſto conſecratæ, lucíſque priuatæ perſuaui vſu, optatam refudit ſuâ apud Chriſtum gratâ interuentione, perditi luminis fruitionem. Ipſo die apud Baiocas, in monaſte-

Gerebaldus. rio Liberiaco ſancti GEREBALDI illius vrbis Epiſcopi & Confeſſoris. qui decimus ordine Eccleſiæ huic præſidens, fulgentem nunc vſque ſerie continuâ Pontificalem ſanctitatem, propriis meritorum inſigniis perennauit. Rotomagenſi Concilio quod conuocauit ſanctus Anſbertus Metropolitanus Antiſtes, pro Fontanellenſis cœnobij immunitate cum multis ſacris Proceribus interfuit. Multáque animarum meſſe collectâ, manipulos iuſtitiæ deferens, in gaudium Domini, pro fideli villicatione admiſſus eſt. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confeſſorum, atque Sanctarum Virginum.*

Gerardus. HAC ipſa die felici triumpho ad gloriam euolauit beatus GERARDVS ſextus Claræuallenſis Abbas, at *primus Martyr ordinis Ciſtercienſis*, pro ſanctæ religionis zelo & iuſtitiæ conſeruatione crudeliter occiſus. In cuius funere cùm Petrus Abbas Igniacenſis defunctorum Liturgiam pro eius animæ commendatione celebraret: viſu miraculoſo edoctus eſt, non preces fundendas pro eius requie, ſed laudes pro glorificatione Chriſto referendas. Apparuit enim ſanctus Bernardus à dextris altaris, & beatus Gerardus à ſiniſtris, ambo refulgentes inæſtimabili claritate: Sanctúſque Bernardus affatus Abbatem celebrantem illum admonuit, Gerardum non lugendum, ſed deinceps celebrandum, qui inter purpuratas Martyrum acies à Domino annumeratus, pro vitæ ſanctæ meritis & morte pretioſa immortalem conſecutus eſſet gloriam & honorem.

Sexto Idus Decembris. Luna

8 F xiii.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	1	2	3	4	5
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
6	7	8	9	10	11	12	13	12	13	14	15	16	17.			

SS. Maria Deipara concepta. CONCEPTIO SANCTISSIMÆ VIRGINIS MARIÆ, quæ ab æterno electa à Deo & prædeſtinata, vt filij ſui vnigeniti, quem mundo dedit redemptorem, digna eſſet genitrix; innumeris dotibus & priuilegiis ſuprà omnes creaturas decorata, ne qua illi perfectio, dignitas aut gloria deeſſet, in ipſa ſua generatione hâc diuinitus gratiâ præuenta eſt, vt nullius eſſet labis affinis. Decebat enim, vt illa è qua edendus eſſet immaculatus agnus, omnes à peccati macula mundaturus, omni eſſet à ſorde immunis, ſed myſticum illud vellus, è quo agnus ipſe

noſtræ humilitatis indumentum aſſumeret, rore cœleſtis gratiæ ita dealbaretur, vt eidem agno non modò nitidam pellem, ſed ſacerdoti ſummo tunicam immaculatam, candida ſua ex lana quæ byſſum ſuperat mundicie exhiberet. In cuius myſterij recordationem pariter & venerationem, iam pridem inducta ſeruatáque apud Græcos hodierna celebritas: ſic inde per Occidentem diffuſa eſt, vt primùm à Gallia inciperet. Ex qua deinceps cæteras apud gentes propagata, ſedíſque Apoſtolicæ auctoritate probata, iam vbique magnâ religione ſeruatur. Ipſo die ſancti EVCHARII Treuirenſis Metropolis primi Epiſcopi, qui à ſancto Petro ad Belgicam Galliam illuminandam cum Materno & Valerio directus: ipſum Maternum in ipſo Apoſtolici muneris primordio defunctum, baculo ſibi à ſancto Apoſtolo tradito, ad vitam iam ſepultum reuocauit. Quod ceu omen fauſtum præceſſit mirabilis populorum conuerſionis, quos totâ hâc regione de vmbra mortis ad vitæ lumen, per Apoſtolicas prædicationes & diuina opera adduxit. Statutâ igitur ibi primùm cathedrâ, diuinæ veritatis collecto grege, fundatâ Eccleſia, deſignato poſt ſe Valerio Pontifice, Materno Coloniæ Agrippinæ primo paſtore conſtituto, ſeruata fide, curſu feliciter conſummato, ad iuſtitiæ coronam vir beatus vocatus eſt immarceſſibilem. Eodem die Bratuſpanſij Bellouacorum ſancti HILDEMANNI Epiſcopi illius ciuitatis & Confeſſoris, qui beati Adelardi Corbeienſis cœnobiarchæ alumnus, cùm morum integritate, religionis cultu, doctrinæque decore admodum Symmyſtis præcelleret, ipſius beati Patris operâ, qui tantum virum vtilem publicis Eccleſiæ rebus iudicabat, in Epiſcopalem euectus ſedem Bellouacenſis Eccleſiæ, Ramberti morte, orbatam ſolatio paſtorali: hanc quibus erat dotibus gratiæ, virtutis & ſapientiæ præditus mirificè recreauit ac ditauit. Ipſúmque ſanctum Adelardum, quo patre & paſtore in Chriſti famulatu adoleuerat, funere honorifico tumulauit. Clerum in ſancta diſciplina continuit. Populum ad Chriſtianæ legis præſcriptum erudiuit, iuſtitiæ anteiuit exemplis, miſericordiæ operibus ſubleuauit. Conflatæ verò in Ludouicum Pium conſpirationis æmulorum arte inſimulatus, ortam in ſe perſecutionem forti animo tolerauit. Liberum ſe in cuſtodia, cui datus eſt apud cœnobium ſancti Vedaſti, fretus conſcientiæ munditiâ ſe oſtendit. Vocatúſque ad ſynodum quæ acta eſt apud Theodonis villam ad cauſam dicendam, à calumnia ſibi impacta, immunem ſe probauit, ſynceritatis euidentiâ, vt Syno-

EVCHARIVS.

HILDEMANNVS.

do, per eámque Imperatori plenè ſatisfecerit. Vnde remiſſus ad ſedem, munus Epiſcopale maiori quàm antè gloriâ virtutis perſecutus, maioríque vigilantiâ, exactis tandem in ſerio Chriſti obſequio & aſſiduo religionis, pietatis, ſanctitatis ſtudio, mortalis vitæ progreſſibus, abruptis carnis nexibus, ſpiritum tot ornatum meritis Chriſto, cui fideliter ſeruierat, reſignauit. A quo in vita & poſt mortem clarificatus, ſuperfluentem retulit egregiæ diſpenſationis mercedem. Ipſomet die ſancti ROMARICI Abbatis & Confeſſoris. Qui ex illuſtri Regum Francorum proſapia, patre Romulfo natus, in aula Theodeberti Regis Auſtraſiæ primas tenuit: quo per Theodoricum fratrem regno & vita ſubducto, Romaricus (cuius patrem Rex ipſe occidi iuſſerat nefariorum conſiliariorum ſuggeſtione) ex Auſtraſiæ finibus eiectus eſt. Verùm poſteà mortuo non ſine diuina vltione Theoderico Rege, Aredij Lugdunenſis Epiſcopi, qui apud Brunechildem Reginam magnâ auctoritate erat interuentu, libertatem ſimul & opes ſuas recepit: atque à Clothario Rege, qui mox ipſam Brunechildem extinxit, magno honore exceptus, ne tamen blandientis aulæ iterum lubricam aleam experiretur, ſeceſſit maturè in domum auitam. Vbi dum quietè moratur, haud ſine diuino ductu contigit, vt ſanctus Amatus à ſancto Euſtaſio Abbate Luxouienſi, ad quandam Auſtraſiæ ciuitatem mitteretur. Qui in itinere ad ædes Romarici diuerſatus, atque ab illo honorificè acceptus, multa apud ipſum de contemptu mundi & diuitiarum, Deique vnico amore ſalutari diſſeruit. Quibus Romaricus exſtimulatus, eodem veſtigio loci & temporis, mundum & fucum eius relinquens ſe ad monaſterium Luxouienſe contulit: ibíque religioſâ veſte ſuſceptâ omne ſtudium & animum ad vitam monaſticam applicauit. Cùm autem eſſet in hoc ſanctorum monachorum cœtu, à Deo petiit vt ſibi manifeſtaret, in quos vſus opes, quas ampliſſimas habebat, impenderet. Hac de re conſilium iniit cum ſancto Amato, qui perſuaſit ei vt ædificaret cœnobium ſacrarum Chriſto Virginum, quæ *flores Eccleſiaſtici germinis*, perennem odoris ſuauitatem diuinæ maieſtati litarent. Hoc ſecutus conſilium eiuſmodi monaſterium conſtruxit in monte Vogeſo diœceſis Tullenſis, iuxta Hibendi caſtrum quod erat ſui iuris, vbi traditâ ad obſeruantiam ſancti Columbani regulâ, *Magdefledem* eximiæ ſanctitatis Nonnam primam inſtituit Abbatiſſam: filiáſque duas quas è coniugio ſuſceperat, *Gegobergam & Adſalduidem* cum numeroſo delectarum piarum

ROMARICVS.

rum

rum Virginum ſodalitio, eidem regendas commiſit. Diuiſit autem virginalem hunc cœtum vir pius, in ſeptem turmas; quarum ſingulæ ex duodecim monialibus conflatæ erant, quæ ſibi inuicem ſuccedentes, diuinas laudes perpetuò cùm die tum nocte modulabantur. Muniuit ſacrum hunc locum principalibus præſidiis, vtque ſub tutela eſſet ſedis Apoſtolicæ, à Ioanne Papa IV. impetrauit. Deinde euocato precibus ſancto Amato cum nonnullis aſcetis, aliud cœnobium aſſignauit: cúmque rogauit præcipuam vt illius Parthenonæ curam ſuſciperet. Hanc ſubiit obiítque multa cum vigilantia & fructu intentæ ſpeculationis ſanctus Amatus, quo carne exuto, Romaricus ipſe ſuſcepta virginei illius collegij clientela, omne ſtudium & animum ad decorum & commodum ſacri huius gregis reflexit. Nec modò paternæ curæ hunc proſecutus eſt officiis, at miraculis etiam maximis quibus eum decorauit Dominus iuuit ac illuſtrauit. Etenim ſigno crucis vacuum dolium optimo zytho impleuit: cuius hauſtu ſanati ſunt plerique ægroti. Monialem grauiter à dæmone diuexatam, precibus ad Deum fuſis liberauit. Mundauit per aquam, quam tactu ſuo ſanctificauerat, aliam ſororem leproſam. Prophetico etiam lumine claruit, quo irradiatus Grimoaldo Maiori domus feralia funera (ni à cœptis malis deſiſteret) prænuntiauit, quæ poſtea ille, veridico vate contempto, perpeſſus eſt. Cæterùm Dei ſeruus paulo ante obitum magna lætitia perfuſus eſt. Extra ſe enim raptus vidit in cœlo CENTVM SVI MONASTERII VIRGINES, cum Abbatiſſa MAGDEFLEDA, ſempiterna felicitate frui. Poſtea in leuem febrem incidit, & ſacris ritè ſumptis ad Chriſtum migrauit. Confeſtim autem ac obiit montem denſiſſima nubes obduxit, quæ non priùs euanuit, quàm monachi ad corpus efferendum funebres cantus inciperent. In medio autem nubis apparebat globus igneus miro coruſcans ſplendore, qui rectà in cœlum tendebat, quo vir beatus glorificandus ob terreſtrium contemptum, ſingularem Dei amorem, perpetuum ei placida ſequenda alios excitandi ſtudium, ab Angelis exceptus eſt. Corpus eius ſepultum fuit pone tumulum ſancti Amati, ad quæ ſacratiſſima buſta, magna diuinæ virtutis & gloriæ lumina deinde coruſcârunt. Porro virgineum adhuc in flore perſtat quod vir ſanctus ſtruxit, rexit, illuſtrauítque monaſterium: ab eius glorioſa memoria Romarici montis nomine inſignitum. In territorio Carnutenſi, Dunenſi pa-

MAGDEFLEDA CVM CENTVM VIRGINIBVS.

LEONARDVS. go ſancti LEONARDI Confeſſoris & Anachoretæ, qui vt Chriſto viueret mundo ſibique mori voluit: atque quaſi inter mortuos viuens, vitam mundo abditam Deo notam, quamdiù carne degit traduxit. Deinde palæſtra ſanctæ conuerſationis feliciter emenſa, è cella ad cœlum, è ſtadio ad præmium, ouans de calcato ſæculo, de triumphato diabolo, de carne ſubiugata, de anima liberata, glorioſus profectus eſt. Mortales cuius exuuiæ iam gloriæ primitiis inſignes, ad oppidum de Crolio Bellouacenſis diœceſis, per loci huius toparchas tranſuectæ, in Eccleſia eiuſdem caſtri ſuo nomini dedicata, tandiu cum honore requieuerunt, quouſque ab impiis Galliæ vaſtatoribus, ſcilicet graſſatoribus Caluiniſtis, de ſacrario & arcula pluſquam turcica barbarie abreptæ, in ipſo Eccleſiæ gremio: (quæ tribus antè noctibus immenſo ſplendore cœleſti reſplenduerat:) flammis iniectæ ac abſumptæ ſunt. At huius pretioſos cineres tanquam gemmas, auro micantiores ac puriores pius ſacerdos mortis aſpernator collegit, déque feralium horum graſſatorum manibus, qui in auras efflare ac diſſipare parabant, opportunè vindicatos apud ſe quoad vixit omni reuerentia conſeruauit. A quo Dei iudicij conſpectore, fidis relatoribus aſſeueratum eſt, quotquot ſacrilegæ huic direptioni amici Dei oſſium operam dederant, miſerabili tandem exitio periiſſe. In

CÆSARIA. diœceſi Auenionenſi ſanctæ CÆSARIÆ Virginis, quæ parentum inſtantia viro nobili copulata, eumdem piis ſuggeſtionibus ad mundi ſuíque repudium incitauit: ſe verò ſpeluncæ includens, vitam Angelicæ vix imparem inſtituit: quâ feliciter conſummatâ æternam abiit ad gloriam. Sacrum cuius corpus honorificè in Eccleſia ſancti Andreæ Auenionenſis ſeruatur: vbi caput eius ægrotantium ceruicibus imponitur, & opem eiſdem confert, ſecundum vim fidei, ſalutarem. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confeſſorum, atque Sanctarum Virginum.*

Quinto Idus Decembris. Luna

G XII.

9

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	1	2	3	4	5	6
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
7	8	9	10	11	12	13	14	13	14	15	16	17	18			

AVGVSTÆ Sueſſionum ſuſceprio reliquiarum ſanɫti SEBASTIANI Marryris parria Narbonenſis. Cuius venerabile corpus petente Ludouico Pio Imperatore, Hilduini Abbatis ſanɫti Medardi precibus, necnon ſignis diuinæ inſpirarionis induɫto: Româ è Baſilica ſui nominis conceſſu Eugenij II. Pontificis, Sueſſionem in Gallia, multa cum diuinæ gloriæ magnificentia delarum eſt, per Rhodomum præfari monaſterij præpoſitum: ſuſcipienre ſacram ſarcinam omni cum pietatis ſignificatione & rirus celebritate *Rotardo* Sueſſionenſe Epiſcopo, qui præmiſſis quas Clero & populo indixetat oɫto dierum ac noɫtiũ vigiliis, pretioſam ſanɫti Marryris glebam in ſacrario S. Medardi Eccleſiæ perpetua colendam veneratione côllocauit, fulgentibus ipſo rempore miraculis, quibus claudi ereɫti, frenetici ſanati, dæmones expulſi ſunt. Ad quorum mirabilium ſplendorem inruendum, Ludouicus ipſe Auguſtus, Sueſſionem, duɫtus religione venir, menréque expiara, cultu regio depoſito, nudis pedibus, baſilicam in qua glorioſus Chriſti Martyt coruſcabat ingreſſus, exceptúſque ab Hilduino Abbare, ſacris adoraris pignoribus, oɫtodecim languidorum ſanarionem conſpexir: & hincdeuotione incenſus, collatis in beati hoſpiris cultum muneribus regiis, magnalia Dei quorum teſtis fuerat demiratus, ſanɫti Marryris ſeſe clientelæ, cum liberis & regno commendauit. SS. SEBASTIANVS.

Claromonte Aruernorum ſanɫti NECTARII Preſbyteri, qui Româ Apoſtolicis auſpiciis in hanc Galliarum plagam direɫtus, cum ſanɫto Auſtremonio Epiſcopo aliiſque ſacris viris, ad ſemen diuinæ gratiæ diſpergendum: cùm donis copioſioribus ſociis præpolleret, ab ipſo ſuo Epiſcopo ſanɫto Auſtremonio in Lemaniam Aruerniæ regionem ablegarus, vt nouale hoc ptimus aratro crucis proſcinderet, & ſementis diuinæ germine fœcundaret; ira Chriſto cœptis aſpirante hîc profecit, vt vepretis fœdæ ſuperſtitionis euulſis, lucis excifis, delubris idolorum verbi cœleſtis fulmine euerſis: ſolùm hoc ferax ſeminis incorruptibilis reddiderit. Irradiatis enim incolarum mentibus, purgatis, excultis, ira- NECTARIVS.

rigatis cordibus, germen fidei & iuſtitiæ ſibi commiſſum populi præcordiis inſeruit: ex quo copioſa meſſe excitata, manipulis animarum plurimis in Domini horreum deportatis, lætus de bono opere, ſecurus de munere, ad cœlum, æternùm glorificandus migrauit. Cuius nomen æternæ benedictioni conſecratum, perenne ſui, apud populum quem acquiſiuit Chriſto, monimentum conſignauit. Ipſo die ſancti CYPRIANI Abbatis.

CYPRIANVS. Hic apud Petragorienſes claruit miro Chriſti ſeruatoris amore: in cuius obſequium, multos è ſæculi affectibus, abduxit. Per hunc verò tot mirabilia Dominus dignatus eſt operari, vt Apoſtolorum quorum mores referebat etiam ederet virtutes. Nam in nomine IESV paralyticis greſſum, cæcis pleriſque viſum reſtituit, tres leproſos ſanctificati olei inunctione mundauit, aliáque diuina prorſus peregit: ſed nihil magis diuinum præſtitit quàm ſeipſum, qui totus à ſæculo, à ſeipſo abſtractus, vni Deo defixus tanquam vno ei ſpiritu cohæſit, factúſq. ex intimo affectu ſpiritus, ſic in terra vixit, vt in cœlo penitus verſaretur. Ita enim ſe geſſit inter homines, vt Angelus videretur. Ita poſtquam inter beatos cœli ciues adſcitus eſt, hic reuixit per ſignorum opera, vt in tumulo non mortuus, ſed immortalis & beatus apparuerit. Apud

BALDA. Iotrum monaſterium ſanctæ BALDÆ Virginis & Abbatiſſæ. Quæ præclariſſimarum virtutum gloria longè latéque coruſcans, mentis puritate & corporis caſtitate Chriſto mirificè placuit: & ſacris virginibus ſuo exemplo viâ ad cœlos præmonſtratâ, inter ſponſas agni beatas felici progreſſu ſuſcepta eſt. Iterum Claro-

ILLIDIVS. monte in Aruernia eleuatio ſancti ILLIDII Epiſcopi eiuſdem ciuitatis & Confeſſoris. facta cùm Arbertus Epiſcopus edoctus verſibus, qui beati illius ſepulchro inſcripti erant, corpus eius effoſſum in ſublime extulit: diémque hanc ipſius eleuationis, ſeu vt notant diptycha reuelationis, ab Illidianis aſcetis colendam ſacris anniuerſariis præcepit. Eodem die Senonis commemo-

SYRVS. ratio S. SYRI primi Epiſcopi Papienſis, Apoſtolicis ſignis & virtutibus præclari: cuius reliquæ aliquot, poſt eius tranſlationem ſolemnem in Galliam delatæ, & apud hanc metropolim repoſitæ, illic eius venerandam inuexerunt memoriam. Ipſo die na-

LEOCADIA. talis S. LEOCADIÆ Virginis & Martyris Toletanæ: cuius pretioſum corpus inuadentibus Hiſpaniam Mauris, delatum in Galliam in celebri cella S. Giſleni ſita in Cameracenſi Epiſcopatu, decenter repoſitum, magnam apud loci habitatores vicinóſque venerationem habuit: quouſq. ad petitionem Philippi II. Hiſpaniarum Regis, mãdante Gregorio XIII. Pontifice Maximo Toletum reportatũ, & regali pompa ac triumpho in templum primatiale illatum

fuit ac repoſitum: vbi nùnc quieſcit cum magna veneratione, ipſius tranſlationis, quæ quinto Kalendas Maij anno milleſimo quingenteſimo octogeſimo ſeptimo acta eſt, annuâ ab hinc commemoratione indictâ. Auguſtæ Treuirorum tranſlatio ſanctæ ANASTASIÆ Virginis & Abbatiſſæ titulo exploratæ ſanctitatis meritóque glorioſæ. Cuius depoſitio beata recolitur quinto Idus Septembris. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confeſſorum, atque Sanctarum Virginum.* Anaſtaſia.

HAC die in Monaſterio Firmitatis rigidiſſimam ac puriſſimam, & Deo non minùs gratam quàm hominibus admirabilem vitam, felici morte commutauit beatæ memoriæ BARTHOLOMÆVS ſancti Bernardi germanus, condiſcipulus, ſectator: deinde & cooperator præcipuus. Qui cum eo iunior natu Ciſtercium introiuit, tyrociniúmque ſub ſancto Stephano egregiè abſoluto, miſſus cum ipſo fratre ad Claramuallem, primordia inſignis illius aſceterij prouexit, deinde Firmitatis cœnobium ad Gronam fluuium in diœceſi Cabilonenſi inſtituit: cuius primus Pater, dignè ſanctéque adminiſtrato regimine, præſignatis, chariſſimis alumnis æternæ beatitatis ſemitis, Deo dignam animam in cœlum emiſit. *Bartholomæus.*

Quarto Idus Decembris. Luna

10 A xi.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	1	2	3	4	5	6	7
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
8	9	10	11	12	13	14	15	14	15	16	17	18	19			

LEMOVICIS in Aquitania prima Natalis ſanctæ VALERIÆ Virginis & Martyris. Hæc Lemouicis Leocadio & Suſanna claris orta parentibus, à prima ætate ad ſplendorem generis compoſitos ad omnem honeſtatem mores adiunxit. Inde à beato Martiale Chriſti ex ſeptuaginta claſſe diſcipulo, cum matre & ſexcentis vrbis illius incolis Chriſtianæ fidei præceptis imbuta, ſublimius vitæ genus inſtituit: matréque mortuâ Virginem ſe poſthac permanſuram ſanctiſſimè promiſit: iámque ex tunc omnem à ſe ſæculi amorem repulit, adhibitíſque ad continuas preces frequentibus ieiuniis, diuinam clementiam implorabat: quò Stephanus dux cui antea deſponſata fuerat, & qui tum fortè aduerſus hoſtes Romani nominis exercitum eduxerat, ad veram Dei religionem perduceretur. Interim Stephanus partâ victoriâ Lemouicos rediens, Valeriam vt putabat ſibi matrimonio coniuncturus: vbi reſciuit amplexam Chriſti fidem, & oculis, ore, vultu totóque corporis habitu caſtitatem ſpirare: ipſam interrogat num ſuis à nuptiis abhorreat! Cui generoſa SS. Valeria.

pietatis impulſu reſpondit, nullam illi inferri iniuriam, quòd mortali homini immortalem Deum rerum omnium auctorem præponeret. Quibus auditis iracundiâ furens, cùm intelligeret virginem à ſententia nullis blanditiis, nullis minis, neque terroribus poſſe dimoueri, capite plecti iuſſit. Igitur Ortario Centurioni tradita eſt: cui, cùm ad ſupplicium duceretur virgo, nocte inſequenti certiſſimam mortem illa prænuntiauit. Móxque fuſis ad ſponſum cœleſtem precibus, lubens caput obtruncandum dedit, quod abſciſſum ſuſtuliſſe, & progreſſam ad beatum Martialem Lemouicis in oratorio ſacris operantem, per quatuor ferè ſtadia in manibus geſtaſſe, memoriæ proditum eſt. Puriſſimus animus ad duplicem virginitatis & martyrij lauream euolauit. Corpus præſente & plangente Stephano duce, per occaſionem noui miraculi, Ortarij nimirum à ſancto Martiale ad vitam reuocati, Chriſtiano iam facto, ab eodem Aquitaniæ Apoſtolo in æde paulò pòſt ſancto Petro ſacra conditum: tandem in Cambonenſe monaſterium ad venerationem delatum eſt. Religioſè propenſus in cultum beatæ huius Martyris fuit ſanctus Eligius: qui in eius & ſancti Martialis honorem baſilicam Pariſiis ædificauit, & plumbo texit, cenſu fulſit, cœtúque trecentarum ſacrarum Virginum ſub S. Aureæ regimine (quam præfecit iiſdem Abbatiſſam) exornauit. Ipſo die

EDIBIVS. Auguſtæ Sueſſionum ſancti EDIBII Epiſcopi eiuſdem ciuitatis & Confeſſoris. Hic diuinâ aſpirante aurâ Apoſtolicis chariſmatibus irroratus, hos flores gratiæ omnigenæ protulit: qui circumquaque ſuauiſſimos eius nominis ſparſerunt odores. Cúmque poſt Oneſimi felicem exitum, ad Eccleſiæ Sueſſionenſis Epiſcopatum illa ob perſpicua inſignia admirandæ ſanctitatis, fuiſſet euectus: tantâ emicuit gloriâ, vt zelo, doctrinâ, vitâ, miraculis omnes antecelluerit: neque enim Epiſcopum, ſed Apoſtolum actibus ac prodigiis exprimebat. Obſtupuit ciuitas illa, cùm ſuum illum paſtorem vidit dæmones expellentem, energumenos liberantem, quoſlibet ſanantem ægrotos: at quod magis eſt inueteratos peccatores, ſuo monitu, quaſi mero nutu ad pœnitentiam inflectentem. Magis autem diuinam in eo virtutem demirata eſt: cùm Attilam illum ferocem Hunnorum Regem, qui *ſe flagellum Dei* appellabat: iámque Gallias longè latéque ſtragibus ac cladibus miſerandis repleuerat: vrbem ipſam Sueſſionum inuadentem, ab obſidione propulſauit. In eius enim occurſum egreſſus, apparatu ornatus ſacerdotali, Eccleſiaſticóque agmine vallatus, vi orationis diuinum quid ſpirantis, barbarum illum ita concuſſit, vt ipſum efferatæ mentis depoſi-

ta ſæuitiâ, manſuefecerit, ſuáque in votâ inflexum, ſuum exercitum his ex finibus abducere compulerit. Sic igitur populo à diro metu, imò & impendenti excidio ſubductop, ius pater vitam in pace conſummauit: vtque moriens præceperat, in templo Sanctorum Martyrum Criſpini & Criſpiniani ſepultus eſt. Eodem die Viennæ Allobrogum ſancti SINDVLPHI Epiſcopi & Confeſſotis. qui poſt ſanctum Clarentium metropolicæ huic ſedi præfectus, quantùm ſuffraganeis honore, tantùm pontificalis gratiæ decoro prælucens, per verba ſalutis & exempla virtutis, in vias iuſtitiæ & pietatis gregem ſuum deduxit. Atque cùm Remenſi Concilio à Sonantio Archipræſule & Honorij I. Papæ Legato interfuiſſet, in quo pleræque leges de ſacra œconomia & Christiana diſciplina ſancitæ ſunt: ipſe lex viua & forma virtutis, abſoluto Pontificali munere, relictis Clero & populo, ad conſectandum immaculatæ peregrinationis veſtigiis, æternam ad patriam ad quam anhelabat, Domino vocante migrauit. Remis ſancti SINDVLPHI Preſbyteri ſancti Baſoli Abbatis diſcipuli magnarum virtutum viri. Agendici Senonum Metropoli, dedicatio principalis Eccleſiæ, ſub titulo ſancti Protomartyris STEPHANI facta per Venilonem Archiepiſcopum, eiuſdem baſilicæ inſtauratorem. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confeſſorum, atque Sanctarum Virginum.*

SINDVLPHVS Epiſcopus.

SINDVLPHVS Preſbyter.

STEPHANVS.

CORNELIVS MVSIVS ſacrarum ſanctæ Agathæ Virginum apud Delphenſes Cœnobiarcha, ac poëta laureatus, Theologúſque clariſſimus, poſt edita nobiliſſima altæ piæque mentis monimenta, captus ab hæreſis Caluinianæ ſectatoribus: iuſſu impij Guillelmi Lumei, eorum in Hollandia ducis, Lugduni Batauorum variis & immaniſſimis cruciatuum generibus exagitatus, manuum pedúmque digitis mutilatus: demum per niuem ſanguine innocenti rubentem, ad forum (cui à marmore cæruleo nomen) tractus, & in crucem actus, laqueo vitã tot ornatam meritorum decoribus, in aſſertione orthodoxæ fidei & veritatis ac vnitatis Catholicæ Eccleſiæ, fortiter, annos natus ſeptuaginta duos cũ ſemiſſe feliciterque conſummauit. Solitus erat vir ſanctus, Deum venerans enixè precari, vt deploratiſſimis hiſce temporibus, ſanguinem ipſi condonare in teſtimonium gloriæ, à quo vitam accepiſſet mereretur. Quo & affectu æſtuans in hymno illo quem de ſancto Cornelio ſibi cognomini ſuauiter cecinit, glorioſi illius Martyris ſuî Patroni, opem flagitabat, quà ſibi impetraret hanc gratiam, vt ſicut nomine ipſum exprimeret, ſic fide, ſic charitate, ſic denique adſerendæ veritatis conſtantiâ, & extremi agonis intrepidâ perpeſſione, etiam imitaretur. De hoc igitur meritò illud propheticum vſurpari poteſt. *Deſiderium animæ eius Domine tribuiſti, ei & voluntate labiorum eius non fraudaſti eum. Quoniam præuenisti eum in benedictionibus dulcedinis, poſuiſti in capite eius coronam de lapide pretioſo.* Cuius inæſtimabilem decorem exquiſitis encomiis plerique præſtantiſſimi Panegyriſtæ celebrârunt: qui ſicut diuinum ingenium nobiles illius poëtæ nunquam ſatis mirantur, ita martyris inclyti eximia merita gloriámque, ſe laudibus nuſquam paribus proſequi confitentur. Aquiriæ in Brabantia piæ memoriæ IOLENTA pœnitens, poſt ſeueriſſimæ & puriſſimæ vitæ decurſum tramitem, præſcia beatæ migrationis, ad Chriſtum quem ardenter ſitiebat lætanter euolauit. Quæ poſt tranſitum ſancti Lutgardi apparens, ſe æternâ in cœlo

Cornelius Muſius.

Iolenta.

Hebertus. gloriâ donatam, eidem intimauit. Quieuit in pace HEBERTVS Epiſcopus trigeſimus ſecundus Redonenſis: qui dum vixit, virtutibus, poſt mortem *Turquillus.* miraculis claruit magnificis. Item piæ memoriæ TVRQVILLVS monachus Marciniaci ordinis Cluniacenſis.

Tertio Idus Decembris. Luna

II B x.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
21	22	23	24	25	26	27	28	29	1	2	3	4	5	6	7	8
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
9	10	11	12	13	14	15	16	15	16	17	18	19	20			

SS. VICTORICVS, FVSCIANVS, GENTIANVS.

CIVITATE Ambiani ſub Remorum ſede primariâ, natalis Sanctorum Chriſti Martyrum VICTORICI & FVSCIANI, necnon GENTIANI eorum hoſpitis fortunatiſſimi. Qui duo diuinæ gloriæ præcones, Romani ciues, vnà cum ſancto Quintino & ſociis Belgicam in Galliam ad Euangelij lumen inferendum profecti, ad Morinos Oceano confines populos contenderunt: hóſque primùm ad Chriſti cultum & venerationem vocauerunt. Hinc Ambianum excurrentes, ad plebi fideli martyrio ſancti Quintini exterritæ conferenda ſolatia, apud quemdam pium ciuem *Gentianum* nomine diuerterunt. Benignè ab illo excepti vix adhuc menſæ accubuerant, cùm è veſtigio à ſatellitibus Rictij Vari deprehenſi, ipſo cum hoſpite, quem reum nouæ ſuperſtitionis, & fautorem hoſtium Reipublicæ, ſæui emiſſarij, ipſo hoſpitalitatis officio, traducebant, ad Præſidem immaniſſimum deducti, déque origine, religione, ac peregrinationis cauſa interrogati, vbi ſe Chriſti cultores profecti ſunt, qui huc è patria venerant ad Galliæ populis veri vniciúſque Numinis ſalutarem cultum inſinuandum, artes dæmonum exitioſas, ſpurcitiáſque nefandæ religionis prodendum & profligandum: quo officio iam pleriſque in locis haud ſine fructu copioſo perfuncti, id amplius exequi ad maiorem Dei gloriam decreuerant. Hoc ipſo nomine, impietatis & perduellionis damnati, extremis ſuppliciis digni iudicati ſunt, ni Chriſto confeſtim eiurato, iuſſis Principum obtemperantes, auito ritu diis ſacrificarent. At inſani iudicis impium decretum Chriſti pugiles aſpernati, ſe dira quæque potiùs perpeſſum iri teſtati ſunt, quàm à Chriſti confeſſione & immaculato cultu tantiſper deflectere: litare verò ſimulachris planè quod execrarentur. Præſes horum in nares & aures, ſudes ferreas immitti iuſſit, tùm clauis candentibus tempora transfigi, deinde oculos erui, ac corpora eorum iaculis

transfigi. Poſtremò cùm adhuc palpitarent, capita præcidi fecit. Pari agone occubuit Gentianus, qui fidei præconium cum iiſdem ad extremos vſque ſpiritus fidenter extulit. Quorum trium cadauera veneranda clam cùm fideles aliquot ſuſtuliſſent, ad vicum Seinum deportârunt, eóque quo potuerunt latibulo condiderunt. Trecenti verò anni iam effluxerant, cùm ſanctus Honoratus, ſuperno ductus lumine abditas pretioſas has glebas deprehendit, reſerauit, extulit, & ad venerationem Ambianum aduexit. Vnde poſtea ad cœnobium, quod triumphali ſub ipſorum Martyrum titulo Fredegundis Francorum Regina conſtruxit, delata, debito ibi honore ſeruata ſunt. Quouſque exorto ſæuo bellorum turbine, quo monaſterium ipſum obrutum eſt, ſacratiſſima eorumdem cœlitùm pignora in ſinum regni, ad ſecuriorem ſitum delata, apud Balgentiacum in Eccleſia ſanctæ Mariæ diœceſis Aurelianenſis fuere repoſita. Quæ ſolemniter viſitata, & in decentiores capſulas tranſlata fuerunt, per Philippum Primatem Bituricenſem & Robertum Aurelianenſem Epiſcopum, ſuffultos auctoritate Apoſtolicæ ſedis anno ſalutis milleſimo ducenteſimo quinquageſimonono. Superſunt etiamnum, haud ſine ſingulari Dei beneficio, ibidem tam pretioſa pignora, poſt tot luctuoſas clades, ſanctis locis toto hoc tractu illatas per ſegreges hagiomachos, fidei vt auitæ deſertores, ſic euerſores patriæ. Cæterùm ſuperſtat etiam hodie prædictum ſancti Fuſciani monaſterium in Ambianis, ſecundo ab vrbe lapide, ab Ingelramno Comite Ambianenſi circa annum Domini milleſimum octuageſimum inſtauratum. Autiſſiodori depoſitio ſancti WLFERII Monachi Reomanenſis in pago Tornodorenſi, VVLFERIVS. qui moribus manſuetiſſimus, religione piiſſimus, puritate animi Deo placens, cùm in oratione pernoctaret, in octaua Pentecoſtes, animas fidelium militum occiſorum à Saracenis, in bello quod cum iis geſſerat Guillelmus Princeps Nauarræ, dictus ſanctus, triumphantes in purpureis ſtolis & albis veſtibus conſpexit: à quibus inuitatus ad gloriam, cùm ad monaſterium ſancti Germani charitatis officium impleturus veniſſet, ibidem ſui tranſitus diem inſtare prædixit: triduóque pòſt illuceſcente aurorâ, acri dolore correptus, ad altare ſanctæ Mariæ acceſſit, & Miſſâ ritè celebratâ ſe ad domum contulit infirmorum: vbi ſplendida quædam virgo ei apparuit, eúmq. blandis eſt alloquiis conſolata. Quo viſu lætificatus, imò totus liquefactus in deſiderium gloriæ, animam meritis diuitem cœlo emiſit. Ipſo die Bruſellæ tranſlatio ſancti ALBERTI Epiſcopi Leodienſis & Martyris, ALBERTVS. è Remenſi ſacrario, ad Carmelitanam Excalceatarum monia-

lium ædem. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum; Martyrum, Confeſſorum, atque Sanctarum Virginum.*

Iſabella. VENERATIO dilectæ Deo virginis ISABELLÆ ſancti Ludouici Regis ſororis, virginaliſque monaſterij Longi-campi ad Sequanam, prope Auguſtam Lutetiam fundatricis approbata, auctoritate Apoſtolica hac die, anno milleſimo quingenteſimo vigeſimo primo, vigore reſcripti pontificalis Leonis X. Papæ, per Adrianum de Boiſſiaco Cardinalem ſa‘.ctæ Sabinæ, Legatum Apoſtolicæ ſe-
Humbertus. dis in Francia. Perrexit ad gaudium ſempiternum beatæ memoriæ HVMBERTVS monachus, qui quinquaginta annos in religioſa profeſsione Chriſto ſeruiuit: moriénſque laudum ſuarum veracem præconem ſanctum Bernardum habere meruit. Vir iſte piiſsimus tantæ fuiſſe fertur grauitatis & modeſtiæ, vt ſæpiùs Chriſti exemplo fleuiſſe memoretur, riſiſſe nunquam. Ipſo die
Ida. voris potita eſt ſupremis beata IDA de Niuella, virgo ſanctimonialis cœnobij de Rameya in Brabantia, virtutibus, miraculis & ſpiritu prophetico illuſtris, quo intima cordium cognoſcens, futura prædicebat: orationibus autem ſuis viuentium animas à tentationibus, defunctorum à Purgatorij pœnis liberabat. Huius corpus dum diuina pateretur, ſplendidiſsimos radios emittere ſæpè à pleriſque viſum eſt.

Pridie Idus Decembris. Luna

12 C IX.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	p	q	r	ſ
22	23	24	25	26	27	28	29	1	2	3	4	5	6	7	8	9
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
10	11	12	13	14	15	16	17	16	17	18	19	20	21			

SS. PAVLVS Narbonenſ. NARBONÆ ordinatio ſancti PAVLI primi illius Metropolis Epiſcopi, quem Paulus Apoſtolus proficiſcens in Hiſpaniam illic Pontificem conſtituit. A quo Romæ deinde coronato, poſt glorioſam eius agonem admonitus, Hiſpanias prædicando peragrauit. Taraconenſem prouinciam ferè totam Chriſto ſubegit: Hiſpali, Cordubæ, Barcinonæ Cæſarauguſtæ lumen fidei ferè extinctum reparauit: ſemen Euangelicum vbi ſparſum non fuerat, feliciter plurima per loca diffudit. Hinc manipulis onuſtus copioſæ meſſis, redux in Galliam, Auenione *Rufum* Epiſcopum collocauit: ſuum verò Narbonæ ſucceſſorem *Stephanum* deſignauit. Tandem verò Apoſtolico curſu egregiè conſummato, ad ſanctiſſimi ſui præceptoris cognominis, beatum perrexit conſortium: ſuóque glorioſo præſulatu, mortéque coram Deo pretioſa vrbem illam immortali gloria illuſtrauit: quam deinceps ob eius memoriam, pij vt quique ſcriptores plúrimùm
MAXENTIVS, CONSTANTIVS, CRESCENTIVS, IVSTINVS & ſocij. ſuſpexerunt; ſic ex tanti tutelaris patrocinio, prædicârunt feliciſsimam. Auguſtæ Treuirorum Natalis Sanctorum Martyrum MAXENTII, CONSTANTII, CRESCENTII, IVSTINI, & ſociorum: qui in perſecutione Diocletiani, ſub ſæuo præfecto

Rictio Varo, pro Chriſti nomine fideli confeſſione decertantes, fortunata morte ad cœleſtes triumphos vitæque indeficientis gaudia peruenerunt. Horum ſacræ glebæ in crypta Eccleſiæ ſancti Paulini Confeſſoris, vbi cum pleriſque aliorum Sanctorum exuuiis fuerant è primo ſitu (quò abditæ fuerant per Felicem Epiſcopum) depoſitæ: iterum, anno ſcilicet Chriſti milleſimo ſeptuageſimo primo, ſub Vdone Archiepiſcopo repoſitæ fuerunt, digniorique cultu decoratæ. Item in Armorica ſancti CORENTINI Coriſopitenſis Epiſcopi & Confeſſoris. Qui huius regionis indigena, parentibus ortus ingenuis, à primæuæ ætatis teneritudine, literis eruditus, in his ſtudiis ita profecit, vt vix ei aliquis coætaneus in his æquiparari poſſet. Tamen cœlo quàm ſolo aptior, à mundo vt ſe mundum ſeruaret, à ſchola literarum, ad religionis diſciplinam ſe tranſtulit. Adhuc enim iuuenis caducis omnibus contemptis, anachoreticam vitam, & ab omni hominum conſortio remotam amplexus, in deſertis & ſyluis horrendis habitare cœpit in ſumma abſtinentia & auſteritate. Maximè autem in loco qui Plomadien dicitur ſedem fixit, vbi ab omni hominum ſtrepitu remotus, diuinæ maieſtatis aſſiduæ orationi & rerum æternarum meditationi inſiſtebat. Famuli autem ſui alimoniæ Chriſtus ſua miſericordia prouidit, è fonte quem prope eius tuguriolum excitauit, ſimul poculum & pabulum eidem perenni miraculo ſuppeditans. Quo & Grallonem Armoricæ principem vexatione fatigatum, atque per inuia ſyluæ ad cellam viri Dei haud ſine ſuperno nutu deductum, cum nonnullis aſſeclis mirabiliter Corentinus ipſe refocillauit. Hoc beneficio affectus, miraculóque excitus princeps ſanctum Anachoretam ſummo honore proſequi cœpit, eidémque ad conſtruendum monaſterium dedit, quicquid hoc loco ſuo, in iure obtinebat. Interim Cornubiæ ciuitate cathedratica orbata Præſule, ſacer conuentus habitus eſt, in quo de ſublegendo Epiſcopo, cùm inter proceres actum eſſet, tres delecti ſunt viri ſanctæ exiſtimationis, qui ad ſanctum Martinum metropolitam Turonenſem dirigerentur, vt ex his quem digniorem iudicaret, Pontificali inſigniret honore. Fuerunt hi Guingualocus, Tudinus & Corentinus, quem beatus Archiepiſcopus ſuperno inductus ſpiramine, cæteris, ob abundantiorem gratiarum copiam anteponens, Epiſcopum ordinauit, id ſignanter vaticinatus *ipſum Eccleſiæ & ciuitati ad quã conſecrabatur magnopere profuturum*. Porro Corentinus nihil gaudens de promotione ſua, at de Guingualoci & Tudini triſtis poſthabitione, beato Martino ſupplicauit, ne eos inhonoratos remitteret, ſed in Abbates benediceret, vt ſibi

CORENTINVS.

ſubſidio eſſent in fide ac religione propaganda. At Martinus ea in re ſingulare iuſtitiæ ac modeſtiæ exemplum monimentúmque exhibuit. Qui vnicuique ius ſuum ſeruare cupiens, non vſurpans alienum, religiosè reſpondit. Abſit vt tuos Abbates benedicam. Quia per hoc factum poſſet apud poſteros (meos tuóſque ſcilicet ſucceſſores) contentio generari. Subditi enim facilè proſiliunt à ſubiectione maioris. Nec bene cederet Eccleſiæ, ſi Abbates ex Epiſcopi ſui poteſtate tanta in re ſubmouerentur. Cæterùm Corentinus factus Epiſcopus nihil de priſtina auſteritate & pietate remiſit, quin prouectione ipſa ſuis in oculis factus minor, idem quod Ioannes Baptiſta ſtudium præſtitit, libenter minui cupiens, vt Chriſtus vndequaque creſceret. Cuius gloriam cum ſalute gregis, aſſiduis prædicationibus, litationibus, curis, & ſanctis operationibus ac exemplis, omníque paſtoralis miniſterij officio promouere non deſtiti: quouſque poſt multas ſolicitudines & agones quos perpeſſus eſt in ſuo regimine, cùm Eccleſiam ſuam per multorum annorum ſpatia optimè gubernaſſet, multóſque ad Chriſtum conuertiſſet, tandem ſenex, clarus ſanctitate & miraculis, obdormiuit in Domino. Radiauit autem in ſepulchro innumeris prodigiis, quibus eam apud populares ſuos conſecutus eſt venerationem, vt iam pridem Eccleſia cui præfuit, & in qua quieſcit Patronus habeatur, triplicíque celebritate honoretur. Siquidem Kalendis Maij agitur feſtum ſuæ illius Eccleſiæ (quæ abhinc in memoriam eius conſecrata eſt) dedicationis. Nonis Septembris ſolemnitas eius ordinationis. Et hac die fit celebritas eiuſdem depoſitionis. Eodem die in Ambianis pago Vimacenſi ſancti VALERICI Abbatis, qui patria Aruernus, profeſſione monachus cœnobij Luxouienſis in Burgundia, ſanctíque Columbani illuſtris nominis Cœnobiarchæ diſcipulus, ab eo ob clara gratiarum & virtutum lumina, ad gentibus prædicandum Chriſti Euangelium, in Neuſtriam Celticæ Galliæ regionem miſſus eſt: vbi magna Apoſtolicæ gratiæ opera edidit, plurimis è cæca idolorum ſuperſtitione, ad ſalutare fidei lumen & ſolis iuſtitiæ aſpectum, ſequelámque perductis. Verbo enim quæ docebat, ſic vitæ ſanctæ actibus confirmabat: vt veritatis magiſtrum ore ſe ac opere æqualiter proderet. Vitam verò & prædicationem eius admiranda facta magnopere commendabant. Ea enim patrabat prodigia, vt cuius nomen prædicabat, virtutem quoque diuinam ſibi cooperantem perſpicuè oſtenderet: qua extinctum in patibulo hominem ad vitam reuocauit, abſcondita cognouit, reſerauit; immorigeros ſuis caſtis admonitionibus, cæcitate & marcore percuſſit.

VALERICVS.

cuſſit. Flexit nonnullos ad ſalutares gemitus, magnáque & ſtupenda alia peregit. Poſtremò ſanctis laboribus defatigatus, cupiens abſque impedimento Domino inhærere, ad ſolitudinem contemplationis amicam, toto animo anhelare cœpit. At Clotharius Rex, cui perſpecta erat diuini viri ſanctimonia, ne tantum ſidus fugeret in latebras, pia inſtantia & munificentia effecit, gratiæ vt ſibi cœlitus datæ pleroſque dotibus informaret. Conſtructo igitur Regis ope & voluntate in Ambianis ad oſtium Frudis ſeu Somonæ monaſterio, plurimos diſcipulos Valericus aſciuit, quibus vitæ beatæ ſemitis indicatis, poſt multam ſuſceptæ curæ frugem, ad mercedem ſanctæ operationis, felix & coronandus properauit. Cuius deinceps nomen non modò cœnobio illi, ſed & oppido quod ſubinde ibidem inſurrexit, inditum, perpetuam ibidem habet venerationem. Tranſiuit quidem ad Chriſtum vir beatus Kalend. Aprilis, qua die ſacra eius memoria, præcipuo ibidem honore colitur. At incidit in hanc diem, feſtum eius tranſlationis, quæ à nonnullis hagiologis, quaſi eiuſdem tranſitus eſſet à ſæculo, pro depoſitione colenda ſignatur. Eodem die in monaſterio Ciſonienſi iuxta Tornacum, ſuſceptio ſancti EVERARDI Ducis Forojulienſis: cuius colendæ migrationi ſacer eſt dies decima ſexta huius menſis. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confeſſorum, atque Sanctarum Virginum.* EVERARDVS.

PERREXIT ad ſuperos beatæ memoriæ FRANCO, monachus Villarienſis ex milite, fiducia vitæ æternæ conſequendæ plenus, quam ex puræ conſcientiæ notitia & diuinæ beneuolentiæ teſtimonio hauſerat. *Franco.*

Idibus Decembris. Luna

13 D VIII.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
23	24	25	26	27	28	29	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
11	12	13	14	15	16	17	18	17	18	19	20	21	22			

TRIVMPHVS ſanctæ LVCIÆ Virginis Siracuſanæ & Martyris, quam cùm lenones, quibus iubente Paſchaſio Conſulari tradita erat, vt à populo caſtitati eius illuderetur ducere vellent, nullatenus mouere potuerunt, nec funibus additis, aut boum paribus plurimis: deinde verò picem, reſinam, feruens oleum nihil læſa ſuſcepit. Tandem gladio in viſcera merſo percuſſa, nec tamen mortua eſt, donec venientibus ſacerdotibus SS. LVCIA.

communionem Dominici corporis & ſanguinis accepit. Huius puriſſimæ exuuiæ à piis collectæ ac conditæ Siracuſis, tandiù multa illic cum prodigiorũ gloria in veneratione permanſerunt, quouſque Faroaldus dux Spoletanorum, ſub Ariperto & Luitprando regibus Longobardorum potentia & fortitudine clarus, irruens in Siciliam, Siracuſas vi militari expugnauit, hìncque pretioſum illud ſpolium, corpus ſcilicet tantæ martyris, tranſuexit Corfinium, vrbem ſui principatus conſpicuam. Vbi digno cultu ſeruatum eſt, vſque ad tempora Othonis I. Imperatoris. Hic in Italiam cum fortiſſimo exercitu profectus, poſt coronam Imperialem Romæ acceptam, eximendæ à tyrannorum dira vexatione præclaræ huic regioni, triennium impendit. Erat tum ei indiuiduus *Theodericus* Metenſium quadrageſimus ſextus Epiſcopus, ipſiuſmet Cæſaris conſobrinus, nobilitatis gloria & ſapientiæ gratia, ac ſpeciali religionis ſtudio, in aula præcellentiſſimus: qui cùm ſponſæ Eccleſiæ ſcilicet Metenſis decora ſemper & vbique procuraret, bene vſus auctoritate & beneuolentia Imperatoris, certatim exquiſita vndique Sanctorum corpora, ex diuerſis Italiæ locis collegit, fauentéque Othone ſuam tranſmiſit ad ſedem: vt beata ipſa pignora digniori cultu exciperentur, ornatáque & ditata tantis monilibus Eccleſia Metenſis ampliori circumquaque in Gallia decore ſplendeſceret. Quibus ſuſcipiendis & ſeruandis baſilicam ſancti Vincentij Martyris in inſula Metenſi à ſe extructam deſignauerat. Corfinij igitur dum ageret cum Cæſare, id precibus, votis, ac aſſidua inſtantia effecit, vt ſibi iuſſu principis corpus ſanctæ Virginis & Martyris traderetur. Verùm ne fraus irreperet, adegit loci Epiſcopum, vt præſtito ſacramento, ſacri pignoris germanitatem obfirmaret. Is igitur manu Euangelico codici appoſita iureiurando affirmauit cadauer illud venerabile, quod in vrna conditum tradebat: eſſe illud ipſum pretioſiſſimum corpus ſanctæ Virginis Siracuſanæ, de qua reſponſoria & antiphonæ cum Miſſa vbique in Eccleſia concinuntur. Igitur Vigerici Cantoris Eccleſiæ Metenſis, quem in tanti theſauri exceptionem ac euectionem delegauerat Theodericus, operâ ac directione ſanctæ Virginis corpus ex Italia ſubductum, atq. ad Metenſem traductum vrbem, cum mirifico ordinis vtriuſque applauſu, in baſilicæ ſacrario ſancti Vincentij Martyris collocatum fuit, anno Dominicæ Incarnationis nongenteſimo ſeptuageſimo. At verò Theodericus vbi ad ſedem reuerſus eſt, memoriam ſanctæ Luciæ vt amplius honoraret, oratorium eidem proprium eadem in baſilica excitauit, in qua theſaurum ſuper aurum & topazion ſibi

charum, beatæ ſcilicet eiuſdem Martyris veneranda lipſana repoſuit, ſolemni ritu dedicato ipſomet ſacello, anno Epiſcopatus ſui nono, Chriſti erat qui nongenteſimus ſeptuageſimus ſecũdus, præſentibus & cooperantibus ſibi comprouincialibus Epiſcopis *Gerardo* Tullenſi, & Wnofrido Virdunenſi. Quo ex ſacro gazophylacio Henricus III. Imperator brachium ſanctæ Virginis vnum impetrauit à Theodorico Iuniore quadrageſimo octauo Epiſcopo Metenſi: idque regali magnificentia adornatum ad perpetuum cultum repoſuit in Landiburgenſi, Spirenſis diœceſis, monaſterio ſub titulo ſanctiſſimæ Deigenitricis, à parentibus ſuis Conrado Cæſare & Giſila eius coniuge pientiſſima inchoato, atque à ſe abſoluto, anno à partu ipſius Deiparæ Virginis milleſimo quadrageſimo ſecundo. Cæterùm caput ſanctæ Luciæ tot coronis redimitum, diù antè quàm eius corpus è Confinio ad Metenſem ciuitatem deportaretur, diuulſum à trunco, Romam religioſè tranſuectum fuerat, vbi condecenti decore ac honore per plurima ſæculorum curricula aſſeruatum fuit in titulo perantiquo Calixti. Porro Andreas Formeus, qui ex Morauienſi in Scotia Epiſcopo, factus fuerat beneficio Ludouici XII. rara eius merita ſpectantis, Bituricenſis Patriarcha: Romæ dum ageret, à Pontifice Maximo ſacratiſſimum hoc pignus obtinuit, quod auro gemmíſque adornatum, dono dedit Eccleſiæ ſuæ Bituricenſi, in cuius ſacrario nunc vſque ſeruatur cum omni obſeruantia. Vigétque ibi ſanctæ Martyris Chriſtíque ſponſæ Virginis Luciæ cultus, quæ cùm vniuerſa in Gallia Chriſtianiſſimi populi deuotione perpeti honoretur, maxima tamen apud Metenſes, qui in hoc eius natali ad eius ſacrorum oſſium venerationem, ambitioſo æſtu pietatis confluunt, reuerentia percolitur. Ipſo die Cameraci ſancti AVTBERTI Epiſcopi & Confeſſoris: qui beati Ableberti meritiſſimus ſucceſſor, ſub Dagoberto Rege, ea in pontificali Cathedra præfuit, Chriſtóque in omni pietate adhæreſcens, propagandæ religionis ſtudio ita exarſit, vt cùm multos ad idem ſtudium, tum ſuâ & illorum operâ, Hannoniam totam prouinciam ad fidem Chriſti planè ſuſcipiendam inflammârit. Idem *Landelinum* puerum ex baptiſmi fonte ſuſceptum, ſacris literis imbuit, deuium deinde ad iter iuſtitiæ reduxit, atque ſuccreſcente gratia, ad ſacerdotium vſque prouexit. Sanctum Giſlenum ex Græcia in Galliam appulſum, ad gratiæ ſemina eroganda, quaſi adiuuam ſibi cœlitus deſtinatum excepit, à quo conſtructam Eccleſiam in honorem Apoſtolorum, cum beato Amando Traiectenſi Epiſcopo conſecrauit. Vincentium Comitem & Waldetrudem eius coniugem abſtractos à ſæculi amore, Chriſto

AVTBERTVS.

ſub ſanctæ conuerſionis regula mancipauit. Sancti Vedaſti corpus in nouam baſilicam, quam Angelico monitu cum monaſterio Attrebati conſtruxerat, ſub illius patrocinio, multa veneratione tranſuexit. Demum facultatibus ſuis in pios vſus diſpenſatis, plenus meritis feliciter ad ſpeculationem beatam deitatis euolauit. Sepultus fuit in ſuburbicaria Eccleſia ſancti Petri, quæ fulgore eius beatitudinis illuſtrata, poſtmodum intra vrbis ampliatæ mœnia, concluſa eſt. In pago Pontiuo ſancti IVDOCI Preſbyteri, Confeſſoris & Anachoretæ. Qui Rethaëlis minoris Britanniæ reguli filius, cùm à fratre Iudichaële primogenito, ſeceſſum à ſæculo meditante, ad principatum inuitaretur, petitis octo dierum induciis: interim tranſeuntibus vndecim peregrinis, qui ad Apoſtolorum limina viſitanda Romam proficiſcebantur, clanculum ſe adiunxit, fratréque planè inſcio, relictis regni finibus, Pariſios vſque proceſſit. Ibi autem quaſi in primo ſalutis portu conſtitutus, conſilium cœpit à cupiditate gloriæ immortalis, excelſum planè, ac homine terrenis rebus ſuperiore, dignum. Dimiſſis namque comitibus ad Pontiui confinia, antiquis plena nemoribus, & inuia & inacceſſa feſtinans, in vaſta ſolitudine, loco ſenticoſo habitationem ſuam conſtituit: omne ibidem vitæ tempus procul ab hominum commercio exacturus, niſi ab Haimone Comite Pontiuenſi, qui tantæ ſanctitatis iubar deliteſcere non ferebat, fuiſſet aliquot annis ab eremi aſſiduo incolatu reuocatus. Quo tempore & exactiorem literarum cognitionem imbibit, & ſacris ſuſceptis ordinibus, ad intermiſſa deinde ſolitudinis exercitia rediit. Aſſumpto igitur in comitem Wlmaro ibi oratorium cum tuguriolo extruxit, certaménque diù cogitatum cum hoſte ſerio aggreſſus eſt: quem oratione, ieiuniis, vigiliis & carnis continua maceratione, ſpiritus verò ſtudioſa purificatione facilè conculcauit. Victor igitur at ſemper nihilominus aduerſus artes inimici paratus, curam in pauperum ſubleuationem coniecit, quos cùm diſpertitâ propriâ alimoniâ, tum pabulo diuinitus ſibi miſſo ſæpiùs ſuſtentauit. Nec cibis modò refecit, ſed ſuperna qua præditus erat virtute etiam curabat à morbis. Porro cùm ingens hominum concurſus, qui ad impetranda ipſius apud Deum ſuffragia confluebant, amicam eius quietem interturbaret: iam octo annis ibidem cum maxima gratiæ vbertate tranſactis, aliud deſertum feſtinus expetiit. Rimacus hic ſeceſſus dicebatur, vbi ædiculâ orationis cum cellula erectâ, denuo cum inimico conflixit. Cuius felicibus ſuis actibus inuidentis inſultus, atque inſidias annos quatuordecim

IVDOCVS.

egregiè ſuſtinuit ac repreſſit. Eadem in ſolitudine loco arenti fontem oratione ſua excitauit. Paulo hinc remotius progreſſus, duo oratoria lignea propriis manibus conſtruxit, quorum alterum Apoſtolorum principi, alterum gentium doctori nuncupauit. Cùm autem ibi tota mente cœleſtibus inhiaret, fama eius ſanctitatis tam longè latéque peruagata, Martinum Pontificem Maximum, qui vſque ad martyrium merito pietatis progreſſus eſt, tantum virum viſendi cupido inceſſit: à quo Romam accerſitus, poſt varios de æternitate & religionis ſtudio habitos cum ipſo ſermones, donatus pretioſis Sanctorum reliquiis ad deſideratam ſolitudinem reuerſus eſt. Exceptus fuit vir ſanctus à Comite Pontiuienſi, Cleróque & vniuerſa populi multitudine ingenti gaudio. Cúmque venerandas quas adferebat reliquias in noua beati Martini Confeſſoris Eccleſia, quam Haimo Comes lapidea ſtructura inſtaurauerat, depoſuiſſet, & tertio Idus Iulij ſtolam ac candidam indictus caſulam, ad diuina celebranda myſteria procederet, iámque aſtaret altari, ac diuina cum ſumma veneratione tractaret ſacramenta: ecce manus Domini viſibiliter apparuit, ſacerdotem ſuum conſignans confirmánſque benedictione perpetua. Eodémque momento vox cœleſtis cunctorum auribus inſonuit. *Quia paterni regni pro me contempto culmine, pauper & abiectus eſſe elegiſti: coronam tibi inter Angelorum meorum agmina preparaui, eróque loci huius in quo reſolueris cuſtos & defenſor perpetuus.* Hac accepta promiſſione Iudocus, gaudio ſanè incredibili exultans, non quidem propterea factus eſt remiſſior: ſed additis potiùs ad virtutem aculeis, vigilias intendit, cumulauit preces, bene faciendi diſciplinam magis excoluit; nulliſque non pietatis operibus inſudauit, donec idibus Septembris, Angelorum obſequiis, & Chriſto (cui vnicè ſeruire & placere contenderat) duce, ad cœlos euocatus abiret. Cuius corpus ſicut ab omni carnalis commixtionis contagio immune extiterat: ita ad ſexaginta ferè annos ſaluum atque illibatum permanſit, vti vitali ſpiritu adhuc fuiſſet præditum. Poſtremo miraculorum quibus fulſit in tumulo gloriâ eò excreuit, vt qui acta eius minutim perſecuti ſunt, ſigna ipſa quæ funus eius ſunt ſubſecuta, confeſſi ſint nulla orationis prolixitate potuiſſe præ numero recenſeri. Aſſeruatur iampridem corpus ſancti Iudoci in Eccleſia de Parnis monachis Vticenſibus commiſſa: vbi tranſlatum fuit, ex Abbatiali Eccleſia Pontiuienſi, in honorem ipſius beatiſſimi Confeſſoris per Carolum Magnum fundata, ad littus maris in Ambianis. Pariſiis item, quo loco ſanctus Iudocus dudum peregrinus hæſit, hauſítque vitæ cœleſtis

incundæ ſpiramina: Eccleſia extat parœcialis, titulo eius glorioſo nobilitata. APRA Virgo. Pictauis ſanctæ APRÆ Virginis, quæ ſancti Hilarij ante Epiſcopatum coniugati vnica filia, dignáque proles, ab ipſo in caſtitatis cultu & Chriſti amore erudita: promiſsíſque etiam illecta diuinis, iam ab ætate virenti cœlum animo concipiens, nihil mente niſi diuinum & cœleſte complexa eſt: ſpretíſque nobilis viri qui in ſpeciem eius eximiam exarſerat nuptiis, toto pectore ad cœleſtis ſponſi conſpectum anhelauit. Quouſque tandem chariſſimi patris, qui pium filiæ ardorem ſuſpiciebat, orationibus apud Dominum commendata; lenta correpta febre, æſtu potiùs amoris quàm caloris, caſta lumina in mortem clauſit, atq. ad Sanctorum perennes ſplendores & Agni cœleſtis deſideratas nuptias, columbinis euecta alis caſtitatis & innocentiæ, ouans ac lætabunda euolauit. Cuius puriſſimum corpus in Eccleſia Sanctorum Ioannis & Pauli à Patre Hilario, extra vrbicos muros ſepultum, miris gloriæ coruſcationibus re-Eiúſque MATER, S. Hilarij cõiux. ſplenduit. Pone cuius tumulum Virginis beatæ, eiuſdem MATER in omni pietate conſummata, paulò pòſt meruit ſepeliri. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confeſſorum, atque Sanctarum Virginum.*

Decimo nono Kalendas Januarij. Luna

14 E VII.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
24	25	26	27	28	29	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11

t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P
12	13	14	15	16	17	18	19	18	19	20	21	22	23

SS. NICASIVS. DVROCORTI Remorum Natalis ſancti NICASII illius Metropolis Epiſcopi & Martyris. Qui Seuero exploratæ pietatis Antiſtiti ſubducto ab humanis, ob clara diuini ſpiritus quo plenus erat chariſmata ſuffectus, ſuſceptum paſtorale officium æquè ad Dei placitum, ac gregis crediti commodum exercens, zelo, virtute, doctrina, ac peruigili ſolicitudine ſuis ouibus præluxit. Atque vt cum incremento religionis, decorum Dei domus ampliaret, baſilicam ſanctæ Deigenitricis opere ſpecioſo conſtruxit, ad quam ex antiqua Apoſtolorum ædicula, ſedem Pontificalem cum Clero traduxit. Miráque ſanctimonia in ea præſidebat, cùm Wandalorum exercitus, multa cùm Aquilonarium, tum Orientalium copiarum occaſione auctus, Occidentale inuadens Imperium, Gallias imprimis truculentis cladibus

deuaſtare cœpit. Quorum ſub Croco Rege ferociſſimo & Chriſtiani nominis infeſtiſſimo hoſte, irruptione, Moguntiâ euersâ, Metis deletâ, iam Remis rumor increbuerat feralia hæc agmina ad nobilis illius metropolis excidium properare. Porro Nicaſius cùm illam tempeſtatem populi peccatis excitatam eſſe ſciret, atque vrbis ſuæ euerſionem, & ciuium cædem breui futuram præuideret, incolas ad pœnitentiam hortabatur, & vt orationibus aſſiduis, vitæque mutatione iram Dei in miſericordiam commutarent, omni ſtudio contendebat. At pij paſtoris clamores ferè neminem ad officium reuocârunt. Vnde ira Dei magis prouocata exarſit. Populabundus igitur barbarorum exercitus, Chriſtianíque ſanguinis ſitibundus tandem in Remenſes caſtra morum, eorúmque metropolim cinxit, & oppugnauit. Multi ciuium imminentem ſtragem præuerterant aliò digreſſi. Sed verò Nicaſius, Chriſti boni paſtoris exemplum ſecutus, cum obſeſſis ſuis ouibus perſtitit: quas ad agonem fortiter pro fide ſubeundum, verbo & exemplo animabat. Expugnata autem vrbe, atque hoſtibus crociter in eam irrumpentibus, beatus Pontifex qui in templo pro populi ſui ſalute inſtanter orabat, ad oſtium baſilicæ ſanctæ Deigenitricis intrepidus occurrit, cum Clero pſalmos concinens, proſequente ſorore ſua Eutropia ſanctiſſima Virgine: dúmque verſiculum illum pronuntiat, *Adhæſit pauimento anima mea.* Illico gladiatoris ictu irruente capite eius truncato, verbum tamen pietatis ab ore cæſi non defecit: ſed deciſo ceruice immortalitatis ſententiam, quam petiit, adimplendo impetrauit, ſubiiciens *Viuifica me ſecundum verbum tuum.* Tam horrendo ſpectaculo, quæ aderat EVTROPIA caſtiſſima virgo, caſtitati ſuæ timens ob ingentem qua præſtabat pulchritudinem, in fratris Pontificis ſanctiſſimi interfectorem, qui mitiùs cum ea agebat, ſancto furore percita irruit, aſperrimíſque verbis increpitans ſacrilegum homicidam, vt ad martyrium ſibi inferendum prouocaret, ſaltu repentino raptis illius palpebris, non fœminea virtute, ſed diuina vltione oculos eius euulſit. Móxque inſanientium Wandalorum ferro iugulata, ſacro fuſo ſanguine palmam victoriæ, cum germano ſuo iam triumphante, meruit adipiſci. Non ſæuientium, hac indigna cæde, ſtetit impius furor. In Clerum, in populum fidelem aſtantem inſiliit, ferróque permultos ex vtroque ordine impetitos, percuſſos, ſtrage miſeranda confecit: inter quos beati FLORENTIVS Diaconus & IOCVNDVS Lector clariſſimi extiterunt. Barbaros igitur de conſtantia Virginis & profani ſpiculatoris ſubitanea mutilatione ſtupefactos, expleta cæde piorum, ſacro inun-

EVTROPIA.

Strages fidelium plurimorum, quorũ Coryphæi fuerunt FLORENTIVS Diaconus, & IOCVNDVS Lector.

dante cruore, terribilis horror inuaſit. Quaſi cœleſtes etenim acies dimicantes, tanti ſceleris vindices perſpexerunt, ſonitúmque horribilem in Eccleſia audierunt. Quibus ſignis funeſta hæc impiorum agmina exterrita, relictis paſſim ſpoliis, fugam præcipitem arripuerunt, atque irreuocabiliter per diuerſa diſperſi, inuaſam trepidi deſeruerunt ciuitatem. Quâ diù manente ſolitaria (nam ciues in montium concaua, abditáque nemorum, vt declinarent tam ſæuum turbinem, certatim aufugerant) Martyrum proſtrata humo corpora, Angelica cuſtodia ſeruabat: ita vt noctu à longè lumina cœleſtia cernerentur, carmináque audirentur ſupernarum virtutum, trophæa Sanctorum concinentium. Vnde confortati conciues pauciſſimi qui remanſerant, ad vrbem properârunt, ac cum ieiuniis & orationibus hymnodiáque Sanctorum interfectorum corpora, in locis congruis circa ciuitatem tumulauerunt. Sed felicis phalangis anteſignanorum, ſancti Nicaſij Pontificis, ac beatæ Eutropiæ eius germanæ, venerandas exuuias, honorificentiori funere colligentes in ædicula condiderunt Sanctorum Vitalis & Agricolæ, quam *Iouinus* vrbis Præfectus, vir ſingularis pietatis, dudum extruxerat. Creuit ædicula tam nobilium hoſpitum magnitudine: excuſſa enim veteri ſtructura, eam in ſtupendam molem ſuſcipiendámque fabricam tandem inſurrexit, quæ inſigniorum baſilicarum amplitudinem ac magnificentiam exæquat, quin & plurimarum ſuperat elegantiam. At non tam ædificij præſtat decore, quàm antiquo mauſoleo tanti Pontificis gloriatur: cuius & titulo inſignita ſplendidiſſimo, tutela quoque fruitur perpetua. Hanc conſtruxit regali pietate & munificentia Ludouicus Pius Chriſtianiſſimus Rex Francorum Romanorúmque Imperator Auguſtus: qui in ſanctum Nicaſium impensè deuotus, aſcetarum eidem baſilicæ collegium ordinis ſancti Benedicti adiunxit, à quo laudes perennes ibi Deo perſoluerentur, ob tantorum Martyrum glorioſam victoriam & coronam, religioníſque immaculatæ officia ibidem omni pietatis exemplo exercerentur. Cæterùm in Cathedrali Eccleſia Remenſi iampridem corpora veneranda Sanctorum Nicaſij & Eutropiæ requieſcunt, quæ in hanc beatus *Fulco* Archiepiſcopus, demúmque martyr, ampliori vt afficeret honore tranſuexit. In cuius Metropolicæ baſilicæ gremio viſitur etiamnum lapis ſanguine ſancti Nicaſij irroratus, epigraphéque inſignitus, quo ipſum glorioſum athletam eodem loco deciſa ceruice corruiſſe, expiaſſéque, quiſquis ſacram luſtrat ædem admonetur. Erat tunc locus in veſtibulo Eccleſiæ, at aucto ædificio per Eb-

bonem Archiepiſcopum, hinc in interiorem ceſſit templi ipſius partem. Eodem die Viennæ Allobrogum ſancti LVPICINI Epiſcopi illius ſedis & Martyris, qui ſancto Florentio Martyri quoque ſuccedens, illam Eccleſiam magno ſpiritu gratiæ & virtutis gubernauit: apertàque à Valeriano Imperatore atrociſſima aduerſus Chriſti fideles perſecutione: cùm paræneticas literas à Cornelio Papa ſuſcepiſſet, omnem ex iniuncto ſibi ab Apoſtolica ſede officio ſolicitudinem ac operam adhibuit, vt non ſolùm credentes ſua in prouincia degentes ad agonem fortiter ineundum excitaret, ſed & vniuerſarum Galliarum fideles: quibus non verbis, ſed reipſa ac opere, bonus paſtor præiuit: dum recrudeſcente perſecutione, varia per loca diſcurrens, ad exterritos acerbitate pœnarum Chriſtianorum animos roborandum, tandem apud Auguſtam Tricaſtinorum in officio pietatis deprehenſus, in fidei conſtanti confeſſione extremo affectus ſupplicio, illuſtre martyrium conſummauit ſub Aureliano Principe, qui perſecutionem ferali edicto prorogauerat. Ipſo die apud Heclesbekium Mempiſci vicum, obdormitio ſancti FOLQVINI Morinorum Epiſcopi & Confeſſoris. qui Monachus ſancti Bertini Sithiuenſis ſua ætate virtute & doctrina præcellens, poſt Erembaldum ad regimen illius Eccleſiæ Pontificalis admotus, verbi Dei indefeſſus prædicator, ad animas lucrandum per quadraginta annos, oppida, caſtella & vicos ſuæ diœceſis ſumma diligentia circuiuit. Verbis, ac miraculis, & operibus ſanctitatis, Dei Legem & timorem populi ſui cordibus incuſſit. Cuius obſeruantiæ zelator, Concilio Pariſienſi & Cariſiacæ Synodo ad vindicias diſciplinæ & fidei interfuit. Cúmque corpora Sanctorum Audomari & Bertini ſignis gloriæ micantia, digniori cultu decoraſſet: eorum ad ſocietatem, quorum ſedulus fuerat imitator, feliciter emigrauit. Nec inferiori ſplendore refulſit meritorum, quæ ſignis cœleſtibus declarata, ipſum in tumulo beatiſſimum prodiderunt. Obiit quidem in vico præſignato, ac inde Audomaropolim corpus eius mirificum reuectum eſt, atque in ſancti Bertini monaſterio cuius alumnus erat, congrua reuerentia collocatum. Claromonte Aruernorum ſancti ILLIDII Epiſcopi illius ciuitatis & Confeſſoris. Hic ſtemmate claro progenitus, ex oppido Alleri cuius & Dynaſta erat ortum duxit: Chriſtíque amore incenſus, ſpretis mundi deliciis & gloria, totum in diuina placita exequenda ſeſe dedit. Mirabili igitur cùm ſanctitate polleret, ſancto Leoguntio Aruernenſi Epiſcopo ad Superos abeunte, ne cathedra illa inferiori ſidere regeretur: defuncto ſuppar claritate pietatis & iuſtitiæ, magnâ

LVPICINVS.

FOLQVINVS.

ILLIDIVS.

Cleri populíque inſtantiâ ſolium hoc pontificale aſcendere compulſus eſt. At non quæ honoris ſunt, ſed oneris ſibi ſumens, omnem in eo cogitatum conuertit, quo ſe totum in gregis crediti ſalutem impenderet: ratus non poſſe Domino cuius diſpenſator factus erat, gratum magis præſtare obſequium, quàm quo animas illius ſanguine redemptas fideli miniſterio excidio præſeruaret: pérque ſemitas rectas incolumes ad caulas eius cœleſtes, charas illas oues dirigeret. Nihil operæ prætermiſit paſtor bonus, vt id aſſequeretur. Quo zelo feruenti, Deo factus acceptiſſimus, diuinitatis operibus ſtupendis prorſúſque admirabilibus promeruit illuſtrari. Nam tres viciſſim defunctos vitæ reſtituit; Clementis Maximi Imperatoris filiam à diabolo vexatam, Treuiros ob ſanctitatis famam euocatus, fuſa oratione liberauit. Multos alios ſanauit energumenos, quolibet morbo affectos incolumitate donauit. Quibus teſtimoniis Dei amicus approbatus, in regnum eius aſſumptus eſt. Exceſſit verò è ſtadio mortis vir beatus Nonis Iunij. At ex auito more hodie præcipua memoriæ eius celebritas agitur. Templum habet cœnobiticum inſigne Claromontij, in cuius crypta poſtquam delatus eſt ad vrbem ſuam repoſitus: (nam obiit in itinere) innumeris miraculis reſplenduit. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confeſſorum, atque Sanctarum Virginum.*

Odilia. Odilia vidua Leodienſis recluſa ad cœnobium ſancti Ægidij ſelici fine quieuit. Item in cœnobio Alnenſi morte exemptus eſt piæ memoriæ *Vverricus* Monachus, qui contempto ſæculo, conculcato diabolo, ſingulare ſociis exemplum pietatis, patientiæ, fortitudinis & perſeuerantiæ reliquit.

Decimo octauo Kalend. Ianuarij. Luna

15 F vi.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
25	26	27	28	29	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
13	14	15	16	17	18	19	20	19	20	21	22	23	24			

SS. Maximinus. IN territorio Aurelianenſi ſancti MAXIMINI Abbatis Miciacenſis & Confeſſoris. Hic Virdunenſis ciuitatis indigena, frater ſancti Vitoni Epiſcopi eiuſdem vrbis: nepos verò & diſcipulus ſancti Euſpicij tum ſedis huius Archipreſbyteri: cùm Clodouæus Rex victor ex Germanica expeditione rediens, Virdunenſes, qui contra ipſum rebellauerant, ſupplicante eodem

Euſpicio, cuius ſanctimonia inſignis erat, in gratiam recepiſſet; Euſpicium ipſum à Rege baptiſmum meditante in comitatum aſſumptum, Aureliam ſecutus eſt. Porro cùm aulæ tumultum Euſpicius non ferens, ad ſeceſſum qui ſpiritualibus ſtudiis, quę ſpirabat incumberet, Miciacēſem agrum à Rege impetraſſet, indiuiduè illi Maximinus adhæreſcens, ita ei obſecutus eſt, vt ſtruendis cellulis, accerſendis aſſeclis, ædificādæ Eccleſiæ, diſciplinæq. inſtituendæ, præcipuo ei ſolatio fuerit ac adminiculo. Congregatis igitur illic monachis, Euſpicius quidem Abbatis functus officio, nepotem in quo præſtantis cernebat animi puræque mentis lumina, ad decoramentum virtutis & religioſæ familiæ ſubſidium, per Euſebium ſibi bene affectum Epiſcopum Aurelianenſem, fecit ſacerdotio initiari. Bienniòque expleto in felici noui illius aſceterij regimine, æternam ad requiem euocatus eſt. Cuius in vicem Maximinus non ſanguinis nexu, ſed vitæ merito ſublectus Abbas: ſic locum impleuit, vt rediuiuum in ſe illum non modò referret, ſed augmento gratiæ plurimum eius memoriam inumbraret. Tanta enim ſanctitatis gloria refulſit, vt hac commoti vndique pietatis amantes ad eum ceu ad animatum totius religionis ſpeculum concurrerent: ex quibus inſigniori fuerunt memoria *Viatur* & *Latus*, qui ex pagis Bituricenſibus conceſſu Treicecij Abbatis ſui Miciacum, ad eum conuolarunt, à quo in vitæ ſupereminentis theoria eruditi, eam ad gratiæ ſublimitatem proceſsêre, vt diuinis operationibus per miracula & actus perfectæ iuſtitiæ radiarint. At Maximinus, qui hos pullos ad volandum inſtruxit, velut aquila grandis altiora ſemper petens cacumina ſanctitatis, poſt filios innumeros Chriſto progenitos, multiplicata religionis ſacraria, merita accumulata, patrata ingentia prodigia, quibus orando, naues flatibus & fluctibus exitioſis impetitas, in portum ſaluas euexit, draconem ingentem omnia inficientem, efformato Chriſti ſigno triumphali onerauit, multorúmque depulit languores, mira denique nec minus ſalutaria peregit: ſentiens ſe demum iam vocari à Domino, fratribus accitis eos ad charitatem hortatus, paternéque exoſculatus ſingulos, plenus fœnoribus gratiæ, operibus iuſtitiæ, meritis gloriæ, beatus ad præmium euolauit. Sepultus eſt autem ad Septentrionalem partem ſui monaſterij, ſuper huius antrum ſpeluncæ, è quo lethiferum expulerat draconem, ſicut ipſe ſitus inſignioris non appetens fratribus præceperat: vbi operante clementia Saluatoris, memoria eius miris virtutibus clarificata, ſupplicantibus eius opem, optata deuotis clientibus ſolatia conciliauit. Ipſo die ex probato more in

pleriſque Eccleſiis Galliarum agitur *Octaua Conceptionis immaculatæ Virginis Mariæ. Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confeſſorum, atque Sanctarum Virginum.*

Venantius Fortunatus. BEATVS VENANTIVS FORTVNATVS Pictauienſis Epiſcopus, vir in quo ambigitur magis-ne doctrina & pulchritudo ingenij, quàm vitæ ſanctitas præcelluerit, vt qui encomiaſtes Sanctorum ſuo æuo præcipuus, eorumdemque ſtudioſus imitator, ac omnipotentiæ ſupernæ maieſtatis præco perelegans, operúmque Dei in ſanctis mirabilium enarrator grauiſſimus: exacta in omni pietatis ſtudio & actu, ætate, ſenio non tam quàm ſanctis exercitationibus fractus, quas cùm in aſſidua ſacri muneris executione, tum in Chriſtianæ ſapientiæ cultu, & egregiorum operum exaratione ſubiit, fine beato conſummatur, atque ad lauteam cœleſtem progreditur: ab amicis illis æterna in tabernacula excipiendus, quos ſibi non de iniquitatis mammona, ſed ex doni ſcientiæ penu, gratiæque ac pietatis fœnore iuſtiſſimo comparauit. Fertur hic beatus vir cum oculorum lippitudine ac dolore laboraret, poſtquam ſancti Martini patrocinio liberatus eſt, libros quatuor carminum compoſuiſſe, quibus grata mente, & veraci calamo, elegantique ſtylo, ſancti ipſius Confeſſoris miracula eſt complexus. At non modò poëtices laude præeminuit, ſed oratoria itidem facundia & Theologica vbertate, vt indicio ſunt Sanctorum Hilarij Pictauienſis, Maurilijque Andegauenſis, quas conſcripſit rerum geſtarum enarrationes. Et docta illa *exegeſis* in Symbolum Apoſtolorum: maximè verò *Homilia* illa pia, luculenta & elegans, variiſque interpretationibus fœcunda quam contexuit in orationem Dominicam, ab eruditiſſimis etiam cenſoribus, poſteri huius æui, totidem titulis commendata. Cæterùm qui tot beatos pura mente & ſtylo laudauerat, dignum etiam ſuæ gloriæ præconem conſecutus eſt. Nam Paulus Diaconus illuſtris ſcriptor, & Sanctorum plurimorum egregius panegyriſtes: cùm Pictaui ageret ab *Apro* Abbate rogatus, pij præclarique huius Antiſtitis, non tam epitaphium, quàm encomium carmine concinnauit, quo non magis præſtantes eius ingenij ac animi dotes, quàm vitæ mores ſanctiſſimæ extulit: & manifeſtè Sanctum eum compellans, hoc ipſo quoque nomine, eius patrocinium in vicem præſtiti obſequij implorauit. Quo titulo etſi minimè recenſeatur in hagiologio Romanæ Eccleſiæ, meritò tamen dudum inter Sanctos connumeratum ſolertiſſimi Sanctorum indagatores teſtantur. Et reuera pridem in Aquitania, honoribus ſanctis, qui Beatis deferuntur, celebratus eſt.

Decimo ſeptimo Kalendas Januarij. Luna

16 G v.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
26	27	28	29	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13

t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P
14	15	16	17	18	19	20	21	20	21	22	23	24	25

SS. Ioannis Baptiſtæ. AMBIANIS receptio faciei ſancti IOANNIS BAPTISTÆ. Quam capta à Francis Conſtantinopoli, Walo Ambianenſis Clericus, cùm factus eſſet illa in Imperiali vrbe Canonicus Eccleſiæ ſancti Georgij Martyris, ex illius ſacrario, in qua haud ſine diuina aſpiratione hanc reperit, in intimo templi receſſu, ferculo

ferculo argenteo ſub epigraphe deſignatoria incluſam: patriæ incenſus amore, ſolicitè collectam & tranſuectam, Ambianum attulit, detulítque magna cum rei bene actæ lætitia in manus Richardi Epiſcopi, ſacratiſſimo pignori cum Clero matricis Eccleſiæ omni cum reuerentia occurrentis. A quo Præſule, ſolemniter in conſpectu omnis populi, in baſilicam ſanctiſſimæ Deigenitricis illata ipſa venerabilis Chriſti Præcurſoris facies, fuit in ſacrario dignanter repoſita, vbi deinceps miris irradiata ſupernæ virtutis fulgoribus reſplenduit: ſuámque germanitatem non tam humanis quàm diuinis teſtimoniis, propalauit. Attulit in Galliam idem Walo caput cum brachio & digito ſancti GEORGII præmemoratæ Bizantinæ baſilicæ tutelaris, quas pretioſas exuuias pio munere diſpertiens, caput Maiori-monaſterio in Turonibus, dum eò tranſiret: brachium Collegiatæ Eccleſiæ de Pequigni, cuius Canonicus erat: digitus parœciali templo de Sartonio, vnde erat oriundus, diſtribuit. Viennæ Allobrogum ſancti ADONIS Epiſcopi illius Metropolicæ ſedis. Qui genere nobili procreatus, primos annos tranſegit in monaſterio Ferrarienſi ſub Lupi celebris famæ Abbatis diſciplina. Sub quo parta copioſa doctrinæ & pietatis fruge, Romam hinc deuotionis ergo profectus eſt: vbi annos quinque immoratus, obſeruandis myſticis theoriis & pietatis imbibendis diſciplinis: Martyrum etiam aliorúmque Beatorum geſtas res inueſtigauit, quas poſtea eo quod edidit Martyrologio complexus eſt. Martyrologiúmque vetus Romanum, Rauennæ diuino munere repertum euulgauit. Inde in Galliam reuerſus, Lugduni ſubſtitit, ínque notitiam & amicitiam beati Remigij Archiepiſcopi, cuius tum magnum erat nomen ſe inſinuans, eidem hæſit, omni officio religionis & ſtudio ſapientiæ intentus. Quouſque ipſo agente ſancto Remigio, cùm vacaſſet Cathedra Pontificia Vienneñſis Agilmari Antiſtitis obitu, à ſacris huius Eccleſiæ proceribus, ex voto communi ciuium, præſtantes ob dotes doctrinæ & virtutis, Archiepiſcopus nobilis illius ſedis renunciatus, atque ſolemniter conſecratus eſt. Non mores viri humilis & timorati, nouus honor mutauit. Quinimo augmento dignitatis virtutum omnium etiam acceſſit incrementum. Siquidem toto in præſulatu eam humilitatem & modeſtiam præ ſe tulit ac benignitatem, quàm antè cùm in minoribus eſſet coluerat. Charitatis autem cuius æſtu ſemper flagrauerat, ſic ſtudium & actus intendit, vt illud propheticum ex miſericordiæ vſu & more ipſi quiſque meritò applicaret. *Oſtium*

GEORGIVS. ADO.

meum viatori patuit. Oculus fui caco, & pes claudo, liberabam pauperem vociferantem, & pupillum cui non erat adiutor. Benedictio perituri veniebat ſuper me, & cor vidua conſolatus ſum. Hoſpitalitatem enim pius hic Pontifex ſedulo coluit, impendit afflictis congruam quibuſque opem: nec verbis iuuabat duntaxat inopes vir miſericors, at etiam rebus, ita quæ animæ ſunt curans, vt corpori ſimul quæ forent neceſſaria ſubſidia impertiretur. Opponebat ſe viriliter infirmorum oppreſſoribus, potentes diuitéſque coërcens, ita virga paſtorali in immorigeros vſus, vt qui monitis paternis tandem concederent, eoſdem viſcerali amore complecteretur. Cleri erat ſui cultor perpetuus. Viris enim ſacris, à quibus cæterorum pendet ſalus, præcipuam impendebat curam. Quos vt moribus nitidis informabat, ita diuinarum regularum & praxeon Eccleſiaſticarum reddebat obſeruantiſſimos. Id imprimis ſtudebat vir beatus, vt ab ipſis ſacerdotibus diuina ſanctè & piè tractarentur, omni cum religiône celebrarentur ſacrificia, diuinæ Maieſtatis præconia in perfecto timore & reuerentia ab iis perſoluerentur, quibus exemplo ipſe præibat: nam matutinis & cæteris horis quæ ex Eccleſiaſtico canone quotidie in templo peragi debent, primus omnium intererat, præſentiáque ſua ſacrum ordinem ita animabat, vt Angelicæ militiæ choros dum ſacra fierent, cœtus hic diuinis inſiſtens laudibus referre videretur. Pœnitentiæ zelator, beatorum qui peccatores ſuo exemplo ad ſalutares gemitus prouocaſſent, memoriam affatim honorabat. Qua ratione Sacellum prope maioris Eccleſiæ limina conſtruxit, *Petróque Apoſtolo, Mariæ Magdalenæ, & Latroni conuerſo in cruce* conſecrauit. In qua ædicula multa diuinæ virtutis deinde magnalia coruſcârunt. Cùm tot rebus piis incumberet ſanctus Pontifex, doctrinæ qua præſentes poſteróſque erudiret, nihilominus gnauiter inſudauit, non oris duntaxat præconio quæ Dei ſunt populo enuntians, ſed & literis conſignans pleraque fouendæ pietati & illuſtrandæ Eccleſiæ vtilia. Nam breuiarium Chronicorum, quo diuinæ Maieſtatis œconomiam in creaturarum adminiſtratione & electorum congregatione, ac tutela propalaret, ab origine mundi ad ſua vſq. tempora contexuit. Deinde ſapienter perpendens quantum in Sanctis diuinæ gratiæ patuerunt inſignia, tantum ad ædificationem Eccleſiæ glorioſa eorum facta conferre: magíſque ipſorum exemplis quàm libris poſteros ad cultum pietatis & iuſtitiæ excitari, qui itidem ſpectatis immenſis præmiis beatorum, ad conſectanda eorum veſtigia

efficacius commouentur. Libellum aureum vnum *de feſtiuitatibus Sanctorum Apoſtolorum et reliquorum qui diſcipuli, aut vicini, ſucceſſoréſque eorumdem extiterunt*, in lucem emiſit; quo vt glorioſa eorum facinora recenſet, ſic coronas adornat, & memorias exequitur venerandas. At opuſculum illud ſequentis duntaxat plenioris tractatus præludium fuit, quem MARTYROLOGIVM inſcripſit, in quo Sanctorum omnium quorum notitiam habere potuit, ex dierum quibus cœlo nati ſunt ſerie, res enarrat diuinè geſtas; Apoſtolorum Martyrúmque agones & trophæa prædicat; Confeſſorum deſcribit virtutes & labores, laudes etiam gloriámque celebrat; Virginum dignis encomiis proſequitur palmas & laureas. Exigebat à Dei bonitate & iuſtitia tanta pietas, tantus religionis zelus, tantus Sanctorum laborum æſtus, tótque egregiorum ſtudiorum ac operum decus & meritum, vt præmio tandem ſempiterno Ado muneraretur. Igitur ſanctus Epiſcopus, cùm ſediſſet annos ſexdecim miniſterio feliciter adimpleto, conſummato bonæ militiæ curſu, congeſta animarum copioſa meſſe, meritorum collectis vberrimis manipulis, clarus miraculis, ſanctitate inſignis, carnis exuta mole, dignum Deo ſpiritum in cœlum emiſit. Sepultúſq. cum anteceſſorib. ſuis in baſilica Sanctorum Apoſtolorum, cùm beatitudinis patentia proderet ſigna, ſupremos pij cultus honores, Eccleſiæ iudicio, mox ferè ab obitu conſecutus eſt, qui beatis cœli incolis in terra à fidelibus deferuntur: diptychis enim ſacris iamdudum inſcriptus, diem hãc ſacram ſibi annuatim vendicauit, qua æternã aſſumptus eſt ad gloriam. Conſuluit hunc beatum virum ob literaturæ præſtantiam, & priſcorum monimentorum ſtudioſam collectionem Hincmarus fama conſpicuus Archiepiſcopus Remenſis, petens ab eo exemplar Epiſtolæ inſignis beati Auiti Viennenſis ad ſanctum Remigium. Nicolaus autem magnus Papa, Apoſtolicis illũ apicibus haud ſemel honorauit, à quo recepit Pontificale pallium, Primatiæque Antiſtitis Viennenſis, ſuper nuperum Tarentaſiæ Metropolitam, confirmationem perpetuam. Lugduni ſancti REMIGII Metropolitani Epiſcopi illius ſedis & Confeſſoris, qui ipſum Adonem ad ſe ob famam ſapiẽtiæ & religionis venientem excepit, fouit, prouexit. Is Amuli ſucceſſor, ſua ætate in Hierarchia Gallicana dotibus gratiæ præcipuus, & vt nominatur à Lothario Imperatore, *maximè venerabilis* emicuit. Synodis Valentinæ III. Lingonenſi, Tullenſi apud Saponarias Sueſſionenſi III. Cabilonenſi in Eccleſia ſancti Laurentij trans Ararim celebrato, aliíſque ſacris comitiis omni dignitate præluxit. Eccleſiæ ſuæ decora ſplendore virtutis & doctrinæ pleraque adiunxit. Fidem REMIGIVS.

Catholicam editis *de libero arbitrio, & de prædeſtinatione*, nomine ipſius Eccleſiæ aduerſus errores Neotericos ſynceris tractatibus, piè ac fortiter vindicauit. Apoſtolicæ Sedis ſeruauit illibatum honorem. Gregis myſtici multiplicauit ſobolem. Operum iuſtitiæ copioſam edidit frugem. Denique pertæſus caducæ lucis, ad ſempiternum gloriæ lumen tot emeritum titulis, vocatus à Domino properauit. Ad S. Iuſtum ſepultus eſt, cum ſeptemdecim ſanctiſſimis deceſſoribus, inter quorum veneranda corpora ſpoliũ eius repertum in ſepulchro marmoreo, cum epigraphe honorifica ſanctitatis, ad nouam baſilicam ſancti Ioannis Cathedraticam, cultu religioſo tranſlatum, ibidem digna veneratione obſeruatur. Incidit eius recolenda tranſlatio in hanc diem qua contigit. Porro depoſitio quinto Kalendas Nouembris, notatur in Lugdunenſis Eccleſiæ necrologio. Ipſo die in minori Britannia
IVDICAEL. ſancti IVDICAELIS Regis eiuſdem regionis nomine ſecundi. Qui patris principatum iure ſanguinis conſecutus, temporali regno cœleſte ac æternum quod longè anteponeret, vitæ monaſticæ feruens deſiderio, fratri Iudoco regimen tradere voluit: quo recuſante, incenſus ſtudio eodem pietatis, ipſe tamen à ſancto propoſito non deſtitit. Sed regno obfirmata mente abdicato, patris ſecutus veſtigia Monaſterium adiit ſancti *Maini*: ibidémque induto pro regali chlamyde vili ſchemate, monaſtica in humilitate, abſtinentia, perpetuáque Chriſti ſeruitute, at ſui aſſiduo contemptu (ex quo qui maximus erat, omnium minimum ſemper in cœnobio officiis ſe præbuit) vitam admirabilem conſummauit, déque clauſtro quod palatiis prætulerat, ad cœlum euolans, pro caduco principatu, æternum
EVERARDVS. regnum cum beatis adeptus eſt. Eodem die ſancti EVERARDI Ducis Comitiſque Foro-Iulienſis, qui itidem Haſboniæ & Taxandriæ in Belgio Comes, non minùs moribus ſanctis quàm opibus præſtans, in gratiam Adalardi tertij filij, quem ex Giſla ſorore Caroli Calui Chriſtianiſſimi Regis coniuge ſua ſuſceperat, Ciſonienſem Abbatiam in Tornacenſi agro fundauit. Ad cuius Eccleſiam poſtquam in Italia plenus bonis operibus mortis nexibus exemptus eſt, corpus eius aduectum, tot refulſit diuinæ virtutis inditæ radiis, vt ab hinc honore ſanctitatis memoria eius cœperit celebrari, cuius decus Dei teſtimonio promeritus, opitulationum gratia ibidem perenni reſplenduit. Catalauni tranſlatio ſancti MEM-
MEMMIVS. MII ciuitatis illius primi Pontificis, Apoſtolorum diſcipuli, atque Apoſtolicarum virtutum patratoris: cuius in cœlum tranſitus glorioſus colitur à Catholica Eccleſia anniuerſaria

commemoratione die quinta Auguſti. Arelate dedicatio baſilicæ & altaris ſancti GENESII Martyris. Metis tranſlatio ſancti GLODVLPHI Epiſcopi & Confeſſoris. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confeſſorum, atque Sanctarum Virginum.* GENESIVS. GLODVLPHVS.

Sexto decimo Kalend. Ianuarij. Luna

17 A IV.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
27	28	29	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
15	16	17	18	19	20	21	22	21	22	23	24	25	26			

MASSILIÆ triumphus ſancti LAZARI, à Chriſto cui dilectiſſimus erat ſuſcitati, Phocenſis prouinciæ Apoſtoli, primique illius ciuitatis Epiſcopi & Martyris. Qui vir diuinus, poſt ſeminatum ibi Euangelium, excitatámque felici operâ multam fidelis populi ſegetem: hoc nomine comprehenſus, quòd nouæ religionis ſator, edictis Domitiani principis, doctrinæ huius quam exitioſam dicebant propagatione aduerſaretur: atque ab vrbis Præfecto accerſitus, primò eſt blandiciis inuitatus, deinde & pulſatus horrendis comminationibus ad idolorum cultum. Qui tam nefandum ſcelus conſtanter deteſtans, & Chriſtum IESVM ſine intermiſſione prædicans, flagellis grauiter cæditur: ab eóque cruciatu, per ciuitatem crudeliter raptatus, tetro carcere concluditur. Hinc eductus, cùm perſeueraret in confeſſione diuini nominis, pallo alligatus, telis configitur: at cùm tot velut linguis quot ſagittis, tot oribus quot plagis, Redemptoris nomen magnificaret: è ſtipite abſtractus, capite obtruncatur, ſícque coronatus, hoc extremo agone, glorioſam profudit animam. Cuius pretioſas exuuias fideles quo potuerunt honore collegerunt, ac in crypta condiderunt, cum veſtibus ſacris quibus indutus diuina myſteria celebrabat. Superſunt adhuc Maſſiliæ ſacerdotalia hæc indumenta. At pretioſum corpus, dudum hinc Auguſtodunum Æduorum magna ex parte tranſlatum, ſummo templo quod tanti martyris titulo præfulget, omni cum reuerentia obſeruatur. In Ambianis ad Somonam prope Corbeiæ oppidum paſſio ſancti GVILLELMI Normaniæ Ducis, ibidem cùm de pace & iuſtitia ageret, fraude Arnulphi Comitis Flandriæ nequiter interempti. In cuius morte cecidit Eccleſiæ præcipuum hoc æuo præſidium, regni ſingu- SS. LAZARVS. GVILIELMVS.

lare decus, vnicum pauperum ſolatium. In hoc enim religionis zelus, iuſtitiæ cultus & perpetuus viguit miſericordiæ affectus. Ob quas diuinæ mentis præclariſſimas dotes, defuncti feretrum Clerus ac populus profuſis gemitibus inundauit: memoriámque eius, quem Martyrem innocentiæ merito mox Gallia vndique acclamauit, clara emeritæ beatitudinis teſtimonia æternæ venerationi conſecrarunt. Huic ſanctus Maurilius Archiepiſcopus Rotomagenſis præclarum elogium appendit, cùm corpus eius è veteri templo in nouam tranſtulit baſilicam ſanctæ Deigenitricis. Qua in epigraphe commemorat Gemelicenſe cœnobium magnificè ipſum inſtauraſſe, in quo monaſticen profiteri abdicato principatu cogitabat. Interímque feruido Dei amore ſancti Benedicti regulam, quaſi iam ſe huic piiſſimus Princeps obſtrinxiſſet, innuit coluiſſe. Auguſtæ, Coloniæ Dienſium Vocontiorum, in Delphinatu ſancti BERNARDI Epiſcopi & Confeſſoris ex ordine Carthuſianorum. Hic Prior aſceterij Portarum, quaſi oliua fructifera in domo Dei, copioſiſſimos pietatis & miſericordiæ fructus attulit in tempore ſuo: ſub cuius vmbra felicia pietatis perfectæ germina effloruerunt, nimirum ſanctus Anthelmus deinde Epiſcopus Bellicenſis, & ſanctus ſucceſſor eius, primùm in monaſterij Portarum regimine, dehinc & in ipſo Dienſi Præſulatu. Hos enim militiæ regulari ſimul adſcripſit, vitæque ſemitas quas calcabat immaculato tramite, edocuit. Porro ipſum ſanctus Bernardus Claræuallenſis, ob ſingularem quam in eo ſuſpexit ſanctimoniam, præcipuo amore complexus eſt, diémque illum quo in illius aſpectus primùm venit, ſeriò teſtatus eſt memoriali à ſe ſempiterno proſequendum. Tantum autem eius nutibus conceſſit, vt ab ipſo rogatus *Cantica Canticorum* explanare, quamquam formidaret tam arduum opus ordiri, reuerentia tamen tanti viri obſtrictus, quæ diuinum in hunc librum commentatus eſt, eius intuitu & amore concinnauit: vehementiori eius ſpiritu (vt ait) crebríſque Epiſtolis animatus, quæ cœleſtem illum ignem ſpirabant, quo ardens, ſemper magis ardere, & perquiſitis vndecumque incentiuis alios inflammare ſatagebat. Ardentem igitur & lucentem adeo lucernam ne diutius ſub modio lateret, Deo, in medium producere & extollere, complacuit. Mortuo enim *Vldrico* Dienſi Pontifice, qui ſancti Hugonis Carthuſianorum ordinis prouectoris alumnus, ex Decano Gratianopolitano, Carthuſiæ incola, hácque ex ſolitudine ad hunc Epiſcopatum euocatus fuerat, Bernardus, cuius gratiæ bona nardus ſuauiſſimos ſanctitatis odores, iam circumquaque effuderat, ſuo ex placido ſeceſſu

BERNARDVS.

abſtractus, ínque ſolium pontificale huius Eccleſiæ vacuum ſubuectus eſt. Tantum ſidus obſtupuit illa Eccleſia, quæ poſt ſanctum Marcellum ſuum primum Antiſtitem, nullos ſanctitatis ſplendoribus ſuos Præſules micare conſpexerat: nouóque deinde aſſueta lumini, dies ſibi antiquos rediiſſe lætata eſt. Sedente enim Bernardo omnis caligo euanuit, reſplenduit priſtino decore Clerus, populus in iuſtitia ambulauit. Felíxque nimis erat illa ciuitas, quamdiu huic, ſol ille benignus illuxit. Qui tandem ab Oriente in meridiem, à meridie ad Occidentem excurrens, terris ſubductus, vt luceret in perpetuas æternitates cum ſupernis ſideribus, quæ thronum cingunt Regis gloriæ, intimo cœlo receptus eſt. Nec tamen radios omnes inferiori hoc ex axe ſubtraxit. Tumulatus enim in ſuo monaſterio ſtupendis poſt mortem miraculis refulſit. Nam ad ſepulchrum eius (quod magno illic honore accolæ proſequuntur) cæci, aridi, claudi, paralytici, energumeni plerique liberati ſunt: nec vlla fuit tam maligna vis, aut tam incurabilis ægritudo, cui illic (ſi fides adeſſet) ſancti Confeſſoris virtus, non comperta ſit potuiſſe mederi. Bruxellæ ſanctæ VIVINÆ Virginis, quæ diuino ſpiramine afflata VIVINA. cum ſocia *Emmuara*, omnem ſuum Chriſto amorem dedicauit, nixáque beneficentia Godefridi barbati Lotharingiæ ac Brabantiæ Ducis, Bigardienſis maioris Abbatiam excitauit: vbi aggregato puellarum collegio, ſeſe omnibus exemplar præbens caſtitatis, abſtinentiæ, humilitatis, charitatis perfectum ſui holocauſtum in ardore fidei & candore puritatis conſummauit. Cúmque è tumulo radios gloriæ mirabiles expanderet, ne gemma iaceret in puluere, ſacrum eius corpus de humo leuatum, ínque hierotheca ad cultum collocatum fuit anno milleſimo centeſimo ſeptuageſimo ſeptimo, per Arnulphum Abbatem infulatum Affligemienſem, mandante Alardo Epiſcopo Cameracenſi, qui eodem anno Eccleſiam Bigardienſem ſolemniter conſecrauit. Ipſomet die Andennæ ad Moſam ſanctæ BEGGÆ viduæ, eiuſdémque cœnobij fundatricis & Abbatiſſæ, quæ Pipini Maioris domus Auſtraſiæ filia, ſoror Grimoaldi Ducis Brabantiæ & ſanctæ Gertrudis, iuncta matrimoniali fœdere Anſegiſo ſancti Arnulphi filio, nobiliſſimæ ſobolis mater extitit. Anſegiſo autem in venatione perempto, diuortium à ſæculo meditata, vt cœptis Apoſtolica ſuffragia conciliaret, luſtratis ſacris Senatus Apoſtolici Principum liminibus, cum benedictione Pontificis, & Sanctorum reliquiis, reuerſa, in honorem ſeptem Eccleſiarum Romanarum, totidem oratoria ad Moſam conſtruxit. Ibidem Cœnobium ad formam Niuellenſis fundauit, BEGGA.

in quo Virgines ſub religione congregans, ſecundum Sanctorum canonum præcepta clauſtris regularibus muniuit. Expetunt verò ex monaſterio germanæ ſuæ Gertrudis Deo dilectæ Virginis perſonas probatas, quas ſacrarum vitæ puellarum præfecit. Hinc cùm cerneret religioſam hanc familiam optimè ordinatam humiliter rogauit inter ſorores minimas admitti. Velata igitur, & in cœtum religioſum cooptata, ibi purum Chriſto famulatum rependit, donec plena bonis operibus ad ipſum cuius honori ſemper ſtuduerat gloriæ candidata profecta eſt. Sepulta autem in Andennenſi quam ædificauerat Eccleſia: locum quem cenſu ditauerat, virtutibus ornauerat, miraculis repleuit. Ipſo die Senonis tranſlatio ſanctæ COLVMBÆ Virginis Galliæ Celticæ Protomartyris, cuius inter brumas palma vernat, radiátque corona triumphalis, pridie Kalend. Ianuarij. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confeſſorum, atque Sanctarum Virginum.*

COLVMBA.

Decimo quinto Kalend. Ianuarij. Luna

18 B III.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
28	29	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
16	17	18	19	20	21	22	23	22	23	24	25	26	27			

SS. GATIANVS.

CÆSARODVNI Turonum ſancti GATIANI Epiſcopi primi illius Metropolis, viri Apoſtolici. Qui à ſancto Clemente Galliarum ſalutis peruigili curatore, hanc ad regionem cum copia benedictionis directus, vrbem illam nefaria Idolorum ſuperſtitione plenam prædicatione diuinæ veritatis primus illuſtrare cœpit. At ethnicorum multitudine verbis cœleſtibus repugnante, Chriſtíque præconem, & verum ſalutis nuntium diris exagitationibus perſequente, vir qui in patientia animam ſuam poſſidebat, nihilominus cœptum opus gratiæ non dimiſit. Quin quò magis ab impiis impetebatur iniuriis, tundebatur pugnis, quatiebatur calcibus, ſalutis miniſterium quod inchoauerat intentiùs propugnauit. Sæpè raptatus ad mortem immunis euaſit, inſitæ in ore, in oculis, in labiis diuinæ gratiæ & virtutis ſplendore. Eum enim pro ampliori illius populi illuminatione Chriſtus ab occiſione liberabat, nec vnquam incidit in diſcrimen capitis, quin lucra animarum ipſo ex conflictu reportaret, déque producta vita & protelata morte, noua Domi-

no fœnora rependeret. Et verò Martyrij cupidus vitam libenter vel millies profudiſſet, niſi ex diuino lumine proſpexiſſet mortem ſuam vergere in apertam ciuitatis illius perniciem. Igitur occultè animarum ſaluti die noctéque inuigilans, multos annos in pietatis officio percurrit, tandémque in pace conſummatus è morte ad vitam migrauit. Cuius occaſu ſemen quod ſparſerat diù incultum delituit. Ciuitas enim Turonica ſine ſacerdotali benedictione ipſo ſubducto è medio diù fuit, impedientibus paganis, qui Satana impellente, regnum Dei ne creſceret illic vbi initiatum fuerat, tam felici ſancti viri opera immani perſecutionum in pios acerbitate obſiſtebant. At Dei opus carnis brachium non potuit deſtruere. Solidi ædificij quæ iecerat fundamenta Gentianus, detonante, fulminante qualibet atroci procella inconcuſſa permanſerunt. Pullulârunt diuinæ veritatis quæ diſperſerat ſemina. Germina tandem gratiæ latentis in flores, flores in fruges eruperunt. Nam fremente quantumuis Satanæ inuidia, illic Eccleſia ipſis in preſſuris adoleuit: eámque in multitudinem exereuit fidelium, vt palam, tandem *Lidorius* apparuerit, conſpicuus huius numeroſi gregis paſtor, Cleríque ampliſſimi Epiſcopus. Cui beatus Martinus ſuccedens, totam ciuitatem ad Chriſtum traduxit: eámque euexit ad religionis gloriam, qua ſacratiſſimo ornato Hierarchiæ principatu, apex matríxque vndecim Epiſcopalium ſedium effecta eſt. Porro ſancti Gatiani corpus, cuius oſſa in tumulo germinârunt, ab ipſo beato Lidorio ex obſcuro ſitu vbi conditum fuerat, ad Eccleſiam ſanctæ Mariæ Virginis nuper in domo cuiuſdam Senatoris conſtructam delatum, honorificentiúſque repoſitum: diù poſtea cum ipſo Lidorio, ad baſilicam nouam per ſanctum Martinum deportatum, atque reuerenter collocatum eſt. In cuius poſtremo Eccleſia, quam ſanctus Briccius tumulo eius ſuperpoſuit, fulgente diuinæ gloriæ prodigiis, vnà cum ipſius ſancti Lidorij ſacris oſſibus, reconditum fuit. Sed exorta Normanica incurſione, cùm ipſum beati Martini corpus ne infidæ illius gentis ſubiaceret iniuriis, Turonis ſubductum fuiſſet: Sancti Gatiani pignora quoque aliò tranſuecta ſunt. Primúmque Maleacum ad fluuium Separim in Pictauia delata fuerunt. At cùm Aquitania vniuerſa crebris Regum Franciæ & Angliæ conflictationibus concuteretur, hinc in Belgicam Galliam tralata, Bethuniæ in aſceterio ſancti Præiecti, rurſúſque hinc Attrebatum aduecta in ſancti Vedaſti famoſo cœnobio depoſita fuerunt: vbi in hunc vſque diem omni cum honore ſeruantur. Caput ſeorſim conditum cum aliquot oſſibus, in vaſe argenteo

deaurato piis ſupplicibus oſtenditur. Ipſo die Senonis in ſanctæ

FLAVITVS. Columbæ cœnobio ſancti FLAVITI Preſbyteri, qui ex Tranquillo vico Trecenſis diœceſis (vnde Haſtingus famoſus ille Dux Danorum primordia duxit) oriundus, Chriſto vt magis intimè hæreret, ſolitariam vitam amplexus eſt: ponéque Marcelliacum eiuſdem tractus pagum cœleſtem vitam auſpicatus, editis diuinæ imitationis factis, excuſſâ mortis ſarcinâ euolauit ad gloriam. Cuius corpus rutilans prodigiis illo in monaſterio colitur. In Metenſi Præſulatu Glanderienſi cœnobio Sanctorum

DIGNVS, BODAGISLVS, & VNDO. Confeſſorum DIGNI, BODAGISLI, & VNDONIS. Qui (vt legitur hac die in Martyrologio ſancti Naboris) *ſub mundano dignitatis habitu conſpicui Chriſti milites, in eius ſeruitute deuoti, & magnis vitæ virtutibus clari, omnique ſanctitate pollentes, in pace quieuerunt.* In horum honorem Sanctorum Bertrandus Epiſcopus Metenſis anno milleſimo ducenteſimo quarto, ſexto Nonas Maij cœnobiticam Eccleſiam de Villa longa ſeu Glanderienſi, Pontificali ritu ſolemniter dedicauit, in qua & horum reliquias, cum aliis ſacratiſſimis pignoribus: nempe de *ligno crucis Domini, capillis ſanctiſſimæ eius Genitricis, dentibus Apoſtolorum Petri & Bartholomæi; cum reliquiis ſancti Matthæi Apoſtoli & Euangeliſtæ, Laurentij Archidiaconi, Sixtique Pontificis, aliorúmque Martyrum, Victoris ſcilicet & Baſilij: necnon beatorum Confeſſorum Nicolai & Martini, Sanctorúmque Conſtantij & Fidentij* venerabiliter collocauit. Ipſo die ſan-

VINIBALDVS. cti VINIBALDI Preſbyteri, diſcipuli ſancti Gregorij Vltraiectini Pontificis, non tam regio ſtemmate, ex quo ortum duxit, quàm Chriſti ſeruitute, pietatis cultu, animarum acquiſitione, ſignorúmque ſtupendorum, quibus cum in vita, tum poſt mortem micuit coruſcatione nobilis: ſicut acta eius ſplendore plena teſtantur. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confeſſorum, atque Sanctarum Virginum.*

Beatiſſima Virgo Maria. FESTVM Annunciationis SANCTISSIMÆ DEIFERÆ VIRGINIS MARIÆ hac die ex priſco more in Hiſpania celebratur. Vnde aduenientes dudum aliquot Monachi Cluniacum, à ſancto Odilone inclyti illius monaſterij cœnobiarcha popoſcerunt, vti ſibi liceret more ſuo hac die ipſam ſolemnitatem peragere. Quod pius Pater iis indulſit. At rem feciſſe eoſdem Dei ingratam, indicio ſuperno innotuit. Eadem enim *nocte* (verba Glabri Hiſtorici ſunt) qua feſtum *ſegregati à cæteris* celebrabant: *viſum eſt nocte eadem duobus ſenioribus loci, quod vnus de Hiſpanis, fuſcina focaria arriperet deſuper altare puerum, dimitterétque illum in ſartaginem prunis plenam, ita clamantem: Pater, Pater, quod tu dediſti iſti auferunt.* Quæ viſio reſerata, antiquam Catholicæ Eccleſiæ quæ vigebat in Gallia obſeruationem, qua Annunciatio Virginis quo contigit die recolitur vigeſima quinta Martij; eáque quæſtio Dei iudicio ſopita eſt, quæ circa hæc tempora inter Galliæ Pontifices orta erat: num ſcilicet congruentius eſſet alio quàm quo conſuetum pridem, erat tempore, tantam celebritatem colere, quæ in Qua-

dragesimam ſæpè ſæpiùs incideret, eóque concurſu minùs ſolemniter exequi poſſe videretur. Cui rationi innixi Toletani decimi Concilij, qui ſub Vitaliani Pontificatu conſederunt Patres, die octauo ante naralem Saluatoris Annunciarionem ipſius beatiſſimæ genitricis canone primo decreuerunt recolendam. Qui mos inde orrus, & propagarus in hunc vſque diem apud pleraſque Hiſpaniæ Eccleſias præualuit. Quæ ramen ne praxi Catholicæ Eccleſiæ pertinacius obluctari viderentur, ſacris anniuerſariis diem vigeſimum quintum Martij proſequunrur: & nihilominns hunc etiam peculiari feſtiuitate colunt · at illum iam multis in locis ſub titulo Annunciationis, iſtum verò ſub nomine Expectationis partus glorioſiſſimæ Virginis Mariæ. Fine placido in Chriſto obdormiuit PETRVS Epiſcopus Attrebatenſis, verus animarum paſtor, & pauperum amator. cui Petrus Bleſenſis inſignem illum tractarum de Transfiguratione Domini (in Gallia iam celebri) dedicauir. Idem ob ſpectatæ prudenriæ & pietatis decus, arbirer delectus eſt cum Guillelmo Remenſi Archiepiſcopo, Simone Abbate de Anchino, & Daniele Abbate Camberonenſi, ad diſſidium componendum quod emerſerat inrer Philippum cognomine Auguſtum Francorum Regem, & Balduinum Comitem Flandriæ per deceſſum Philippi Flandriæ iridem Comiris, pro licitatione & ſeparatione Comitatuum Flandriæ & Artheſiæ. Deinde cùm gregi ſibi commiſſo quicquid poterar curæ & operæ exhibuiſſet, memor vberum maternorum, cupidúſque mortis purè & feliciter obeundæ, abdicaro Epiſcopatu, ſe in clauſtrum vbi ætatem primam exegerat recepir: vbi humilitatis cultor præcipuus, ſacramenris demum piiſſimè ſuſceptis, animam beatam exhalauit, relicto non modica opinione ſanctitatis. Sacratus fuerat Epiſcopus Attrebatenſis Veronæ in Italia ab ipſo Guillelmo Remorum Archiepiſcopo Metropolita ſuo, illic euocato cum aliis Galliæ Præſulibus à Lucio Pontifice anno milleſimo centeſimo nonageſimo primo. Vnde quantum runc vigeret debita à Suffraganeis Metropolitano reuerentia colligere licet. *Petrus.*

Decimo quarto Kalendas Januarij. Luna

19 C II.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	p	q	r	ſ
29	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16

t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P
17	18	19	20	21	22	23	24	23	24	25	26	27	28

NATALIS ſancti CYRIACI Martyris Nicomedienſis, cuius caput delatum in Galliam in famoſo ſancti Huberti monaſterio celebri cultu honoratur. Autiſſiodori ſancti GREGORII Epiſcopi illius ciuitatis & Confeſſoris. Qui poſt Theodoſium primus eam Eccleſiam rexit Dei ſpiritu & virtute plenus, multóque in eius ſtrenuo famulatu fœnore talenti ſibi crediti comparato, poſtquam ſediſſet, imò ſtetiſſet potiùs in aſſiduo munere pietatis annos duodecim, & menſes ſex, ad gaudium tandem properauit, quod emeruerat fideli villicatione, ſempiternum. Ipſo die ſancti BERNARDI Archiepiſcopi Toletani & Confeſſoris: qui Gallus origine ex vrbe Agennenſis de oppido Saluiate, Monachus ſancti Orientij Auſcienſis, congregationis Cluniacenſis, deinde Abbas Sanctorum Abundi & Fa-

SS. CYRIACVS. GREGORIVS. BERNARDVS.

cundi in Hiſpania, ob cœleſtis ſapientiæ & miræ pietatis clara ſpecimina, Toleto ciuitate de Maurorum tyrannide ab Alphonſo VI. Rege Caſtellæ & Legionis recuperatâ: eodem Rege petente, primus Toletanus Archiepiſcopus & Hiſpaniæ Primas ab Vrbano Papa ſecundo Cluniaci quoque alumno creatus, hac die anno milleſimo nonageſimo quinto Rege, Regina, Proceribus, ac vniuerſo populo præſentibus, eiúſque electionem approbantibus communi gratulatione: qua cùm inauguratum illum viderunt Pontificem Chriſtum antea exulem ſibi reducem datum cernere cenſuerunt. Venienti autem Vrbano præfato in Galliam, patriæ amator, at magis boni publici Eccleſiæ, feſtinus occurrit ipſe Bernardus, Concilióque ab eo Pontifice Claromonte celebrato, pro ineundis Chriſti regni aduerſus Turcas vindiciis, interfuit: eidémque Pontifici ſummo adſtitit, Eccleſiam Maioris monaſterij in Turonibus ſexta Idus Martij, & baſilicam ſancti Saturnini Toloſæ nono Kalendas Iunij, anno milleſimo nonageſimo ſexto dedicanti. Deinde ad ſedem reuerſus quicquid Apoſtoli in docendis, regendíſque populis præſtabant zelo, doctrina, ſanctitate exhibuit. Ad extremum cùm annos quadraginta quatuor ſediſſet, interímque rem Eccleſiaſticam mirabiliter auxiſſet, populum ſuæ clientelæ creditum in fide confirmaſſet, exemplis ac monitis permultos ad viam veritatis reduxiſſet: bonis operibus ad cumulum locupletatus, & miraculis coruſcans in Chriſto, cui ſeruire vnicè ſtuduit, feliciter obdormiuit, in ſortémque Sanctorum beatam receptus, eorumdem catalogo pro meritis, ſedis Apoſtolicæ iudicio adſcriptus eſt. Huic beato viro eodem tempore Cluniaci inter monachos aſceta cognominis inclaruit, vir iuſtus, ſanctus & timoratus, cui ſanctus Dionyſius Areopagita apud Nongentum apparens, ſancti Hugonis Cluniacenſis Abbatis, vt ad obitum feſtinaret admonuit: quò cùm ſegniùs pergeret, beatus ille Cœnobiarcha defunctus eſt, ac in ſpiritu non funus quidem illius, ſed proceſſum ad gloriam BERNARDVS iſte conſpexit: mirúmque eius triumphum, & quæ monita ab eo perceperat renuntianda Pontio eius ſucceſſori, aſcetis ex ſerie intimauit: dictíſque vt fidem faceret, poſt triduum vt prædixerat ſomno quietæ mortis exceptus eſt. Aureliis beati ADIVTI Abbatis prophetiæ ſpiritu illuſtris. Leodij repoſitio corporis ſancti LAMBERTI Epiſcopi & Martyris ab Alberone Præſule reuerenter peracta. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confeſſorum, atque Sanctarum Virginum.*

BERNARDVS alius.

ADIVTVS.

LAMBERTVS.

VRBA-

VRBANVS Papa V. qui genere Aquitanus prouincia Toloſana, Grimaldi militis filius, ex oppido ditionis paternæ Griſaco, diœceſis Mimatenſis ortus, Dectetorum & ſacræ Theologiæ Pariſiis Doctor, ex monacho Cluniacenſi, primùm Abbas ad ſancti Germani Autiſſiodorenſis, deinde ſancti Victoris Maſſiliæ eiuſdem congregationis: poſtremò abſens & non Cardinalis, ob incomparabilis probitatis & raræ ſapientiæ perſpicua inſignia, Auenione omnium Patrum purpuratorum ſuffragiis anno milleſimo trecenteſimo ſexageſimo ſecundo, quinto Kalendas Nouembris ſupremus Eccleſiæ paſtor acclamatus, eò veniens octaua Idus eiuſdem menſis conſecratus, ſimúlque coronatus fuit. Móxque à Chriſti honore Pontificatum auſpicatus, contra Turcas expeditionem parauit, crucem prædicari fecit. Ad quod pium opus vt fideles efficacius excitatet, his veniam non modò noxarum indulſit, ſed beneficio vſus temporalis ſubſidij, antiquam decimam beneficiorum, ad medietatem, quam clericos habere voluit pro integra, reduxit. Regni Chriſtianiſſimi amator, cuius alumnus erat, & in quo præcipuum eſſe ſitum bene ſciebat Eccleſiæ fulcimentum, contra Regni Francorum inuaſores, eorumdémque receptores & fautores, anathemata horrenda fulminauit: ſuíque decreti diploma ad perpetuum regni munimen, ad Carolum Regem nuncupatum Sapientem, multa cum paternæ dilectionis ſignificatione miſit: (quod in regio theſauro Pariſiis repoſitum hodiéque extat,) eiuſdémque apographum Cluniacum ad inſerendum ſcriniis, fecit deferri. Ad hunc Pontificem ſanctiſſimum ſancta Brigitta Chriſti iuſſione profecta, regulæ ſuæ confirmationem petens, poſtulata obtinuit. Cæterùm Vrbanus quatuor habuit ordinationes, in quibus creauit Cardinales quatuordecim, Epiſcopos videlicet tres, & Preſbyteros vndecim. Cúmque gregis Dominici curam annis octo menſem vnum, & dies ſeptemdecim ſtrenuè geſſiſſet, ab iis qui tantæ virtuti & gloriæ inuidebant intoxicatus, puram à ſæculi contagio animam Chriſto, cuius vices omnium obſeruantia religionis & iuſtitiæ obierat, feliciter reſignauit. Mortuus eſt Auenione in domo Angelici Cardinalis Albanenſis Epiſcopi, decimo quarto Kalendas Ianuarij anno ſalutis milleſimo trecenteſimo trigeſimo. At verò cadauer eius Maſſiliam deportatum, & in Eccleſia ſancti Victoris cuius Abbas fuerat ſepultum, ſanctitatis eius clara indicia prodidit. Ob quæ diuinæ eius beatitatis indicia, & vitæ piiſsimæ conſpicua merita, Apoſtolica authoritate Canonizationis eius proceſſus inchoatus, at propter ſchiſmata paulò pòſt ſuborta intermiſſus, quominus iam albo Sanctorum inſcriberetur, obſtaculo fuit. Eodem die beatus HILDEBERTVS Archiepiſcopus Turonenſis, magna Eccleſiæ columna & ſonora Chriſti tuba, cuius teſtamentum æternum indelebilibus paginis propugnauit, felici ſomno beatæ mortis conſopitus, ad cœleſtis regni migrauit honores. De hoc quidem iure vſurpari poteſt inſigne id quod dudum ſanctus Hieronymus de beato Cypriano elogium publicauit: *tanti ingenij ſuperfluum eſſe indicem texere, cùm ſole clariora ſint eius ſcripta*, ſed non minùs fuit paſtorali zelo, ſacerdotali vigore, puritate vitæ, religionis cultu, iuſtitiæ ſtudio, patientiæ merito, atque omnis ſanctimoniæ gratia conſpicuus & nobilis.

Vrbanus V. Papa.

Hildebertus.

Decimo tertio Kalend. Ianuarij. Luna.

20 D I.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
18	19	20	21	22	23	24	25	24	25	26	27	28	29			

SS. THOMAS. VRSICINVS. VIGILIA ſanćti THOMÆ Apoſtoli. Luxouij in Burgundia ſanćti VRSICINI Monachi, diſcipuli ſanćti Columbani, integritate carnis & mentis puritate ac ardore inſignis. Ipſo die IVLIVS. Geldubæ ad Rhenum natalis ſanćti IVLII Martyris, qui profeſſione miles, quòd ſacrificare dæmonibus recuſaret, Chriſti Domini fide quam profeſſus eſt, præclarè aſſerta, profuſo ſanguine palmam victoriæ retulit, & gloriæ coronam. Eodem die PTOLOMÆVS & ſocij. Maclouiopoli ſanćti PTOLOMÆI Martyris & ſociorum, qui hodie Alexandriæ inito pro pietatis cauſa fortiſſimo certamine, omni contempta pœnarum acerbitate, trophæum Chriſto Domino illuſtriſſimum ſuo agone pepererunt. Horum aliqua pignora ad venerationem hinc tranſvećta in Galliam, Maclouiopolim quam decorauerunt ciuitatem, ipſis etiam Martyribus mutuo ex iure oppignerationis & charam & deuotam reddiderunt. Apud Andainum cœnobium in Arduenna HVBERTVS. repoſitio ſanćti HVBERTI Epiſcopi & Confeſſoris, miraculis præclariſſimi. Nam ad eius tumulum qui vndique confluunt cum fide & mente pura, ipſum in ſuis neceſſitatibus præſentem opitulatorem in dies experiuntur. At qui ſe benignum Patronum præbet piis cultoribus, ſeſe deſertoribus rećtæ fidei, & ſuæ ſacræ memoriæ profanatoribus, vltorem itidem oſtendit formidabilem. Cuius rei exemplo eſt, quòd anno milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſecundo, ibidem contigit diuinæ in impios vltionis teſtimonium. Cùm enim tunc Hugonotæ ſanćtorum locorum direptores, ex Gaſconia inuolantes in Belgium, in Andainum Monaſterium, vbi ſanćtus Hubertus magna cum gloria quieſcit, irrupiſſent: veſanáque rabie iniećtis flammis, omnia quæ incendium non abſumpſerat effregiſſent: vbi in locum inſilierunt, quo ſanćti Pontificis corpus aſſeruabatur, protinus ad ſacrarij aditum aoraſia percuſſi, ínque media luce obcæcati, vltricem Dei manum ſentientes, exterriti, confuſi pedem præcipites è ſacro loco retulerunt, atque in varias turmas diſperſi ſanćti

virtutem, cuius impiè honorem violare attentauerant, vel inuitè agnouerunt. Eius igitur corpus pretioſum, tot mirabilium Dei operum inſtrumentum, ibidem hodiéque in omni veneratione conſeruatur, & in dies piis clientibus opem impertit ſalutarem. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confeſſorum, atque Sanctarum Virginum.*

CHRISTIANVS piæ memoriæ Epiſcopus Toloſanus, hac die depoſita mole carnis, ſpiritum præclaris ornatum meritis ad patriæ ſupernæ amœnas ſedes tranſmiſit. Fuerat primùm Monachus Eleemoſynæ, hinc Abbas Coroneti ordinis Ciſtercienſis. Poſtremò inuitè ad Toloſanum Præſulatum euocatus, virtutum decora quibus copioſè præſtabat mirificè ampliauit, documentis & exemplis ſanctiſsimis gregem ſuum informauit, deſtruxit hæreſes, fidem Catholicam fortiter aſtruxit & prouexit. Cleri abſterſit næuos, atque multos è populo ad ſemitas iuſtitiæ & ſolidæ pietatis reduxit. Tanta merita quæ toto Epiſcopatu coaceruauit, cùm omnibus amabilem & venerandum præſtitiſſent: tandem etiam Deo acceptiſsimum, ad eius vſque beatum conſpectum & ſempiternæ felicitatis vſuram, cuius dignus erat, euexerunt. *Christianus.*

Duodecimo Kalendas Januarij. Luna

21 E *

a	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	p	q	r	ſ
2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18

t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P
19	20	21	22	23	24	25	26	25	26	27	28	29	1

NATALIS ſancti THOMÆ Apoſtoli. Hic poſt acceptum Spiritum ſanctum, Euangelica prædicatione multas prouincias peragrauit. Primúmque ab Oriente has in oras profectus, Belgicam Galliam prima luce diuinæ agnitionis illuminans, Argentorati, & Vltraiecti fidem Chriſti ſalutarem annunciauit, relictíſque ibi felicis ſui acceſſus ſplendoribus, qui in primis illic erectis, pridémque ipſi ſacris baſilicis etiamnum rutilant: quòd videret intenta Petri Paulíque primorum Apoſtolorum ſolicitudine Gallias præoccupatas, Euangeliſtis exuberare, aliò reflectens radios, Parthis, Medis, Perſis, Hircanis & Brachmanis Chriſti nomen prædicauit. Poſtremò ad Indos progreſſus, eos in Chriſtiana religione inſtituit. Vitæ autem & doctrinæ ſanctitate, miraculorumq; magnitudine, cum cæteris omnibus ſui admirationem, & Ieſu Chriſti amorem commouiſſet, illius gentis Regem idola colentem vehementiùs ad iram accendit, cuius ſententia damnatus, teliſque confoſſus, demum lanceæ tranſuerberatus mucrone, Calaminæ (quæ nunc Meliapora eſt in India Orientali, S. Thomæ vrbs vulgò nuncupata) Apoſtolatus SS. THOMAS.

RRrr ij

honorem martyrij corona ampliauit. Cuius corpus Edeſſam in Meſopotamia ad Euphratem tranſlatum, prodigiorum fulgoribus toto orbe reſplenduit, omniúmque nationum populos ad ſui venerationem traxit. Cæterùm cùm Galli, (qui Occidentalibus populis, zelo ſacratiſſimæ redemptionis noſtræ loca vindicandi, à Saracenorum iugo & profanatione, præluxerunt:) in Orientem ſæpe ſæpius vltricia arma detuliſſent, Edeſsâ ſubiugatâ, hinc ſancti Thomæ reliquias nonnullas ad patriæ decoramentum & præſidium plerique proceres adferre ſtuduerunt, quæ auſpiciis diuinis in Gallias delatæ, ſancti Thomæ memoriam inſigniori cultu illuſtrârunt. In his ſacratiſſimis pignoribus brachij fruſtum eminuit, quod Carnuti repoſitum in auguſtiſſima antiquiſſimáque ſanctæ Deigenitricis baſilica, ibidem in hunc vſque diem pretioſo adornatum ferculo aſſeruatur & colitur. At longè antecellit omni theſauro illud præclariſſimum munus, quo Ioannes Dux Biturigum regale templum ſancti Dionyſij in Francia decorauit ac ditauit. Manus eſt nimirum illa veneranda, qua beatus ille Apoſtolus Chriſti latus adorandum attrectauit, vt tactu huius vulneris, mentis incredulæ quæ rediuiuum crucifixum fateri renuebat, vlcus, felicem confuſionem perpeſſus, feliciori edita confeſſione excuteret. Cernitur ipſa Apoſtoli manus in grandi Lipſanodochio argenteo, auratóque & gemmato, cincto duobus proceris Angelorum ſimulachris, fultóque quatuor columnis, quibus faſtigium nititur ſpecioſum. Sub cryſtallino operculo conſpicitur decenter compoſita Apoſtolica illa dextra, digito ſolo exporrecto, quem in latus Domini ipſo iubente immiſit. Cui digito Pontificalis hæret annulus ſapphiro ingentis & eximiæ pulchritudinis micans: hæret autem cæteris digitis hæc epigraphe. *Hic eſt manus beati Thomæ Apoſtoli, quam miſit in latus Domini noſtri* IESV *Chriſti.* Imminent verò ſpectabilis illius ſtructuræ colophoni, tres ſacræ ſpecioſiſſimæque imagines. Ad læuam ſcilicet ſtat ſancti Ioannis præcurſoris ſolida effigies, quam à dextra conſiſtens reſpicit ſancti Thomæ ſtatua. Media imago poſita eſt ſanctiſſimæ Virginis, Chriſtum geſtantis Dominum, quem ipſa intacta concepit, incorrupta peperit, Ioannes primus cognouit, oſtendit: Thomas denique triumphantem de morte vidit, tetigit, adorauit, ſuúmque Deum & Dominum magnifico piæ vocis præconio confeſſus eſt. Ipſo

SEVERINVS. die Auguſtæ Treuirorum, ſancti SEVERINI Epiſcopi illius ſedis & Confeſſoris, qui calamitoſis illis temporibus quibus aduerſus fideles perſecutor immanis ſæuiebat, ad gregis Chriſti

tutelam admotus, fortiſſimè munus illud impleuit, lupis enim frementibus vndique ſeſe intrepidè obiiciens, quà diuinæ vocis clamore, quà ſignorum ſtupendorum maieſtate, quà vitæ admirabili innocentia, quà denique fortitudinis & patientiæ exhibitione, mortiſque perpetuo contemptu: & impigra impauidáque periculorum oppetirione, rabiem eorum repreſſit: quin & eorum pleroſque ex lupis in oues mutatos gregi ſuo adiunxit. Sicque multiplicatis Domini lucris, aucta religione, prouecta Eccleſia, ciuitate in obſequium pietatis ferè tota traducta, appetens non tam quietis quàm laboris, vocante Domino è ſtadio exceſſit, eámque percepit, quam forti initâ pro grege luctâ, intentáque & fideli eiuſdem ſpeculatione, emeruerat cœleſtem remunerationem. Ipſomet die Vltraiecti ordinario ſancti GREGORII illius ſedis Epiſcopi, Apoſtolici viri, cuius felici migrationi dies ſacer eſt vigeſima quinta Auguſti in Catholicæ Eccleſiæ Diptychis. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confeſſorum, atque Sanctarum Virginum.* Gregorius.

PARISIIS puros oculos in mortem clauſit, imò erexit ad perennem vitam, beatæ memoriæ GVILLELMVS cognomine Bardus, aſceta Cœleſtinus: vir eximiæ pietatis & ſublimis contemplationis. Qui cùm poſt vigilias matutinas, mentem diuinis ſpeculationibus intenderet: Chriſtus in crucem ſuffixus, eâ ſtaturâ & formâ qua erat cùm pateretur, ſe eius oculis obiecit. Hoc eodem die in Grandiſylua cœnobio ordinis Ciſtercienſis Prouinciæ Toloſanæ naturæ debitum ſoluit, vir gratiæ chariſmatibus plenus IOANNES conuerſus, puritate Angelica & ſpeciali in ſanctam Virginem deuotione æternùm prædicandus. Ex cuius ore poſtquam animam emiſit, candidiſſimum lilium, aureis characteribus prima Angelicæ ſalutationis verba exprimentibus decoratum, prodire viſum eſt. *Guillelmus.* *Joannes.*

Vndecimo Kalend. Ianuarij. Luna

22 F xxix.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
20	21	22	23	24	25	26	27	26	27	28	29	1	2			

TOLOSÆ ſancti HONORATI Epiſcopi ſecundi illius ſedis, qui triumphatori Saturnino digna vice ſuffectus, gregem, atroci pugna quâ victor occubuerat ſtrenuus ipſe paſtor Saturninus, exterritum & diſperſum, ſuam in curam ſuſcipiens, blandis vocibus recollegit, forti clientela muniuit, vberi pabulo recreauit. Honeſtíque Preſbyteri Apoſtolicæ virtutis, qui Saturnini præcipuus cooperarius fuerat potenti ſuffultus ſubſidio, mi- SS: Honoratus.

ra naſcenti huic Eccleſiæ incrementa indidit. Firminum ab ipſo Honeſto educatum, aptúmque redditum ad excelſa pietatis facinora, ſacris initiauit: atque ad ſubigendas Regi gloriæ Chriſto, efferatas barbaris moribus & ritibus gentes, benedictionis ſuæ præmunitum copiâ, ablegauit. Hinc ipſe in Hiſpaniam excurrens, obuias ciuitates vſque Toletum in fide confirmauit: Toletíque Metropolis Eccleſiam, quam Saturninus pridem curauerat deſolatam reperiens, opportuno ſolatio ſuffulſit, coluit ſedulo pontificio; deinde Pelagio probatæ religionis & doctrinæ viro, commendatam dimiſſámque eiuſdem paſtorali curæ, proprium ad ouile fouendum Toloſam regreſſus eſt: vbi abſoluto curſu Apoſtolicæ diſpenſationis, calcata morte, beatus ad immortalitatem migrauit. Corpus tanti cœlitis in ſancti Saturnini deceſſoris ſui purpurati famoſa toto occidente baſilica, honoro incluſum loculo religioſè obſeruatur: hócque die quo felix eius ſpiritus euolauit ad ſuperos, viſitatur deuoto fidelium concurſu.

BLIDIANVS. Viennæ Allobrogum ſancti BLIDIANI Epiſcopi & Confeſſoris, multarum virtutum laude clari, qui Deodato notæ ſanctimoniæ Præſuli, abſtemio, meritis ſuffragantibus ſurrogatus, Theodoſio faces Imperij ſuſtinente, Francorum Monarcha, Clodouæo iuniore, ſubindéque fratre eius Childeberto: cœleſtis doctrinæ prædicatione, vitæque admirabilis exemplo, populum ad cœleſtia erexit: Eccleſiáque ſua egregiis inſtitutis imbutâ & ſanctè adminiſtratâ, feliciſſimè è carne exceſſit.

HVNGERVS. Vltraiecti ſancti HVNGERI Epiſcopi, ſancti Ludgeri æqua ſuffragatione ſucceſſoris, qui vir pius, prudens, pacificus, his diebus illam Eccleſiam rexit, quibus Normani, claſſe Hollandiæ applicata, vrbem Vltraiectenſem, clade immani proſtratis mœnibus, euerſis propugnaculis, domibus incenſis, interemptis ferè ad internecionem ciuibus, deuaſtârunt. Qua è ſtrage Hungerus, qui paſtoris boni animo extrema quæque diſcrimina oppetierat, anxiè tandem cum paucis Canonicis fugiens, ad Lotharium Imperatorem, Pij Ludouici filium, Prumiæ tum agentem ſe recepit. Qui princeps miſericordia motus, huic beato Pontifici, ſacríſque eius aſſeclis monaſterium montis Odiliæ conceſſit, vt ibi à Danorum incurſione immunes quietè conſiſterent, diuiníque nominis cultum congrua religione exequerentur. Hic igitur Hungerus Antiſtes, tot fluctibus ſubductus, in tranquillo ceu portu reſpirans, animum penitus cœlo ſubuexit, ieiuniis, orationibus, vigiliis, ſancta prædicatione, lectione, & omni exercitio pietatis, alumnis, clericis vtique ſuis prælucens, donec tædioſo huius vitæ incolatu emenſo, in æter-

næ pacis ſomnum conceſſit, noménque immortale reliquit ex meritis conſpicuæ ſanctitatis. Eodem die Claromonte Aruernorum tranſlatio ſancti VENERANDI Epiſcopi & Confeſſoris, cuius reliquias ſignis glorificationis rutilantes petente *Guidone* Scoto Illidiano Abbate *Arbertus* Epiſcopus, cum ſancti Illidij ſacris lipſanis ad cultum leuauit, atque vna eadémque in theca diſcretim concluſas ſuo annulo obſignauit: parte tamen pulueris illius & oſſium dimiſſa ſub eiuſdem capellæ altari infrà priſtinum eius ſepulchrum factum ſub analogio. Apud Podium Vellaunicum ſuſceptio potioris partis reliquiarum ſancti GEORGII primi illius ſedis Epiſcopi, quas Norbertus eiuſdem Eccleſiæ Antiſtes ex fano ſancti Pauliani Podium tranſuexit, & in ſancti ipſius Georgij titulo conſecrata Eccleſia perpetuò venerandas collocauit. Ipſo die tranſlatio ſancti MARCELLINI tertij eiuſdem Eccleſiæ Præſulis, cuius ſacrum corpus idem Epiſcopus Norbertus ex eodem oppido Meniſtrolium detulit perenni cultu obſeruandum. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confeſſorum, atque Sanctarum Virginum.*

VENERANDVS. GEORGIVS. MARCELLINVS.

SENONIS & in pleriſque Eccleſiis Galliarum ex antiquo more fit hodie feſtum Virginalis connubij ſanctæ MARIÆ & IOSEPH. Piè diem clauſit extremum ROBERTVS Epiſcopus Siluanectenſis, ex Caroli-loci Monacho, vir maximæ humilitatis & conuerſationis ſanctiſſimæ: qui ouium Paſtor idoneus, quandiu vixit Epiſcopale munus moribus & ſcientia magnificè adornauit.

Maria & Joſeph. Robertus.

Decimo Kalend. Ianuarij. Luna

23 G XXVIIII.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20

t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P
21	22	23	24	25	26	27	28	27	28	29	1	2	3

LVTETIÆ Pariſiorum dedicatio baſilicæ ſuburbanæ, in honore ſanctæ Crucis & Sancti Martyris VINCENTII, fundatæ per Childebertum Regem Chriſtianiſſimum, qui redux ab Hiſpania cum triumpho, ſtolam ipſius beati Archileuitæ, quam ex Cæſarauguſta attulerat, necnon minimam vaſorum partem quæ aſportauerat à Toleto, cum capſis Euangeliorum, crucibúſque mirifici operis, aliiſque excellentiſſimis muneribus, ibidem ad cultum Deitatis veneranter repoſuit. Conſecrauit hanc illuſtrem baſilicam ſanctus Germanus Epiſcopus Pariſienſis, cuius hortatu illam Rex ipſe Childebertus regali

SS. VINCENTIVS.

magnificentia ædificauerat. In qua demum ipſe ſanctus Germanus tumulatus iis prodigiis refulſit, quibus illuſtratam Eccleſiam cum cœnobio & ſuburbio, ſuum in titulum & tutelam vendicauit. Lemouicis in Aquitania ſancti ASCLEPII Epiſcopi & Confeſſoris, qui ſancti Lupi perdignus anteceſſor, omne paſtorale ſtudium in conuertendis rectas in ſemitas ouibus intendit, quibus verbo & opere prælucens, cùm vias æternitatis indicaſſet, ad ſupernæ patriæ migrauit beatas quas emeruerat manſiones. Eius reliquiæ in cœnobio ſancti Auguſtini eadem in vrbe debito cultu ſeruantur. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confeſſorum, atque Sanctarum Virginum.*

Ascle-pivs.

Childebertus.

CHILDEBERTVS Rex Francorum Chriſtianiſſimus, filius Clodouæi magni. Ipſe autem verè magnus & maximè pius, vindéxque acerrimus Catholicæ fidei, cuius zelo incenſus magnam Hiſpaniæ partem à Gothis Arianis vi armorum eripuit. Conſtitutionem promulgauit de abolendis idololatriæ reliquiis: Iudæos ex ſententia Concilij Aurelianenſis compeſcuit, vetans ne Iudices aut Telonarij inter Chriſtianos eſſent: item ne à die Cœnæ Domini vſque ad ſecundam Sabbati in Paſcha, hoc eſt ipſo quatriduo, procedere inter Chriſtianos vel Catholicis populis, ſe vllo loco aut quacumque occaſione miſcere præſumerent; & ne vnquam auderent Chriſtiana mancipia detinere. Chriſtianis autem ne cum ipſis Iudæis coniugia iungerent, vel eorum conuiuiis intereſſent. Quique pientiſſimus princeps, religionis affectu colendæ & prouehendæ, quatuor Concilia iuſſit celebrari. Aurelianenſia tria, & Pariſienſe ſecundum, in quibus de fide & moribus ſacráque diſciplina præclaræ ſanctiones ſunt editæ. Idémque omnem verſans animum in ſtudia pietatis, duo inſignia monaſteria, vnum Pariſiis, alterum Arelati, conſtruxit. Xenodochium Lugduni condidit. Ornandis ſui regni Eccleſiis reliquias à Pelagio Papa per Legatos petiit, ſuſceptáſque honorificentiſſimè collocauit. A quo Papa, licet verè Catholico, zelo religionis orthodoxæ fidei, confeſſionem plenam exigere non dubitauit, qua omnem erroris cuius ille inſimulabatur, propulſaret ſuſpicionem. Id enim Rex Chriſtianiſſimus ferre non potuit, vt ſummus Chriſti vicarius, & communis orbis pater, tantilla famæ macula circa fidem, cuius cuſtos eſt præcipuus, laboraret: labéque vlla culpa Antiſtitis, ſedes Apoſtolica inquinaretur, quam *Chriſtianitatis ſtudio, integra veneratione* (vt de eo prædicat immortali præconio Vigilius Papa:) ſedem proſequeretur. Sine cuius authoritate cùm nollet ſuo in regno quicquam circa res Eccleſiaſticas & fidei actitari, vices Apoſtolicas à præfato Pelagio committi ex veteri more Auxanio Arelatenſi Epiſcopo, impetrauit. Déque Romanæ Eccleſiæ matris cæterarum tranquillo ſtatu ac incolumitate ſollicitus, cùm Gothi Romam occupaſſent, Totilæ eorum Regi pias literas ſcripſit, rogans vt ab iniuria quacumque Romanam ipſam Eccleſiam conſeruaret. Cleri autem ſui regni in quo robur religionis ſciebat conſiſtere, idem Rex pius amator cultórque obſeruantiſſimus, dato diplomate iura, immunitates, priuilegiáque omnia confirmauit, eadémque ſacra & illibata ſemper & vbique manere conſtituit. Demum *Princeps clementiſſimus, triumphorum titulis inuictiſſimus, amore feruens ſacræ fidei, & ſtatus religionis:* (quibus nominibus Patres Concilij quinti Aurelianenſis in actorum Synodalium limine, pro meritis patentibus illum cohoneſtant,) piis operibus plenus, vt ad cœleſte abiret terreno regno exceſſit, annóque quadrageſimo nono ſui Imperij, pia morte defunctus, mœrente Clero & populo, quorum communis erat pater, in baſilica ſancti Vincentij Martyris quam fundauerat Pariſiis, digno funere ſepultus eſt. Vbi anniuerſario proprio eius beneficia compenſantur, ex quibus tamen iam

aſſumptum ad ſempiternæ lucis & pacis vſuram, diuina ex æquitate & bonitate haud temerè præſumitur. Vnde perſuaſi nonnulli Sanctorum nomenclatores, fatalem hanc religioſiſſimi Principis diem, non dubitauerunt, inter beatorum natales conſignare. Meminit huius piiſſimi Regis cum elogio inſigni ſanctus Gregorius magnus, nuncupans *Glorioſæ memoriæ Childebertum Francorum Regem, Catholica religionis amore ſuccenſum.* Huius *beati Regis* (ſic enim inſcribitur in Programmate conſtitutionis, quæ recenſetur ab eo edita,) pro abolendis reliquiis idololatriæ, & ſacrorum dierum feſtiuitatibus caſtè celebrandis:) digna coniux fuit VLTROGOTHA pientiſſima Heroina: quæ in geſtis S. Bathildis ante mille annos conſcriptis, nutrix orphanorum, conſolatrix pupillorum, ſuſtentatrix pauperum, atque adiutrix fidelium monachorum, fuiſſe memoratur. Cuius & pietatem ac deuotionem ſingularem ſanctus Gregorius Turonenſis libro primo de gloria Confeſſorum multa commendatione prædicans, ad eius preces fuſas multo cum gemitu, & mira fide & reuerentia ad ſancti Martini tumulum, tres cæcos prodit fuiſſe illuminatos. Sepulta eſt pia illa Regina pone inclyti beatique viri ſui mauſoleum, in ſuburbicaria baſilica Pratenſi. Tametſi & ipſa ad alteram Sequanæ crepidinem, aliam extruxerit inſignem Eccleſiam, quam eodem titulo beati Martyris Vincentij, quo Childebertus ſuam decorauerat inſigniuit. At vtriuſque iam nuncupatio pridem mutata. Hæc ſancti Germani Autiſſiodorenſis: illâ Pariſienſis inuocatione conſignatâ. In Auſtraſia colitur hodie beata memoria DAGOBERTI Francorum Regis Chriſtianiſſimi, in villa Spinogillo ad Sequanam decima nona Ianuarij defuncti: atque poſt mortem è manibus dæmonum per Sanctos erepti, quorum ipſe præcipuè Eccleſias ornauerat. Multas enim ſacras ædes & cœnobia Rex iſte pius conſtruxit, & moriens Eccleſias Galliæ patrimonij ſui fecit hæredes. Sui æui pios quoque viros & Epiſcopos, maximè ſanctos, magna veneratione coluit. A quibus de peccatis reprehenſus, meliorem ad frugem reuerſus eſt: eâque in poſterum vixit caſtimonia & religione, vt pietatis plenum nomen & non minimam opinionem ſuæ ſanctitatis poſteris reliquerit. Sepultus fuit in Eccleſia ſancti Dionyſij in Francia, quam ex voto magnificè extruxerat.

Vltrogotha. *Dagobertus.*

Nono Kalend. Ianuarij. Luna

24																A XXVII
a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
22	23	24	25	26	27	28	29	28	29	1	2	3	4			

VIGILIA Natiuitatis Domini noſtri IESV Chriſti. Burdegalæ ſancti DELPHINI Epiſcopi illius Metropolis & Confeſſoris glorioſi, Sanctorúmque præconiis Ambroſij Mediolanenſis, & Paulini Nolani celebratiſſimi. Quem poſtremum ortu Aquitanum, adeóque Burdegalenſem, Chriſto per baptiſmum progenuit: atque ſacris initiatum, Barcinone permiſit preſbyterum ordinari. At vir ſanctus non huius potiſſimum meritis vel ſcriptis inclaruit, ſed propriæ magis gratiæ & virtutis inſigniis, quibus ſuo æuo præcipuis Eccleſiæ luminibus ac columinibus compar, vti Euangelica lucerna ardens, lucénſque ſuprà candelabrum poſita, longè latéque ſplendorem Euangeli-

SS. Delphinus.

cæ ſapientiæ & Apoſtolicæ virtutis effudit. Vnde erumpentibus longè extra Gallias glorioſi eius nominis radiis, vix quicquam magni momenti in Eccleſiis occurrebat, ad quod examinandum vel conſtituendum eius præſentia & opera non deſideraretur. Qua & ratione ab Epiſcopis Hiſpaniæ Cæſaraugustæ ad Priſcillianitarum cauſam diſcutiendam, conuenientibus ad Concilium, cum aliquot Aquitanicæ Galliæ præſtantiſſimis fide, doctrina, pietate Præſulibus, inuitatus, ea præſtitit conſilio & auctoritate, in fide & iuſtitia tuenda, profligandáque hæreſi & improbitate, quæ ſanctiſſimus idémque ſapientiſſimus Epiſcopus potuit ac debuit impendere. Lata ibi in abſentes damnationis ſententia eſt, quòd Hæretici Saluianus, Helpidius, Priſcillianus & Inſtantius, tam incorruptorum cognitorum ſeſe committere non auſi ſunt iudicio. Porro *Gratiani* Imperatoris interueniente reſcripto, quo vniuerſi hæretici, excedere non Eccleſiis modò aut vrbibus, ſed extra omnes terras propelli iubebantur. Tum Priſcillianus (quem interim Abulenſem Epiſcopum Sectarij creauerant) Saluianus, Inſtantiúſque Romam proficiſci ſtatuerunt, vt apud Damaſum ſummum Epiſcopum obiecta ſibi crimina purgarent. Horum iter per inreriorem Aquitaniam fuit, vbi ab imperitis tum magnificè ſuſcepti, ſparsêre perfidiæ ſemina: maximéque Eluſanam plebem ſanè tum bonam & religioni ſtudentem, prauis prædicationibus peruerterunt. Hinc cùm fuiſſent Burdigalam progreſſi, ad virus ſuum diffundendum, per Delphinum vigilantiſſimum ſui gregis cuſtodem, fortiter ab ouilis ingreſſu repulſi ſunt. Quamobrem ad iter perſequendum compulſi, ocyus inde diſceſſerunt. Porro Delphinus paſtoris boni munia inſtantiùs executus, qua præditus erat cœleſti facundia ciuium ſuorum animos ad cultum ſyncerum numinis, contemptum temporalium, & æternorum deſiderium admodum inflammauit. Prodidit Paulinus veridico, paſsímque vulgato de eodem encomio, ipſum beatum Præſulem non modò Patrem, ſed & Petrum, gentilibus ſuis eſſe factum, qui ſedulo mitteret hamum ad illos profundis & amaris huius ſæculi fluctibus extrahendum, vt captura ſalutis efficerentur : & cui viuebant, naturæ morerentur, & cui erant mortui Domino viuerent. Ea cùm diuina polleret virtute ſanctus Antiſtes, mortuo Gratiano, edictum à Maximo, qui Imperium per illius necem inuaſerat, emanauit: quo Priſcilliani tot motus per hæreſim & noua facta cientis, in Epiſcopali iudicio cauſam diſquiri iterum iubebatur. At quòd Delphinus eminentia doctrinæ & ſanctitatis in Epiſcopatu tunc antecelleret; ideo vt Epiſcopos Burdiga-

Iam confluerent, quatenus ſub tanti Pontificis perſpicacibus oculis res tranſigeretur, mandatum eſt. Conuenère eò libenter orthodoxi Epiſcopi, Priſcillianúſque & Inſtantius eodem deducti ſunt. Et Inſtantius quidem prior cauſam dixit, qui poſtquam ſe expurgare non valuit, indignus Epiſcopatu pronunciatus eſt. Porro Priſcillianus ſe damnandum intelligens, ad Imperatorem Maximum prouocauit. Sic ſoluta eſt Synodus, in qua ſi omnes Iudices ea conſtantia ac ſolertia qua Delphinus (cum beato Martino qui eidem Concilio interfuit) ſe habuit, perſtitiſſent, nec Epiſcopali iudicio elapſus fuiſſet vafer hæreticus, nec traducta ad ſæculare tribunal cauſæ Eccleſiaſticæ cognitio, nec violata peſſimo exemplo ipſius Eccleſiæ auctoritas, nec cruenta ſontium animaduerſio quæ inde ſecuta eſt, magno totius orbis ſcandalo contigiſſet. Cæterùm ſanctus Antiſtes Delphinus, tot feſſus piis laboribus, quibus Dei gloriam, Eccleſiæ decus, fidei integritatem, errorum excidium, pietatis augmentum, morum puritatem, diſciplinæ vigorem, iuſtitiæ cultum, templorum ornatum, animarum conuerſionem, ſemper curauit & prouexit, ad deſideratam emeritámque abiit piè factorum retributionem. Vtque in cœlo pro meritis æterna donatus eſt gloria, ſic in terris eius memoria tot coruſca titulis ſanctitatis, debitos honores ſuæ beatitudini percepit. Nam ſacris tabulis Eccleſiæ iudicio adſcriptus, perpetuam exhinc conſecutus eſt nominis venerationem. Treuiris in monaſterio ſanctæ Mariæ Virginis de Horreo depoſitio ſanctæ IRMINÆ Virginis filiæ Dagoberti Regis, qui cùm ipſam abhorrere à nuptiis, nihílque quàm caſtitatis cultum & Chriſti obſequium ſpirare conſpiceret, fouendo in ea cœleſti ſemini gratiæ affectu fauens pietatis, locum illum eidem conceſſit, extruxit tegularibus ædibus, cenſúque copioſo ditauit. Huic igitur quem ſacratum eſſe voluit ſanctiſſimæ Virgini Mariæ, Chriſti amore & ſtudio puritatis ſe Irmina concluſit, vbi multis ſacris Virginibus adunatis, quibus ob vitæ meritum Abbatiſſa præfecta eſt, ita ſe Chriſti dignam ſponſam reddidit, vt in ipſa vigilia eius natalis, meruerit ei cum accenſa lampade fidei, caſtitatis & perfectæ charitatis occurrere, à quo ad optatas admiſſa nuptias, regnum cœlorum feliciter ingreſſa eſt. Fuit beatiſſimæ huic Virgini germana ſoror ex vtroque parente nomine ADELA, quæ eius exemplo Chriſtum ſponſum eligens, omnem pompam terreni principatus, pro diuino eius amore contempſit, & poſtmodum in eo cœnobio quo ſanctus *Rodoaldus* Treuirorum Antiſtes in palatiolo conſtruxit, prima Abbatiſſa conſtituta, ſororis cuius egregia fuit imitatrix in terris,

IRMINA.

ADELA.

beata meruit in cœlis fieri, eiuſdem glorificationis ſocia. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confeſſorum, atque Sanctarum Virginum.*

Petrus. *Anaſtaſia.* In Sauigniacenſi Eremo numerum dierum feliciter impleuit Petrvs Monachus, qui poſt mortem inrer Angelorum choros S. Aymoni glorioſus & ouans apparuir. Irem Rameyæ in Brabantia beata Anastasia Virgo, ob diuinæ viſitationis patienter tolerata flagella, in gloria cœleſti purpura qua rubent Martyres decorata, quo ornatu rutilans ſanctæ *Ida* de Niuella, diuino viſu emicuit.

Octauo Kalend. Ianuarij. Luna

25 B xxvi.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22
t	u	A	B	C	D	E	'f	F	G	H	M	N	P			
23	24	25	26	27	28	29	30	29	1	2	3	4	5			

SS. Christvs Saluator natus.

Nativitas Domini noſtri Iesv Christi ſecundum carnem, qua ipſe æternus Deus, æterníque Patris filius, hebdomada (vt eſt in prophetia Danielis) ſexageſima tertia, ſexta mundi ætate, compteſſis cunctarum per orbem terræ gentium motibus, pacéque à Cæſare Auguſto ſuperna ordinatione vbique compoſita, mundum volens ſuo aduentu conſecrare, ſubleuare omni miſeria, & benedictione plena ſempiternáque cumulate, immenſos illos & inaſpectabiles diuinitatis radios, leuiſſima veluti corporis nube refringens, & in hac primi parentis argilla, non colores apparentis gloriæ impreſſos, ſed ſeipſum luteo noſtræ mortalitatis ergaſtulo concluſum, terris exhibens, ad ſe homini penitus infundendum, hominémque ſibi quem æternùm bearet inuiolabili nexu copulandum, in Bethleem Iudæ, de Spiritu ſancto ex Maria Virgine naſci dignatus eſt, factus homo. Hunc itaque diem (nam noctem qua illuxit, perennem conuertit in lucem Sol ille diuinus) meritò Apoſtoli præcipua docuerunt veneratione colendum, quo depulſis diaboli tenebris, ſempiternum vitæ lumen iacenti homini in vmbra mottis affulſit: denique qui ceciderat excitatur, qui victus erat aſſurgit, qui vinctus erat ſoluitur, qui captiuus erat liberatur, qui abiectus erat recipitur in gratiam, qui eiectus erat reuocatur ad gloriam, qui mortuus erat redit ad vitam, qui in ſeruitutem abductus fuerat regni dignitatem aſſequitut. Atque de infetorum faucibus ad cœlorum euectus regnum, in *terram viuentium* reuertitur. Initium enim horum omnium bonorum nobis

nobis fuit iſte dies: qui Chriſti ortus gratiâ, omnia quæ ſubinde in vita & morte ſua ipſe redemptor nobis impertitus eſt, beneficia comprehendit. Quem ideo Patres Gallicani triumphali ipſius Domini reſurrectioni vti initium fini æquiparantes, pari pet omnia religionis decreuerunt obſeruantia honorandum, pari ſolemnitate exequendum, non inæquali deuotione tranſigendum. Adeovt in Synodo Agathenſi indelebili lege præceperint, laicos omnes in hac celebritate diuino altari communicare: quotquot autem à menſa Domini abfuiſſe conſtaret, iſta die, deinceps inter Catholicos minimè eſſe habendos. Ipſo die Claræuallis APPARITIO DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI. Quem ſanctus Bernardus ſingulari priuilegio gratiæ, meruit per reuelationem, eadem noctis hora qua Verbum caro factum, è Virgine intemerata prodiit, vti recenter natum, pannis inuolutum puerum; ipſámque beatiſſimam eius genitricem Mariam cum Ioſeph Iuſto, præſepio aſſiſtentem, feliciſſimo ſpectaculo conſpicere. Quo ex perſuaui viſu, mellifluam illam fertur hauſiſſe facundiam, quam in ſcriptis ſuis perenniter effundit, illúmque delibaſſe ſpiritum pietatis, quo & nati pueri cecinit ortum, & ſanctiſſimæ eius genitricis myſteria & laudes enarrauit. Ipſomet die Cluniaci ſancti PETRI Cœnobiarchæ cognomento Venerabilis, viri fide, moribus, doctrina præſtantiſſimi. Hic Aruernus nobilis, ab ipſis infantiæ cunis, à parentibus ſuis Deo ſub monaſtica obſeruatione militaturus oblatus, à ſancto Patre Hugone iam vergente ad occaſum, regulari benedictione inſignitus eſt. Poſtea pietate & ſcientia ſingulari enitens; tempore Pontij Abbatis Cluniacenſis, Prior Viziliacenſis factus, quà præſtaret prudentia & religione eo in regimine prodidit. A quo, excedente ab humanis Hugone ſecundo Abbate, à grauiſſimis archimonaſterij Cluniacenſis, qui tum erant monachis, Pater ac præſes tanti ordinis, generali conſenſione acclamatus, eodem die qui Octauæ aſſumptionis ſanctæ Virginis ſacer erat, à Veſuntionenſi Archiepiſcopo benedictionem Abbatialem conſecutus eſt. Suſcepto regimine humilitatis præcipuæ cultor, & ſanctimoniæ magnificus cuſtos & ſedulus propagator illuxit. Inceſſu grauis, ſermone maturus & ſuauis, moribus mirè compoſitus, ſtatura conſpicuus, gratia plenus, omnibus exemplar honeſtatis, caſtimoniæ, & modeſtiæ monaſticæ præferebat. Tametſi verò vultu quamdam ſeueritatem proderet, nihilominus plurimum in miſericordiam propendebat: vnde in corripiendis vitiis plus

EIVSDEM DOMINI NATI APPARITIO.

PETRVS cognomẽto Venerabilis.

officium præſtitit patris quàm iudicis, plúſque clementiæ quàm cenſuræ adhibuit. In ſuſcipiendis pœnitentium confeſſionibus, ſingularem ſuo tempore gratiam obtinebat: hoc enim ita ſe gerebat in munere, vt potiùs ſua flere & curare, quàm aliena detegere & purgare vulnera videretur. Porro cùm in pace vir iſte ſanctus Cluniacum regeret, grauis procella in ipſum intonuit, agente Pontio pſeudo-Abbate, qui onus Præfecturæ abdicatum repetere ſatagens, Cluniacum inuaſit, monachos vexauit atque diſperſit, ſacra monilia diripuit, villas ac caſtra monaſterij deprædatus eſt. In hac incurſione quæ mala paſſus eſt beatus Petrus, ſtylo nemo poſſet facilè exprimere, quæ potiùs lachrymis quàm verbis ipſemet ſignificauit: dedit tamen ſeruo ſuo Deus *de tentatione prouentum*: qui tanta vexatione patienter toleratâ ac fortiter tandem ſuperatâ, non modò domui redintegrandæ, ſed Eccleſiæ quæ periclitabatur pſeudo-Doctorum peſtiferis dogmatibus iuuandæ, propugnandæque Catholicæ religioni, ab his cùm palam, tum per cuniculos impetitæ animum intendit, ſtylúmque, quo haud minùs quàm eloquio valebat aduerſus eorum nequitias, potenter exeruit. Hinc prodière clara ac erudita illa ſcripta, non ſolùm quæ aduerſus Mahumetis pſeudo-Prophetæ impia commenta, Iudæorúmque deſperatam perfidiam contexuit: ſed & quæ contra Petrobruſianos Chriſti teſtamentum euacuantes, totámque deturpare nitentes Eccléſiæ faciem, magno ſpiritu fidei & ſapientiæ exarauit. Non perſtrinxit calamo Petrum Abaillardum à pietatis norma & placitis Eccleſiæ delirantem, ſed ſuaui monitu ad ſaniorem mentem & rectum fidei tramitem reduxit: éxque ſuperbo humilem, ex contentioſo quietum, ex leui modeſtum, ex indiſciplinato religioſum ſuo magiſterio reddidit, defunctúmque in perſeueranti pœnitentia more pio funerauit, epitaphióque præclaro honorauit. Mirè grata fuit ſancto Bernardo tam optata quàm minùs ſperata ipſius Abaillardi conuerſio, quem interueniente ipſo Petro Venerabili ſibi charitate coniunctiſſimo, paulò ante obitum in gratiam recepit. Nemo fuit cui viuenti magis huius ſancti Abbatis merita, raráque doctrinæ & ſapientiæ inſignia, quàm beato ipſi Bernardo fuerint conſpecta, qui eumdem dum ſcribit ad Papam Innocentium, miris laudum commendationibus attollit: vas prædicat in honorem, plenum

gratia, & veritate refertum: qui ab introitu ſuo ordinem in melius promouerit, in obſeruantia ieiuniorum, ſilentij cuſtodia & modeſtia veſtium. Vnde quòd humilitatis affectu, exemptionem ab onere paſtorali petitum ire à ſede Apoſtolica ſuſpicaretur: obſecrat ipſum Pontificem Bernardus, tam vtilem monaſtici huius ordinis rectorem, ne munere exoneratum remittat. Rediit igitur ab Apoſtolorum liminibus Petrus cum onere, & Pontificia benedictione: redúxque maiori quàm antea ſolicitudine, zelo, pietate, officio inſudauit. Hoc tempore erant Cluniaci ſub eius diſciplina quadringenti monachi magnæ ſanctitatis. Quorum quidam habitabant in ſyluis cœnobio proximis, inter quos ipſe Petrus frequens conuerſabatur. Horum habitaculis erant capellæ Sanctorum contiguæ, nimirum ſanctæ Radegundis, ſancti Romani, ſancti Vitalis, ſancti Ioannis, & Eccleſia de Coſta: in quibus locis cum magna deuotione, duce ipſo Petro, qui ſæpè ad eos diuertebat, militabant: quos inter pios aſſeclas, magni poſtea nominis Patres effloruêre, præſertim *Matthæus* ille Remenſis canonicus, inde Albanus Epiſcopus, de quo infrà: *Gregorius*, cuius Petrus ipſe immaculatæ vitæ laudes in epiſtolis ſuis latè proſequitur. *Raynaldus* poſteà Archiepiſcopus Lugdunenſis, cuius epitaphium Petrus ipſe conſcripſit. *Geraldus* ille Armannus, *Benedictus*, *Gaufredus* ex Sinemuri Toparcha, humilis monachus; *Radulphus*, aliíque præſtantiſſimi religione & ſapientia viri, quorum nomina omnis gratiæ decore inſignia, in ſempiterna benedictione permanſerunt. Cæterùm ipſe Petrus horum omnium pater, qui illos alióſque innumeros filios, generoſis his moribus informauit, atque ad tam ſublimia euexit pietatis, virtutúmque & theoriarum diuinarum cacumina, relictis quæ adhuc in libris eius conſpicua ſunt egregiis doctrinæ, fidei, zeli, prudentiæ, paſtoralíſque ſolicitudinis monimentis, editis magnis omnino pro tuenda Eccleſia, & Catholica religione, monaſtica obſeruantia, clericali diſciplina, iuſtitiæque defenſione facinoribus; miraculis etiam pleriſque ad Chriſti gloriæ illuſtrationem peractis, quietis beatæ in ſomnum conceſſit, atque ibidem iuxta altare Sanctorum Apoſtolorum Philippi & Iacobi ſepultus eſt: poſtquam rexiſſet in omni doctrina & pietate ordinem Cluniacenſem annis triginta quinque, menſes quatuor, diéſque totidem. *Receſſit autem* (ſcribit ad Hadrianum Papam quartum de eius obitu Radulphus, prænominatus eius diſcipulus) *illa hora de corpore, qua credimus Dei Verbum natum de Vir-*

gine matre, & bene hanc vt aſcenderet horam elegit, qui nato deſcendenti humiliter ſemper ſeruiuit. Naſcente ergo Chriſto Virgine, de Virgine matre, in terris, Petrus virgo aſſumitur in cœlis, vt qui gaudium ſingulis natiuitatis feſtiuitatibus, deuotè celebrauerat cum peregrinis quamdiu vixerat: hora & momento eiuſdem natiuitatis, reciperet deuotionis fructum in ſede æternitatis. Ipſo

MATTHÆVS. die obitus ſanctæ memoriæ MATTHÆI Albanenſis Epiſcopi Cardinalis & Legati, Apoſtolici planè viri, qui natione Gallus, patria Remenſis, ex Clerico Laudunenſi, ſubindéque Canonico Remorum Metropolis, monachus Cluniacenſis, ſancti Petri præmemorati diſcipulus, à quo in ipſo conuerſionis exordio Lutetiam Pariſiorum miſſus, in ſancti Martini Campeſtris aſceterio religionis habitum ſuſcepit. Hinc ob diuinæ mentis rutilantia lumina, Cluniacum ab ipſo Petro Venerabili Abbate reuocatus, Priórque magni illius monaſterij, imò totius ordinis, ſub eodem ſancto Patre conſtitutus; miræ ſui deſpicientiæ, at religionis obſeruantiæ, ſolicitudinis officiis, prudentiæ & ſanctimoniæ doctrinæque inſigniis, effulſit. Quamobrem hinc ad Eccleſiæ non tam honores quàm onera prouectus afflictæ Reipublicæ Chriſtianæ eximiam præſtitit operam, zelóque feruens admirabili & ſanctitate perfecta coruſcus, ad extremum vſque ſpiritum religioni vindicandæ, Eccleſiæ pacificandæ, propugnandæ & exornandæ Apoſtolicæ ſedi, aſſiduis laboribus, ignitis monitis, & præclaris exemplis inſudauit. Poſtremóque Deo & cœlitibus impensè charus, bonis operibus diues, miraculis illuſtris, feliciter apud Piſas in Domino obdormiuit. Sanctorúmque quorum præconia dum viueret in terra meruerat, conſortia poſt mortem in

ADALSENDIS. cœleſti beatitudine adeptus eſt. Marcianis tranſitus beatæ ADALSENDIS Virginis Chriſto ſacræ, filiæ beati Adalbaldi Martyris, & ſanctæ Rutrudis, poſt orbationem Monialis & Abbatiſſæ. Quæ cùm ſæculi fucatam aſpernaretur gloriam, Chriſtúmque ardentiſſimo amore proſequeretur, cuius ſe perenni obſequio dedicauerat, immatura morte prærepta, anticipatæ gloriæ, ſingulari ſponſi beneficio, hoc in eiuſdem triumphali natali æternum percepit donatiuum. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confeſſorum, atque Sanctarum Virginum.*

Fulco. TOLOSÆ migrat ad Dominum piiſſimæ memoriæ FVLCO Epiſcopus, qui Catholicæ fidei feruentiſſimus zelator, huic tuendæ omni virtute intentus, quò Hæreticos Albigenſes (à quibus aliquandiu, ſede pulſus, Leodij exulauit) diœceſim ſuam miſerè peſſumdantes fortiori manu reprimeret, ſanctum Dominicum Toloſam euocauit: cuius felici opitulatione magna victoria eſt potitus, hæreſi fere vndique profligatâ, conuerſis innumeris errantibus, vindicata

fide Catholica, & Eccleſiæ authoritate poſtliminio reſtituta. Huic vtpote ſanctitatis cultori ſua ætate præcipuo, Iacobus de Vitriaco poſtea Cardinalis, vitam ſanctæ Mariæ Ogniacenſis dedicauit. At quod maius eſt in eius ſanctitatis indicium, columba ſplendidiſſima, ſymbolum Spiritus ſancti, ipſiuſmet celebrantis capiti inſidens, haud ſemel apparuit. Sepultus fuit vir ſanctus in Monaſterio Grandis-ſyluæ, cuius Ætheriarcha fuerat. Reconciliauit Eccleſiæ glorioſus hic Antiſtes Raymundum Comitem pœnitentem, à quo antea præcipuo hæreticorum fautore, odio pietatis & rectæ fidei, Epiſcopatu ſuo expulſus fuerat. Ipſo die beatæ memoriæ FLOTILDA virgo ex Lauenna pagó Remenſis territorij, paupercula cenſu, at puritate cárnis & mentis deuotione & charitate locupletiſſima: quæ ex diuina reuelatione facta in Auennaco cœnobio monialis, Deo ita placuit, vt ad cœleſtes contemplationes euecta, admirandis viſionibus honorata, etiam & illuſtrata prophetico lumine, multa quæ firmauit euentus prædixerit, conſummata autem in omni innocentia & pietate, felicem animam, in ipſa nocte vigiliarum natalis Domini, in cœlum emiſit, & apud ſanctum Lambertum humata, inſignia ſuæ ſanctitatis plurima edidit. Fuit beatiſſimæ Virgini deuotiſſima, à quo in myſtica viſione, peculiarem in curam ſuſcepta eſt. In Hannonia vitæ quoque perennis iniit tramitem, beata LVCIA Prioriſſa Spinoſi loci virtutibus, ac miraculis inſignis. *Lucia.*

Flotilda.

Septimo Kalendas Ianuarij. Luna

26 C xxv. 25.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	p	q	r	ſ
7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
24	25	26	27	28	29	30	1	1	2	3	4	5	6			

NATALIS ſancti STEPHANI Protomartyris, qui diſcipulorum Domini primicerius, plenus fide & gratia, à Spiritu ſancto in auxilium Apoſtolorum ſuſcitatus, ab híſque primus Diaconus ordinatus; crucifixi à Iudæis Redemptoris nomen & gloriam primus vi diuinæ ſibi infuſæ ſapientiæ, prodigiorum ſtupendorum coruſcatione, & fortitudine animi inſuperabili, palam aſſerere & vindicare aggreſſus: ſpeciali priuilegio, in *Angeli* ſpeciem transformatus, inſpectórque factus gloriæ filij hominis ſedentis à dextris virtutis Dei; omnium dum primus in acie Apoſtolicæ Eccleſiæ fortiter decertaret, ab vniuerſa impiorum caterua impetitus, illuſtriſſimo certamine, feliciſſimo agone, admirabili martyrio, dè proſtrata deuictáque illorum perfidia, dum occumbit, ipſe in pugna illa acerrima triumphauit: primámque & præcipuam victoriæ *coronam*, (qua militans Chriſti Eccleſia gloriatur) iuxta nominis ſui fauſtum omen, felix ouánſque reportauit. Abel Euangelicus, primogenitus Eccleſiæ filius, quem etſi illa egregiis doloribus & patenti ſanguinis profluuio in terra produxit, gaudiis tamen maximis cœlo natum enixa eſt. Hic profectò eſt, quem Spiritus ſanctus, ad *SS. STEPHANVS Protomartyr.*

primum pietatis conflictum inſtruens, *gratia & fortitudine repleuit*. Quem chorus Sanctorum præ omnibus ad miniſterium altaris, ad decus religionis, ad ſubſidium fidei, ad opus charitatis, ad officium miſericordiæ elegit: quem Apoſtolorum Senatus, manuum impoſitione ſacrauit, purpuratique exercitus in aciem deſtinauit. Quem Chriſtus ſpiritu ſuo animauit, amore inflammauit, virtute pleniſſima roborauit. Quem Hieroſolyma ſignis nouum *Moyſem*, zelo *Eliam*, prædicatione *Joannem*, imitatione verò *Chriſtum* ceu effectum mirabunda conſpexit. Quem denique prodigiis rutilantem, cœleſti facundia & ſapientia incarnati Verbi maieſtatem aſtruentem, inuida Synagoga cæco liuore oppugnauit, furoréque plena, piè pro ipſa & omnibus perſecutoribus ſuis orantem, & flexis poplitibus obnixè deprecantem, lapidum imbre impiè obruit & oppreſſit. Primum fuit munus & pignus amoris, quod Eccleſia Saluatori, in vicem illius quam pro ea perpeſſus eſt paſſionis, rependit. Prima fidei hoſtia & Euangelij victima, quæ ſacro cruore aram Chriſtianæ religionis conſecrauit. Stephanus enim (quem honoris cauſa iterum nominamus:) *pro Domini* IESV *calente adhuc ſanguine, ſanguinem ſuum*, primus omnium fidei noſtræ athletarum, *auidus bellator effudit*; & cruore proprio dum decorat Eccleſiæ faciem, tinctam ſibi ipſe purpuram ad triumphum conquiſiuit. Huic beatiſſimo, Gallia præ cæteris gentibus peculiari iure adicta & deuincta videtur, ex ipſa ſalutiferæ fidei Chriſtianæ traduce, quam vt Dei dono inæſtimabili, ſic & ope meritíſque ipſius Protomartyris cenſenda eſt conſecuta. Vetus enim apud pios eſt vulgatiſſimúmque adagium. *Si Stephanus non oraſſet, Eccleſia Paulum non habuiſſet*. Porro ſine Stephani prece, vt Eccleſia non habuiſſet Paulum: ſic nec ſine Pauli prædicatione, Dionyſium Gallia fuiſſet adepta. Debet igitur Stephano Gallia, vel hoc titulo, beneficium ſuæ illuminationis. At cùm ipſius Protomartyris præmium fuerit ſingulare, vt qui pro fide Chriſti primus occiſus eſt, incredulorum conuerſionem opitulatione ſua valeat ſoleátque promereri. Huius etiam auſpiciis, Galliam ad lumen qui Chriſtus eſt fuiſſe adductam, facile eſt, ex factis primorum gentis huius Apoſtolorum colligere; qui Chriſti religione, Galliarum populis ſua prædicatione inſinuatâ, prima pietatis domicilia, & religionis ſacraria, in ſancti Stephani memoriam Deo trino & vni conſecrauerunt. Sic Vrſinus (quem Nathanaëlem verum illum Iſraëlitam fuiſſe, ipſius Stephani conſobrinum, antiqua fert traditio:) Bituricis vtriuſque Aquitaniæ Metropoli, primam Eccleſiam in ædibus *Leocadij* Senatoris, ſub

Protomartyris Stephani nomine ædificaſſe & ſacraſſe, ſanguinéque ipſius beati, quem in cruento funere eius collegerat, illuſtraſſe, priſci produnt Scriptores, quibus non inuitus accedit Gregorius Turonenſis. Sic Martialis ille inſignis Chriſti IESV ex ſeptuaginta duorum claſſe diſcipulus, Galliæque Aquitanicæ Apoſtolus, Lemouicis caſtiſſima religione inſtituta: primum templum Chriſto erexit, & in eius Protomartyris Stephani honorem dedicauit: eodémque titulo, quem fauſtum Galliæ prouectioni ad ſalutem bene ſciebat, Caturcenſem, Petracoricenſem, Agennenſémque Eccleſias primarias inſigniuit. Ita & Saturninus vir quoque Apoſtolicus, Toloſæ primitias fidei cùm intuliſſet, primam ædiculam ſacram ædificans, patrocinio Protomartyris eiuſdem communiuit. Sed verò Sauinianus à ſancto Petro miſſus in Galliam, Senonis dum prædicans Chriſti nomen; adductis in eius cultum pleriſque incolis, tria vbi ſacella extruxiſſet, vnum ex his quod hodie primarium eſt, S. Stephano commendatum eſſe voluit. Idem Autiſſiodori curauit. Sic Clemens ab eodem Apoſtolo ad Metenſium ciuitatem directus, ſancti Stephani oratorium extra mœnia erexit: quod ipſa ciuitate ab Hunnis funditus euerſa, per ſancti tutelaris merita perſtitit illibatum: cuius reliquiæ ibidem diù antè quàm è Græcia ſancti Stephani corpus Romam adueheretur, ad cultum & munimen aſſeruabantur. Ita & Memmius Petri quoque diſcipulus, Catalauni primum templum ſub ſancti Stephani auſpiciis conſtruxit. Ita quoque Tulli Manſuetus, eiuſdémque Apoſtoli Legatus. Porro Dionyſius, cui Clemens Apoſtolorum hæres, totius Galliæ Apoſtolatum commiſit, Pariſiis regnum Dei inſtituens, vbi aliquot ouiculas congregaſſet, ſtatim ædiculam extruxit, quam Deo omnipotenti conſecrauit, ſub tutela primi eius Martyris, quæ etiamnum antiqua ſtructura ibidem viſitur ſingulari denominatione S. Stephani à greſſibus Græcorum nuncupata. Idem verò apud Iatinum, Meldorum oppidum ad Matronam fluuium, præſtitit: vbi condito ad memoriam ſancti Stephani Protomartyris primo ſacrario, Sanctinum ſequacem ſuum, primum conſtituit nouelli gregis curatorem. Sic Cleti Papæ & Martyris, Petri cooperatoris & immediati ſucceſſoris, *Gratianus* diſcipulus, apud Tolonium in Prouincia, prima verbi vitæ ſemina ſpargens, memor tanti cœlitis, qui fidei prædicationem, fuſo ſanguine primus obſignauerat, primum templum ibidem ſub eius nomine excitauit. Ita & Lugduni & Matiſſæ, Pothinus Polycarpi ſectator; & Veſontione Linus ille Apoſtolicus; Lucianus Bellouaci, & Aureliis Altinus eodem ducti ſpiritu & affectu

venerationis erga ſanctum Stephanum, præſtiterunt. His in locis primis ſub illius commemoratione extructis primis Eccleſiis, quarum etſi poſtea nuncupatione mutatâ, ſancti Stephani nihilominus patrocinium ipſo primæuæ denominationis titulo, charum adhuc ibi eſt atque conſpicuum. Cæterùm hac ex Apoſtolorum Galliæ religioſa conſpiratione, vt eoſdem in ſanctum Protomartyrem Stephanum admodum piè affectos fuiſſe patet: (cuius pignoribus & ſuffragiis ſuffulti, arduum at diuinum opus conuerſionis Galliæ ad Chriſtum ſeruatorem, fauſtè ineundum ſuſceperunt:) ſic vt ſpecialem gentis huius ad ipſum beatum Chriſti athletam deuotionem excitarent, populíſque his incuterent perenne eiuſdem venerationis ſtudium; prima fidei ſanctuaria, tot in locis eius glorioſo nomine conſignârunt, eóque pacto ſubiugatam Chriſto, ſub eius tutela, ipſam Galliam, perpetuæ eiuſdem opitulationi commiſerunt. Experta quidem eſt ſæpè Gallia tanti patroni auxilia, at præſtitæ clientelæ minimè vnquam ingrata ſe prodidit: quæ non modò tredecim adhuc Cathedraticas Eccleſias inſignes, ſub eius inuocatione adornatas conſpicuo cultu, ſuo in ſinu continet: ſed & innumeras vaſto quo patet ambitu, Abbatiales, parœcialéſque complectitur, præter martyria, xenodochia, ſacelláque innumera toto regno diffuſa. Pignora verò eiuſdem Protomartyris cura peruigili toto exquiſita orbe, ſuum in gremium congeſſit, omníque reuerentiæ teſtificatione ſuis ſacrariis indidit, ad Imperij ſui quod pietate viget, perpetuum fulcimentum, æternámque meritorum primi fidei aſſertoris commendationem & venerationem. Innata in quem beatum Protomartyrem ex genio gentis deuotione Carolus Magnus, inſignes plurimas Cathedrales Eccleſias, extra ipſum Regnum conſtruxit: quin & vniuerſali in Eccleſia, vt eius memoria illuſtriori cultu celebraretur, Officium eiuſdem, haud ſatis concinnè editum fecit aboleri, nouúmque politiori textura per Albinum Alcuinum concinnari: *Sumptis* (vt aiunt ſacrarum praxeon enarratores,) *nocturnalibus antiphonis de Pſalmis, quibus attitulantur, capituliſque de Actibus Apoſtolorum depromptis, cum Laudum verſiculis & antiphonis.* Caroli Magni pietatem, poſteri Reges Chriſtianiſſimi alia arte imitati ſunt, qui Regni huius ampliſſimi Eccleſiis ſub ſancti Stephani patrocinio dedicatis, peculiari indulto conceſſêre: vt ſub eiuſdem Protomartyris glorioſis inſigniis, monetam quam vocant, ſeu numiſmata vſu publico accommoda, cuderent: quorum exempla in horum Faſtorum apodictica recenſione, expromentur. Sed & Pariſienſes Antiſtites, ſancti Dionyſij ſui cory-

phæi ſpiritu animati, ex peruetuſto conſtantíque ritu id ſtudioſè in praxi habuere, vt (quod non aliàs fieri reperire eſt:) duobus continuis diebus, ſacris in Pontificali apparatu defungantur in baſilica maiori. Expletis enim proprio honore natalis Chriſti ſolemniis, ſequenti die in Epiſcopali decore celebrant ſancti Stephani trophæum. In cuius hodierno natali PONTIFICIVM ideo conſignatum cernere licet, in antiquis huius inſignis Eccleſiæ diptychis. Ipſo die in Vaſtinienſi agro Præſulatus metropolici Senonenſis, natalis TRECENTORVM SEXAGINTA SEX MARTYRVM: qui à Wandalorum exitioſo agmine, hunc in agellum irruenti, dira internecione, ob Chriſti filij æterni Patris vnigeniti & coæqualis, confeſſionem, trucidati: (dirutâ eodem turbine Bethlemitana ſanctæ Deigenitricis antiquiſſima Eccleſiâ, quam ſanctus Sauinianus in Ferrariæ pago, in cunarum Domini colendam memoriam dudum extruxerat; vbi fideles iſti, ſacra religionis Chriſtianæ officia perſoluebant:) præclaros Deóque charos ſpiritus, inter palmas victoriæ effuderunt. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confeſſorum, atque Sanctarum Virginum.* MARTYRES trecenti ſexaginta ſex Vaſtinienſes, in Senonibus.

Sexto Kalend. Ianuarij. Luna

27																D xxiv.
a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
25	26	27	28	29	30	1	2	2	3	4	5	6	7			

NATALIS ſancti IOANNIS Apoſtoli & Euangeliſtæ, Virginis, Martyris, & Prophetæ, *tonitrui filij*, Verbi incarnati vocis, æternæ eius generationis reſeratoris, inſpectoris eius agonis & gloriæ: Virginis eius matris adoptitij, cuſtodis & hæredis; mundi illuminatoris, Galliæ autem amatoris & prouectoris aſſidui, ad quam è tenebris eruendam, atque cœleſti fidei lumine illuſtrandam, Dionyſio Athenienſi vt intenderet, ardenti colloquio perſuaſit. Moriens verò inſtantiùs Polycarpo ſymmyſtæ ſuo præcipuo, vt gentis illius ſpecialem curam ſumeret, operarióſque frequens in ſubſidium Dionyſio aliiſque nouellæ illius plantationis cultoribus, tranſmitteret, commendauit. Qui Ioannis præceptoris ſui iuſſionis memor, Pothinum & ſubinde Irenæum Lugdunum direxit, Benignum Lingonas, Andochium cum Thyrſo Auguſtodunum, Andeolum Carpentoractum, Re- SS. IOANNES Euangeliſta.

gulum Arelatem, hincque Pariſios, & Siluanectum, vt pergerent ad opus gratiæ perſequendum auctor fuit. Et Ioanni quidem primùm, Chriſtus ipſe Dominus hanc indidit in Galliam piam propenſionem. Qui cùm in cruce occumberet, caput verſus Occidentem (ait ſanctus Ioannes Damaſcenus) beneuolo affectu deflexit. Vnde factum vt Ioannes ipſe prædilectus Domini diſcipulus, ſpeculator eius paſſionis, qui eiuſdem in nos amorem crucis in ſpeculo emicantem, puro pectore excipiens, ſuum in cor transfudit: præcordialem hunc eius in Occidentem affectum, minimè ad extremum vſque potuerit obliuiſci. Quamobrem poſt Petri & Pauli luctuoſum excidium, Romam profectus eſt, vt caput ipſum Occidentis, orbatum duobus ſuis luminibus, nouo ſplendore recrearet: hincque poſt reparatum iubar Euangelij, in Galliam quæ potiſſima vti Occidentis regio, eiúſque alter ocellus, præcipua cura habenda erat, proficiſceretur; quam aduentu ſuo & peragratione illuſtraret. At Domitiani ſæuitia non permiſit, vt Ioannes quæ intendebat, in Galliæ ſubſidium ac ſolatium, exequeretur. Ab eo enim iniectus in feruentis olei dolium, deinde in Pathmos Inſulam relegatus, curſum intercidere coactus eſt propoſitum. Verùm ex quo ſolutus ab exilio, iam ſenex Epheſum rediiſſet, nil ſe remiſiſſe de eo affectu quem gerebat in Galliam protinus teſtatus eſt, euocato enim ab Athenis Dionyſio, aculeos ingeſſit tam amplam regionem, pronámque in Chriſti nomen nationem, ocyus adeundi, atque ſedula cura & opera excolendi, aſſumptis validæ manus auxiliariis, & Clementis ſummi religionis Antiſtitis petitâ licentiâ, quin & auctoritate impetratâ. Non opus eſt minutim recenſere, quid hac in re Dionyſius, cum adiuuis præſtiterit. Cui hoc nomine poſt Ioannem auctorem primarium, tam fauſtæ expeditionis ſalutis ſuæ Gallia potiora debet incrementa. Cæterùm ipſimet Ioanni & illa ſubſidia debet, quæ ex eius morientis paterna commendatione, Polycarpus deinde ſummiſit. Multis igitur titulis, beato ipſi Euangeliſtæ Gallia deuincta eſt, cuius aſſidua prouidentia & ſtudio tanta beneficia, quæ alia quæque fingi poſſint ſuperant, eſt feliciter conſecuta. At verò quamquam eius pignoribus careat, quæ cœlum terræ dicitur inuidiſſe: non tamen eius memoriæ minora deuotionis obſequia rependit, vt indicio ſunt templa toto hoc Regno conſpicua, quæ dilecto huic Chriſti diſcipulo excelſa ſummittunt culmina, cuius inclyto nomine & ſecura tutela gloriantur. In his, cæteris quibuſque præeminet baſilica Primatialis Lugdunenſis, quæ quamquam & Ioanni Baptiſtæ iam dicata cenſeatur, Euan-

geliſtæ nihilominus eſt patrocinio & venerationi obſtricta, ex ipſo iure ſuæ originis, cùm ab eo fundata ſit, qui à Ioannis ipſius primario ſectatore, de eius ſpeciali mandato; ideo illic directus eſt; vt collecta Chriſto plebe, diuinæ ibi religionis pontificatum iniret: quem verbo exorſus, opere executus, agone demum glorioſo firmauit, & digniſſimum in hæredem, pari ſucceſſu, imò potiori obeundum fructu, tranſmiſit. Nec prætereundum ad Galliæ gratitudinem erga beatum hunc Euangeliſtam teſtandum, Zachariam Senonenſium Metropolis, claræ virtutis & religionis Antiſtitem, inſignem baſilicam ſua in diœceſi ſub illius veneranda nuncupatione dudum extruxiſſe, memorémque Dominicæ pietatis, qui moriens Virginem matrem, Ioanni Virgini diſcipulóque prædilecto commendauit: Virgines ibi ſacras collocaſſe, quæ ſub clientela ipſius Ioannis, virginitatis profeſſoris & cuſtodis, caſti famulatus, Chriſto Virginum ſponſo, obſequia iugiter perſoluerunt. Eadem mente præditus Robertus de Arbricello, ordinem fontis Ebrardi, archimonaſteriúmque in Pictauienſi agro fundauit. Etenim in honorem *Deiparæ Virginis & ſancti Ioannis miniſtri eius*, præclarum hunc cœtum ſtuduit conſecrari, ratus virginalibus ſub auſpiciis, virgines vtriuſque ſexus, caſtitatis vota congruè profiteri: cùm fœminæ in Maria, viri in Ioanne perfectæ puritatis habeant nitidiſſimum ſpeculum, eiuſdémque in iiſdem præſidium ſingulare viciſſim ſortiantur. Reſpexit autem maximè vir pius ad Chriſti teſtamentum, qui matris obſequiis, Ioannem ſibi dilectiſſimum, ſui vice, mancipauit: qua ex forma voluit auctor præfatus huius ordinis, vt aſcetæ maſculi, præfectæ ſacrarum virginum ipſius inſtituti ſubeſſent, Virginibúſque in omni pietatis officio famularentur. At viciſſim Abbatiſſa, quæ locum ſanctiſſimæ Deiparæ eo in ordine obtinet, eos vt illa Ioannem, materna dilectione exciperet, atque non vt ſeruos haberet, ſed vt filios chariſſimos, omni pietatis affectu proſequeretur. Eodem autem in tractu Pictauienſi paulò antea, Godefridus Dux Aquitaniæ cœnobium inſigne conſtruxerat, ſanctis Apoſtolis Ioanni & Andreæ ab ipſo nuncupatum, quòd beatiſſimi illi Apoſtoli ſpeciali virginitatis priuilegio, collegis antecelluerint, qui ambo tota vita perſtiterunt cœlibes, Chriſtóque hoc nomine fuerunt maximè amabiles. Ideóque puritatis cultoribus ad exemplum eſſent conuenienter proponendi. Dedicauit Monaſterium illud celebri Pontificio, Vrbanus Papa II. deſignatámque à fundatore inclyto nuncupationem adeo auguſtam, libenter templo & cœnobio indidit. Ad me-

moriæ inſuper ſancti Ioannis Euangeliſtæ celebritatem pertinet myſticus ille ritus, qui in pleriſque Galliarum Eccleſiis pridem in vſu fuit. Quòd enim præcipua eius feſtiuitas hac die ageretur, nec ob præcedentia ſolemnia, cæteri vt primores Apoſtoli vigiliâ ſuâ cohoneſtaretur, mos hic receptus eſt, vt quoniam Ioannes Euangeliſta veræ lucis inſpector & nuncius extitit præcipuus, cuius & Apoſtolico ſtudio Galliæ iacenti in tenebris ſol Euangelicus propalatus per eius diſcipulos illuxit: non vna litatione, quæ patenti iam die celebrari ſolet, natalis eius coleretur: ſed in ipſo exordio lucis, alia Miſſa celebraretur, vti ab eo ſe accepiſſe lumen diuinæ agnitionis fideles intelligerent, & ipſum tota in vita ſacrificium virginitatis, quæ lucis ſupernæ & diuinæ incorruptionis radius eſt, recogitarent obtuliſſe. Poſtremò auctor eſt Gregorius Turonenſis, ſua ætate ex tumulo vacuo ſancti Ioannis apud Epheſum, manna in modum farinæ prodiiſſe: ex qua delatæ per orbem reliquiæ morbidis ſanitatum ſolatia paſſim impertiebantur. Non obiit autem hac qua potiſſimum celebratur die ſanctus Ioannes Euangeliſta, ſed vel vt Græci volunt die vigeſima ſexta Septembris, vel vt quidam Latinorum vigeſima quarta Iunij: ſícque quod concurrat eius tranſitus, cum natiuitate ſancti Ioannis Baptiſtæ, in hunc diem feſtiuitatem eius fuiſſe exiſtimârunt plerique dilatam, in qua ex maiorum more, CATHEDRÆ eius apud Epheſum inſtitutio, quæ Patriarchatum peperit Epheſinum, erat, debita veneratione recolenda, *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confeſſorum, atque Sanctarum Virginum.*

CATHEDRÆ Ioannis Euangeliſtæ apud Epheſum hodierna ſolemnitas antiqua.

Goſuuinus.

VIAM immortalitatis felici morte ingreſſus eſt piæ memoriæ GOSVVINVS Abbas Monaſterij beatæ Mariæ prope Antuerpiam, vir admodum religioſus & Dei timore plenus: cui morum integritate & diſciplina, animíque ſynceritate & deuotione, par vix potuit ſua ætate inueniri. Exagitatus tamen à Guillelmo pſeudo-monacho, qui tegimen Abbatiæ ambiebat, honore ceſſit: multáſque ab eo qui ſibi ſucceſſit paſſus tribulationes, in magna patientiâ & humilitate ſtadium vitæ huius ærumnoſæ abſoluit.

Quintò

Quinto Kalendas Januarij. Luna

28																E xxiii.
a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
26	27	28	29	30	1	2	3	3	4	5	6	7	8			

NATALIS Sanctorum puerorum INNOCENTIVM, qui in Bethleem Iudæ ab Herode Rege anno regni ſui trigeſimo quinto, pro Chriſto interfecti ſunt. Quo ſcelere immani patrato, ipſe tyrannus vltore Numine, ſequenti proximè anno intercutis aquæ morbo, & ſcatentibus toto corpore vermibus, miſerabiliter mortuus eſt. At occiſis vice Chriſti Infantibus, fauſtè dira ſtrages ipſa, mórſq. præmatura ſucceſſit, Deo immenſa bonitate ſua, caſum vertente in meritum, mortem in ſacrificium, illatam vim in martyrium, & miſeriam mutante in coronam. His beatiſſimis pueris ſacellum in auguſtiſſimo templo ſancti Dionyſij, Regum pietas Chriſtianiſſimorum conſecrauit: in quo hodiéq. religiosè obſeruatur, in lipſanotheca deaurata, corpus ſacratiſſimum vnius eorumdem Infantium, quod Carolus Magnus præſignato ſacrario intulit, cum cunis eiuſdem infanculi ex palmarum ramis confectis. Colitur & aliud pretioſum ſpolium vnius ex prima illa pugilum Chriſti cohorte, Pariſiis in Eccleſia, Sanctorum ipſorum Innocentium venerationi ſacrata, in cryſtallino vaſculo conditum, ex munificentia Ludouici XI. Francorum Regis, hanc in ædem ob beatorum Infantium memoriam impensè deuoti: cuius orantis effigies ſolida, vxoríſque Reginæ ſimulachrum in vaſe cernitur ipſius conditorij: in cuius vtroque latere poſitæ conſpiciuntur venerandæ imagines Sanctorum Caroli Magni & Ludouici IX. Galliæ Auguſtorum. Subhæret quibus vaſculum refertum reliquiis aliquot promiſcuis Sanctorum ipſorum Infantium, ad quorum cultus ampliationem præfatus Ludouicus Rex nomine XI. ſymphoniacos ſex pueros, in illorum Eccleſia inſtituit, vt perpeti ſuauíque modulatione, ibidem, debitarum Deo gratiarum cantica reſonarent, qui *laudem in ore infantium & lactentium perfecit:* & præconium ſuum quod Innocentes *non loquendo, ſed moriendo* confeſſi ſunt, ipſorum pretioſa in ſuo conſpectu immolatione, dedicauit. *Quorum ideo memoriam* (vt Sixtus Papa V. præfatur in munifico quod dedit huic Eccleſiæ diplomate) *æterna laude & meditatione ab omnibus Chriſti fi-* SS. Pueri INNOCENTES.

delibus conuenit honorari, in quibus primitias naſcentis Eccleſiæ militantis conſtat fuiſſe conſecratas. Ipſi enim (vt ait ſanctus „ Chryſoſtomus) Chriſti bellatorum martyria ſuo cruore dedi- „ cârunt, gloriam ſeruatori prima laude habuerunt. Obtulerunt „ Domino confeſſionis admirandæ primitias; & quem ætate noſſe „ non poterant, ſingulari, cœlitus inditæ notitiæ, teſtimonio ce- „ lebrârunt. Locuti ſunt ſanguine, quod ſermone nequiuerunt. „ quod ſenſibus neſciebant, paſſione cecinerunt: prædicarunt oc- „ ciſi, quod viui non valebant agnoſcere. Contulit enim his mar- „ tyrium laudem, quibus natura negauerat loquelam. licuítque eis „ ſanguine clamare, quod narrare voce non licebat. Et diuino qui- „ dem munere, aptáque diſpoſitione hoc ad officium ſunt voca- „ ti, vt qui delictorum non nouerant crimen, eius elogia non ore „ ſed cruore pangerent, qui immunis à labe, peccatorum venie- „ bat ſanguine ſuo maculas eluere: felices certè fateri decet hos „ infantes, qui tempore vno natiuitatem & mortem, ingreſſum „ & exitum, principium & occaſum confirmârunt: qui ſine robo- „ re fortes, ſine armatura certantes, ſine pugna victores, extite- „ runt. Qui ex tyranni immanitate, ſine repugnatione, lucra & tro- „ phæa perennia reportarunt. Aliæ enim ſunt terreſtres pugnæ, „ aliæ cœleſtes victoriæ. In prælio Chriſti moriendo viuitur, ca- „ dendo ſurgitur, victoria per interitum comparatur. Ipſo die apud

ANTONIVS cognomẽto Cyrus. Lerinum S. ANTONII monachi cognomento Cyri, qui nepos *Conſtantij* ſanctiſſimi Epiſcopi Lauriacenſis, diſcipulus autem S. Seuerini Abbatis, qui apud Noricos Euangelium Apoſtolica virtute propagauit: cùm eo ſtudio ex Oriente in Pannonias, deinde & in Bauariam cum ipſo veniſſet, poſt eius mortem dirè ab impiis exagitatus, ſolum vertere coactus, pluribus annis, vnà cum diſcipulis (quos locuples virtutum diuini magiſtri hæres collegerat) vitam heremiticam exercuit. In eáque qua ſe cum ſuis recluſit ſolitudine, mirifica ſanctitate præfulgens, etiam dono prophetiæ, atque miraculis reſplenduit: ſed cùm ex eo decore, multa ad eum clientum fieret opem poſcentium acceſſio, vir Dei humanas laudes vt fugeret hinc receſſit: atque vbi plures elucerent accenſæ lucernæ (ne ſolus ipſe verè lucerna ardens & lucens intuentium pateret aſpectui) in Lerinenſe monaſterium, tum toto orbe celebre domicilium pietatis, ſe contulit. Hîc autem cauit ſedulò, ne qui meritis præſtare videbatur, honoribus etiam anteferretur, cæteris loci huius aſcetis; corruere enim qui extollitur facilè ſciebat; porro in humilitatis radice plantatum, ad centenos fructus didicerat adſurgere. Blandus igitur iuuenibus, grauis maturis, doctus peritis, ſubmiſſus exiſtendo ſimplicibus, totam illam domini-

ci gregis legionem, diſtinctam actu, variatam gentibus, quaſi vnam animam in ſua dilectione collegit: póſtque exactum ibi in ſyncero Chriſti famulatu biennium, ſeipſo in dies cùm euaderet potior, victor inſidiarum quas antiqui ſerpentis parat Dei ſeruis aſtutia; diem noſtrum, & lucem labilem præſentis ſæculi, depoſitâ ſarcinâ mortis, perpetui luminis adeptione commutauit. Sepultus fuit autem vir beatus, præ foribus capellæ ſanctæ Crucis intra turrim. At ſubinde ob ſignorum ſplendorem quibus tumulus in quo iacebat emicuit, ex humili quem optauerat ſitu euectæ ſacri eius corporis reliquiæ, intra capellam conditæ ſunt, cum pretioſis pignoribus Sanctorum loci illius tutelarium *Honorati, Capraſij, Venantij, Aygulphi & aliorum plurimorum beatorum.* Et hac quidem die ad Superos migrauit. Sed Sanctorum Innocentium quod ſit cultui addicta hæc ipſa dies, huius ſancti Confeſſoris celebratio, in primam differtur diem non impeditam poſt feſtum ac octauam Epiphaniæ: quà ſolemni officio à Patribus Lerinenſibus colitur. Ipſo die in minori Britannia ſancti CONVOIONIS Abbatis, ſanctitate & miraculorum gloria præclari. Qui Senatorio genere ortus, in Vrbe Venetenſi, inter Armoricas celebri, ingenuè educatus eſt, & diuinis literis imbutus, mundi vt fugeret illecebras & peccati occaſiones, adſcitis ſibi vndecim ſociis, quorum hi præcipuæ ſanctitatis; *Candelobecus* Preſbyter, *Lobemellus* & *Vincatonus*, ad ſolitudinem Rothonenſem ſe contulit, vbi de licentia Reomenij reguli, extructo monaſterio, ibi vitæ cœleſtis atque Angelicæ actus ſtudioſè eſt imitatus: diabolíque ideo inuidia impetitus, illius vires eliſit: Romam inde miſſus à Reomenio ad Leonem IV. cum corona aurea, in munus ſancti Marcellini corpus reuexit. Redúxque in ſancti Maxentij cœnobio in perfecta ſanctitate defunctus eſt. Convoio.

Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confeſſorum, atque Sanctarum Virginum.

PIÆ venerandæque memoriæ FRANCISCVS de Sales Epiſcopus Gebennenſis, abrupto hodie mortalitatis ſtramine, ad Dei tabernaculum & montem gloriæ, innocentibus & mundis corde peruium, feliciter euolauit. Hic vir beatus genere quidem nobili & natalibus Allobrox, primam ætatem quà domi, quà Lutetiæ in Claromontano Societatis IESV Collegio literis incumbens, exegit, virtute ac pietatis odore adeo ſingulari, vt omnes eximium aliquod Dei conſilium in eo præſagirent. Túncque iam nihil adhuc de ſtatu Eccleſiaſtico cogitans illibatum planè nitentémque virginitatis florem, Deo ſub auſpiciis ſanctiſſimæ Chriſtiparæ dedicauit: cui in depoſiti ſacri gratiam, precatorium penſum diebus ſingulis perſoluebat. Nec vana ſpei repoſitione. Ope enim ipſius Deigenitricis fretus, ſubornatæ meretricis formoſiſſimæ ab æmulis, ſe ad turpia ſollicitantis, laſciuiam & procacitatem debellauit: atque ex improuiſa lucta victor regrediens, pudicitiam tanquam à Domino ſibi commiſſum theſaurum ad domum caſtam integro caſtitatis ſignaculo reportauit. Exindéque in *Franciſcus Saleſius.*

patriam redux, cœleſti prodigio à ſæculari ſorte abductus, ſuſcepto Eccleſiaſticæ vitæ conſilio, ſtudiis Theologicis: (quorum tyrocinia iam Lutetiæ ſub Maldonato & Genebrardo præmiſerat) plenius imbutus eſt. Sacríſque initiatus, in hæreticis præſertim ad Eccleſiæ gremium reuocandis animum intendit, quos indefeſſo ſtudio & concionibus diſputationibúſque fregit, & priuatis omni melle dulcioribus alloquiis: (erat enim nouus Moſes ſimul zelo diuino feruentiſſimus, itidémque mitiſſimus ſuper omnes homines, qui hac ætate ſuper terram morabantur:) adeo demulſit, vt ſex eorum millia & amplius ad Catholicæ fidei cultum reduxerit. Ex quibus tentatum Theodorum Bezam ſectæ anteſignanum, adeo inflexit, vt ſi mens non læua fuiſſet, & illaudatus pudor quam iudicio agnoſcebat veritatem, etiam facto & voluntate fuiſſet tandem profeſſus. Pollebat enim mira ſectarios ſacris monitis afficiendi gratia, adeo vt cùm de his à deuio tramite reuocandis ageretur: magnus ille Cardinalis Peronius frequenter id dicto vſurparet: *Hos ſi conuinci cupitis, ad me perducite. At conuerſos ſi anetis, dirigite ad Epiſcopum Geneuenſem.* Præclara enim in pietatem ſtudia, cum in Geneuenſem Præſulem, & Dei nutu, & anteceſſoris Claudij voluntate, & Clementis VIII. Pontificis aſſenſu & auctoritate, illum nihil apperentem quàm Dei gloriam, euexerunt. Hanc porro dignitatis acceſſionem, non vulgari virtutum & ſanctimoniæ accremento cumulauit, de omnibus boni animarum rectoris numeris, quàm accuratiſſimè explendis ſollicitus. Inuigilare ſedulus Dei famulus animarum lucris nunquam ceſſauit, quibus opitulatus eſt, & libris & viuæ vocis oraculo, vitæque ad amuſſim diuinæ legis compoſitæ, conſpicuis indiciis. Fertur plusquam quatuor millia Concionum, in quibus zelus diuinus mirificè elucebat, cœleſtiſque micabat ſapientia, oris nitebat lepor, manſuetudo animi, & inſignis modeſtia; omnéque ſanctitatis ſpecimen renidebat declamaſſe. Libros autem emiſit in lucem ſingularem pietatem & doctrinam ſpirantes: quorum prænotatio, diffuſam tota ſerie medullam, notitiámque rerum diuinarum admirabilem qua præditus auctor erat, non obſcurè prodit. Oratione autem magis quàm ſtudio hanc gratiam imbibit. Orandi ſiquidem dono mirè admodum præualebat. Nam & cœleſtibus viſis ac prodigiis, ſæpè dum preces funderet, fruebatur. Conſtat in orantis cubitale præcarium, de cœlo demiſſum igneum globum, in multas flammulas mox diffuſum, quibus vniuerſus velut igneſceret. Colluſtrauit autem & incendit Euangelij face, & ſpiritus diuini quo calebat ardoribus, non modò diœceſim ſibi creditam: (ſi exceperis rebellem illam cœleſti lumini Geneuam:) ſed & primarias quaſuis Galliæ vrbes, ad quas ob famam Apoſtolicæ qua pollebat gratiæ, à Regibus & Principibus certatim aduocabatur. Inſtituit Anicij, vbi Epiſcopalis iam (ex quo Geneua à perduellibus Catholicæ Eccleſiæ occupata eſt) hæret ſedes, Barnabitarum, è Mediolano accerſitarum in ſubſidium diuini operis, collegium. Religioſum inſuper ordinem ſacrarum Chriſti ancillarum, cui à Viſitatione Deiparæ nomen eſt, conſtituit: optimíſque legibus & inſtitutis firmatum, ita prope momento diffudit, vt in Dei digito ſodalitium illud excitaſſe, propagaſſéque nemo eſt qui non re ſuſpecta fateatur. Ad extremum Præſul ſanctiſſimus Lugdunum cùm veniſſet cum Principe Subalpinorum, Regis Ludouici XIII. ſalutandi gratia: in olitoris qui monaſterij Viſitationis hortum curabat, tugurio veriùs quàm domo, ſedem fixit, lautis hoſpitiis quæ plurima offerebantur, Chriſti imitatione & paupertatis amore, repudiatis. In ea cauſa paucis pòſt diebus quàm aduenerat, morbo correptus, qua die Sanctorum Innocentium religioſus cultus recurrit, cùm inter commendandam Deo morientis animam, ad eam Sanctorum illorum appellationem ventum eſſet: *Omnes ſancti Innocentes*, &c. innocentiſſimum ſpiritum Deo reddidit, anno ab ortu ſolis iuſtitiæ milleſimo ſexcēteſimo vigeſimo ſecundo, ætatis verò ſuæ quinquageſimo ſexto, cum diebus ſeptemdecim. Præſulatus autē anno vigeſimo cum dieb. viginti. Miraculis in vita & poſt mortē claruit. Nam & energumenis conſtat eius meritis claram liberationem, cæcis viſum, paralyticis expeditū vſum membrorū, & cuiuis generis morboſorū curationē, imò & vitam redditā eius inuocatione mortuis, plerique explorata veritate teſtantur. Spiritu prophetiæ præditum eumdem crebra argumenta

prodiderunt. Et ſplendor ſupernè eius in faciem ſuperſtitis illapſus ex eáque colluceens, animæ eius ſanctitatem diuino vti indicio propalauit: defuncti corpus in æde ſacra monaſterij Viſitationis Lugduni, ad breue tempus depoſitum, paulò pòſt in Sabaudiam relatum: Anicij, in templo Viſitationis conditum eſt, inſolita fragrantia diuinitus inhalante, & ſupernæ virtutis crebris inſignis aduocantibus fidelis populi frequentiam, ad illius venerationem. Quam auctam iri non diffidendum eſt, glorioſi Præſulis propè decernenda per ſedem Apoſtolicam in Sanctorum album tranſcriptione, cuius mandato Archiepiſcopus vnus duóque delecti cum eo Epiſcopi, de eius ſanctitate atque mirè factis, ritè cognouerunt, & præſcriptæ inquiſitionis tabulas, Romam ex voto vniuerſæ Galliæ, tranſmiſerunt. Habuit ſanctiſſimus hic Antiſtes peculiarem in ſancti Franciſci de Paula, à quo nomen ferebat deuotionis affectum, ex quo religioſo cultu, cùm Gratianopoli (vbi per integram quadrageſimam, ingenti animarum fructu, Euangelicum munus expleuerat) propè diſceſſurus eſſet: antequam repeteret diœceſim, teſſera tertij illius ordinis voluit inſigniri, & in fratrum infimam claſſem, quaſi omnium minimum referri. Cingulo igitur donatus fuit in monaſterio ſancti Andreæ, ab Antonio Billiaco ſuperiore, & deinceps in ſymbolum initæ huius militiæ zonam illam ſemper circumtulit, hanc quoties aliquos ex hoc ordine offenderet (quos impensè amabat) vti pignus confœderationis iiſdem exhibens, quorum ſe ſodalem amica voce profitebatur.

Quarto Kalend. Ianuarij. Luna

29 F xxii.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
27	28	29	30	1	2	3	4	4	5	6	7	8	9			

ARELATE ad Rhodanum natalis ſancti TROPHIMI, viri Apoſtolici, primíque vrbis illius Primariæ Antiſtitis. Hic Aſianus ex Epheſo, Hieroſolymam religionis cauſâ tranſmigrauit, atque ipſo Chriſti Domini diuino ore edoctus, in diſcipulorúmque eius numerum cooptatus, poſt glorioſam illius aſcenſionem, cùm ſtrenuè Apoſtolis collaboraret, in gloriæ eius propugnatione, & naſcentis Eccleſiæ tutela & prouectione: orta atroci illa procellâ, quâ Stephanus abreptus eſt, fideliúmque turma ingens obruta, ipſe qui Iudæis penè omnibus inuiſus erat, ob auidam fidei procurationem, ſolum vertere coactus, eâ in perſecutione qua diſcipuli diſperſi ſunt, primùm excurrit in Samariam, deinde in Aſiam ſe recepit. Magnámque circumquaque iam excitauerat diuinæ ſementis frugem, cùm Paulus, nouus de cœlo datus orbi terræ magiſter, in Aſiam adueniens, pleniori ſpiritu, Chriſtum incolis annunciare cœpit. Tunc enim ſeſe illi cum aliis pleriſque primæ notæ aſſeclis adiungens Trophimus Aſiam ferè totam & Græciam prædicando, eidémque gnauiter cooperando, peragrauit: at Paulo inde poſt diutinos excurſus Epheſum demum reuerſo, SS. TROPHIMUS.

hincque Hieroſolymam quò à Spiritu vocabatur, proficiſcente, indiuiduus cum comes Trophimus ipſe ſecutus eſt. Cuius præſentiâ, magis quàm ipſius Pauli aduentu, Iudæi exaſperati, turbinem quo Apoſtolum ipſum perdere niſi ſunt, excitârunt: id pro magno crimine eidem imponentes, quòd Trophimum quem cum eo viderant in ciuitate, *Gentilem*, vt aiebant, *hominem, in templum induxiſſet*, eóque nomine reum violatæ ſacri loci ſanctitatis vociferabantur. Paulo igitur in vincula coniecto, poſtquam cauſam in magno Concilio Sanhedrin egiſſet: vt nece à Iudæis clam ei parata ſubduceretur, Cæſaream perductus eſt, & auditus coram Felice præſide, & poſt biennium à Feſto eius ſucceſſore, ad Cæſarem appellans, Centurioni traditus eſt, cum aliis vinctis, perducendus Romam. Et in tranſitu quidem Mileti Paulus Trophimum, vt ad Timotheum meminit, *infirmum reliquit*: qui cum Luca Antiocheno, & Ariſtarcho Theſſalonicenſi, aliiſque diſcipulis, ipſum vt ſuâ curâ iuuaret, à Cæſarea comitatus erat. Interim verò Paulus Romam deportatus, ab omnibus ſuis (præter Lucam qui fidus ei adhæſit) relictus eſt. Tito abeunte in Dalmatiam, Creſcente in Galatiam, Dema in Macedoniam, & aliis aliò dilapſis. Productus igitur Apoſtolus ad tribunal coram Nerone cauſam dixit, *in qua prima ſua defenſione*, vt ad prædictum ſcribit Timotheum, *nemo ſibi adfuit*. At non defuit ſuo Apoſtolo Dominus, quo aſpirante ille adeo feliciter perorauit, vt diuinæ quam prædicabat veritatis euidentiâ, nonnullos ex ipſius Neronis familia ad fidem Chriſti ſalutarem conuerterit: atque à Nerone ipſo qui crimen in viro non deprehendebat, benignè habitus eſt, à quo & poſt biennium liber abire permiſſus, proficiſci in Hiſpaniam, & redire in Orientem ad colluſtrandas confirmandáſque Eccleſias, cum reuerſis ad ſe præcipuis diſcipulis conſtituit. Iampridem ad ipſum redierat Trophimus valetudine recuperata, qui Petro quoque aliquandiu in ſalutis miniſterio fuerat obſecutus. Hunc Paulus iturus, cum Creſcente etiam reduce & Sergio Paulo, aliiſque fidei anteſignanis, vt maximè idoneis præconibus, ad opus gratiæ in Gallia ordiendum ſecum aſſumpſit, atque cùm per Galliam Viennenſem & Bracatam, tranſitum in Hiſpaniam ordinaret: Gallicæ gentis vniuerſæ curam Apoſtolicam eidem obeundam deputauit. Erat tum Arelatum *Gallula*, vt aiebant, *Roma*, ſeu nobiliſſima ciuitas Galliarum. Hic igitur ſtatuendi Chriſti regni apud Gallos primum curatorem, Trophimum Paulus conſtituit. Viſitur etiamnum Arelate domuncula & vicus ſancti Pauli nomine, qui illuc tum diuertiſſe, dum Hiſpaniam

expeteret, memoratur. Eiúſque per has horas diſcurſus adhuc etiam Viennæ vbi Creſcentem ordinauit Præſulem, & Narbonæ vbi conſtituit Sergium primum Epiſcopum, non obſcura ſuppetunt monimenta. Abeunte autem Apoſtolo, Trophimus iniuncti officij non immemor, diuinæ gloriæ opus ſerio prouehere aggreſſus eſt. Nec diu opperiendum fuit, vt edendi clari eam in rem facinoris occaſio ſe offerret. Erant Arelate prope ciuitatem duæ columnæ prægrandes erectæ, & ſuper eas ara impoſita, ad quam frequens vndique illius prouinciæ populus, quotannis ad Kalendas Maij, humanas hoſtias, pro ſua ſalute mactare conſueuerat. Idcirco tres pueros publica pecunia emptos, anno toto ſaginabant, quos conſtituta die, ad ipſam aram immolabant, victimarum ſanguine circumſtantem plebem aſpergentes. Barbarum hunc ritum intimo cum animi dolore conſpiciens Trophimus, ardenti ſpiritu, in multitudinem horrendo ſacrificio inſiſtentem proſiliit, diuinóque ore plebem conteſtatus eſt, vt tam ab immani & atroci more deſiſteret: docens non cruore mortalium hominum, ſed Chriſti filij Dei veri ad hoc incarnati pretioſo ſanguine, qui pro humana ſalute ſeipſum hoſtiam & victimam immaculatam æterno Patri obtulerat, debere illos expiari. Corruit ara nefanda ipſo cœli nuntio proloquente, multíſque aliis diuinæ virtutis ſignis illius prædicatio firmata, aſtantes audientéſq. concuſſit. Præfectus igitur cum magna populi multitudine incenſa fide, baptiſmum ſuſcepit, Chriſtóque ſeruatori datis nominibus, Trophimo locum aliquem diuino cultui deſtinandum poſtulanti, palatium amplum vltrò conceſſum eſt, in quo pius Antiſtes oratorium in honorem ſanctæ Dei genitricis & Stephani Protomartyris ædificauit, quod poſtea ipſius Stephani reliquiis, ſub Honorio Imperatore diuinitus repertis, mirificè illuſtratum eſt. Aliam iuxta paludes ſtruxit ædiculam, quam eidem Chriſtiferæ Virgini conſecrauit: adiuncto cœmeterio fidelium ſepulturæ dedicato. Sic Arelate diuina religione feliciter initiata, ſacerdotióque ex Chriſtianæ legis præſcripto ordinato, Trophimus cui cum proprio illius vrbis Epiſcopatu, generalis cura Galliarum ſalutis fuerat, vti Apoſtolo totius gentis, demandata, aliò ſtudia produxit, atque longè latéque diſcurrens, Euangelica prædicatione pleroſque Galliæ populos ad Chriſti cultum perduxit. Tantúmque profecit doctrina & miraculis, vt hoc inſigne elogium, oraculo ſedis Apoſtolicæ depromptum per Zozimum Papam, iure retulerit. *Ipſum reuerà fuiſſe, quem Gallia primum ſenſit Apoſtolum, & ex cuius prædicationis fonte tota Gallia fidei riuulos accepit.* Vir itaque pla-

nè Apoſtolicus, imò verus Galliæ Apoſtolus demum poſt multos populos Chriſto acquiſitos, poſt innumeros labores pro eius gloria ſuſceptos, poſt diras toleratas pro fidei confeſſione perſecutiones, extremo confectus agone in victoria immortali diuinum ſpiritum effudit, calcatíſque inferis, ſubactis terris, aperto cœlo, triumphali ouatione aulam æternæ gloriæ ingreſſus eſt. De eius ſepultura ſuperiùs agitur in eius tranſlatione quæ colitur pridie Kalendas Octobris. Hoc ipſo die Viennæ ordinatio

CRESCENS. ſancti CRESCENTIS, ibidem ab Apoſtolo Paulo primi Epiſcopi conſtituti, cuius natalis in Eccleſiæ Catholicæ diptychis colendus ſignatur quinto Kalendas Iulij, qua die in Galatia, glorioſo

VRSINVS. exitu ad Chriſtum perrexit. Bituricis natalis ſancti VRSINI, itidem Apoſtolorum adiutoris primíque illius metropolis Epiſcopi, cuius encomium ſuprà exaratum eſt in eius tranſlatione quin-

THOMAS. to Idus Nouembris. Ipſo die natalis ſancti THOMÆ Cantuarienſis Epiſcopi, Angliæ Primatis & Martyris glorioſi. Qui primùm in gerendo Cancellarij magiſtratu eximia iuſtitiæ integritate: deinde in Archiepiſcopali officio ſumma pietatis laude florens, Henrici II. Regis, iniquè ſe in legibus dignitati vtilitatíque Eccleſiæ repugnantibus gerentis, cupiditati conſtanter reſtitit: à quo grauiter afflictus, vt iræ locum daret, Romam primùm venit, atque ab Alexandro Papa III. benignè ſuſceptus, ab ipſo in Galliam tutum piorum aſylum ablegatus, Pontiniacenſibus monachis commendatus eſt: vbi habitum Ciſtercienſem aſſumpſit, omnéſque perfectionis monaſticæ expleuit numeros, humilitate præcipuus, abſtinentia ſingularis, impensè ſacrarum literarum ſtudio intentus, orationi ſummè deditus, cœlitúmque viſitationibus aſſuefactus. At hinc molitionibus Regis Angliæ excedere compulſus, fauore Ludouici VII. Francorum Regis cognomento Pij, qui ſolatia ei multa impendit, à Victorinis aſcetis intra monaſterium vrbi regiæ contiguum, multa charitate & reuerentia exceptus eſt, vbi rogatus à fratribus quarta die Septembris ſermonem diuinis conditum ſenſibus habuit: ſumpto themate, quo ſuorum laborum finem propéque imminentem ſibi agonem extremum præſagiauit. Seruatur illic hodiéque cilicium quo vtebatur ſanctus Antiſtes, cuius & monimenta alia pleriſque in religioſis Galliæ locis ſuperſunt, in quibus ſui exilij tempore habitauit, vel diuertit. Tandem annitentibus Alexandro Pontifice Maximo & Ludouico Chriſtianiſſimo Rege, ab exilio reuocatus, dum boni paſtoris officium exequitur, & infracto animo in tutela pietatis perſeuerat, ob defenſionem iuſtitiæ & Eccleſiaſticæ auctoritatis, à nefa-

riis ſatellitibus in templo ſuo contrucidatus, gladióque percuſſus in cerebro, inclyto martyrio, quod in ſacro loco, ad aram Domini, in natalis eius feriis fortiter ac glorioſè perpeſſus eſt, ad coronam emeritam tam diutina quàm feliciſſima concertatione migrauit. Fulſit poſt mortem innumerabilibus prodigiis, quibus perſecutorem ſuum Regem ad impiè factorum pœnitentiam & ſui venerationem flexit. Iiſdem verò excitus Ludouicus præmemoratus Francorum Rex, qui cum exulem fouerat, tumulum eius ex votis inuiſit: oblatóque Cantuarienſi Eccleſiæ, vbi quieſcebat multa cum gloria Chriſti Martyr, ingentis ponderis calice aureo, & centum modiis vini annui prouentus, beatum ipſum enixè deprecatus eſt, vt regnum Franciæ, in quo tamdiu exul vixerat, iugi patrocinio defendere dignaretur. In eiuſdem glorioſi Martyris memoriam venerandam affatim propenſus fuit Robertus Drocenſis Comes, Regis ipſius Ludouici germanus, qui in teſtimonium ſuæ in eum pietatis Lutetiæ Pariſiorum ad Luparam Collegiatam fundauit Eccleſiam ipſius nomini conſecratam, at deinde per inſcitiam vulgi ad cultum ſancti Thomæ Apoſtoli traductam. Cæterùm in Carnutenſi ſuburbio capellam ſancti Thomæ Cantuarienſis deuotio conterraneorum eius, qui huic ſedi præfuerunt excitauerat: quam hæretici hagiomachi illam vrbem obſidentes anno milleſimo quingenteſimo ſexageſimo octauò euerterunt, vt ſe eodem agi ſpiritu proderent, quo impij exteri ſtrenuum Chriſti pugilem pridem trucidarunt, oſſáque eius non ita diù eruta de tumulo toto orbe venerando ſacrilegis manibus flammis iniicere non exhorruerunt. Eodem die in pago Oximenſi, Vceticenſi cœnobio Luxouienſis diœceſis ſancti EBRVLFI Abbatis primi illius loci, & Confeſſoris. Qui origine Baiocenſis tempore Clotharij I. Regis, cùm inter proceres regios, ſtemmate non modò altæ nobilitatis, ſed & virtutis eximiæ præpolleret, diuino igne inflammatus, ſæculi pompas contempſit, Chriſtíque vt vnico obſequio (cui ſeruire regnare eſt) perenniter inhæreret, coma depoſita, monaſticum ſchema induit, atque vt eò tutiùs ageret, quò à mundo eſſet remotior, in eremum tribus cum ſociis ſe recepit. Ibi ab hominum infeſtatione liber, non immunis tamen à diaboli inſultibus, cum eo aperta quaſi lucta congreſſus eſt: victórque euadens, ab Angelo diuinum præceptum accepit mutandæ habitationis. Directus igitur ſuperno ductamine ad Vceticum ſaltum, cœnobium illic condidit: porro latrones qui ſyluam incolebant iræ Dei interminatione, ita terruit, vt relictis latrociniis ad iuſtitiæ reduxe-

EBRVLFVS.

rit tramitem: ex quibus quoſdam agricolas, cæteros monachos fecit, qui excuſſo dæmonis iugo, ſuauem Chriſti ſeruitutem miro affectu pietatis ſubeuntes, non tam ex dæmonibus homines, quàm Angelos ſe actibus exhibuerunt. Non opes, quibus lautiores epulas alumnis ſuis ſuppeditaret, Ebrulfus hic congeſſit: ſed debellandæ carni aptam, at excolendo ſpiritu amicam quæſiuit inopiam. Quà patienter admodum toleratâ & inſigni fidelium diſcipulorum multitudine aggregata, patratis vtriuſq. gratiæ facinoribus conſpicuis, animabus innumeris Chriſto acquiſitis, duobus mortuis ad vitam reuocatis, meritis plenus, ſenio confectus anno ætatis ſuæ octogeſimo, ſedente Gregorio Magno in Apoſtolica ſede, regnante in Gallia Clothario II. cognomine itidem Magno, deſerta miſera vitæ huius, quæ vera mors eſt, hoſpitatione, ad patriæ beatæ optatas ædes, vitæque immortalis gaudia, lætus de exacto labore, & repoſito ſanctè actorum præmio, animam Chriſtum ſolum deſiderantem efflauit. Sepultus eſt in baſilica ſancti Petri quam extruxerat lapide, in marmoreo tumulo: in quo quieſcens non mortis, ſed vitæ argumenta prodidit: ſanatis multorum languoribus, qui beati eius ſpiritus vim perennem, ſuſceptis ex beneficiis per eius interceſſionem, debita gratitudine celebrarunt. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confeſſorum, atque Sanctarum Virginum.*

VValburgis. METIS obiit VVALBVRGIS piæ memoriæ Monialis cœnobij ſancti Petri, quæ moriens Chriſti crucifixi inſignia, quibus dum viueret potiſſimum gloriabatur: ſuo collo iuſſit appendi, vt ſpem quam in paſſione Seruatoris omnem repoſuerat, hoc indicio proderet, hoc fulcimento muniret.

Tertio Kalend. Ianuarij. Luna

30 G xxi.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
28	29	30	1	2	3	4	5	5	6	7	8	9	10			

SS. PERPETVVS. TVRONIS ordinatio ſancti PERPETVI Epiſcopi, qui ſancti Martini Eccleſiam ædificauit, diémque octauam Aprilis conſecrauit beatæ mortis ſuæ, quam vita ſanctiſſima illuſtrauit perpetua commemoratione. Item Aruernis ordinatio ſancti

RVSTICVS. RVSTICI Epiſcopi, quem Spiritus ſanctus ad hoc pontificium

præclaro encomio deſtinauit: atque gratiæ multiplici dono repletum, diuinæ gloriæ illuſtrauit atque cumulauit inſigniis. Ipſo die Bononiæ in Picardia ſancti PETRI Preſbyteri Abbatis & Confeſſoris. Is monachus Romanus in monaſterio ſancti Andreæ, beati Georgij Papæ diſcipulus fuit: ſocius verò ſancti Auguſtini Anglorum Apoſtoli, à quo Cantuariæ, ob præſtantes pietatis mores, Abbas primus conſtitutus eſt, Monaſterij Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli, fundati ab Edelberto Rege, illius hortatu, non longè à mœniis ipſius metropolicæ ciuitatis. Deinde ab eodem ob ſubſidium religionis legatus, cùm nauigaret in Galliam, tempeſtate oborta demerſus eſt in ſinu maris, qui ampliatus dicebatur, & ab incolis ignobili ſepultura traditus. Sed Deo fidelis famuli merita propalante, ſingulis noctibus tam copioſa lux ſuper eius ſepulchrum emicuit, vt hoc ſuperno indicio edocti indigenæ, corpus eius de vili ſitu ſublatum, in ciuitatem Bononiam detulerint, ibíque in Eccleſia repoſuerint, congruo ſancti viri meritis, honore: quæ omnia fideli relatione Venerabilis Bedæ teſtatus eſt, eo in libro quo Anglicanæ Eccleſiæ primordia enarrauit. Durocorti Remorum Relatio ſancti REMIGII Francorum Apoſtoli. Quando ſacratiſſimum eius corpus poſt diuerſas euectiones, & reuectiones glorioſas, è ſacrario ſummæ baſilicæ ſanctæ Deigenitricis, eum ad locum vbi nunc quieuit proprio ſub titulo (vbi primùm fuerat ſepultum:) digna fuit honorificatione relatum, per Henricum magnum Archipræſulem, fratrem Ludouici VII. Regis, ipſo Rege præſente cum pleriſque proceribus, qui Dei magnalia tunc edita ad gloriam ſanctiſſimi confeſſoris, multa cum populi frequentia conſpexerunt. Tunc enim cùm tota ciuitas imbribus & pluuiis lutóque plena, ſacræ repoſitionis ſolemnem pompam remoraretur, repentino gelu ita lutum obduruit, vt ſiccis procedentium veſtigiis, veneranda membra ad locum referrentur glorioſæ ſepulturæ præparatum. Et cùm tranſiret reuerenda ſarcina, claudus quidam nomine Abraham erectus eſt, in cuius miræ rei perenne monimentum crux glorificationis inſigne poſita fuit, iubente Rege, eodem loco, vbi idem infirmus ope beati Pontificis incolumitatem recepit: diéſque Præſulis decreto conſignatus, perpetua tam glorioſæ reuectionis ab hinc recolendus memoria. Bergis in Flandria aduentus ſancti WINOCI Abbatis, cuius ſacrum corpus ſignis glorificationis coruſcans, è Wormholi ad prædictum Bergenſe oppidum, transferri curauit magna cum reuerentia, Balduinus Flandriæ Comes cognomento Caluus. Apud Cameracum ſancti WALIMBERTI

PETRVS.
REMIGIVS.
VVINOCVS.
VVALIMBERTVS.

TI Abbatis teſtificatione diuinæ gratiæ præclari. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confeſſorum, atque Sanctarum Virginum.*

Richardus.

EXCESSIT è ſtadio huius mortalitatis beatæ memoriæ RICHARDVS monachus cœnobij ſanctæ Mariæ de Alduerto prope Groningam in Friſia, vir inſtitutionis Euangelicæ tenax, & religioſæ profeſſionis obſeruantiſſimus, qui ſanctitatis & miraculorum ſplendore vniuerſum Belgium illuſtrauit.

Pridie Kalend. Ianuarij. Luna

31 A xx,

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
29	30	1	2	3	4	5	6	6	7	8	9	10	11			

SS. SAVINIANVS & POTENTIANVS, & eorum ſocij Martyres ALTINVS, SEROTINVS, EODALDVS & VICTORINVS.

AGENDICI Senonum natalis Sanctorum SAVINIANI & POTENTIANI primorum huius metropolis Epiſcoporum, eorumdémque ſociorum Martyrum ALTINI, SEROTINI, EODALDI & VICTORINI. Quorum anteſignani, Sauinianus & Potentianus, à ſancto Petro Apoſtolorum principe, Romanam illuminante vrbem, ex antiquorum Chriſti diſcipulorum quos ſubſidiarios ex Oriente adduxerat nobili agmine, ſelecti, ob præſtantiora ſupernæ gratiæ inſignia, ad opus omni æuo memorabile exequendum, primitias Apoſtolicæ miſſionis Gallicanæ accipere meruerunt. Cùm enim beatiſſimus ipſe Chriſti Vicarius ea in vrbe, quæ orbis erat caput diuinæ religionis fundamenta collocaſſet, & ſecundis ſucceſſibus ædificium nunquam ruiturum de viuis & electis lapidibus Domino fabricaret: memor præcepti Dominici, quo gentes omnes docere, & adducere in vnum ouile cuius curam gereret iuſſus fuerat: arcanúmque Abdiæ perpendens vaticinium, quo prædictum erat *exercitum filiorum Iſraël* pro Dei gloria *vſque in Sarphad*, hoc eſt *in Franciam*, (vt Hebræi explicant) penetraturum; paſtoralis vigilantiæ obtutus, in Gallicæ regionis populos primùm coniecit, Sauinianúmque & Potentianum Iſraëliticæ gentis alumnos, quos Chriſtus ipſe Dominus è Synagogæ ſinu abductos, ſuum in obſequium iampridem acciuerat, tam inſigni obeundo facinori perdoneos, diuina aſpiratione deſignauit. Adiuncto igitur illis Altino, quem egregiè inſtructum nouerat: præcepit iiſdem in Gallias proficiſci, vt gentem illam fortem & ferocem gladio ſpiritus debellarent, homines vinculis Satanæ irretitos abſoluerent,

uerent, ab errore ad viam veritatis & agnitionis filij Dei conuerterent: Crucis Domini erigerent trophæa, templa in honorem vnius veri rerum Cõditoris & Reparatoris conſtruerent, exturbarent nefandos ſpiritus è domibus, è corporibus; regnúmque Dei, deſtructo exitiali diaboli iugo, ibidem perpetuis ſæculis duraturum ſuperno ductu ac præſidio auſpicarentur. Accepta igitur Apoſtoli benedictione iter aggrediuntur. Non illos aſpera montium, non rapida fluuiorum, non inuia ſaltuum ſyluarúmque cœpto ab opere deterruerunt. Sola Chriſti charitas eos vrgebat, vt ſuſceptum vrgerent opus. Italiá itaque relictâ ingrediuntur in Gallias, in quibus oppida munita, ſolum fœcundum, populum multum offendunt diuerſis idolorum ſuperſtitionibus implicatum. Audiunt Metropolim vrbium ciuitatem Senonenſem cæteris longè præcellere: quæ Romam pridem obſidere, viribus confiſa ſuis, orbis dominam non pertimuerat, ac diripere præualuerat. Credunt, nec vana fides, facilè membra iugum Dominicæ legis ſubitura, ſi contingeret caput ad illud inclinari. Quamobrem eò contendere conſtituerunt. At Vaſtinienſem agrum ingreſſi paulíſper ſubſiſtunt, eo in loco qui Ferratiæ celebris cœnobij nomine poſtea inclaruit, ad Lupam amnem in Sequanam influentem. Dies enim Natalis Domini imminebat. Cui debito cultu tranſigendo, dum intendunt, vigiliis, ieiuniis, & orationibus defixi, ipſa nocte qua ortum ſolis iuſtitiæ in ſanctis meditationibus præſtolabantur, repentino affulgente in tenebris lumine, ipsâ horâ qua Chriſtus natus eſt, idem Dominus in præſepio poſitus, circumſtante Matre ſanctiſſima & beato Ioſeph apparuit, ea prorſus forma & ſitu ac ſtatu, quo cum natus eſt in Bethlehem exiſtebat. Angelica item melodia perſonuit, eaſdem laudes quas tunc occinebant superni illi ſpiritus, replicans. Quo cœleſti viſo & auditu ipſi animati, magni illius pietatis ſacramenti nuntij, à tam fauſto auſpicio diuinum opus aggreſſi ſunt. Totóque ore & pectore effuſi in præconia Deitatis, incolas accoláſque ad agnitionem diuinæ Maieſtatis & miſericordiæ vocauerunt ac induxerunt. Primæ cœleſtium negotiatorum ſtationis fortunatus hic ſucceſſus fuit, in cuius perpetuum monimentum ædiculam in honorem nati Seruatoris, & eius beatiſſimæ Genitricis ibidem extruxerunt, cui Bethlehem nomen ſuauiſſimum & auguſtiſſimum, quo hactenus nobilis illic quæ ſuccreuit moles inſignita nitet, indidêre. Plebis autem non modicæ ibidem Chriſto collectæ, Altino collegæ ſuo commiſêre clientelam. Ipſi verò hinc digreſ-

ſi ad ciuitatem Senonenſem, magni cum fauſti progreſſus fiducia accedunt: figunt non procul ab vrbe à parte Orientis primam ſpeculam, è qua luſtrata vrbe, primos diuini luminis cuius geruli erant ſplendores in eam immittunt. Et quidem Sauinianus ſacræ legationis coryphæus, diuina inſpiratione edoctus, non caſſo labore tantæ vrbis ſeſe ſubiugationem adoriri; quin illam Chriſti imperio ſua & ſocij opera cœlo fauente acceſſuram: illius quaſi iam ſubactæ mœnia circuit, ſignóque crucis his circumquaque impreſſo, Chriſti iam cultui dedicat. Multis pòſt ſæculis trophæa illa conſpicua fuerunt, quæ cùm efformaret Dei ſeruus, murorum lapides digitis eius cedebant inſtar mollis ceræ, receptáque vltro figurâ ſignaculi ſalutis priſtinam induebant duritiem. Hoc initium fuit fortunati illius bellatoris, oménque haud obſcurum ad id acceſſit mox ſubſequentis victoriæ; quod apud *Victorinum* quendam prædiuitem virum, cum collega ſuo Potentiano, Sauinianus ipſe hoſpitio (non procul à ſuburbiis) exceptus, hunc cum filiis & tota familia fulmine verbi, ſapientiæ, & ſanctitatis energiâ, Chriſto ſubdiderit: atque non credentem modò effecerit, ſed & agnitæ veritatis ſtrenuum aſſertorem ac propagatorem. Huius in ædibus dum moratur cum venerabili ſymmyſta Sauinianus, adiutus ſedula eius opera, miras res peregit. Erant in ciuitate Senonenſi viri duo pernobiles *Serotinus & Edoaldus*, qui Victorino amicitia iuncti domum eius officij ergo frequentabant: iis lucem quam ex ore cœleſtis præconis hauſerat, ille propalauit. Qua illecti plenius quòd illuſtrari cuperent, à Sauiniano & eius ſocio diuinæ fidei vberiora ſibi infundi lumina popoſcerunt. Hæc accepta in ciues pleroſque effuderunt: factíque Euangelij æternæ ſalutis & ipſi nuntij, (nam hos diaconatus honore ob micantia in his gratiæ dona Sauinianus prouexit:) multos ad Chriſti caſtra pertraxerunt. Interim Altinus copioſo fœnore creditæ gratiæ comparato, ad magiſtros rediit. Quos intentos reperit regni immortalis hæredibus, quotidiè è diuino fonte naſcentibus, conſcribendis. *Pluuiam* ſiquidem *voluntariam* verbi diuini cordibus confluentium ciuium dulciter inſtillabant: accedentibus ad veritatis confirmationem ſignis, omnium qui aures & oculos audiendis illis & videndis intendebant, admirationem non magis excitantibus, quàm prorſum ſuperantibus. Hìc videre erat innumeram ægrotorum multitudinem à morbis, quibus medicorum manus opem ferre fruſtra tentauerat, orationibus Sanctorum non expectatæ redditos ſanitati. Hìc ſtupefactos Euangelij

prædicati, & miraculorum ſublimium nouitate viros & mulieres, ab idolis vanis & ſimulachris mutis ad Deum viuum conuerſos, certatim velut agmine facto ad IESV Chriſti baptiſmum conuolare. En igitur naſcentis Eccleſiæ præſidem Epiſcopum, miniſtros & populum affluentem, ſed cui ad diuina colligendo, locus capax non adhuc ſuppetebat. Erat porro in illo vico, quoddam magni ædificij fanum, in quo fœdæ exercebantur fictilium numinum litationes. Hoc beatus Sauinianus cum ſociis, ſub inuocatione ſupernæ Triadis, verbis ſalutaribus expiauit, & ex profano delubro mutans in Eccleſiam, ad cultum conſecrauit, veri Dei hominum Redemptoris. Auctis inde animis Senonenſem vrbem ingreſſus, animas prope infinitas ad Chriſti fidem & cultum, tréſque Eccleſias in ipſa vrbe, iam palam Chriſtianæ religionis ſacra profitente, extruxit: primam ſanctæ Deigenitricis, ſecundam S. Ioannis Baptiſtæ, tertiam B. Protomartyris Stephani venerandis nominibus ac patrociniis dedicatam. Quarum poſtrema deinde ob ſitum aptiorem in metropolicæ & primatialis Cathedræ, centrum conceſſit. His lætificatus progreſſibus diuinæ gratiæ & virtutis Sauinianus, quæ ſibi ſociiſque ſucceſſerant in crediti operis executione, Apoſtolorum Principi Petro, à quo munus obeundum acceperat, per Potentianum collegam renuncianda curauit. Romam igitur petit Potentianus, réſque omnes vti geſtæ erant Petro ex ſerie patefacit. Ille vigilantiam operariorum ſuorum laudat, commendat inſtitutum, laborum fructus gratanter ſuſcipit, vtque ad meſſem tam amplam, támque præclaram Potentianus ipſe ocyus redeat, enixè rogat & hortatur. Facilè ille obtemperauit monenti, admodum prouehendæ diuinæ gloriæ cupidus. At dum ad ſtationem reuertitur, Petrus ipſe (cum Paulo) extremum ad agonem rapitur, *paſſionique dominicæ adæquatur.* Qui non diu poſt Potentiani reditum Sauiniano apparens, eidem ſe ſupremi certaminis auctum laurea eodem cum Paulo intimauit: *monuitque vt conuerſionem Galliæ cum collegis, ipſe Sauinianus prouehere maturaret, fore enim poſt modicum, vt calicem Domini cum ſociis eſſet bibiturus.* Accepta qua inſpiratione, ſtimulos ſibi ſuiſque nouos Sauinianus incuſſit: conſtructáque in honorem glorioſi magiſtri ac monitoris Petri ædicula, in vico cui *Viuo* nomen erat, ſerio ſymmyſtas hortatus eſt, vt opus diuinum tam feliciter ſuſceptum & etiam prouectum, ad coronidem perducere ſtrenuè contenderent. Id prout optabat vti cederet, Senonenſis ciuitatis & tractus peculiarem curam ſibi indixit, vt quæ ſupererant ea in regione perficeret. At verò Potentiano ſuadet, vt acceptis ſecum Altino, Edoaldo aliiſque

SAVINIANVS, primus Epiſcopus Senonenſiũ.

comilitionibus circumquaque diſcurrat, faces diuinæ gloriæ circumferens, quibus primarias ciuitates incendat, mentes ciuium inflammet, fana profana comburat, ſplendores gratiæ diffundat, ſalutiferæ religionis decora patefaciat, exitioſæ ſuperſtitionis prodat dedecora, caliginem depellat erroris, lucem diuinæ veritatis aperiat, & æternæ felicitatis, quam ex Chriſti ſeruatoris fide viua, mortales conſequi poſſint, præmia, audientibus præconia ſalutis, & præcepta complentib. iuſtitiæ, repoſita oſtendat. *Neſcit tarda molimina Spiritus ſancti virtus.* Huius ardore impulſus POTENTIANVS, cum adiuuis, inſtar fulguris coruſcantis, obuia quæque ſibi, impetit, proſternit. Aureliam ingreſſus vrbẽ ad Ligerim nobiliſſimam ampliſſimámque, diuinis ignibus replet, vehementérque incenſam ardoribus pietatis, ALTINO commendat ad præſcriptum Euangelij efformandam. Hinc Carnutum aduolat diuini ſplendoris gerulus, plebémque pariture Virgini ex auita traditione deuotam, pronam in fidem eius partus ſuſcipiendam cõperiens, verbi diuini ex Virgine incarnati myſteria, felici ore edocet, cœleſti eoſdem verbo illuminat, expiat lauacro ſalutis, & inſtructos pietatis theoriis primùm Chriſto conſecrat. Non diſceſſit inde prouidus gratiæ diuinæ diſpenſator, priuſquam nouello gregi tutorem præfeciſſet. ADVENTINVM igitur quem cooperatorem adduxerat (virum Apoſtolici moris) iis primum Epiſcopum & paſtorem conſtituit. Cæterùm adhuc Lutetiæ Pariſiorum incolis Chriſti nomen, hoc eſt lumen gratiæ & limen ſalutis penitus ignotum erat. Ciuitati illi quam potentiſſimo regno, præcipuóque Chriſtianæ gentis imperio diuina prouidentia in ſedem prærordinabat, diuinè afflatus Potentianus, primum fidei iubar inuexit, nonnullóſq. ex ciuibus irradiatos ſupernæ veritatis ſplendore, ſacro regenerationis intinxit lauacro. Curandíſque his gratiæ primitiis, Edoaldum Diaconum ſublegit: à quo ſubinde *Agoardus & Aglibertus* viri nobiles, qui in Criſtolio vico amplas poſſeſſiones obtinebant, ad Chriſti iugum adducti ſunt. Tot partis, trophæis, Potentianus, aſſumpto ſecum Serotino Auguſtam Trecarum inuadit magno ſpiritu feruens charitatis, ibíque ingreſſus clamat, flammat, coruſcat, Chriſti vnigeniti fidei Dei in carne aduentum, in cruce ſacrificium, in cœlo triumphum, ciuibus annuntiat: idolorum vanitatem, diaboli verſutiam, populi cæcitatem arguit & deplorat; vocat auditores noui præconij ad lumen veritatis, ad agnitionem deitatis, ad obſequium fidei, ad cultum Seruatoris crucifixi; prouocat pleroſque ad gemitum, excitat ad lauacrum, inducit ad iuſtitiã, inſtruit ad pietatem, roborat ad patientiã, impellit ad luctam, animat ad victoriã,

POTENTIANVS Apoſtolus Aurelianenſium, Carnutenſium & Trecenſium, ac Pariſienſium.

ALTINVS primus Aurelianenſiũ Epiſc.

ADVENTINVS primus Epiſc. Carnutenſium.

ad palmam, ad coronam. Sic pauco quidem tempore, at multo ſudore Potentianus, plurimos hac in ciuitate, voce Euangelica, vita Apoſtolica, & diuina virtute Chriſto acquiſiuit. Cùm verò iam ad baptiſmum immenſa populi conflueret multitudo, in memoriam Apoſtolorum Petri & Pauli Eccleſiam paruo opere Domino conſecrauit: in qua diuinæ gratiæ muneribus populo impertiendis, miniſtros è nouo grege ſelectos, ex præſcripto Euangelicæ diſciplinæ, præpoſuit. Verùm negotij tam proſperè inchoati progreſſum cohibuit Montanus Trecenſis Comes, qui à ſacrificulis idolorum contra nuntios æternæ ſalutis exacerbatus, hos ceu præſtigiatores & numinum hoſtes, vrbe & toto hoc tractu properè excedere, haud ſine flagris & probris coëgit. Et illi quidem honorificum ducentes pro Chriſto Rege gloriæ contumeliam pati, ſic indecorè expulſi Trecis diſceſſerunt: ſed ante exitum filios quos verbo veritatis & vitali lauacro progenuerant, feruida hortatione & paterna benedictione confirmatos, illi cui ſua prædicatione crediderant, profuſis votis commendârunt; vt cuius gratia fideles facti fuerant, eiuſdem potentia conſtantes in agnita veritate ſeruarentur. Ita rediit ad Sauinianum cum Serotino Potentianus, multa fruge ditatus laboris & peregrinationis ſuæ. Nec diu pòſt reuerſi ſunt ad eumdem Altinus & Edoaldus, profligati ab impiis, qui horum facta glorioſa liuidis cernebant oculis, & cruentis mentibus ac manibus inſectabantur. Carnuti etenim orta diaboli aſtu & æſtu teterrima aduerſus pios tempeſtate, quæ ADVENTINVM primum paſtorem noui illius gregis, cum MVLTIS CHRISTI OVIBVS abripuit: eò impigrè accurrit Altinus, vt exterritas oues diſperſáſque quâ poſſet operâ ſolaretur. At fremente magis eo viſo in Chriſti cultores ſacerdotum inuidia & ferocia; *aucta ſtrage fidelium*, ipſe vix extremo ſuperato diſcrimine, non ſine plagis & cruore hinc elapſus eſt. Non ſecus actum Lutetiæ cum EDOALDO Diacono, qui alter illic Stephanus, cùm *plenus gratiâ & fortitudine*, multa ibidem in Chriſti nomine prodigia perpetraret, ſapientiæque & diuinæ facundiæ qua præditus erat efficacia, multos in dies ex paganorum multitudine ſubtraheret, ac ad caſtra Chriſti traduceret: aduenientibus Lutetiam Carnutenſibus ſacrificulis, qui progreſſum Euangelij omni contentione circumquaque oppugnabant, & Altinum ibi profugum inſectabantur, tanta perſecutionis procella in Edoaldum, Altinúmque ipſum, & ſequaces eorum excitata eſt, vt ocyus his neceſſe fuerit ea ſe ex ciuitate, ſanguinis ipſorum auida ſubducere, & non ita procul ab eius finibus in vicum Criſtolium, qui Matronæ flu-

Martyres multi Carnutenſes, cum ADVENTINO coronati primo Epiſcopo. Plerique alij ibidem.

EDOALDVS Pariſienſium Doctor, primuſque in Chriſto Pædagogus.

uio adiacet, ſe recipere, ſub Agoardi & Agliberti eximiorum fidei fautorum patrocinio. Id vbi per exploratores didiciſſent idolorum ſacerdotes, maiori animi impotentia inſaniunt: Iudicem Agrippinum multorum clamore adeunt, deque neglecta religione immortalium Deorum conqueruntur. Non enim latere eum potuiſſe aiebant, viros ſacrilegos ab Orientis partibus aduenisse, qui deorum ſuorum cultus annihilare conantes, IESVM quemdam à Iudæis probroſa morte interemptum, Deum deorum prædicant vnicè adorandum. Hos impoſtores, multos ex Pariſiorum incolis, ſuis faſcinamentis circumueniſſe. Porro ſcelere impietatis iam inſignes, cum præcipuis aſſeclis ſe vt pœnis debitis liberent, clanculum in vicum Criſtolium recepiſſe, vbi ab Agoardo & Agliberto occultis ipſorum fautoribus, qui eorum ſeductione auita ſacra eiurarunt, tota cum ſequela excepti, nouæ & exitioſæ ſuperſtitionis ritus nefandos exequuntur. Id audiens Præfectus deos ſuos vindicaturus eò properat. ſed incaſſum exarſit eius crudelitas, dum minimè potuit reperire, quos præſertim perdere cupiebat. Iam enim ſancti Dei Altinus & Eodaldus, aliò ad agonem diuinitus euocati, pacem Eccleſiæ Criſtolienſi dederant, & communicatione peracta ſacramenti cœleſtis gratiæ, ad beatum Sauinianum Chriſto auſpice redierant.

Martyres Chriſtolienſes.

Iratus igitur Iudex Agoardum, Aglibertum, & quotquot ibi deprehendit, fidei diſcipulos truculenta rabie impetens, internecione deleuit. Cæterùm Senonis mox ac conuenêre religionis immaculatæ prouectores, incenſus diaboli faculis efferbuit in eorum perniciem infidelium myſtarum furor: qui ſeditione commota, in Sauinianum, Potentianum cæteróſque Chriſti præcones ac cultores, ciuitatem omnem clamoribus iríſque repleuerunt. Eo in æſtu populi, SAVINIANVS Coryphæus Eccleſiæ cum ALTINO & VICTORINO, eiúſque ſocio comprehenditur, atque vinctus, ceu reus immanis flagitij, ad Seuerum Præſidem adducitur, Tribunali ſiſtitur, impietatis cum ſociis accuſatur: duris eum excepit verbis Præſes, qui Chriſtianæ doctrinæ capita multis cauillis & cachinnis à ſe expoſita, Sauiniano, *ſectæ*, vt aiebat, *tam inſulſæ & improbæ* doctori ac ductori, illico eiurare iubet, ſuíſque delitiis ſeu præſtigiis dementatos ciues ingenuos, hac demum palinodiâ publicè editâ, ad ſaniorem mentem reducere. Ac impij Iudicis inſaniam & petulantiam Chriſti Antiſtes Sauinianus, clypeo magnæ fidei retundit. Oſtendítque malè ipſi comperta illum effutire, ſacra verè diuina impiè execrari: execranda inaniáque numina imprudenter colere, quæ captum ſuperent ſuo ſenſu metiri, diuina humanis adæquare,

Sauinianus, Altinus & Victorinus martyrio coronati.

diaboli artes non aduertere, Dei conſilia ignorare, blaſphemare eius myſteria, ſpernere beneficia, paſſúmque pro omnium ſalute in crucis ara eius vnigenitum, Chriſtum ſcilicet agnum immaculatum, ex cuius liuore, cruore & morte manat omnium ſalus & vita, non nitidæ mentis obtutibus intueri, ſed cæco furore concipere, atque ſibi ignotum verum ſeruatorem & Dominum infeliciter aſpernari. Ideóque iturum ipſum præcipitem æternum in exitium certo certius aſſerit, maturè ni callem reflectat. Sauiniani Apoſtolicam planè vocem, Altinus pari dicendi libertate proſequitur, nec ſilet VICTORINVS, *filiúſque eius* adhuc *puer*, vt alter Daniel Dei ſpiritu repletus iámque inſignitus honore ſenectutis, Iudicis inſaniam deridet, Chriſti attollit nomen, & fidei eius gratiam, miro profitetur ardore. Hinc pudore Præſes ſuffuſus maiori ira excanduit. Suo in conſpectu fuſtibus cædi Sauinianum iubet, ſocióſque acriùs cruciari, niſi Chriſti nomen & fidem continuò abiuret, & quem colat, & colendum docet tanta audacia, omnino execretur, ac quos hac religione faſcinauit ab ea diuellat, ſuo exemplo & ſerio hortatu. At in *columnam ferream & murum æneum* hos flatus exhalat Præſes iniquus. Sauinianus enim quo diriùs torquetur, eo firmiori ore & pectore Chriſti vnici hominum redemptoris encomia effert, myſteria prædicat, fidem magnificat & gloriam. Tetrum igitur in carcerem cum ſociis detruditur: diéque craſtina ad examen reuocatus, cùm magis ſe in ſalutari confeſſione obfirmatum, vnà cum commilitonibus exhiberet, capitali ſententia damnatur. Dum autem duceretur ad locum ſupplicij, impetrato orandi ſpatio, in ædiculam obuiam ingreſſus, quam in Saluatoris nomine dedicauerat, diuina myſteria ibidem fratrib. aſſiſtentib. celebrauit, deſignatóq. Potentiano ſucceſſore, dum hortaretur ad conſtantiam fideles, feri lictores moræ impatientes in Eccleſiam irruerunt, ipſóque in ſacrario Pontificem impetentes, illiſa bis ſacro eius vertici ſecuri, orantem cum Altino occiderunt. Victorinus ibidem cum puero memorato ab iiſdem ſatellitibus capite plexus, illuſtrem agonem impleuit. Eodémque loco trucidati ſunt plerique fidelium, qui confeſſione fortiter edita meruerunt eiuſdem palmæ fieri particeps, ſacra quoque morticinia clanculum pij qui ſuperfuerunt ab hac ſtrage colligentes ibidem honorificè condiderunt. Poſt hæc verò SEROTINVS dum ad ſepulchra Sanctorum indeſinenter excubat, inſidiis gentilium interceptus, fuſtibus vſque ad emiſſionem ſpiritus verberatur, atque à Chriſtianis religioſè tumulatur. Pauliſper verò detumeſcente tam ſæuæ perſecutionis turbine, POTEN-

FILIVS VICTOR[INI] adhuc Chri[ſti]co & M[ar]tyr.

SEROTINVS Martyr.

POTENTIA[NVS].

nvs Senonum Antiſtes, Martyr cum EDOALDO Archidiacono.

TIANVS Antiſtes, cui EDOALDVS Archidiaconus ſuffragio erat, Eccleſiæ Senonenſis tanta clade attritæ, magno ſpiritus ardore gubernacula capeſſiuit, abſterſit eiuſdem gemitus, nouis ſolatiis opportuníſque ſubſidiis labentem illam ſuffulſit, ac prouexit vberioribus gratiæ incrementis. At vix excurrerat annus, cùm perſecutio acrius recruduit. Cùm enim aucta videretur illa Eccleſia ſuis diſpendiis, Potentianóque Paſtore in dies Chriſti ouile nouis acceſſionibus accreſceret, hæc animarum lucra ſua damna reputans humanæ ſalutis hoſtis, bellum grauiſſimum in tutorem gregis & oues eius excitauit: conflatáque ſeditione per ſacrificulorum inuidiam, Potentianus, Edoaldus, aliíque anteſignani fidelium iuſſi ſunt inquiri, qui ad prætorium adducti, dum inuicti in aſſertione pietatis perſiſtunt, variis excruciantur tormentis, vt à ſententia deducantur. Mactantur itaque fuſtibus, & brachio dextro ſanctus Pontifex mutilatur: deinde applicantur equuleis, euelluntur horum è digitis vngues, & ignitis laminis ipſorum latera aduruntur. Hinc retruduntur in tenebricoſum carcerem. Sed in ſpecum Angelus Domini cum ſplendore deſcendens, miro Martyres ſolatio recreauit, abſterſit eorum cruorem, corporum plagas diuino lenimento ſanauit, eorúmque mentes ineffabili gaudio repletas ad pugnam extremam, quæ imminebat ſequenti die, mirificè erexit. Ad tribunal igitur poſtremò euocati, cùm à Chriſti religione ſe abduci nullo modo poſſe affirmarent, capitis damnati ad necem, Præſidis iuſſu rapti ſunt. Potentianúſque, cui iam dextrum brachium tot mirabilium inſtrumentum, ob prouectum tanta virtute diuinæ diſpenſationis opus abſciſſum fuerat, detruncatione capitis, quod lubentiſſimè porrexit excidendum, vt aliorum dux, coronatur. Quem gradu proximus ſecutus Edoaldus, eodem martyrio conſummatus eſt. Hinc INNVMERI FIDELES, qui intrepidè ductores ſuos ſecuti ſunt, gladiis necati agonem ſuumglorioſa in confeſſione compleuerunt. *Strages tunc edita eſt immanis credentium*, quorum vt nota certamina, ſic quæ Deus nouit, & cœlo inſcripſit, nobis ignota nomĩna ſunt. Porro ſepulchra etiamnum extant conſpicua in crypta, ſeu loco ſubterraneo ſuburbicariæ Eccleſiæ pridem dictæ Saluatoris, poſtea ſancti Sauiniani, quam hæreticorum efferata rabies incendit menſe Decembri, anno milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſeptimo, cùm Senonum vrbem à ſe obſeſſam fruſtra oppugnari cernerent. Elogia, literarum formâ vetuſtiſſimâ, inſcripta lapidibus, in eadem crypta, vt titulos triumphales gloriæ, non piget hîc adſcribere, quæ priſcam mirè redolent pietatem. Ad Orien-

FIDELES innumeri Senonenſes martyrio affecti: quorum nomina Deus ſcit.

tem igitur hæc fixa inſcriptio apparet. *Huius ædis in receptaculo ambiuntur tumulati Chriſti Martyres merito Sauinianus, & Potentianus, ac Edoaldus. Corpus autem Serotini, in altera baſilica, ſed in iſto cymiterio eſt poſitum.* Ad occidentem verò. *Felix ager & inclytus, valde pulcher & candidus, roſeo ſanguine martyrum feliciter conſecratus, orationúmque munere, dignè adornatus eſt.* Denique verſus meridiem. *Per flores roſei ſanguinis, ſumpſerunt coronas victoriæ, Martyres Chriſti Sauinianus & Potentianus* CVM MVLTITVDINE INGENTI, *& ibi tumulati ſunt Pridie Kalendas Ianuarij.* Vertente enim anno poſt Sauiniani martyrium, Potencianus cum ſociis pleriſque, extremum agonem edidit. Quamobrem hac vna die omnes promiſcuè illi inclyti bellatores, Eccleſiæ Catholicæ diptychis recolendi, adſcripti ſunt. Cùm tamen Senonenſis Eccleſia natalem eorum non iſta die quo occubuerunt, ſed decima quarta Kal. Nouembris conſueuerit celebrare: quòd cùm illa die corpora eorum miraculis clara transferrentur, per Venilonem Archipræſulem, è crypta prædicta ſuburbana, ad ſancti Petri cœnobiticam Eccleſiam, tum voces Angelicæ (quæ in Potentiani martyrio etiam perſonuêre) auditæ ſint, quæ diem Angelicis præconiis inſignitum, ſolemnem poſtmodum reddiderunt. Iámque ex tunc horum martyrum celebritas, quæ peragi Pridie Kalendas Ianuarij ſolita erat, ad illum diem tranſlata eſt, qua etiamnum perſeuerat. Cæterùm ſanctis Sauiniano & Potentiano non modò Senonenſis, quæque præſtantiora poſſidet, pietatem, religionem, Metropolicæ ſedis decus, Primarúſque honorem, aliáque quæuis Chriſtianæ gloriæ inſignia, accepta debet: ſed Gallia vniuerſa æternùm iis deuincta & obſtricta eſt, quòd eorum opera & beneficio, ab eluceſcente Euangelio (cùm id lumen vix adhuc Roma in ortu ſuo aſpexiſſet) fidei Chriſti ſalutiferæ notitiam & felicitatis veræ exordium ſit adepta: quæ longè latéque ab his aratro crucis exculta, fœcundata ſuperno ſemine, irrigata eorum ſanguine, id à ſuis his in Chriſto IESV primis parentibus & venerandis pædagogis peculiare decus accepit: vt primatu fidei ſit cæteras Occidentis gentes longè antegreſſa, cùm & Romanæ Eccleſiæ cuius primogenita filia eſt, ita primordia ſuis cunabulis æquiparet, vt eodem ferè tempore quo illa à Petro beatiſſimo Apoſtolorum principe fundata eſt, fuerit iſta, (auctore ipſomet Petro, qui eodem anno quo Romam ingreſſus eſt, Sauinianum, Potentianúmque Gallicanæ Eccleſiæ Patres has in oras direxit) ab iis progenita. A quibus acceptam fidem & religionem ſubinde in vicinas gentes propagârit, vnde non in

Galliæ modò ſinu, ob memoriam tantorum Patrum eminuit dignitate ſedis Metropolicæ Eccleſia Senonenſis, ſed vſque ad exteras gentes dilatans terminos ſuos, Primatus ſui iura vniuerſam per Germaniam decreto Apoſtolicæ ſedis iampridem prorogauit. Quæ etſi temporum diuturnitate & viciſſitudine rerum, actu iam reſtricta videantur: manent tamen manebúntque titulo legitimè parto perpetua. At verò beatorum illorum Galliæ Apoſtolorum, vt nomina in benedictione & glorificatione, poſtquam cœleſtes ad triumphos commigtârunt, permanſerunt: ſic ſacratiſſima eorum pignora, quæ Deus magnificis virtutis ſuæ inſigniis decorauit, ab fidei eorum hæredibus, Galliæ Chriſtianiſſimis populis, continuâ ab hinc honorata ſunt veneratione. Verumtamen in baſilicæ ſancti Petri de Viuo vico, ad quam ex ſuburbana crypta ſancti Saluatoris tranſlata fuerant, ad ſplendidiorem & ſecuriorem ſitum, fremente Danorum turbine, ne diriperentur ab his barbaris, ſagaci aſcetarum conſilio intimo baſilicæ illius gremio abdita, diù exinde piis clientibus imperuia fuerunt, donec à Leotherico Archipræſule, qui cœnobium illud ob eorum memoriam omni ornatu illuſtrare ſatagebat, defoſſa fuere, éque ſecreto receptaculo honorificè leuata, cum ſociorum eorumdem Martyrum beatorum reliquiis. Porro eodem tempore Conſtantia Regina, coniux Roberti Chriſtianiſſimi Francorum Regis, ab apparente ſibi ſancto Sauiniano, qui ipſam viro admodum exoſam oportuna ſua opitulatione, in gratiam eius reduxit, admonita; beneficentiæ adeo inſignis memor, illius venerabile corpus plumbeo loculo hactenus incluſum, qua potis artis induſtria, auro, argento, gemmis pretioſis, à Rege tam ſacri negotij conſcio ſibi præſtitis, munificentiſſimè exornauit. Cætera verò lipſana ſancti ſcilicet Potentiani & aliorum beatorum Martyrum Altini, Serotini, Edoaldi thecis argenteis recondidit. Pars tamen non modica reliquiarum ſancti Potentiani, paulò ante exitioſam Normanorum graſſationem fuerat à Venilone celebri Senonum Archiepiſcopo, religioſo munere tranſmiſſa ad Iotrenſe Virginum ſacrarum cœnobium territorij Meldenſis, rogatu Ermenrrudis eius conſanguineæ illius parthenonæ religioſiſſimæ Abbatiſſæ: quæ ad tutelam & ſolatium, ſacratiſſima ipſa pignora multis rutilantia ſignis, expetiuerat. Ad quorum aduentum horridæ tempeſtates quæ monaſterium quatiebant, agrúmque circumpoſitum deuaſtabant, & fames ac inopia quibus moniales accolæ dirè vexabantur, opitulante beatiſſimo Martyre depulſæ ſunt, multáque edita diuinæ gloriæ magnalia: diaboli etenim ad præſentiam

tanti cœlitis mox è corporibus vexatorum aufugerunt: cæci plerique illuminati ſunt, & infirmi à quouis graui morbo liberati. Perſeuerauit poſthæc ibidem cum ſanctiſſimis lipſanis, quæ nobili in conditorio obſeruantur, glorioſi eiuſdem Martyris cultus: eius enim cum ſancti Sauiniani indiuidui eius ſodalis beata memoria, quotannis ibidem die decima nona Octobris feſto, Octauarum productione ſolemni, non ſolùm in Iotrenſi monaſterio, ſed & eius oppido, agróque ſacræ eius ditioni ſubiacenti, ex auito more illibato triumphus celebratur. Ipſo die itidem Senonis natalis ſanctæ COLVMBÆ Virginis, ſui ſexus Protomartyris in Gallia Celtica. Hæc virgo nobiliſſima, paríque animi decore qua corporis venuſtate florens, eo tempore quo Aurelianus Imperator Senonas venit, religionis Chriſtianæ accuſata, magnifico preconio fidem quam profitebâtur & pudicitiam, in ipſius furentis principis conſpectu vixdum ſexdennis affeuerauit. Quamobrem iuueni procaciſſimo ad ſtuprum tradita, ſed diuina virtute quæ vrſam de amphitheatro ad cuſtodiam eius eduxit; illæſa ſeruata, ipſum adoleſcentem ardore libidinis incenſum, & miraculi ſtupore, & ſua ſalutari admonitione, ad Chriſti diuinitatis confeſſionem & horrorem peccati admirabiliter pertraxit. Vnde magis exacerbatus Aurelianus, in rogum ingentem Columbam iuſſit iniici, qui turbine repente exorto diuinitus extinctus eſt. At magicis artibus cùm id ab ea factum tyrannus reputaret, enſe percuti illam iuſſit. Quæ extra vrbem ducta vno ferè milliari ſubſtitit, ſibíque ad orandum, moræ paulum quæſiuit indulgeri. Renuentibus impiis emiſſariis iiſdem anabolarium ſuum (pallij ſericei genus) donauit: quo munere impetrata ſupplicandi licentia, Chriſto Virginum ſponſo, plurimas gratias egit, quòd ad optatum non minùs agonem, quàm vitæ æternæ præmium tandem ſe eius famulam per immaculatum tramitem illibatæ virginitatis & fidei perduxiſſet: veniámque etiam pro ipſis perſecutoribus deprecata, ad extremum ſubdito percutienti collo, abſciſſione capitis Columba nitore virginitatis & martyrij coccino tota conſpicua, ad aquarum vitæ, quæ ſupernas axes irrigant, fluenta, læta ouánſque euolauit. Ad cuius tumulum cùm diuinæ gloriæ mirabilia coruſcarent, extructa eſt cœnobitica Eccleſia, & titulo & pignoribus ipſius beatæ Virginis, necnon beati Lupi Archiepiſcopi Senonenſis eius deuotiſſimi clientis, qui ad eius pedes tumulari voluit ſepultura, oſſibúſque ſancti Flauiti Preſbyteri ab ſancto Lupo Trecenſi ordinati, illuc pridem tranſlatis ad maiorem venerationem inſignis. Sub eiuſdem beatiſſi-

COLVMBA.

mæ cœlitis patrocinio Rodolfus Rex, moriens, ſpolia ſuæ mortalitatis voluit deponi. Apud quam itidem ceu potentiſſimam tutelarem, ſanctus Thomas Cantuarienſis dum cogeretur abeſſe à diœceſi, quatuor annos ibidem in omni pietatis exercitatione commoratus, hinc adiutus fauſtis eius præſidiis, ad agonem glorioſum properauit. Cæterùm glorioſæ huius Chriſti athletæ encomia, beatus Petrus Damiani, inſigni homilia complexus eſt. Cultus autem eius ob meritorum claritudinem longè latéque per Gallias dilatatus, apud Toloſates inſignem eius nominis baſilicam, Cluniacenſi cœnobiarchiæ obſtrictam: in Morinis verò nobilem Virginum ſacrarum eiuſdem tituli Abbatiam; Coloniæ Agrippinæ parœcialem Eccleſiam, quæ inter quatuor principales prima vt antiquiſſima eſt, excitauit. Trecis

FRODOBERTVS. ſancti FRODOBERTI Abbatis & Confeſſoris glorioſi. Hic à parentibus modicæ ſortis editus, inter ipſa teneræ ætatis primordia, ſe vas futurum electionis non obſcuris indiciis, quæ ſanctitatis ſpirabant, gratiam præmonſtrauit: quamobrem à genitoribus, in Ragneſili Epiſcopi Trecenſis traditus diſciplinam, ab eóque in pietatis ſtudiis enutritus, quid fidei, quid probitatis imbiberat, tanto ſub magiſterio adhuc adoleſcens exhibuit: amore ſiquidem cœleſtis gratiæ flagrans quidquid in diuinis lectionibus capere poterat, inſtantiſſimè transferebat ad effectum ſanctæ operationis. Itaque indefeſſo ſtudio puriſſima ſcripturarum fluenta frequentans, interioris hominis faciem, quaſi adhibito ſplendidiſſimo ſpeculo componebat, ſcelúſque reputabat grauiſſimum, ſi vel parum quiddam legeret, quod non è veſtigio efficaciter adimpleret: illud ſecum frequentius replicans, *non auditores tantùm legis, ſed factores apud Deum iuſtificatum iri.* Idcirco Sanctorum exempla (quæ, *ſcripturæ ſacræ ordinariam gloſſam*, Hugo Victorinus pereleganter vocitat) ſibi certatim æmulanda proponebat, itáque feliciter imitabatur, vt vix diſcernere eſſet in quo virtutum genere perfectiùs emicaret: orationibus aſsiduus, abſtinentia & carnis mortificatione rigidiſsimus, puritate mentis ſingularis, & ita in cunctis actibus pietatis exercitatus, vt iuuenis adeo præſtantis ſanctimoniæ, ſeniles mores, Angelicáſque dotes quibus radiabat, iam liuidus dæmon non ferens, omni arte & contentione, illum cœperit impugnare. Crebrò igitur eius aſpectibus horrida ſpecie ſe ingerebat. Verùm puer diuini ingenij, dæmoniacæ fraudis & verſutiæ non ignarus, ſalutaris ſigni clypeo inimici dolos inſultúſque quamuis aſperos retundebat. Porro eodem ſignaculo ſalutari, quid poſsit in innocenti anima diuina gratia demonſtrauit: cùm matri

tri cæcitate diuturna afflictæ, filiíque cuius ſanctitatem nouerat enixè opem flagitanti, impreſſo eius palpebris crucis ſigno, lumen tamdiu deſideratum reſtituit. Cuius miri operis diffuſa quæ latere non poterat fama, Ragnegeſilus Antiſtes, egregiam in adoleſcente animi puritatem & præcelſam iam virtutis efficaciam contemplatus, diuinis eum miniſteriis mancipauit. Poſt hæc charitatis ſolicitudine & diuini lucri ſtudio, ad Luxouium cœnobium tum celebritate religionis conſpicuum illum direxit, vt Sanctorum aſcetarum imitatione allectus & ipſe in virtutibus creſceret, & regioni ſuæ Chriſtianæ perfectionis exempla lucidiſsima poſtmodum reportaret. Tanta ibi ſimplicitate, humilitate, innocentia, patientia, abſtinentia, puritate, religione, obedientia, charitate Frodobertus eluxit, vt omnium in ſe animos admiratione raperet, maximéque ipſius Abbatis *Vualberti* ſibi conciliaret præcipuum amorem ac exiſtimationem. Hic eum nominabat æmulum Angelicæ puritatis, Saluatoríſque imitatione felicem prædicabat: quarum virtutum mira exercitia in eo conſpicatus, lachrymas ſæpè tanta concuſſus pietate profundebat. Annis autem poſthæc aliquot à Præſule Ragnegeſilo Frodobertus reuocatus eſt, apud quem cùm paucis diebus fuiſſet commoratus, redeundi vnde venerat licentiam poſtulauit. At Pontifex tantum lumen à ſe excedere non paſſus eſt: quin vt eius ſplendoribus Eccleſiam ſuam illuſtraret Epiſcopali illum auctoritate penes ſe retinuit. Refulſit illic beatus vir inditæ ſibi cœlitus gratiæ multimodis indiciis, maximè verò orationis ſpiritu, abſtinentiæ ſtudio, ſanctitatis cultu, patientiæ probatione, & diuinæ virtutis magnifica operatione. Solebat quadrageſimali tempore accedente in ſecretiorem ſe cellulam recludere, orationibúſque & vigiliis inſiſtens acerrimis ſeſe coarctare ieiuniis, adeo vt plures continuóſque interim dies tranſigeret abſque vllius cibi ſubſidio. Non defuere maleuoli, qui ſanctitatem eius carpentes inuido dente, dicerent, eum aut latenter edere, aut corpus ſuum velle perimere grauiori quàm ferre poſſet inedia. Explorauit res vt ſe haberet Epiſcopus. At ſerui Dei minimè fucata parcimonia, ſed vera & ſolida virtus, candidáque ſanctitas, ex hoc magis emicuit. Ex eo tempore fama beatitudinis eius ſe adeo longè latéque diffudit; vt ex remotioribus quoque locis infirmantium ad eum catervæ confluerent, ſanctitatis eius merito ſoſpitatis beneficia repoſcentes. At vir Deo dignus, in humilitatis arce perſiſtere cupiens, nil de ſe præſumere, nil vnquam paſſus eſt ſuis viribus aſsignare. Oleum tantummodò benedicens, ſuper ægrotos Chriſti nomen, in quo eſt omnis ſalus, obnixius in-

XXxx

uocabat: móxque ſacro illo liquore peruncti illi, receptis viribus ſvororum compotes ad propria remeabant. Iam verò in effugandis dæmonibus ea virtutis energia præpollebat, vt cuicumque energumeno in fronte vel pectore ſignum crucis imprimeret, mox eius compellente imperio malignus abiret ſpiritus effugatus. Porro cùm ex tot virtutibus nominis eius fama accreſceret, fauoris & iactantiæ refugus, humanæ conuerſationis ſtatuit vitare collegia. Ideóque ſollicita ſecum frequentiùs voluebat mente, quonam loco ſuæ intentioni opportunum habitaculum collocaret. Quocirca diuino aſpirante conſilio, regiam ad aulam profectus, munificentiâ Clodouei II. Francorum Regis, locum quendam paluſtrem in ſuburbio Tricaſſinæ vrbis (qui antiquo nomine Inſula Germanica vocabatur) obtinuit. Ibíque cellula oratorióque conſtructis, cum paucis fratribus ſolitarius vixit diuinæ contemplationi deditus, & Angelicis ſemper actionibus occupatus. Florebat in ſancto viro ſpiritualium profectuum indeficiens gratia, non exemplis ſolùm & moribus, ſed etiam miraculorum ſplendore perſpicua. Affluebat vir diuinus viſceribus charitatis, eleemoſynarúmque largitate, miſericordiæ copia; feruebat religionis deuotióne, piique ſpiritus ardore, ex quo cùm aliquando in oratione pernoctaret in S. Quintini Eccleſia, aduerſarius hominum, oſor luminis, amatórque tenebrarum, candelabrum quo cereus locum illuminans ſuſtentabatur euertit, luménque extinxit. Vir tamen Domini in orationis perſtitit officio, nec nocturnis tenebris oculis eius calligauit, cui Chriſtus auctor & fons luminis præſentiſſimus aderat; ſed mens eius puriſſima veræ lucis lampade irradiata, diuinæ contemplationi inhæſit, meritò puritatis ex Dei bonitate illud propheticum experta. *Tenebræ non obſcurabuntur a te, & nox ſicut dies illuminabitur, ſicut tenebræ eius ita & lumen eius. Et dixi tenebræ forſitan conculcabunt me: ſed nox illuminatio mea in deliciis meis.* Familiare fuit viro Dei ſupernam patriam infatigabiliter ſitienti, ſacra loca deuotionis circuire, Sanctorum Martyrum vel Confeſſorum feſtiuitates, ſi quãdo reuoluto anni circulo recurriſſent, debita cum veneratione ſuſcipere. Nam illud ſibi ſpecialiter indixerat, vt ſacrorum dierum ferias peculiari quadam deuotione tractaret: vt putares iam cum Martyribus commori, nec iam terrenæ molis nexibus detineri. His & huiuſmodi virtutibus gratiſſimum ſibi militem diuina maieſtas prouehebat, quem in ſuperni regni apice, poſt excurſum laborioſæ vitę ſtadium, eminentiſſimũ meritis & præmiis collocaret. Iam igitur tempus è proximo impẽdebat, quo athletã ſuũ à periculoſo mũdi huius agone Chriſtus ipſe

Dominis ſubtraheret, atque in caſtrorum cœleſtium ſtatione conſiſteret. Itaque Frodobertus abſtinentiæ feſſus rigore, vigiliarum continuatione, operum bonotum ſudore, leui corporis ægritudine corripitur, deque proxima migratione, aſpiratione diuina præmonetur: paulatimque ægritudine inualeſcente diſcipulos conuocat, iiſdem diem tranſitus ſui aduenisſe declarat. mœſtos compeſcit a fletibus, congtatulandum ſibi potiùs affirmans quàm dolendum, quòd qui hactenus exul vixerit, nunc patriæ redditus, ad optatum diu Regis ſui conſpectum vocaretur. At illud maximè conteſtabatur, vt normam ſanctæ inſtitutionis, quam ipſo & docente didicerant, & operante conſpexerant, inuiolabili tenore vſque ad vitæ terminum conſeruarent, nec lineam præfixam iuſtitiæ obliqua vlla actione, tranſgrederentur. Cupiebat vir beatus antequam carne excederet oratorium quod in Apoſtolorum Principis honore conſtruxerat, Pontificali benedictione ſacrari: accitúmque *Leonem* quondam ſuum diſcipulum, tunc Abbatem ſanctiſſimæ vitæ, ad Abonem Epiſcopum direxit ſupplicatum, vt piæ ſuæ petitioni ſatisfaceret. At cùm præpediret natalis Domini celebritas, tranſitum prorogari ſuum in diem octauum diuina à pietate obtinuit. Quo & baſilica conſecrationem, & gleba ſui corporis acciperet ſepulturam. Itaque cùm iuxta morem Chriſtianæ obſeruantiæ, Kalendis Ianuarij, Dominicæ Circumciſionis agenda occurriſſet ſolemnitas, ad felicem tranſitum vrgente ægritudine ſancta anima citabatur: nec ſic tamen à ſanctis monitis linguæ officium continebat, donec ſole, iam ad occaſum declinante, *Lupellum* monachum ſibi familiarem euocauit, obſecrans vt coram ſe ſacrum Euangelium legeret. Ille autem acri dolore capitis torquebatur, at cùm tamen piis imperiis obſecundaret, in ipſo mox legendi exordio, omnis ab eo moleſtia abceſſit. Interea per totius noctis excurſum Deo ſemper intentus, cùm inter ſpiritualia colloquia hora ſuccederet, expleto ſolemniter à fratribus in Eccleſia Pſalmodiæ & orationum nocturnarum tenore, vniuerſos denuo vir Dei iuſſit adeſſe diſcipulos, dúmque ante eum paſſionis Domini textus legeretur, ſub oculis omnium, ſancta anima carnis exuta velamine felici deceſſu cœleſtia penetrauit. De cuius tranſitu monitus Abo Pontifex Tricaſſinus, Abbatum ſuburbanorum Clerique frequentiam conuocauit, circumſeptúſque numeroſo agmine, cùm iuxta viri ſancti deſiderium baſilicæ præmemoratæ dedicationem ſolemni officio expleuiſſet, ſacrum eius corpus cum reuerentia in Eccle-

ſiam intulit, ac ipſis Kalendis Ianuarij [illegible] encœnia [illegible] pleuerat, in [illegible] baſilica [illegible] Dei [illegible] xerat, honorificè tradidit ſepulturæ. [illegible] beatus, don[illegible] poſtea [illegible] gloriæ [illegible]. Ob [illegible] meritorum claritatem *Prudentius* [illegible] diu poſtea pignora beati Confeſſoris, ad baſilicam [illegible] illius cœnobij venerabiliter transferri præcepit. Cæterum cum is morte præpeditus, quæ intendebat ad maiorem ſacri corporis reuerentiam minimè impleuiſſet. Otulphus qui tertius poſt eum Tricaſſinæ Eccleſiæ præfuit, excitus ſignorum coruſcatione quæ circa beati viri feretrum crebreſcebant: eiuſdem pretioſos artus ſolemni pompa leuauit, inque loco mundiſſimo rite compoſitos & Pontificali annulo obſignatos, prima venerationis eius officia vniuerſo cum ſacerdotio celebrauit, annua eiuſdem felicis depoſitionis commemoratione indicta, non quidem hac die qua tranſiit ad beatas manſiones: (quoniam proximè hærenti Octauæ natalis, & circumciſionis Domini ſit ſolemniis obnoxia:) ſed ſexto Idus Ianuarij, vt eo celebriori officio coleretur, quo magis dies ipſa, eſt auguſtioribus ſacris expedita. At verò tanti Confeſſoris venerationi par eſt Tricaſſinos ciues non ſegniter inſiſtere. Cùm Angeli ſæpè viſi ſint à viris puræ mentis, circa eius tumulum, cum ſplendoribus & canticis, officia eius natalis celebrare. Imò & columba candoris lactei de cœlis viſa eſt deſcendiſſe, quæ poſtquam aliquandiu circumuolitaſſet, ſepulchri eius abdita penetrabat: quo ſpiritus gratiæ qui in eo habitauit myſtico ſimulacro admonentur vrbis illius ciues, patronum ſe in ipſo hoc beato habere præpotentem: qui poſt mortem Deo viuens, gratiarum eis dona a ſuperna maieſtate conciliare poſſit, meritiſque ſuis efficere, vt quem colunt officio pietatis; ſuffragio interceſſionis (quod in honoris vicem rependit) perpetuum in neceſſitatibus ſuis ſentiant opitulatorem. Quod eoſdem conſecuturos non eſt ambigendum, ſi non modò eum coluerint feſta veneratione, at magis aſſidua & ſeria imitatione. Eodem die Rotomagi repoſitio ſancti Audoëni Epiſcopi & Confeſſoris. Item Kalæ cœnobio in territorio Pariſienſi veneratio ſanctæ Bathildis ex Franciæ Regina ſanctimonialis, necnon ſanctæ huius domus fundatricis & patronæ. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confeſſorum, Virginum, ac cæterorum quorumcumque beatorum.*

Piæ & venerabilis memoriæ GAREMBERTVS Canonicus ordinis Præ- *Garember-*
monſtratenſis fundaror & Abbas primus monaſterij ſanctæ Mariæ Boenenſis, in *tus.*
territorio Cameracenſi, animam ad idæam noui hominis conformatam, per diui-
narum virrutum cumulum, in cœlum, inter vaſa honoris & gloriæ cooprandam,
dum verba illa funderet, *Dirige Domine in conſpectu tuo viam meam*, feliciter emi-
ſit. Ad cuius tumulum diuina maieſtas frequenter miracula operatur, multáque
eiuſdem intercesſionibus largirur afflictis, qui piè ad illius ſuffragia recurrunt,
optatorum ſolatiorum muneta. Eodem die in Frigidimontis cœnobio apud Bel-
louacos, piè iridem deceſſit venerabilis THOMAS, indiuiduus comes ſancti *Thomas.*
Thomæ Cantuatienſis, quo cum mulras tribulationes in exilio perpesſus, poſt
eius agonem in Galliam rediit, factúſque præſignato in aſceterio monachus, vi-
tæ ſanctiſſimæ abſoluto tramite, repoſitam abiit ad Sanctorum laborum mer-
cedem. Scripſit, quæ omnia inſpexerat is plus vit, acta præfati glorioſi martyris.
At magis accuratè expreſſit ipſamet moribus, quam literis: quæ enim præcor-
diis ſuis altè infixerat, actu meliùs quàm ſtylo ſemper ſtuduit expromere. Ip-
ſomet die placida morte quieuit piæ ac beatæ memotiæ RADVLPHVS primus *Radulphus*
Àbbas Valcellenſis, vir eximiæ benignitatis & miſericordiæ, cuius merita dum
in carne viueret, miraculis Altiſſimus comprobauit: corpus autem in tumulo co-
ruſcans beatitudinis gloriâ, decreto Concilij Lateranenſis peracti ſub Alexan-
dro tertio, è terta eleuatum, publicæ venerationi expoſitum eſt.

Regi ſæculorum immortali & inuiſibili ſoli Deo honor
& gloria, in ſæcula ſæculorum,
Amen.

FINIS.

SVPPLEMENTVM,
ANNI CIRCVLVM ITERVM EXCVRRENS, IN QVO
SANCTI ET PII PLERIQVE, MINIME hoc in Martyrologio adſcripti, ſuo cuique proprio die conſignantur: nonnulliq́ue iam ſignati accuratiùs recenſentur.

1 *Kalend. Ianuarij.*

CLARVS. IN Aquitania natalis ſancti CLARI Martyris qui apud Pictones ſub Gallieno Imperatore impuriſſimo, inito pro Chriſti fide & gloria inclyto certamine, lauream victor in agone pietatis adeptus eſt triumphalem.

IPSO die apud Compendium in Sanctorum Martyrum Cornelij & Cypriani Baſilica, oſtenditur culter ille lapideus, quo Chriſtus Saluator circumciſus eſt.

2 *Quarto Nonas Ianuarij.*

FRONTANVS, SEVERINVS, SEVERIANVS, & SILANVS. VINCENTIVS. TARCICIA. PETRACORICIS natalis Sanctorum Martyrum FRONTANI, SEVERINI, SEVERIANI, & SILANI diſcipulorum ſancti Frontonis, quos Squirius Præſes ethnicus impiâ ſententiâ damnauit, fecitque ob fidei IESV Chriſti confeſſionem gladio obtruncari. Ruthenæ ciuitate Segodunum in Aquitania prima ſancti VINCENTII Confeſſoris: cuius ibi claræ memoriæ dicata eſt Eccleſia, in qua ſancta TARCICIA Virgo requieſcit.

3 *Tertio Nonas Ianuarij.*

EVSTADIVS. IN monaſterio Diuionenſi, ſancti EVSTADII Abbatis primi Eccleſiæ ſancti Benigni, qui cùm eſſet beati Gregorij Lingonenſis filius, patris Sancti conſectatus veſtigia, eam ad gratiæ ſublimitatem euaſit, vt abſoluto ſacræ præfecturæ decurſu, pro conſpicuæ ſanctitatis honore meruerit in præſignata Eccleſia iuxta corpus ſancti Benigni Martyris ad læuam eius tumulari. Porro pone huius ſepulchrum ſanctus Hilarius Senator, & ſancta Quieta, ſancti Ioannis Reomenſis parentes, non ſine priuilegio pietatis conditi ſunt.

4 *Pridie Nonas Ianuarij.*

Ipso die in Aquitania ſanctæ Favstæ Virginis & Martyris: quæ in Gaſconia ob teſtimonium irrefragabile Chriſtianæ pietatis durè cruciata, atque agone glorioſiſſimo conſummata, in loco cui Fidenciacus nomen erat, vbi martyrium compleuit, à Chriſtianis eo quo potuerunt honore, ſepulta eſt. Deinde verò perſecutionum ſopitis incendiis, cùm ſerenior aura Chriſti cultoribus affulſiſſet: coruſcantibûs ad beatæ Martyris tumulum crebris diuinæ Maieſtatis inſigniis, ad eius memoriæ honorificationem magnifica extructa eſt baſilica, quam Dani infideles Gaſconiam populantes infeliciter cremauerunt. At non diu pòſt ne tam pretioſa gemma ſub cinere deliteſceret, diuinâ prouidentiâ factum eſt, vt ab Aldario Monacho Solemniacenſi, reliquias Sanctorum perquirenti in Gaſconiæ partibus, hortatu Arnaldi huius regionis Comitis, qui filius erat Ynionis Comitis Petracoricenſis (Deo piis aſpirante votis) reperta atque leuata è ruderum dirutæ Eccleſiæ obſcuro ſitu, gleba ipſius cœlitis veneranda, cum aliis Sanctorum lipſanis ad aſceteriolum, Solemniaci cœnobij iuris, conditum in fundo Briniciaco, delata & ibi repoſita fuerit, multis fulgentibus, cùm ipſa in inuentione, tum in tranſlatione pretioſi corporis Martyris beatæ, miraculis. Favsta.

5 *Nonis Ianuarij.*

In Gallia Narbonenſi territorio Helinenſi prope Perpinianum natalis ſancti Flavidiani Martyris, ibi ſub Maximiano coronati. Paſſus eſt autem octauo Kalend. Ianuarij, quo ipſo die Chriſtus natus eſt. Vnde natalis huius Martyris in hanc diem transferri conſueuit. Flavidianvs.

Ioannes Maldonatvs Societatis Iesv Preſbyter, poſt Theologiam præſertim Scholaſticam Lutetiæ Pariſiorum, multis annis illuſtratam, innumerabilêſque ad eius ſtudium inflammatos, ac ingentem, cùm lectionibus, tum commentariis cladem hæreticis illatam, Catholicis verò magnum robur ac inexpectatum præſtitit commodum atque ſolatium: Romæ moritur hâc die anno Domini 1583. quo fuerat è Gallia à Gregorio XIII. Pont. Max. euocatus ad Bibliorũ editionem 70. Interpretum, quæ poſt ipſius Pontificis obitum abſoluta exiit in lucem. Ceterum Maldonati doctiſſimi & religioſiſſimi Chriſti preconis ac pugilis clara ſuppetunt, ab amicis non magis quàm aduerſariis, laudatiſſima auctæ pietatis monumenta. Bœticus fuit Hiſpanus ex nobili genere. *Ioannes Maldonatus.*

6 *Octauo Idus Ianuarij.*

Coloniæ Agrippinæ in ſolo Gallico ad Reni ripam ſiniſtram in Vbiis, memoria Sanctorvm trivm Regvm, qui hac die Chriſtum in cunis apud Bethlehem adorauerunt. Horum corpora ſanctæ Helenæ Auguſtæ ſtudio, Conſtantinopolim ex Oriente allata, ibidem in Eccleſia ſanctæ Sophiæ (magnificentiori deinde fabricâ à Iuſtiniano inſtaurata) vſque ad tempora Emanuelis Imperatoris permanſerunt: qui cùm Euſtorgium Mediolanenſem Epiſcopum natione Græcum chariſſimum haberet, eidem inſtanter flagitanti ipſamet pretioſa pi- Tres Magi qui Chriſtum naſũ adorauerunt.

gnora donauit, qui eadem Mediolanum continuò tranſuecta, in Eccleſia virginum Chriſto ſacrarum collocauit. At anno 1164. Fredericus Imperator cùm Mediolanum ſuam in poteſtatem vi armata redegiſſet, Reynoldi Archiepiſcopi Colonienſis ſui Cancellarij conceſſit ferui[dis] poſtulationibus, tria eadem ſacratiſſima corpora: quæ ille Coloniam tranſtulit, repoſuítque in Baſilica ſua primaria, vbi hactenus obſeruantur cum multa veneratione. Ipſo die Paſſiò ſancti PETRI THOMÆ qui Condomij in Aquitania natus, ex Carmelita & Doctore Pariſienſi, fundatore Academiæ Bononienſis, & primò in ea Cathedra Profeſſore, Cõſtantinopolitanus Patriarcha, ſummíque Regis ſignifer, bellicoſus factus, poſt innumeras quas habuit nedum cum ſpiritualibus, ſed & corporalibus crucis inimicis victorias, poſt complures conſcriptos libros, poſt multa patrata miracula, apud Alexandriam, cùm terram ſanctam viſitatum properaret, appulſus: dum ibi Religionis Catholicæ propagandæ ſtudio flagraret, ab irruentibus in ſe certatim infidelium turbis, ludibria ab iis multa perpeſſus, tandémque alligatus ad palum telis confixus, mille vulneribus confectus, cupidam Chriſti animam feliciter efflauit, hac ipſa hora quâ antè, diuinitus irradiatus, ſeſe præſignauerat ex hac palæſtra exceſſurum. Corpus eius ereptum è Saracenorum manibus ad inſulam Cypri delatum fuit, & Famaguſtæ in Carmelitarum Cœnobio condigno honore ſepultum.

PETRVS cognominatus THOMAS.

Ioannes Birelli.

IPSO die in Carthuſiâ maiori piè defunctus eſt IOANNES BIRELLI beatæ memoriæ huius ordinis Generalis XXII. quem patriâ Lemouicenſem, eximia ſanctitas ad ſummum Pontificatum fecit à nonnullis Patribus purpuratis poſtulari. Cuius honoris abhorrens penitus, vir humilis, annis 54. ſuo ordini multa cum gratiæ coruſcatione præfuit; póſtque migrationem ſuam, miraculis etiam clarificatus eſt.

7 *Septimo Idus Ianuarÿ.*

ANASTASIVS.

APVD Senonas ſancti ANASTASII Epiſcopi & Confeſſoris, ſanctitatis & abſtinentiæ exemplis ac meritis clari.

8 *Sexto Idus Januarÿ.*

BALDVINVS.

APVD Laudunum Clauatum, natalis ſancti BALDVINI Diaconi & Martyris, qui filius Alduini Comitis, & ſanctæ Salabergæ, poſt obitum viri Abbatiſſæ; ad Chriſti famulatum ab ineunte ætate ſe conuertit, ſacríſque ordinibus initiatus, apud eam vrbem leuitico miniſterio cùm ſanctiſſimè fungeretur, pro pietate & iuſtitia, cuius perpetuo zelo flagrauit, ab impiis interemptus occubuit. Auguſtoduni Æduorum, natalis ſancti EVGENIANI Martyris in ſtrenua concertatione, pro fidei teſtimonio laureati.

EVGENIANVS.

9 *Quinto Idus Januarÿ.*

LEONILLA.

DIVIONE ſanctæ LEONILLÆ matronæ & Martyris. Quæ *Fauſti* Senatoris Æduenſis ſoror, ſancti Benigni Burgundiæ Apoſtoli apud Lin-

g[illegible]nas prima [illegible] & hoſp[illegible], [illegible]orum M[illegible], qui illic p[illegible]s [illegible] e[illegible]nt, auia: mater vero eorum ge-n[illegible] *uni[illegible]* poſt conſummationem ab eis in flammis innocuis con-feſſi[illegible], [illegible]ſt ſicut altera Machabæa, & ipſa [illegible] in præco-nio pietatis, [illegible] gloriam peregit. Trucidata eſt enim ea, ipſa Ivnilla [illegible] Martyrum illorum mater, Neonque conflictu cor[illegible] exceptor & Tvrbo, cuj, ille depręhenſus in officio pietatis tradi[illegible]t, quem exarabat Martyrum illorum paſſionis, codicil-lum. Cæterum Leonilla, perfuncta extrema colluctatione apud Di-uionem ſepulta fuit, in eadem crypta, vbi ſanctus Benignus Martyr ab ipſa fuerat multo cum reuerentiæ officio tumulatus. Ivnilla. Neon & Tvrbo.

Apvd Bituricas depoſitio beati Philippi Berrvier ſedis huius Ar-chipræſulis, omnis caſtimoniæ, iuſtitiæ, ac miſericordiæ cultoris, Cleri egregij Pædagogi, Iudicum verò æquiſſimi cenſoris, orphanorum, ac viduarum acerri-mi defenſoris, pauperum eximij amatoris, munerum contemptoris, largitoris eleemoſynarum, & miraculorum patratoris plurimorum. De hoc enim legitur, quòd ſacerdotes maximè domeſticos in omni caſtitate continuerit, iuridicos ſuos officiales, ab omni auaritia, & acceptione perſonarum cohibuerit: ſolo pa-ne & aqua plerumque contentus, 13. pauperes in Chriſti honorem, & duodecim eius Apoſtolorum memoriam quotidiè ad menſam nutrierit. In quem quòd Hugo Claromontanus contumax extitiſſet, & propter inobedientiam, præſu-latu fuiſſet ſuo, ab Innocentio Papa IV. depoſitus, ſupplex pro ſuffraganeo re-belli, pius Metropolites ad Principem Epiſcopalis coronæ, præfatum Papam ac-ceſſit, ad cuius pedes proſtratus & orans, noluit priùs aſſurgere, quam vè-niam pro prædicto Hugone impetraſſet: obteſtatus ſe non poſſe pro aduerſario non interuenire; cum ea in Eccleſia ſederet, quæ titulo & pignoribus illius eſ-ſet decorata, qui pro ſuis perſecutoribus obſecrans, animam cum votis adeo piis effuderit. *Philippus dictus Berruier.*

10 *Quarto Idus Ianuarij.*

In Thebaïde natalis ſancti Pavli primi Eremitæ, cuius diuinam vitæ rationem ſanctus Hieronymus luculento encomio deſcripſit. Corpus vero ex Ægypto in Galliam tranſlatum, apud Cluniacum Ar-chimonaſterium repoſitum, ibidem religioſe ſeruatur. Sed & apud Io-trum inſigne monaſterium puellare in Meldorum agro, antiquiſſima viſitur Capella, cum crypta huius ſancti Confeſſoris venerationi ſa-crata, in qua pleraque Sanctorum corpora dudum ſepulta, demum re-perta diuino fauore, inde ad cultum educta debitum, ſacrario maioris Eccleſiæ Abbatialis, cœlitum pignoribus ornatiſſimo, omni cum ho-norificentia illata ſunt. In territorio Meldenſi, Brigenſi, ſeu Pharæ-monaſterio, ſanctæ Sethridæ, Virginis, quæ Angla natione, hanc ad parthenonam ſtudio religionis profecta, ibidémque profeſſa, vo-tique compos, poſt Angelicæ vitæ in terris decurſum, ad ſanctiſſima-rum Virginum cœleſte conſortium migrauit. Eius laudes deſcripſit Beda venerabilis. Pavlvs. Sethrida.

Ipso die anno ſalutis 1537. migrauit ad Iesvm virginum ſponſum, Ma-ria d'Estovteville Abbatiſſa virginalis monaſterij Hederenſis (vbi hoc Martyrologium conſcriptum fuit) in agro Pariſienſi. Quæ alto ſtemmate *Maria, dicta d'Eſtouteuille.*

p[illegible]erum nobiliſſimorum edita, atque a [illegible] ſtirpe [illegible] ar[illegible] eam natal[illegible] ſæ[illegible] & [illegible] flo[illegible]s necel[illegible] ſe[illegible] ar [illegible]tru[illegible] ſt[illegible] A[illegible] ſt re[illegible] te[illegible], d[illegible] ag[illegible] egune p[illegible] us Cœnobij [illegible] ol[illegible] rantem [illegible] p[illegible] a re[illegible]mar[illegible] c[illegible] em p[illegible] uratt x & [illegible] rix [illegible] [illegible] a[illegible] e, [illegible]tatis, obedientiæ, [illegible] x [illegible] riæ ac a[illegible] p[illegible]tæ, ſydus, typ[illegible] & regula [illegible] tiens, ſuſceptum religi[illegible]s imperium toties læta depoſuit, [illegible] pit. Demum [illegible]ſt adductas ſibi commiſſas virgines ad ſtrictæ voto um[illegible] [illegible]æ, [illegible] ex[illegible] ci[illegible], [illegible] nei [illegible] ad præ[illegible] ſæ [illegible] tutioris c[illegible]pel tis, ſed c[illegible]s etiam m[illegible] rorum n[illegible] cata no[illegible]liori ex parte Eccleſiæ, conſtructis clauſtro, apt[illegible] u[illegible] lateribus locis, cumulat[illegible] ſacra ſupellectil. Sa[illegible] ipſ[illegible] d[illegible] a[illegible] tatis, Chriſti beati co[illegible]p[illegible]us [illegible]upida, animam tot [illegible] m[illegible] quam modicam ſemper incoluit, ad cœlum, regnúmque gl[illegible]iæ, q[illegible]d cer[illegible] p[illegible] cipatui ab initio prætulerat, felix & lætabunda emiſit. Sepulta in choro [illegible] cleſiæ, lachrymis filiarum ferè inundata eſt, quibus perpetuum ſi[illegible] deſideriu[illegible] & conſtantem ſuæ ſanctitatis opinionem reliquit. Viget igitur merito, æte[illegible] númque vigebit illic beata tantæ Abbatiſſæ memoria. quæ & hoc loco, inter Piorum Galliæ nomina feliciſſima, dignè conſignata, quandiu hæ tabulæ [illegible]bunt, conſpicua fulgebit.

11 *Tertio Idus Januarij.*

GASPAR. COLONIÆ Agrippinæ feſtum ſingulare ſancti GASPARIS Regis, vnius ex tribus Magis, qui Chriſtum Regem natum, ſtellæ indicio perquiſitum & inuentum, in præſepio myſticis oblatis muneribus, venerari ſunt. Quorum corpora in principali Eccleſia ſancti Petri Colonienſi, magna cum reuerentia obſeruantur, ſicut fuſiùs memoratum eſt ipſomet die Dominicæ apparitionis 8. Idus huius menſis.

Ioannes Baptiſta Deſbois. P[illegible]TER IOANNES BAPTISTA DESBOIS Pariſ[illegible] o[illegible] Mi[illegible]norum vi[illegible] ſummæ eruditionis, admirandæ humilitatis & raræ p[illegible]tie[illegible]iæ, quam per aduerſam totâ vitâ valetudinem numquam remiſit: pio fi[illegible] [illegible]mptu, æternæ gloriæ conſequitur donariuum. Iacet Nigeoni prope Auguſtam Lutetiam vbi ſancta eius memoria viget.

12 *Pridie Idus Ianuarij.*

CÆSARIA. ARELATE ſanctæ CÆSARIÆ Virginis.

Guillelmus. C[illegible]ARÆVALLIS ob[illegible]it piiſſimo fine beatæ memoriæ GVILLELMVS, ex Abbate ſancti Theodorici, illius monaſterij aſceta: vir cuius humilitas in aduuratione fuit.

13 *Idibus Ianuarij.*

EVANTIVS. VIENNÆ ſancti EVANTII Epiſcopi in Conciliis M[illegible]tiſconenſi primo & Valentinenſi ſecundo, quibus magno Eccleſiæ bono i[illegible]terfuit pleriſque cum ſanctiſſimis myſtis, con[illegible]ſig[illegible]ati: quem p[illegible]æcip[illegible]æ ob ſanctitatis memoriam colendum indicant ſacræ veteres tabulæ die 3. Februarij.

LEOGISOLVS. In Territorio Æduenſi ſancti LE[illegible]GISOLI Abbatis: cuius hodie clara eſt ſancta recordatio in cœn[illegible]bio Vergiacenſi eiuſdem diœceſis

In Atrebatensi [illegible] claret memoria beati HELDEMARI fundatoris monasterij Aroasiæ ordinis [illegible] Augustini.

14 *Decimonono Kalendas Februarij.*

IN oppido Barrecenſi tractus Gabalitani in aula ſancti Martini reuelatio ſancti FIRMINI Epiſcopi Mimatenſis, & Confeſſoris, cuius & beatus tranſitus hodie recolitur. Corpus verò ſacratiſſimum in ipſa Eccleſia ſancti Martini, ad aram ſancti Iuliani magna veneratione obſeruatur, vbi & crebris beatus Confeſſor rutilat miraculis, quæ in ſolatium fiunt opem eius piè poſcentium.

IN monaſterio Fulniacenſi diœceſis Laudunenſis beati ALEXANDRI filij Regis Scotiæ ordinis Ciſtercienſis humilitatis diſcipuli, & gloriæ ſæculi contemptoris. *Alexander.*

15 *Decimo octauo Kalend. Februarij.*

APVD Rutenos natalis ſanctæ TARCICIÆ Virginis, quæ in Germania regio Pipini nata ſanguine, ſpecie formoſiſſima, artium ſui ſexus doctiſſima, pro tuenda caſtitate in Aquitaniam veniens ad Caſtrum Rutenula dictum, in ſpelunca montis proximi fugiens ſe recepit, vbi Domino iugiter ſeruiens, & aliquando cœlitus paſta, & vberibus capræ quotidie diuinitus aduenientis enutrita, animam Deo reddidit; cuius corpus venerabile maxima charitate circumfuſum, cùm Rutenorum Epiſcopus fragranti odore refertum comperiſſet, aſſiſtente Clero & populo reuerenter ad ſanctum Vincentium collocauit. Ipſo die Huy oppido ſancti MAVRI Confeſſoris & Eremitæ, qui in locis Andanenſibus natus & mortuus, fugax cupiditatum, abſconditæ verò vitæ & humilis, Chriſti amore ſtudioſus, primo carbonibus ex lignis conficiendis ſe applicuit; deinde maiori flamma incenſus, vitam Anachoreticam amplexus eſt, in qua totus ferè à carne abſtractus, ſpiritum Angelicis moribus informauit, cœlóque defixus, vnde traxerat animæ gratiam, eodem illam emiſit plenam meritis ad gloriam. Hoc ipſo die in territorio Turonenſi Sanctarum Virginum MAVRÆ & BRITTÆ, quæ luminis filiæ, niue candidores, vt refert ſanctus Gregorius Turonenſis cuidam pio viro apparentes, & ſua nomina, & ſacrorum membrorum ſitum propalârunt. Ædificatáque ad earum venerationem ædicula, cùm illam beatus Euphronius Epiſcopus ſenium cauſatus, & tempus hibernum, conſecratum venire detrectaret: eidem ſeſe in apparatu glorioſo ſiſtentes, eum per nomen eius, cuius ancillæ erant omnipotentis Domini, exorarunt, vt ſuæ memoriæ hoc officium pietatis reddere maturaret. Quapropter ad locum progrediens incunctanter, illum benedixit pontificali ritu, viſiſque Dei gloriæ irradiationibus, cum pace ad ſedem regreſſus eſt.

Tarcicia. *Maurus.* *Maura & Britta.*

16 *Decimo ſeptimo Kalend. February.*

MARCELLVS Papa. APVD Cluniacum receptio Reliquiarum ſancti MARCELLI Papæ & Martyris hodie Romæ coronati, cuius ob ſuſcepta ſacratiſſima pignora: cùm apud Cluniacum frequentari cœpiſſet [illegible] celebritas, Petrus Abbas cognomento venerabilis, eius in honorem, ſermonem luculentum habuit, qui etiamnum inter eius opuſcula inſignis eſt. Cabellione in Gallia Narbonenſi ſancti SPVRI Abbatis, cuius [illegible] exuuiæ in maiore illius vrbis Eccleſia, cum debita reuerentia aſſeruantur.

SPVRVS.

FAVSTVS. Regij memoria ſancti FAVSTI Epiſcopi & Confeſſoris ex monacho Lerinenſi, &c. Tarenteſiæ, in ipſa Gallia Narbonenſi ſancti IACOBI Epiſcopi illius Metropolis & Confeſſoris, qui Apoſtolico ſpiritu plenus, hanc regionem facibus Euangelicis illuſtrans fide & religione repleuit, erectaque illic perenni ſede Epiſcopali, impoſita Hierarchiâ, deſignato *Marcellino* viro probatæ vitæ iis & gratiæ ſacri muneris hærede, gregi à ſe adunato cum laudabilis [illegible] fuiſſet, fidelis villicationis præmium à Domino, cui [illegible] fuerat, recepit. Fundauit etiam Auguſtæ Prætoriæ Salaſſorum Eccleſiam Epiſcopalem, cuius primum paſtorem ſanctum EVSTACHIVM conſtituit. Ipſo die ſanctæ MEROFLETÆ Virginis, &c.

IACOBVS.

EVSTACHIVS. MEROFLETA.

18 *Decimo quinto Kalend. February.*

APVD Fuxum inter Apamiam & Vanillas in finibus Toloſanatum, natalis ſancti VOLVSIANI Epiſcopi Metropolitani Turonenſis, & Martyris, qui (vt in Martyrologio iſto prænotatum eſt) a Gothis ſede eiectus, & in has partes relegatus, poſt multas iactationes, demum obtruncatione capitis agonem glorioſum compleuit. Cùm autem ceruicem præbere abſcindendas iuberetur, baculum humo infixiſſe ſuum, traditio eſt incolarum, qui in arborem [illegible] excreuit, in hunc vſque diem manentem. Traiecti ad Moſam [illegible] SVPPLICII Epiſcopi Tungrenſis, ſanctæ vitæ ac pie adminiſtrationis laude præclari.

VOLVSIANVS.

SVPPLICIVS.

19 *Decimo quarto Kalend. February.*

ANTONINA. COLONIÆ Agrippinæ natalis ſanctæ ANTONINÆ Virginis & Martyris ex ſodalitio ſanctæ Vrſulæ, quæ cùm [illegible] extremo agone decertans triumphauerit: peculiarem tamen recordationis cultum hodie ex ſuſceptis ad eius inuocationem beneficiis, ſortita eſt.

Bernardus cognomine de Brun. LEMOVICIS feliciſſimo exceſſu defunctus eſt [illegible] vir BERNARDVS Bardon DE BRVN, qui primo Curiam ſecutus [illegible] coniugio ſe iunxit, deinde vxore mortua [illegible] carnis ſolutus, totus ſe ad Christo famulandum conuertit. Sacerdos igitur ordinatus eſt, ſimulque Angelicarum virtutum mores induit, Chriſtique propiùs formam imitatus, non modò bonorum operum exemplar ſed & ſpeculum doloris & patientiæ [illegible] annis pleriſque carnis infirmitate maceratus, vires [illegible] ita [illegible], vt afflictis artubus, vires membrorum, in virtutem transferrentur animorum, ſaginari enim voluptate

luptate patientiæ diſceſſurus de hoc mundo cupiebat. Hic Latinis, Græcis, & Hebraïcis litteris apprimè inſtructus, Mathematicis excellens, Iuriſprudentia inſignis, Aduocati Regij munus, multa cum laude ſuſtinuit: poſtquam verò ſe ſubduxit ſæculi curis, quicquid ſciebat, quicquid valebat, in Chriſti vnicum obſequium conuertit, itaque ſacræ prudentiæ titulis clarus, cœlo iugiter hærens, ſemper diuina ſapiebat, æterna ſuſpiciebat, donec ſanctæ paupertatis cultor eximius, doloribus & patientia diues, ſexagenario maior in pace quieuit, & ad ſanctum Petrum religioſo funere ſepultus eſt.

20 *Tertio decimo Kalend. Februarij.*

TOLOSÆ veneratio reliquiarum ſancti SEBASTIANI Martyris illuſtriſſimi, patria Narbonenſis, quæ ingenti capſæ argenteæ incluſæ, apud ſanctæ Mariæ deauratæ aſcetas, magna Religione aſſeruantur, & deuoto populo ad venerationem hodie poriſſimum exhibentur. Sancti huius Martyris antiquo imago opere muſiuo expreſſa, atque hactenus Romæ extat in titulo Eudoxiæ ad vincula Diui Petri, venerando ſcilicet aſpectu & barba, quæ virum deſignat non adoleſcentem (qualem paſſim hunc beatum Christi pugilem pictores imperitè depingunt) ſuſpicienda. Auguſtæ Taurinorum tranſlatio Sanctorum Martyrum SOLVTORIS, ADVENTORIS & OCTAVII: quorum in Romanæ Eccleſiæ ſacris tabulis radiata fulget agonis fortiſſimi corona die 20. Nouembris.

[SS. SEBASTIANVS.] [SOLVTOR, ADVENTOR & OCTAVIVS.]

21 *Duodecimo Kalend. Februarij.*

HODIE in Romanis diptychis ſignatur colenda migratio ſancti EPIPHANII Epiſcopi Ticinenſis, ſeu Papienſis, egregia doctrina, & ſanctitate conſpicui, qui à nepote Imperatore ad Euaricum Gothorum Regem Arrianum, Gallias magna ex parte ferali iugo prementem legatus, pacem petiit, & obtinuit Tholoſæ, vbi Barbarus ille Rex Tyrannidis ſuam ſedem fixerat. Quibus ex partibus ſanctiſſimus Præſul regrediens, ſingula ſanctarum habitationum loca viſitauit, éxque viridario liliorum Galliæ, ſingulos vitæ decerpſit floſculos, quibus actorum ſuorum coronam decorauit. In Lotharingia ſancti MICHAELIS Confeſſoris, cuius nomen Cœnobio & oppido huius tractus non ignobili iampridem inditum, meritotúmque claram perennat apud incolas memoriam & incutit ſpecialem pro patrocinio venerationem. Ipſo die ſancti MALCALINI Abbatis & Confeſſoris, qui prænotato ſancti Michaëlis monaſterio, Diœceſis Virdunenſis, ob clara ſanctitatis lumina præpoſitus, animas ſibi commiſſas diuinis moribus informauit, functúſque perutili regimine, ad præmium ſibi paratum à Domino, cui ſeruiuit ſyncero affectu, profectus eſt.

[SS. EPIPHANIVS.] [MICHAEL.] [MALCALINVS.]

22 *Vndecimo Kalend. Februarij.*

FESTVM DESPONSATIONIS SANCTISSIMÆ VIRGINIS MARIÆ, cuius pridem apud pios ſacra obſeruatio viguit, at cum vſu ferè exoleuiſſet, id Antonia à Borbonio Guiſiæ Ducíſſa, eximiæ pietatis Heroina priſtinum ad cultum ſtatuit reuocari, deuotioni eius

[SS. MARIA Virgo deſponſata.]

ſuffragante Petro Aurato ordinis Prædicatorum Theologo Pariſienſi, qui ex ſacris Scripturis, & priſcis religionis monimentis, ipſius feſti officium concinnauit, votóque ſolemni dedicauit Paulo III. Pontifici Maximo, à quo feſtum ipſum cum officio eiuſdem ſibi dicato, Apoſtolica auctoritate fuit approbatum, anno Dominicæ incarnationis 1546. Semurij autem in Burgundia annulus ſeruatur virginalis, quo beatiſſima ipſa Deipara traditur à Ioſepho Iuſto deſponſata. Ipſo die in Aquitania ſpecialis veneratio ſancti VINCENTII Leuitæ & Martyris Cæſar-Auguſtani, cuius corpus ſeu reliquum corporis ex Valencia à Mauris occupata, diuina reuelatione aductum in Galliam, in Monaſterio ſancti Benedicti de Caſtris, tum in Albigenſi Præſulatu ſito; poſtea verò ad decus Epiſcopalis ſedis euecto digna honorificatione colendum, repoſitum fuit, ſicut in iſto Martyrologio ſexto Kalendas Nouembris, ampliùs commemoratur, Archiaci in Campania Diœceſis Trecenſis ſancti WLFI Martyris, qui ibi in Cœnobio venerabiliter requieſcit. Viennæ ſancti BLIDIANI Epiſcopi & Confeſſoris, qui Deodati ſancti Leodegarij ſucceſſoris, viri ſancti, & abſtemij vices ſacras digna electione obiens, paſtoralis vigilantiæ officiis, & exemplis ſuæ Eccleſiæ præluxit, demúmque fide, & charitate plenus, oculos carnis in mortem clauſit, ſpiritúmque emiſit ad æternam beatitudinem.

VINCENTIVS Martyr. VVLFVS. BLIDIANVS.

25 *Octauo Kalend. Februarij.*

SS. ADOLPHVS.

CLAROMONTE Aruernorum ſancti ADOLPHII Preſbyteri Abbatis Magnilocenſis, qui ſancto Bonito Epiſcopo coæuus, & dilectus, ſub eo ſicut oliua fructifera gratiæ vberes fruges, ac virentes virtutum propagines emiſit, digniſſimúſque omnium à Proculo Epiſcopo Aruernorum cenſitus eſt, qui defuncti illius beati Præſulis apud Lugdunum, ſacras exuuias nitentes gloriæ inſigniis, ad patriæ patrocinium repeteret, atque reportari ad ſedem propriam quam affectu humilitatis deſeruerat congrua, habendas veneratione curaret; quod cum *Eualdo* Voluicenſis Cœnobij Patre, & *Moderato* Tecletenſis Monaſterij rectore, aliiſque piis ſacerdotibus feliciter præſtitit, Domino cooperante, & tranſlationem illam illuſtrante conſpicuis ſuæ gloriæ ſignis. Item ibidem beatæ DIDÆ Abbatiſſæ Aruernenſis Parthenonæ, quæ cœleſtem in terra vitam gerens, ipſimet cœliti beato Bonito ita chara fuit, vt is in procinctu prædictæ ſuæ Tranſlationis, religioſiſſimo aſcetæ ſuorum actorum exceptori apparens, illum admonuerit, vt ipſimet Didæ reditum ſuum ad Aruernenſem vrbem ſignificaret, iuberétque in ſuo nomine, vt pignora ex ſuo funere aliqua, in memoriam ſui reciperet. *Dic* (inquit) *Abbatiſſæ Didæ, vt partem tegminis quo caput meum coopertum eſt, ſibi retineat.* Coronæ nimirum, quam emeruerat ipſe ſanctus Pontifex ſignum, & illius aureolæ quam erat conſecutura virgo religioſiſſima, matérque Virginum piiſſima, præclarum pignus.

DIDA.

Abiit ad Chriſtum Gvillelmvs cognomento venerabilis, dictus de Campellis Catalaunenſis Epiſcopus, ex auditore Anſelmi Laudunenſis, & Archidiacono maiore Pariſienſi, Canonicoque regulari ſancti Victoris, qui factus ſuis exigentibus meritis, at propriis renitentibus votis, nobilis illius ſedis Antiſtes, S. Bernardum Abbatem Claræuallenſem ritu ſacro benedixit, Monaſterium trium fontium fundauit, póſtque egregij regiminis ſeptennium, gregi ſuo fauſtiſſimum, in pace Chriſtiana feliciter obdormiuit. Apud Claramuallem ſepultus eſt in ſacello quod ad hoc ſibi viuens parauerat, vt ſancti Bernardi, cuius ſanctitatis erat teſtis, patrocinio apud Dominum, iuuaretur. *Guillelmus*

26 *Septimo Kalendas Februarij.*

In agro Narbonenſi, Monaſterio ſancti Polycarpi, veneratio eiuſdem Martyris, Galliarum curatoris ab eluceſcente Euangelio primarij. Foſſis ad ſanctum Foillanum, ſancti Roberti Monachi & Confeſſoris ibidem officio nouem lectionum. SS. Polycarpus. Robertus.

Hac die cœlitus felici morte defunctus eſt Petrvs Bertrandvs Archiepiſcopus Burdigalenſis, cum multa ſanctitatis celebritate: cuius inſignia potiora declarata ſunt in eius Deo gratæ electionis die 19. Auguſti. *Petrus dictus Bertrandus.*

27 *Sexto Kalend. Februarij.*

Natalis ſanctæ Deivotæ Virginis & Martyris; quæ tempore Diocletiani Imperatoris in Inſulam Corſicam nauigio delata, hoſpitióque à Senatore Euticio ſuſcepta, illum Chriſto lucrifecit: deinde à barbaro Præſide comprehenſa, quòd inuitata ad ſacrificium Diis litare renuiſſet, & agonem Euticij à ſæuo Præfecto interfecti, in odium Chriſtianæ quam profeſſus erat, pietatis, Chriſto luminis, & gloriæ largitori commendaſſet, equuleo ſuſpenſa eſt, tandiúque excruciata quoad vſque animam in tortura efflaret: quæ inſtar candidæ columbæ egreſſa, victrix in cœlum euolauit. Cæterùm puriſſimum eius corpus *Benenatus* Preſbyter Sabaudus, & *Apollinaris Diaconus* in Gratiani naucleri cimbam delatum, à multitudine Virginum flante Auſtrali vento, ad radices Alpium euectum in Eccleſia ſancti Georgij de Valle Gaumates dicta, Nicienſis, ſub Ebrodunenſi Metropoli diœceſis, cultu ſacro condiderunt, vbi hactenus eius memoria clara, ac venerabilis perſeuerat. Lutetiæ Pariſiorum in Gymnaſij Bernarditarum Eccleſia oſtenſio, & veneratio pretioſi capitis ſancti Ioannis Chryſoſtomi Doctoris Eccleſiæ illuſtriſſimi: cuius ipſo die in vniuerſo orbe beatiſſima conſummatio glorioſáque tranſlatio ſacris anniuerſariis celebratur. SS. Deivota. Ioannes Chryſoſtomus.

Stramen mortalitatis abrupit beatæ memoriæ Ioannes Epiſcopus Tatuanenſis, qui ſua ætate magno ſplendore religionis illuxit, Deóque dilectus, hominibus venerabilis, ſanctis coæuis percharus pietatis & iuſtitiæ, quam perpetuum coluit, coronam à cœleſti munerario adeptus eſt. *Ioannes Epiſc. Tatuanenſ.*

28 *Quinto Kalend. Februarij.*

Tolosæ ſuſceptio venerandi corporis ſancti Thomæ Aquina- SS. Thomas Aquinas.

tis, Doctoris Eccleſiæ Angelici, cùm ex Foſſæ nouæ monaſterio, vbi dum vocatus à Gregorio X. Papa ad Concilium Lugdunum pergeret, correptus morbo extremo, carnem exuit. Sacræ eiuſdem exuuiæ Vrbano V. Papa Gallo iubente, ad prædictam vrbem delatæ ſunt, perpetua pietatis obſeruantia colendæ, in ipſius Doctoris Angelici titulo inſigni Eccleſia. Ceterùm Vrbano VIII. ſedente corpus eiuſdem beati Thomæ è veteri capſa in arcam argenteam mirificè elaboratam magna celebritate illatum, ac repoſitum eſt.

29 *Quarto Kalend. Februarij.*

SS. GILDAS. IN Britannia minori ſancti GILDÆ Abbatis, ſancti Philiberti cœnobiarchæ Carnotenſis diſcipuli, à quo Chriſto progenitus, priſtinos deſerens mores, mundo crucifixus, in ipſo iuuentutis flore, formam perfectæ ſenectutis induit; obedientiáque humilitate, caſtimonia, vtraque auſteritate præclarus, ad beatæ immortalitatis gaudia profectus

GERMANVS. eſt. Ipſo die ſancti GERMANI Confeſſoris, qui cum ſancto Philiberto Apoſtolico ſpiritu feruens, mare traiecto, occidentalibus populis, verbum Domini erogauit, partáque copioſa meſſe diuinæ ſementis, manipulis onuſtus ſuſceptæ gratiæ, æternam peruenit ad requiem.

OTHILIA, aliàs ODILIA. Apud Hoyum in Belgio ſuſceptio corporis ſanctæ OTHILIÆ, aliàs ODILIÆ, Virginis & Martyris, ex ſanctæ Vrſulæ ſodalitio.

30 *Tertio Kalend. Februarij.*

SS. ADELELMVS. DEPOSITIO ſancti ADELELMI, qui natione Gallus, patria Loduneñſis in Pictauiæ & Andegauiæ confiniis, in ipſo adoleſcentiæ decore, mundi fucos & illecebras reſpuens, Chriſto ſeruire ſub regulari diſciplina conſtituit. Factus igitur beati Roberti primi Abbatis Caſæ Dei in Aruernis diſcipulus, ſanctæ monaſtices theoremata ita didicit, vt Euangelicæ perfectionis nitidum ſpeculum ſua conuerſatione exiſteret. Vnde non ſolùm ad Monaſterij regimen tertius ordine prouectus eſt, ſed cùm radios admirandæ ſanctitatis longè lateque diffunderet, à Conſtantia Regina in Hiſpaniam, crebris flagitationibus euocatus: ibi ſanctiſſimæ vitæ propalato tramite, petente & adiuuante præfata Reginâ, monaſterium in honorem ſancti Ioannis Baptiſtæ extruxit, aſcitiſque pleriſque aſcetis, quos præcepta diſciplinæ ſalutaris edocuit, ſancto fine conſummatus in Chriſto beatè obdormiuit, honorificóque ſepulchro donatus, gloriæ qua fruitur ex

THYRSIVS. meritis præclara edidit teſtimonia. In Aquitania, natalis ſancti THYRSII Martyris, qui in Africa ſub Decio Imperatore, quod Chriſtianos mores ſpiraret, in ergaſtulum coniectus eſt: è quo per Angelum eductus, deductúſque ad Epiſcopum vt baptizaretur, ſuſcepto lauacro ſalutari, in carcerem pugnaturus pro fide reductus eſt. Itaque vocatus ad Tribunal cum multis terriculamentis à præconio diuinæ quam cognouerat

gratiæ, non poſſet coërceri: multis impetitus tormentis, in quibus ſemper extitit ineluctabilis, demum ſerra (vt quondam Eſaias) diſſectus, nobile martyrium conſummauit, cuius pignora in Galliam Aquitanicam delata, eius ibi clarum nomen ac agonem reddiderunt.

FEBRVARIVS.

1 *Kalend. Februarij.*

AVGVSTÆ Tricaſtinorum ſancti TORQVATI Epiſcopi à quo ſi non illa ciuitas Chriſto progenita, potiſſimum tamen prouecta, ad eius cultum & obſequium, ſanctæ Religionis tenax abhinc ſemper extitit. Cuius felicis operæ memor, beati huius ſui Antiſtitis glorioſam memoriam ſacris deinceps anniuerſariis honorauit. Tranſuecta cuius pretioſa pignora ad Viuarienſem agrum, in monaſterio ſanctæ Mariæ Virginis de Crudacio, diu in honore habita ſunt: at Caluinianæ ſectæ emiſſariis, in ſacraria Galliæ ſacrilegis auſibus irruentibus, beati huius Epiſcopi veneranda lipſana, cum ſancti IOSSERANDI Confeſſoris, (illius quondam Cœnobij alumni, iámque tutelaris glorioſi) ſacro corpore, nefando facinore extra hierothecas, eruta, raptata, atque in rogum coniecta, indignis flammis conſumpta ſunt, non tamen impunitâ manente horum impiorum perfidiâ, quos diuina vltio extemplo conſtrinxit. Ferunt indigenæ perſeuerare ibidem manifeſtum diuinæ indignationis veſtigium. Locus enim in quo ſancti Ioſſerandi corpus integrum exuſtum eſt, etſi circum circa herbeſcens & vireſcens enireat, herbas, aut germen vllum non producit, ſed ſiccus & aridus ſemper permanet, in quo tam immane flagitium, cœlo ſtupente, ab inferni ſatellitibus patratum eſt. Maclouiopoli in Armorica ſancti IOANNIS Epiſcopi cognomine à CRATICVLA, qui ordinis Ciſtercienſis digna proles, ſanctíque Bernardi meritiſſimus diſcipulus, cùm mundi gloriam inſtantiùs fugeret, latere magis cuperet, erumpentibus multiplicis gratiæ qua illuſtratus erat luminibus, à vidua Aleth enſi Eccleſia expetitus eſt in ſponſum & paſtorem: iubentéque Cœleſtino II. ſummo Pontifice, inuitus licet, eam ad cathedram euectus, iis illam ſplendoribus ſanctimoniæ, zeli Apoſtolici, doctrinæ, & omnis virtutis pontificiæ irradiauit, quibus perpetuum ſancti ſui nominis decus indidit. Hunc ſiquidem beatum Præſulem Petrus Cellenſis ille Abbas, qui Antiſtes poſtea extitit Carnutenſis, literarorum, piorúmque decus ſua ætate non minimus, directus ad eum apicibus ſeriò deprædicat fuiſſe alterum ſuo tempore *Heliam. Epiſcopum* autem extitiſſe commemorat *inſtantia laborum, ſollicitudine Eccleſiarum, compaßione afflictorum, reconciliatione diſſidentium perpetuo æſtuantem.* Quem & Religionis augendæ, deſtruendæ impietatis, profligandæ iniuſtitiæ, at verò aſſerendæ ſacræ diſciplinæ fuiſſe enixè ſollicitum, propriæ eius indicant litteræ, plenum pietatis animum ſpirantes, quas miſit ad Eugénium III. Papam pro ſanctæ Genouefæ Pa-

SS. TORQVATVS. IOSSERANDVS. IOANNES nuncupatus à CRATICVLA.

riſienſis Eccleſiæ conſeruanda feliciter inita reformatione, quo & ſtudio, vt ipſa cui præſidebat Eccleſia Alethenſis, incommodo ſitu conſtituta meliùs componeretur, & ſecuriùs in ſyncero Dei famulatu inſiſteret. Hancex ipſa Aletha exili, ac parum tuta ciuitate, ad Inſulam Aaron tranſtulit, vbi nunc Epiſcopalis eſt ſedes & ampla ciuitas ſancti Maclouij nomine inſignita. Non eſt facile ſancti huius Pontificis merita recenſere, quibus Dei gloriam, & Chriſtianæ Reipublicæ commoda promouere inſtuduit: *In memoria æterna* habetur nomen eius, quod diuinis ſplendoribus clarificatum, Maclouienſis ipſa Eccleſia, exploratæ ſanctitatis honoribus proſequitur. Nam hac die feſtum eius ſolemni officio celebrat ſub titulo *Pontificis Confeſſoris*, quem ideò cognominauit *à craticula*, quod erumpentibus ex eius tumulo ſignis ſupernæ virtutis, appoſita ſit venerationis ergo ſepulchro eius craticula, cuius adminiculo à ſordibus incedentium, tantæ ſanctitatis loculus ſeruaretur immunis. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confeſſorum, Virginum*, &c.

Iacobus Turgotus. IACOBVS TVRGOTVS ordinis Minimorum aſceta, clarum pietatis ſydus, Dæmonúmque inclytus triumphator, felici exceſſu ad beatas ſedes perrexit.

2 *Quarto Nonas Februarij.*

S. ADALBALDVS. IN agro Petragorico paſſio ſancti ADALBALDI Ducis Duacenſis, qui ſanctus maritus ſanctæ coniugis, & ſanctæ prolis quaternæ pater, (fuit enim ſanctæ Rectrudis maritus, & ex ea genitor ſancti Mauronti Abbatis & Leuitæ, & Sanctarum Virginum *Cloſſendis, Euſebia & Adelſendis:*) nobilitate non ſolùm, at inſuper virtute & ſapientia clarus, pietatéque maximè præcellens: cùm in Vaſconiam profectus eſſet; ſyncerus iuſtitiæ cultor, ac eximius religionis vindex à malignis hominibus, iniquè interemptus eſt: ſed Deus iuſtum ſuum mirificauit, editis ad eius tumulum pleriſque prodigiis, quibus illum apud ſe beatum viuere, voluit teſtificari.

3 *Tertio Nonas Februarij.*

SS. IVLIANVS. AVTISSIODORI ſancti IVLIANI Martyris pro fidei quam acceperat à ſancto Peregrino illius vrbis Apoſtolo, ac protomartyre, animoſa prædicatione trucidati. In Montepeſulano, Narbonenſis Galliæ Epi-

BLASIVS. ſcopali ciuitate, ſuſceptio venerandi capitis ſancti BLASII Epiſcopi & Martyris, hac die Sebaſtæ in Armenia inclyto agone triumphantis, quod Vrbanus Papæ V. Eccleſiæ ſancti Benedicti ibidem fundator, in ea honorificè ſeruandum hodie collocauit, ingenti, cum pij in eundem Chriſti Martyrem affectus ſignificatione. Cuius vt venerationem ampliaret, Mimatenſi Gabalorum Eccleſiæ cuius alumnus erat, alias eiuſdem ſancti Athletæ reliquias religioſo munere contulit. Eodem die in oppido

REMEDIVS & GERMANVS. Borty in Lemouicenſium & Aruernorum confiniis, venerario oſſium S. REMEDII Vapincenſis Epiſcopi, & GERMANI Conſtantinopolitani

Patriarchæ, ibidem apud parrochialem Eccleſiam in argentea capſa decentiſſimè conditorum, & ab eorum ſolemni ſuſceptione ad hos vſque dies obſeruatorum, multa cum incolarum deuotione. Apud Caluum montem ſanctæ OLIVARIÆ Virginis. OLIVARIA.

4 *Pridie Nonas Februarij.*

IN agro Agennenſi monaſterio Exienſi Adoldum fluuium commemoratio ſancti ADVINI Epiſcopi & Confeſſoris, cuius glorioſus tranſitus colendus incidit in diem 16. Auguſti. S. ADVINVS.

7 *Septimo Idus Februarij.*

CLAROMONTE Aruernorum ſancti AMANDINI Confeſſoris, qui in Eccleſia ſancti Saturnini ante altare, cum ſancto Sydonio celeberrimo huius ſedis Epiſcopo, & beati Saturnini deuotiſſimo cliente, ob conſpicuæ ſanctitatis inſignia venerabiliter conditus requieſcit; annuíſque ſacris cum ſancto Amantio Martyre ibidem colitur, quamquam in maiori Eccleſia celebretur eius memoria quotannis 7. Idus Nouembris. SS. AMANDIVS. Eadem die ſancti ROMVALDI Abbatis, ordinis Camaldulenſis Patriarchæ, qui ex Italia in Gallias cum Petro Vrſeolo, Venetiarum quondam duce, Ioanne Grondenico & Marino Magiſtro veniens, illic Ereméticam vitam inſtituit, ac Chriſtianiſſimi imperij oras, annis circiter viginti, verbo ac exemplo, magnóque ſanctitatis ſplendore decorauit. ROMVALDVS. Ipſo die commemoratio ſancti ODONIS Archiepiſcopi Cantuarienſis cognomento Seueri: qui ob micantia in ſe Dei gratiæ ſigna, electus nobilis illius Metropolis Pontifex, non prius electioni aſſenſit, quin monaſticis diſciplinis, à Floriacenſibus Galliæ aſcetis, quorum erat tum ſanctimoniæ percelebris fama, inſtitueretur, & illic indueretur religioſa cuculla. ODO. Miſſis igitur eò legatis, ad ſibi aditum flagitandum, ipſe illuc paulò pòſt profectus eſt, vbi aſſumpta teſſera regulari, & hauſtis piarum diſciplinarum theoriis, demum egregiè iis inſtructus ad ſedem rediit deſignatam; túmque ordinari ſe paſſus eſt: Eccleſiámque ſuam Apoſtolica virtute gubernauit, vitiorum acerrimus vltor, Regum correptor, caſtitatis vindex, diuinæque legis feruidus æmulator. Cuius tenorem immaculato calle ſemper tenuit, & vt ſeruaretur à Regibus, Sacerdotibus, ac populo, intenſo ſemper animo procurauit. Sedit alter ſæculi ſui IOANNES, annis viginti quatuor, miraculíſque quibus in vita clarueràt, poſt mortem amplius à Deo clarificatus reſplenduit. IOANNES. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, &c.*

IPSO die anno 1593. PETRVS IACOBVS SALISIVS Aruernus Societatis IESV Presbyter, linguarum præcipuarum peritia, Philoſophiáque & Theologia egregiè inſtructus, martyriíque cupiditate flagrans, datis Romam literis Indicam profectionem expetiit, ſed ei quam longè quærebat palma, in ipſa Gallia obtigit, Albenaco in Viuarienſi tractu, ab hæreticis Caluinianis occupato, vbi egregius præco diuinæ veritatis, per aduentus Dominici tempus, ſumma cum laude, & fructu verba fecerat: datus ſiquidem cum ſocio GVLIELMO SALTHAMOCHIO, præda tribus ſæuæ huius ſectæ miniſtris, cum illi diſputatio- *Petrus Iacobus Saliſius.* *Gulielmus Salthamochius.*

ne quæ fortè ob iuſeulum è earne quod Sabbato oblatum Saliſius reieeerat, ſuccumberent, ab vno eorum commota multitudo, illos ad cædem poſtulauit; ibi igitur Saliſius perſecutoribus ſuis veniam orans, primum ſclopo ſecundum humerum appetitus, ac deinde IESVM ingeminans, verus illius in patientia & charitate imitator, cum ſocio ferro confoditur.

9 *Quinto Idus Februarij.*

SS. AVSBERTVS. IN agro Caturcenſi Moyſſiacenſi Cœnobio ad Tarnam fluuium, feſta recordatio ſancti AVSBERTI Rotomagenſis Epiſcopi, Faſtis Eccleſiæ Catholicæ hac die ob merita patentiſſima adſcripti, qui ſub ſancto Deſiderio Epiſcopo Caturcenſi, hoc ipſum Monaſterium ſanctiſſimè rexit. Híncque diuinis progreſſibus ad ſolium Archiepiſcopale Rotomagenſium euocatus, omnem non modò ſibi creditam Prouinciam, ſed Galliam vniuerſam ſuæ ſanctitatis fulgoribus repleuit, exúlque tandem moriens, coronam Iuſtitiæ conſecutus eſt perennem. ERMENFRIDVS. Viroduni S. ERMENFRIDI Epiſcopi & Confeſſoris, qui ſancti Columbani pia voce, ad Chriſti famulatum inuitatus, atque ſub eo in Luxouienſi Cœnobio monachus factus, ſanctitate, ac ſapientia cùm præſtaret, ad Epiſcopatum illius Vrbis; mirâ Cleri, & populi efflagitatione appellatus: ſuſceptum pro Dei amore munus paſtorale, ad præſcriptum Euangelicæ legis & Apoſtolicæ regulæ executus, cùm præfuiſſet non minus annis duodecim, partis ſollicitudinis ſuæ copioſis fructibus, vocatus ad laborum præmium, felici ſomno in Chriſto, qui vera pax eſt & felicitas iuſtorum requieuit, exceſſit quidem è carne ſanctus Antiſtes ſexto Idus Decembris, quæ dies cùm immaculato conceptui Sanctiſſimæ Dei genitricis colendo ſit addicta, ſubſequentéſque dies Domini expectationi, & natiuitati, aliíſque illius feſtiuitatibus, ac natalitiis ſint ſacrati; huius cœlitis reuerenda memoria in hunc diem iampridem fuit dilata.

10 *Quarto Idus Februarij.*

SS. GOSELINVS & IVLIANA. AVGVSTÆ Taurinorum Inuentio Sanctorum GOSELINI Abbatis, & IVLIANÆ matronæ, in Eccleſia ſancti Solutoris Martyris & Thebæorum legione celebrium.

Jarento. IN Burgundia beatæ memoriæ IARENTO Abbas, ſancti Benigni Diuionenſis, Hugonis Ducis Burgundiæ, & poſtea Cluniacenſis humilis aſeetæ, ſanctiſſimus inſtitutor, pietate, prudentia, eœleſti facundia, & omni beatitudine plenus, quà Deo, & hominibus placuit, poſt emenſum feliciter mortalis palæſtræ tramitem, ad cœleſte donatiuum properauit.

11 *Tertio Idus Februarij.*

SS. BENEDICTVS. IN Monaſterio Indæ prope Aquiſgranum, tranſitus ſancti BENEDICTI Abbatis fundatoris Monaſterij Saluatoris de Aniana, in Septimania Diœceſis Magalonenſis, ſeu Montiſpeſulanæ, vbi die ſequenti, memoria eius colitur, ſicut expreſſum eſt in præſenti Martyrologio. Cui ſolùm addendum, ſanctum hunc Abbatem, etiam auctorem fuiſſe concordiæ, quam ſcripſit regularum, iámque ad ſenium vergentem, Carolo Magno, & ſucceſſiuè Ludouico Pio charum, verſus Aquiſgranum

euocatum, Indæ Monaſterium rexiſſe, vbi ſanctis laboribus feſſus, & refertus cumulis iuſtitiæ, Deo dignam animam exhalauit. Huius beatus tranſitus Stœbelo Magalonenſi Epiſcopo diuinitus reuelatus eſt, qui & piæ vitæ eius ingentia decora à ſe perſpecta, plerisq. notificauit. Trecoræ in Armorica ſancti GVLIELMI nomine ſecundi illius ſedis Epiſcopi & Confeſſoris. Item Viennæ Allobrogum ſancti SIMPLIDÆ Epiſcopi, qui Taciti, Probi, & Cari Imperatorum temporibus ſedens, motus atrociſſimos ſæuientis in Chriſti caulas impietatis ſuſtinuit, ac repreſſit, victorque cum corona de ſtadio martyrij egrediens, immortale, purpuratæ ſanctitatis decus, ab hinc conſecutus eſt. GVLIELMVS. SIMPLIDAS.

12 *Pridie Idus Februarij.*

IVLIOMAGI Andium, commemoratio canoniſationis ſancti LVCINI Epiſcopi Andegauenſis: quem antiqua fert illius Eccleſiæ traditio à ſancto Vitaliano Papa (qui anno 655. ſedere cœpit) in Sanctorum album fuiſſe relatum. Treuiris ſanctæ GERESINÆ Reginæ in cœnobio ſancti Matthiæ cum honore ſanctitatis approbatæ quieſcentis. SS. LVCINVS. GERESINA.

13 *Idibus Februarij.*

IN minore Britannia ſancti ENOGATI Epiſcopi Maclouienſis ſeu Alethenſis, qui quintus ordine hanc Eccleſiam rexit. Etenim antè cum recta ſerie conſederunt, ſanctus ipſe Maclouius, qui Epiſcopatui quem auſpicatus eſt, ſuum nomen & patrocinium demum indidit. Poſt quem præfuit ſanctus COLAPHINVS, quem ſecutus eſt proximè ſanctus ARMAGILVS, & hunc ipſe beatus Enogatus, æquè clarus meritis conſummatæ virtutis, & ſignis perſpicuæ ſanctitatis. Sicut & Sancti MALMON & GOFRIDVS, qui viciſſim poſt eum huic Eccleſiæ præſidentes, Iuſtitiæ tramitem ſibi præmonſtratum, ſanctiſſima conuerſatione obſeruarunt, & poſteris claris veſtigiis conſignarunt. Ipſo die ſancti GVIMERRÆ primi Epiſcopi Carcaſſonenſis in Gallia Narbonenſi, qui populo ſuo quem acquiſiuit Chriſto totum decennium mirabili virtutum, & diuinæ ſapientiæ ſplendore præluxit, bonóque certamine confecto, curſu feliciſſimè conſummato, coronam Iuſtitiæ adeptus eſt ſuis laboribus repoſitam à Domino. Eius ſacratiſſimum corpus in ſummo Templo ſancti Nazarij conditum, emerita potitur veneratione. Confluentiæ Treuirenſium ſancti CASTORIS Confeſſoris oppidi illius patroni glorioſi. SS. ENOGATVS. COLAPHINVS. ARMAGILVS. MALMON & GOFRIDVS. GVIMERRAS. CASTOR.

EODEM die perrexit ad beatarum Virginum cœleſte conſortium piiſſimæ memoriæ BEATRIX monialis Carthuſiæ in Diœceſi Lugdunenſi, quæ ſub beata *Margarita* Prioriſſa, omni ſanctitate floruit: ſingularique deuotione in ſacra vulnera Chriſti affecta, his ex miſericordiæ riuulis, magna gratiæ fluenta delibauit. *Beatrix.*

14 *Sexto decimo Kalend. Martij.*

SS. BRVNO. APVD Rutenos paſſio ſancti BRVNONIS Epiſcopi & Martyris, qui gregem ſuum viſcerali amore complectens, fidémque & iuſtitiam ſeruare contra omnem impietatem, & iniuſtitiam contendens, ab iniquis, quos inſectabatur boni paſtoris voce, ceu à lupis ouis, immo ouilis generoſus aries, crudeliter interemptus, agonis ſupremi coronam emeruit ſempiternam. VALERIVS. Coloniæ Agrippinæ, ſancti VALERII Martyris, quem necatum ob pietatis Chriſtianæ confeſſionem, à Barbaris qui ſanctam Vrſulam, eiúſque ſocias trucidârunt, eodem anno, Agrippinenſis Eccleſiæ traditio teſtatur. THEODOSIVS. Vaſione Vocontiorum ſancti THEODOSII Epiſcopi & Confeſſoris, qui plenus Dei gratia, illam Eccleſiam gubernauit: factúſque imminentis exceſſus, iam grauatus ſenio, diuinitus præſcius, ſanctum Quinidium Apoſtolicis chariſmatibus præditum, omníque gratia rutilantem, ex ſupremo afflatu, ſuum deſignauit ſucceſſorem: cùm autem pia ſua vota Cleri aſtipulatione, populi deſiderio, Primatis Arelatenſis comprobatione, & Regis Childeberti conſenſu, vidiſſet obfirmata, alter Elias relicto cum paſtorali melote duplici ſuo ſpiritu, huic nouo Eliſeo, ouans de eius delectu, & prouectione, gregíſque, tantum Paſtorem ſua cura conſecutus, futura vtilitate, denique de peracto ad Dei beneplacitum miniſterio, ſecurus de præmio, exuta carnis mole, glorificandum ſpiritum ad æthereas ſedes tranſmiſit.

15 *Quinto decimo Kalend. Martij.*

SS. FAVSTVS. DEPOSITIO ſancti FAVSTI Monachi Caſſinenſis, diſcipuli ſancti Benedicti qui aliquandiu in Cœnobio Glanofolij in Andegauenſi præſulatu ad Ligerim, ſub ſancti Mauri diſciplina conuerſatus: poſtea redux in Italiam, apud Caſſinum ſuum curſum finiuit, boniſque operibus affluens, optatum æternæ felicitatis brauium, aſſecutus eſt. PETRVS. Tranſlatio ſancti PETRI Cœleſtini Ferentini in Hernicis: vnde in Galliam, pleraque eius pignora adornatum, & præſidium monaſteriorum huius ordinis adducta, cultum tanti cœlitis ampliarunt. AVRELIANVS. Lemouicis commemoratio ſancti AVRELIANI, ſecundi illius ciuitatis Epiſcopi: cuius præcipua veneratio anniuerſario ritu celebris eſt 15. Kalend. Decembris.

17 *Tertio decimo Kalend. Martij.*

SS. SILVINVS. IN pago Taruanenſi ſancti SILVINI Epiſcopi Toloſani, & Confeſſoris, qui relicta nobili ſponſa, & quibuſque ſæculi illecebris, Chriſto viuere, & mundo mori perſtuduit. Adſcriptus igitur Clero, mox diuinis luminibus irradiatus, cùm omnium in ſe amorem, & admirationem inuitus licet raperet; renitens itidem, in Pontificalem Cathedram nobilis illius ciuitatis, euectus eſt: vbi cùm antiquorum antiſtitum decora renouaret, ſtudiáque Apoſtolica conſecraretur, tantam in populi venit venerationem, vt gloriæ pertæſus, timénſque ſibi ab humanæ laudationis aura, ſolùm vertere, & ſolum deſerere inſtituit. Ne tamen à

Domini lucris ceſſaret fidelis ſeruus, vt talenta ſibi credita multiplicaret, ad fidem diſſeminandam ſe conuertit: in Belgiúmque venit, adhuc vepretis infidelitatis non prorſus expurgatum, vbi copioſos fructus diuinæ ſementis quam ſpargebat, felici manu ac ore excitauit. Hinc ſeceſſus deſiderio incenſus, in locum abditum ſe recipiens, quò Deo purius famularetur, mira auſteritate ſe exercuit carnem ieiuniis cilicio, & ferreis circulis comprimens, quibus inſtructus armis, iam victor egreſſus de ſpelunca in Orientem traiecit, locáque inuiſit ac adorauit, ortu, curſu, ac occaſu ſolis iuſtitiæ, triumphalíque eiuſdem regreſſu inſignita. Poſtremo in Belgicam Galliam reuerſus, Alciaci prope Heſdium, vltimam ſedem fixit, qua ex ſtatione magno ſpiritu pietatis ſæpè proſiliens, feruida verbi diuini prædicatione animas innumeras lucratus eſt, ſuámque ipſam cùm pro Chriſti gloria enixè cuperet profundere, præmij emeriti acceleratione præoccupatus, viſibiliter inuitatus ab Angelis, ad Regis æterni aulam, cum iis, beatus euolauit, ſepultúſque Alciaci ſicut in iſto Martyrologio notatur, magnis reſplenduit ſignis ſuæ glorificationis. In territorio Pariſiorum repoſitio Sanctorum Martyrum DIONYSII Epiſcopi, RVSTICI Preſbyteri, & ELEVTHERII Diaconi. Aruernis tranſlatio ſancti LVPIANI Confeſſoris. DIONYSIVS, RVSTICVS, & ELEVTHERIVS. LVPIANVS.

18 *Duodecimo Kalend. Martij.*

IN Monaſterio Centulæ Ambianenſis diœceſis tranſlatio ſancti ANGILBERTI cœnobiarchæ, quondam generi Caroli Magni. Qui laudem perennem Deo, in Eccleſia ſui Monaſterij titulo ſancti Saluatoris à ſe conſecrati, inſtituit: magníſque editis Chriſto prorſus deditæ mentis ſignificationibus, conſpicuus Euangelicæ perfectionis meritis, Angelicos in choros ſuſceptus eſt. Aruernis tumulatio ſancti SIGONIS Epiſcopi, qui ad Chriſtum glorificandus tranſiuit, die 10. huius menſis. Metis ſancti LEGVNTII Epiſcopi. SS. ANGILBERTVS. SIGO. LEGVNTIVS.

19 *Vndecimo Kalend. Martij.*

NATALIS ſancti GABINI Preſbyteri & Martyris fratris beati Caij Papæ: qui à Diocletiano in cuſtodia detentus, vinculis afflictus, pretioſa morte cœli gaudia comparauit, éque duræ captiuitatis nexibus ad filiorum Dei libertatem, quin & regnum, triumphaliter euolauit. Ipſius ſacratiſſimum corpus demum à Paulo quinto ſummo Pontifice Chriſtianiſſimi Regis internuntio in pignus datum eſt: à quo Lugdunum Celticæ Galliæ Metropolim tranſlatum, in Eccleſia Patrum Societatis IESV, hac ipſa die collocatum fuit ſumma cum celebritate. S. GABINVS.

20 *Decimo Kalend. Martij.*

DAVENTRIÆ in Belgio ſuſceptio corporis ſanctæ MALDREDÆ Virginis, cuius in iſto Martyrologio natalis colendus ſignatur tertio Idus Iulij. S. MALDREDA.

21 *Nono Kalend. Martij.*

SS. HERVÆVS. IN oppido Clariaco ad Oldium fluuium in agro Agennenſi, paſſio glorioſi Chriſti militis HERVÆI Maluais, Preſbyteri Societatis IESV: qui poſt multos agones ſuperatis pro defenſione Catholicæ veritatis, poſt multa hæreſeωn monſtra gladio ſanæ doctrinæ iugulata, dum ſacramenti pœnitentiæ munere fungeretur, impia manu percuſſus victor occubuit, palmámque extremo hoc ex agone retulit, & lauream immarceſſibilem. Apud Aruernos vico Arthona quondam dicto ſanctæ VITALINA. VITALINÆ Virginis Deo ſacræ, quæ ætate in puro Dei ſeruitio confecta, ſponſo cœleſti vt pro meritis iungeretur placida morte ac præmatura hac ex luce migrauit, ſepultáque in eodem vico, cùm multa ſanctitatis opinione apud incolas ſemper viueret, contigit vt eo tranſiret Claromontem petens, ſanctus Martinus Epiſcopus Turonenſis, qui audita illius virginis fama ad eius tumulum veniens, defunctæ ſalutationem impendit, at illa vt ſibi ab eo benediceretur flagitauit. Poſtquam autem expleuerunt orationem, conuerſus vir beatus ad virginem in tumulo quieſcentem, ab ea percontatus eſt; num votis potita, dilecti ſponſi iam conſpectu frueretur. *Dic* (infit) *ſanctiſsima Virgo, ſi iam Domini præſentiam meruiſti*, quæ reſpondens; *Vna*, inquit, *mihi reſtitit cauſa, qua facilis in ſæculo videbatur, ſexta enim feria, quà Redemptorem paſſum nouimus aquis ablui caput.* Receſſit hoc audito mœſtus à tumulo beatus Confeſſor, ſuíſque, abiens, memorandam hac vocem intulit. *Væ nobis qui in hoc mundo verſamur, ſi hæc virgo ſacrata hinc offendiculum meruit, quod ſexta feria caput abluerit: quid nos faciemus quos quotidie fallax ſæculum peccare perſuadet?* Orauit igitur pro Virgine ſanctus Pontifex, túmque ad eius tumulum reuerſus, cœleſte quod acceperat pro eius liberatione reſponſum, intimauit. *Gaude nunc*(ait)*Vitalina ſoror beatiſsima poſt triduum enim Maieſtati diuinæ præſentaberis.* Et diſceſſit eo loco. Poſt hæc verò multis, per viſum, Virgo iam glorificata apparuit, ſupplicibus beneficia petita præbuit, & diem obitus ſui in quo eius commemoratio celebraretur, ex Dei beneplacito edixit: qui natalem Virginis à patribus vigiliis etiam præuentum, pleriſque honorauit gloriæ ſuæ indiciis, quæ ſanctus Gregorius Turonenſis graui relatione commemorauit. Colitur etiam Metis beata hæc virgo ex auito more, vt ex maioris Eccleſiæ conſtat priſcis diptychis.

22 *Octauo Kalend. Martij.*

S. APRVNCVLVS. TREVIRIS reſeratio ſancti APRVNCVLI Epiſcopi, qui cùm poſt mortem miraculis renideret, ex Eccleſia ſancti Paulini vbi ſepultus fuerat ad Springenburienſe Monaſterium tranſlatus gloriæ ſuæ ampliauit indicia. Colitur præcipuo honore die 22. Aprilis.

23 *Septimo Kalend. Martij.*

IN Aruernia vico Billonnenſi ſuſceptio & veneratio pretioſi corporis

potis ſancti SYRENI Monachi Martyris, qui cùm ſe Chriſtianum eſ- SS.
ſe confiteretur, iubente Maximiano Imperatore apud Sirmium capi- SYRENVS.
te cæſus eſt. Cuius ſacra gleba deinde in Gallias tralata, in Collegiata Eccleſia, præſignati vici, colenda repoſita eſt cum oſſibus Sanctorum IVVENALIS Martyris & ſancti MAXIMINI Epiſcopi & Confeſſoris. IVVENALIS & MAXIMINVS.
Fit autem ad tanti cœlitis patrocinium perpetuus incolarum concurſus. Qui maximè occurrente neceſſitate ſerenitatis vel pluuiæ, ad huius glorioſi ſui tutelaris præſidium fideliter recurrentes, opem ex eius meritis, & ſuffragiis deſideratam conſequuntur. Beatiſſimi autem huius Martyris bis in anno recolitur ſumma veneratione memoria: hâc die ſcilicet in antedicta Eccleſia Billonenſi. Porro ſexto Idus Maij ab Eccleſia matrice Aruernenſi: fortè quòd hæc colat tranſlationem, illa natalem propria ſolemnitate veneretur.

VERCELLIS in Pedemontano Principatu feſtum Coronæ Dominicæ. Quæ illic in maiori Eccleſia ad venerationem fuit fideli populo expoſita, cùm à Venetis redempta per S. LVDOVICVM Chriſtianiſſimum Regem in Galliam deportaretur, cum aliis adorandis Chriſtianæ Redemptionis pignoribus, paulò pòſt eadem cum corona, Lutetiæ Pariſiorum in Baſilica Palatina, magna reuerentia & celebritate ab ipſomet Sanctiſſimo Rege perpetuum ad cultum, & paſſionis Chriſti tam efficax quàm inſigne monimentum, collocatis. Tranſitus beati SARONIS primi Abbatis Pulteriæ ad Sequanam, in Diœceſi Lingonenſi, cuius loci Eccleſiam huius beati viri ſanctè actorum & ſepulturæ memoriâ conſpicuam, Ioannes VIII. Papa Auguſtam Treuirorum veniens ad Concilium celebrandum, Pontificali ritu dedicauit. *Saro.*

24 *Sexto Kalend. Martij.*

IN territorio Pariſienſi, Dedicatio Baſilicæ ſancti Martyris DIONYSII Areopagitæ, mirabiliter à Chriſto IESV ſummo omnium ſacerdote æternóque noui teſtamenti Pontifice, peracta, patentibúſque obſignata diuinæ ſuæ virtutis & operationis veſtigiis. S. DIONYSIVS.

OBIIT ADALBERO Epiſcopus Metenſis quadrageſimus ſextus, vir (vt eſt in chartulario ſancti Arnulphi) *opinatiſſimæ ſanctitatis, ſanctæque Religionis indefeſſus reformator*, poſtquam ſediſſet annis triginta quinque, menſes nouem, dies viginti quinque. *Adalbero.*

25 *Quinto Kalend. Martij.*

IN maiore Carthuſia Gratianopolitanæ Diœceſis, pium efflauit ſpiritum beatæ memoriæ IANCELINVS Prior Generalis decimus ordinis Carthuſiani: cui annis ferè ſexaginta, non ſine inſigni laude ac vitæ ſanctimonia, vt habet eius mnemoſynon in nomenclatura patrum ipſius ordinis. IANCELINVS.

26 *Quarto Kalend. Martij.*

NIVERNIS ſancti EOLADII Epiſcopi & Confeſſoris, qui Eccleſiæ magnum lumen, Concilio Lugdunenſi anno quingenteſimo ſe- S. EOLADIVS.

ptuageſimo interfuit, póſtque beatum tranſitum multis refulſit in Eccleſia ſancti Stephani, vbi funeratus eſt, emeritæ beatitudinis radiis.

27 *Tertio Kalend. Martij.*

S. OSVVALDVS. SANCTI OSVVALDI Epiſcopi & Confeſſoris, qui Anglus origine, nepos ſancti Odonis Cantuarienſis Archiepiſcopi: eius ſuaſione in Galliam ad Floriacenſe Cœnobium ſe contulit celeberrimum tum pietatis & regularis diſciplinæ gymnaſium: vbi ſanctis moribus informatus cùm fuiſſet, poſt quinquennium à patruo ægrotante, in Angliam crebris Epiſtolis reuocatus eſt, quem redux, ad ſupernas ſedes tranſiiſſe reperiit. Cúmque Floriacum toto animo reſpiraret, ab Oſkitello Eboracenſi Archiepiſcopo (qui tam clarum ſydus religionis, ſuæ patriæ iterato diſceſſu eripi ægrè ferebat) retentus, biennium pòſt, communi illius, & beati Dunſtani opera, ob clara lumina ſanctitatis ad Vigotnienſem Epiſcopatum prouectus eſt. Vbi præclaris omnis virtutis exemplis, Clero, & populo ſuo prælucens, Eccleſiam Cathedralem inſtaurauit, ſanctiſſimæque Dei genitrici, cui impensè deuotus erat, religiosè dedicauit. Hinc defuncto Artheluuodo Metropolita Eboracenſi, qui Oſkitello prænominato ſucceſſerat; inuitus licet ſuffectus, illius vrbis Cleri perditos mores ſedulò correxit. Edidit pro vindicanda Eccleſiaſtica diſciplina egregias conſtitutiones, quas in vnum codicem inſcriptum ſtatuta ſynodalia digeſſit, fundauit Rameſeiæ Cœnobium: moréſque Floriacenſis Aſceterij illic induxit: memor autem vberum maternorum, ipſimet monaſterio Floriacenſi, ex quo ſuxerat lac pietatis & doctrinæ, multa beneficia impertiuit. Deinde poſtquam Eboracenſi Eccleſiæ annis 22. in omni ſanctitate præfuiſſet, felici morte defunctus, Vigorniæ, (cuius ne ſtatus à ſe conſtitutus collaberetur, Epiſcopatum totâ vitâ retinuit.) in ſanctæ Mariæ Baſilica quam conſtruxerat, ſupremo ex voto ſepultus eſt. Ad cuius tumulum, *ſicut Commentarius de Præſulibus Angliæ etſi ab hoſte pietatis conſcriptus, expreſſè habet*, multa patrata miracula perhibentur; ob quæ diuina gloriæ eius teſtimonia, in Sanctorum album nomen eius venerandum aſcriptum eſt. Porro corpus eius tot rutilum miraculis, Adultus Eboracenſis Antiſtes, immediatus eius ſucceſſor, de tumulo leuatum feretro indidit pretioſiſſimo, Idibus Octobris. Quo die in Anglia (quandiu fidem Chriſto ſeruauit) ab hinc fuit iſta tranſlatio annua commemoratione celebris.

28 *Pridie Kalend. Martij.*

S. THEODVLPHVS. TREVIRIS Inuentio ſancti THEODVLPHI Abbatis.

MARTIVS.

1 *Kalend. Martij.*

FESTVM ANGELI CVSTODIS ex Eccleſiæ Toletanæ pio more ad Rutenos deductum, authore beato Franciſco de Stanno Rutenenſi Epiſcopo, probante Apoſtolicâ ſede. Eodem die Paſſio ſancti Leonis Baionenſium Apoſtoli, cuius epinicion in iſto Martyrologio legitur in eius natali 5. Nonas huius menſis. Fulget hic beatus Martyr perpeti dono opitulationum in finibus ſuis. Hunc enim mulieres in puerperio inuocantes à periculo liberantur: Nautæ à naufragio & prædonum poteſtate ſeruantur; animalia, ipſius clientelæ commendata à luporum rapacitate, & variis infirmitatibus eruuntur, & alia innumera, (præſtante Domino IESV Chriſto, quem in vita & morte clarificauit beatiſſimus athleta;) incolis, eius interceſſione, impenduntur ſolatia. SS. ANGELVS CVSTOS.

2 *Sexto Nonas Martij.*

APVD Lectorenſes in Vaſconia natalis ſanctæ MERÆ Virginis & Martyris. S. MERA.

3 *Quinto Nonas Martij.*

DEPOSITIO ſancti ALANI, qui natione Aquitanus, patrium ſolum, ſicut quondam Abraham, deſerens, vt Deum ſe vocantem ſequeretur, Monachus Farfæ euaſit religioſiſſimus, deinde & Abbas factus eiuſdem loci ſextus, ſanctiſſimâ adminiſtratione exactâ, ad ſupernæ ciuitatis, quam perpetua virium contentione quæſiuit, beatam euolauit ſibi paratam manſionem. Coloniæ Agrippinæ migratio ſancti ANNONIS Epiſcopi & Confeſſoris, cuius venerabile nomen Martyrologio Romano inſcriptum die 4. Decembris, digno cultu ſanctitatis, illo die qui tranſlationis eius eſt honoratur. SS. ALANVS. ANNO.

4 *Quarto Nonas Martij.*

TRANSLATIO ſancti CORNELII Papæ & Martyris glorioſiſſimi, cuius ſacratiſſimum corpus Româ in Galliam aduectum à Carolo Caluo Imperatore honorificentiſſimè collocatum eſt, cum *ſancti Cypriani* pretioſis oſſibus, in Cœnobitica Baſilica, Compendij in Sueſſionenſi Præſulatu ab ipſomet Auguſto in amborum horum Martyrum paritérque Pontificum, honorem ædificata, vbi etiamnum multa religione obſeruantur in Sacrario, cum adoranda Sindone ſepulchrali Chriſti Saluatoris, & coronæ eius ſpineæ reliquiis venerandis, ac plériſque aliis religioſis pignoribus, ibidem conditis ingenti cum gloria & honore. Ipſo die veneratio S. Sepulchri Saluatoris Domini noſtri IESV Chriſti iamdudum in Gallia ſolemnis. In cuius Dominici ſepulchri honorem, Ludouicus à SS. CORNELIVS.

Borbonia regiæ ſtirpis Princeps, Coméſque Claromontij, in vrbe regia Pariſienſi fundauit anno 1325. Eccleſiam Collegiatam, quæ conſpicua mole extat, eò ſub triumphali titulo viâ regiâ ſancti Dionyſij Galliæ Apoſtoli. Eodem die Cauæ Monaſterio, depoſitio ſancti PETRI Abbatis, Monachi Cluniacẽſis, ſanctitate & doctrina admirabilis, tantæque abſtinentiæ, vt toto ſacræ quadrageſimæ tempore, quinque aut ſex panum refectione contentus fuerit.

PETRVS.

Romeus. LVCÆ in Thuſcia tranſitus beati ROMEI patria Lemouicenſis, ordinis Carmelitarum, Comitis ſancti Auertani, quo cum in præſenti Martyrologio laudatur die tertia huius menſis.

5 *Tertio Nonas Martij.*

S. GVILLELMVS. NIVERNIS commemoratio ſancti GVILLELMI Epiſcopi, miræ in pauperes charitatis, qui ad Chriſtum tranſiuit in vigilia eius Aſcenſionis 21. Maij anno 1221. relictâ ſuæ ſanctitatis perſuaſione copioſâ.

7 *Nonis Martij.*

S. SATYRVS. BITVRICIS ſancti SATYRI Martyris, in teſtificatione diuinæ veritatis fortiter occumbentis, ac feliciter coronati.

8 *Octauo Idus Martij.*

S. STEPHANVS. TVLLI Leucorum ſancti STEPHANI Epiſcopi, qui beato Gauzelino digna vice ſuffectus, initiatum ſibi pietatis tramitem, pulchris progreſſibus inſigniuit, quibus ad æternam felicitatem euectus, ſanctum Gerardum pari ſanctimonia ornatum recepit, & in Epiſcopali ſolio ſucceſſorem, & in cœleſti demum regno Dei, conſortem.

9 *Septimo Idus Martij.*

S. VINDRICVS. TVLLI beati VINDRICI Abbatis Cœnobij ſancti Apri magnarum virtutum patratoris.

10 *Sexto Idus Martij.*

S. HIMELINVS. APVD Thenas in Brabantia ſancti HIMELINI Preſbyteri, ſancti Rumoldi Preſbyteri & Confeſſoris propinqui, aſſeclæ, imitatoríſque præcipui, diuinæque gloriæ & humanæ ſalutis ſtrenui prouectoris.

12 *Quarto Idus Martij.*

SS. GORGONIVS, NABOR & NAZARIVS. METIS ſuſceptio corporum Sanctorum Martyrum GORGONII, NABORIS & NAZARII. quæ beatus Godegrandus Metenſis Antiſtes, Romam ſecunda vice profectus, ſacro munere à Paulo primo Papa, accepit, hincque in Galliam ad ſedem ſuam aduexit, poſtea verò ad potiorem cultum ſic ſingula diſpertiuit, vt Gorgonij ſacra pignora ad Cœnobium de Gorzia detulerit perpetuo cultu aſſeruanda. Naboris

honorandas exuuias, in monaſterio quod in eius memoriam extruxit in fundo Hilariaco collocauerit. Nazarij autem veneranda ſpolia in Abbatia de Laurishan extra Rhenum dignè repoſuerit. Attamen Gorgonij venerabile caput Metis manere voluit in Cathedratico templo, vbi in hunc vſque diem magna reuerentia conſeruatur. Leonij in Armorica ſancti GOLVVENI Epiſcopi, qui ſancto Paulo primo illius ſedis Præſulis ſuccedens, ſanctitatis lumina quæ ille tota conuerſatione prodiderat, egregia imitatione perennauit. Moriénſque in Monaſterio ſancti Melanij Redonenſis, æternam ad vitam quam ſemper concupierat, tranquillo exceſſu puræ mentis peruenit. Eodem die ſancti MABBONIS eiuſdem Eccleſiæ Epiſcopi, qui mediata vice ipſimet Goluueno ſuffectus, eodem calle virtutis coram Domino ambulauit. Cùm autem Dani in Armoricam irrumperent, veritus ne ſancti Pauli corpus, tot gratiarum pridem habitaculum in tot gloriarum inſtrumentum, falcatis harum belluarum vnguibus diſcerperetur, maturè eo loco ſubduxit, Floriacúmque ad Cœnobium tranſuexit, ſúbque Wlfadi Abbatis fideli cuſtodia depoſuit. Cæterùm ipſe piis laboribus confectus, ne gentis ſuæ mala videret, æternam ad requiem vocante Domino, cui vnicè ſeruierat, aſſumptus eſt. Iterum in minori Britannia memoria ſancti YDVLTI Confeſſoris, qui ſanctum Paulum Leonienſem Epiſcopum prælibatum ab adoleſcentia in monaſterio erudiuit: cuíque aditum æternitatis puris veſtigiis indicauit omnis gratiæ & virtutis nitens decore.

GOLVVENVS. MABBONIS. YDVLTVS.

13 *Tertio Idus Martij.*

TOLOSÆ in Eccleſia Franciſcanorum, venerario corporis ſancti STEPHANI Martyris eiuſdem ordinis, ibidem in capella propria, vna cum ſancti Raymundi eiuſdem inſtituti profeſſoris, ſacris oſſibus, in capſa tamen diſtincta collocati.

S. STEPHANVS.

15 *Idibus Martij.*

TRANSLATIO ſancti RAYMVNDI primi Abbatis Fiterienſis in Regno Nauarræ inſtitutoris militiæ Calatrauæ ordinis Ciſtercienſis. Hic natus apud Conuenas in Vaſconia, irradiatus diuino lumine ab adoleſcentia mundum omni animo deſpexit, atque deſeruit, ideóque apud Monachos ſcalæ Dei prope Tarbam habitu regulari indutus, cùm diu in Cœnobio, huic ſæculo crucifixus vixiſſet, ad Præfecturam Abbatialem Fiterienſem (quam domum Religionis prouector excitauerat) aſſumptus, tandem poſt multos labores, in animarum curatione exantlatos in loco Ciruelos dicto plenus dierum & ſanctorum operum, placida morte defecit; quo loco vſque ad annum 1468. quieuit repoſitus multa cum veneratione: at illo anno iuſſu Pauli II. Papæ, inde ad Monaſterium montis Sion prope Toletum delatus eſt, vbi in preſbyterio ad latus Epiſtolæ conditur, colitúrque in theca deaurata, quà anno 1590. ob fulgentia gloriæ lumina donatus fuit. Ad cuius inuocationem ſerenitas aëris contra imbres & fulgura frequenter impetratur.

S. RAYMVNDVS.

17 *Decimo ſexto Kalend. Aprilis.*

SS. ANTONIVS MAGNVS. IN territorio Viennenſi ad Furaniam fluuium in Archimonaſterio Antoniani ordinis, ſuſceptio corporis ſancti Antonij magni Abbatis: quod primum in ignoto Thebaidis loco ſepultum, ibi centum, & ſexaginta annos latuit, ſed tandem Dei prouidentia repertum, Alexandriam primùm: deinde Conſtantinopolim, poſtea in Gallias tranſlatum, in iſto Monaſterio, quod in eiuſdem ſanctiſſimi Confeſſoris honorem erectum fuit, ac dicatum: magno honore repoſitum eſt. Bellouaci Tranſlatio ſanctæ ANGADRISINÆ Virginis, cuius ibi natalis celebris eſt die 14. Octobris. Gandaui in Eccleſia ſancti Bauonis ſuſceptio corporis ſancti ADRIANI Martyris, internuncij ſancti Landoaldi, quo cum hodie colitur, communi non tam natali, quàm tranſlatione.

ANGADRISINA. ADRIANVS.

18 *Decimo quinto Kalend. Aprilis.*

S. TETRICVS. DIVIONE ſancti TETRICI Epiſcopi Lingonenſis parentiſque ſui beati *Gregorij*, non tam ſedis quàm ſanctimoniæ hæredis, pone quem in Eccleſia ſancti Ioannis ſepultus, ſignis communis glorificationis cum eo refulſit. Huius quoque laudes Gregorius Turonenſis celebrauit: cuius & nomen nonnullis Conciliis Galliæ, quibus interfuit, multa pietate & doctrina ſpectabilis manet inſcriptum.

19 *Decimo quarto Kalend. Aprilis.*

S. ADRIANVS. APVD Gandauum repoſitio corporis ſancti ADRIANI Martyris nuncij ſancti Landoaldi Archipreſbyteri, cum è via in qua à latronibus innocens interfectus fuerat, ad tumulandum leuatus, ſigniſque coruſcans, ibi conditus eſt condigno honore.

20 *Decimo tertio Kalend. Aprilis.*

SS. GERRICVS & EBBO. SENONIS commemoratio Sanctorum Epiſcoporum GERRICI & EBBONIS.

21 *Duodecimo Kalend. Aprilis.*

S. ELIAS. APVD Hottam Inſulam in Nouarienſi Diœceſi ſancti ELIÆ Epiſcopi Sedunenſis & Confeſſoris ibi quieſcentis. Qui depoſito ex humilitate Epiſcopatu, Preſbyteratus officium eo in loco ſubiit, ſanctúmque Audentium beata clarificatione rutilantem pio funere ſepeliuit.

22 *Vndecimo Kalend. Aprilis.*

SS. HILARIVS. DIVIONE repoſitio ſancti HILARII Confeſſoris, patris ſancti Ioannis Reomenſis: quando tumulo eius reſerato, vt ſancta Quieta eius coniux eidem mutuo ex voto conſepeliretur, diuina virtute è ſitu ſepulchri ſe erigens, caſtiſſimam vxorem, ſanctiſſimâ extenſâ dexterâ ample-

xatus, locum eidem pone ſe præbuit, & confeſtim ac illa iacere cœpit quaſi poſitus, pio deſiderio placidè requieuit. Eodem die in Belgio Tranſlatio Sanctarum Virginum HARLINDIS & RAILINDIS, quarum hæc natalem habet 6. Februarij, illa 22. Octobris. Recolitur Arelate Inuentio, & Eleuatio ſancti FLORENTINI Abbatis, cuius eſt ibidem ſolemnis depoſitio pridie Idus Aprilis: Tranſlatio autem 12. Kalend. Ianuarij, &c. HARLINDIS & RAILINDIS. FLORENTINVS.

23 *Decimo Kalend. Aprilis.*

SEDVNI in Gallia S. THEODORI aliàs Theodorici Epiſcopi & Confeſſoris, qui ſui ſæculi clarũ lumen, cùm apud Octodurum Vetagrorum Cathedram Epiſcopalem (quæ demum Sedunum Valeſiorum tranſlata fuit) teneret, ad Concilium Aquileienſe, quod Damaſo Papa & Gratiano Auguſto iubentibus, celebratum eſt, aduerſus Palladium & Secundianum Epiſcopos Atiana dogmata renouantes, vnus ſcilicet ex propriis Galliæ Epiſcopis inuitatus acceſſit: ſanctíque Ambroſij illic Maieſtatem vnigeniti æterni patris aduerſus horum impiorum ſceleratam perfidiam ſtrenuè propugnantis, ſuffragator, damnationis ſententiæ, quæ contra illos lata eſt, ſacros inter proceres conſpicuus ſubſcripſit. Dehinc ad ſedem reuerſus cum triumpho, orthodoxam fidem ſedulo excoluit: verbo autem & exemplo, cùm gregem ſuum Paſtor bonus ſuſtentaſſet, locupletatus fœnoribus gratiæ, ad coronam Iuſtitiæ, lætus de bonæ militiæ felici exceſſu, properauit. S. THEODORVS.

24 *Nono Kalend. Aprilis.*

HODIE Dominus noſter IESVS Chriſtus vltimam cœnam cum Apoſtolis ſuis faciens, Paſcha nouum in ſuo corpore & ſanguine conſecrauit; cuius diuina myſteria, tradidit eiſdem in perpetuum celebranda. Pariſiis in ſacra Palatij Capella, oſtenſio lintei quo præcinctus ipſe Chriſtus, Apoſtolorum ſuorum à ſe ablutos, ſtupendo humilitatis exemplo, pedes exterſit. Viennæ veneratio mappæ ſacroſanctæ refectionis, ſuper quam idem Chriſtus ſummus in æternum ſacerdos & Pontifex, panem & vinum in ſuum corpus & ſanguinem tranſſubſtantiauit. In Monaſterio Centula ſancti GERVINI Abbatis, quem tempore quadrageſimæ ſpecialibus virtutum exercitiis occupatum, & omni puritate vitam ſuam cuſtodientem, Chriſtus ante Paſcha ad ſe vocare dignatus eſt. S. GERVINVS.

25 *Octauo Kalend. Aprilis.*

LVTETIÆ Pariſiorum in Baſilica regalis Palatij, adoratio viuificæ Crucis, in qua CHRISTVS IESVS vnigenitus Dei filius, factus pro nobis victor & victima, ſacerdos, & ſacrificium; non quidem quod aſpectu præferebat vt in patibulo ignominiæ, at reuera in trophæo fortitudinis, & ara gloriæ, theatróque amoris, ſuffixus atrociſſimè quidem ſæuientium odia ſuſtinuit: at inter procellas tormentorum profuſa æſtuans charitate pro redemptione noſtra, quam vnicè ſitiebat, magnum CHRISTVS DOMINVS in Cruce exaltatus.

& ſanctum Deo Patri obedientiæ ſpectaculum, imò gratiſſimum propitiationis holocauſtum in odorem ſuauitatis ſemetipſum obtulit: tanta pietate in peccatores affectus, vt in extremo etiam vitæ ſpiritu, quicquid habuit vocis, virium, & ſanguinis, apud Patrem pro perſequentium ſalute deprecatus, impenderit. Ibidem horrenda exhibitio, & religioſa veneratio cæterorum inſignium ipſius Chriſti Domini doloroſæ paſſionis; nimirum ſpineæ coronæ qua redimitus, & arundinis qua illuſus, & percuſſus, Chlamydis coccineæ qua ludibrioſè veſtitus, ſpongiæ in qua aceto potatus, ferri lanceæ, qua latere tranſfixus, & partis ſudarij, quo ſepultus, opus humanæ redemptionis ſuâ ipſe incenſus charitate conſummauit. Quæ omnia ſacratiſſima pignora, cum magna parte ſuperioris lapidis diuini ſepulchri, & aliis pretioſiſſimis Chriſtianæ pietatis monimentis, S. Ludouicus Galliarum Auguſtus, eadem in ſacra Capella ad perpetuam venerationem, & regiæ vrbis, imò regni Chriſtianiſſimi decus atque præſidium, inſigni deuotione & ingenti reuerentia ac celebritate collocauit. Item Compendij, Veſontione, & in territorij Tholoſani Cœnobio, de Cadurco Ciſtercienſis ordinis veneratio linteorum ſepulchralium ipſius Domini Saluatoris. Eodem die depoſitio Sanctorum Confeſſorum BARONTII & DESIDERII Monachorum, qui natione Galli, ſæculi rebus contemptis patria deſerta in Etruriam ſecedentes apud Piſtorium, vitam complexi Monaſticam in Cœnobio ſancti Petri de Languore, carnem cum omnibus concupiſcentiis crucifixêre, mundóque mortui, at Chriſto viuentes, hoſtiam Deo placentem, ſeſe in odorem ſuauitatis obtulêre. Barontius autem ipſorum ſuorum viſcerum factus immolator Ahloaldum filium ſuper aram fidei, ſpe viua & feruenti charitate, diuinæ etiam Maieſtati ſacrificans, mortificationis ita eum ſuæ ſocium effecit, vt & immortalitatis beatæ participem habere tandem promeruerit.

SS. BARONTIVS & DESIDERIVS.

26 *Septimo Kalend. Aprilis.*

S. BERTILO. DIVIONE natalis ſancti BERTILONIS, Abbatis & Martyris.

27 *Sexto Kalend. Aprilis.*

BELLOVACI in Eccleſia Capucinorum veneratio ſanctæ Andragaſinæ Virginis, in cuius hodie glorificatæ honorem, ipſamet Eccleſia anno ſalutis 1608. fuit dedicata 13. Kalend. Septembris.

28 *Quinto Kalend. Aprilis.*

SS. EKBERTVS. APVD Treuiros in Schonangiæ Aſceterio, depoſitio venerabilis EKBERTI Abbatis, pietate & eruditione præclari, qui ſuaſu ſanctæ Elizabeth ſororis ſuæ, ſpreta vmbratili ſæculi gloria, Chriſto futurorum bonorum, æternorúmque largitori ſtrenuè militans, factúſque in Cœnobio ſancti Florini Monachus, deinde patentia ob merita Abbas, Cataros hæreticos, ſcriptis ac diſputationibus confutauit, fidéque ſeruata, bono certamine confecto, curſu conſummato, coronam iuſtitiæ ſibi repoſitam à iuſto iudice percepit. Coloniæ Tranſlatio ſancti EBREGESILI

EBREGESILVS.

Epiſcopi Tungrenſis, quando à ſancto Brunone Archiepiſcopo, ſacrum eius corpus ex Tremonia Coloniam delatum, in æde ſanctæ Cæciliæ debito honore conditum eſt.

29 *Quarto Kalend. Aprilis.*

IN monte Carmelo depoſitio S. BERTOLDI de Malfaida, Lemouicenſis, qui ex doctore Pariſienſi, primus è Latinis huius ordinis Generalis, agente Aymerico fratre ſuo Antiochiæ Patriarcha factus, annis 45. cum maxima ſanctitate ipſum ordinem rexit, & ſpiritu prophetiæ clarus, anno ætatis centeſimo decimo quinto, magis meritis, quàm diebus plenus in vera pace quieuit. Cuius anima in columba ſpecie cœli ſecreta penetrare viſa eſt, tenente ſedem Apoſtolicam Eugenio III. ſummo Pontifice. S. BERTOLDVS.

30 *Tertio Kalend. Aprilis.*

AVTISSIODORI ſancti MAMERTINI Abbatis, qui ad ſancti Amatoris ſepulchrum gratiæ lumine irradiatus, paulóque pòſt à ſancto Germano baptizatus, exuto veteri homine vt nouum conſeruaret, & in ſpiritus nouitate coram Deo ambularet, factus ſancti Alodij Abbatis diſcipulus, breui in magiſtrum perfectæ pietatis & ſanctimoniæ ſe erexit, miraculis, & ſpiritu Prophetiæ emicuit, multíſque congregatis Chriſto filiis, informatis ſanctæ inſtitutionis egregiis diſcipulis, manipulíſque præditus Iuſtitiæ, carne exceſſit, cœlúmque petens ſibi apertum, laborum emeritam conſecutus eſt mercedem. Veſontione tranſlatio Sanctorum Martyrum FERREOLI & FERRVTII, &c. SS. MAMERTINVS. FERREOLVS & FERRVTIVS.

31 *Pridie Kalend. Aprilis.*

NATALIS ſancti LAVDVINI Martyris. qui ſancti Brunonis fidus cooperator, vnúſque è primis ſeptem ordinis eius candidatis, ac primus in maiori Carthuſia factus eius ſucceſſor, ordinem recèns inſtitutum multis titulis virtutum ornauit, auxítque præclaris Religionis incrementis. Cúmque in dies maiora proderet, gratiæ qua plenus erat, lumina, à ſancto Brunone in Calabriam euocatus, dum eò pergeret verus obedientiæ filius, interceptus à Gerberti Pſeudo-Pontificis ſatellitibus, eius iuſſu cum ſociis, tenebricoſum in carcerem apud Rauennam tractus eſt, duris nexibus vinctus: vbi cùm nec minis, nec blanditiis, nec vllis vexationibus à veri Chriſti Vicarij obedientia abduci potuiſſet; pro iuſtitia & vnitate Eccleſiæ, ſchiſmatis ſtrenuus inſectator, & communionis Catholicæ aſſertor acerrimus, ipſo in carcere vinculis preſſus, & maceratus inedia, puro exhalato ſpiritu, de tenebris obſtruſi ergaſtuli beatiſſima functus morte, ad perpetuæ lucis palatia tranſmigrauit: atque in monaſterio ſancti Andreæ ad pedem montis, quem Serapin vocant, illachrymantibus quibuſque piis ſepultus eſt. In agro Pariſienſi ſanctæ CATTVLÆ matronæ, quæ ſanctum Dionyſium & ſocios ſepeliuit. SS. LAVDVINVS. CATTVLA.

APRILIS.

1 *Kalendas Aprilis.*

SS. REGINALDVS. DADOLENVS. TVLLI Leucorum S. REGINALDI Epiſcopi & Martyris. Viennæ, ſancti DADOLENI, ſeu LANDOLENI, aliàs DOLINI, illius Metropolis Epiſcopi, in Concilio Cabilonenſi clari circa annum 658. at magis paſtoralium virtutum meritis nobilis, eximiæque præſertim pietatis titulis glorioſi. Ipſo die depoſitio ſancti LANZONIS Monachi & Confeſſoris, qui ſancti Hugonis Cluniacenſis Ærheriarchæ dignus diſcipulus, beatiſſimæ Virginis Deiparæ cultor eximius, & tenaciſſimus religioſi ſilentij cuſtos, in Angliam ab ipſo ſancto Hugone directus ad ineundam familiæ religioſæ huius inſtituti gubernationem: ita illam rexit, vt veraciter de hoc ſodalitio diceretur, nullum fuiſſe eâ ætate cœnobium à quo vinci poſſet religione ad monachos, affabilitate ad hoſpites, & charitate ad omnes. Quibus moribus vir ſanctus copioſa ſobole informata, aucta religione, regione illuſtratâ, ſic tam copioſis meritis animam ad gloriam tranſmiſit. LANZO.

Guillelmus. Pio fine deceſſit GVILLELMVS de Flaueri-Curia, Archiepiſcopus Rotomagenſis ex Canonico, à Nicolao Papa III. confirmatus; vir ſi quis ſuo æuo religioſus, & erga pauperes propenſiſſimus, quibus inualeſcente fame anno 1304. ſingulis diebus 300. libras in alimoniam erogauit.

2 *Quarto Nonas Aprilis.*

SS. EVERGISLVS. TREMONIÆ apud Tungros, euectio ſancti EVERGISLI Colonienſis Epiſcopi & Martyris, quando hinc à ſancto Brunone Archiepiſcopo Colonienſi ad ſedem relatus, ſummo cum honore à Clero, & populo ſuſceptus & repoſitus eſt. Ipſo die, felix ad ſuperna migratio ſancti BERNARDI Toletani Primatis, patria Aquitani, cuius epinicion legitur in die eius ordinationis 14. Kalend. Ianuarij. Hic beatiſſimus Antiſtes in Eccleſia ſanctæ Mariæ de Meſquira ſepultus eſt condigno honore. Brugis in Flandria ſanctæ FARÆ Virginis gratiæ ſplendoribus perornatæ. Apud Treuiros ſanctæ GENOVEFÆ Ducis Brabantiæ filiæ, & Regis cœleſtis ancillæ humilis, ac ſponſæ demum glorioſæ. BERNARDVS. FARA. GENOVEFA.

3 *Tertio Nonas Aprilis.*

SS. RICHARDVS. DEPOSITIO ſancti RICHARDI Epiſcopi Ciceſtrenſis in Anglia, & Confeſſoris, ſanctitate, & miraculorum gloria præclari. Hic patrio è ſolo Lutetiam Pariſiorum vernanti in ætate, cauſa ſtudiorum venit, vbi Magiſterij titulis inſignis, ſancto Edmundo Cantuarienſi Metropolitæ, tam in proſperis quàm in aduerſis conſtanter adhæſit. Quo mortuo Aureliæ Theologicam Cathedram illuſtrans, presbyteratu honoratus, deſiderio opitulandi patriæ in Angliam reuerſus, ob quæ micantes ſa-

pientiæ & religionis dotes ad ſignatæ ſedis pontificalem præfecturam euectus, multoque applauſu receptus, tum ob zelum iuſtitiæ & ſacræ diſciplinæ expulſus: deinde reſtitutus ad Doueriam portum dum prædicaret, multis ſignis & laboribus pro Chriſto exantlatis, in hoſpitali ægrotus, inter verba orationis piè ac feliciter expirauit. Eodem die occurſus & conteſſeratio Sanctorum Martyrum ANDOCHII Preſbyteri, & THYRSI Diaconi, *Feliciſque* eorum hoſpitis, nec non IRENÆI, ipſorummet ſymmyſtæ. ANDOCHIVS & THYRSVS, atque IRENAEVS.

4 *Pridie Non. Aprilis.* SS. VVLGITVS, AMOLVINVS, THEODVLPHVS, ABEL & HIDVLPHVS.

LAVBIÆ Cœnobio ad Sabim fluuium in agro Cameracenſi, Tranſlatio Sanctorum WLGITI, AMOLVINI, THEODVLPHI, ABEL & HILDVLPHI Abbatum.

5 *Nonis Aprilis.*

SVESSIONE Tranſlatio ſancti GODEFRIDI Epiſcopi Ambianenſis, cuius beata ad cœlos migratio recolenda in ſacris vniuerſalis Eccleſiæ tabulis, conſignatur ſexto Idus Nouembris. Conditus fuerat Baatus hic Antiſtes Sueſſione vbi obiit, in gremio Martyrij Sanctorum Criſpini & Criſpiniani: aterumpentibus ex eius tumulo diuinæ gloriæ coruſcationibus, eleuatus ad cultum ampliorem, clientibus ſuis magna impendit ſuæ opitulationis ſuffragia. S. GODEFRIDVS.

6 *Octauo Idus Aprilis.*

LVGDVNI releuatio corporis beatiſſimi IRENÆI Epiſcopi ſecundi huius Metropolis & Martyris, quin & Martyrum ducis illuſtriſſimi: ſolemniter facta per Petrum de Tureyo Cardinalem Legatum, præſente Philippo de Tureyo eius fratre Lugdunenſi Archiepiſcopo: illiſque aſſiſtentibus pleriſque Abbatibus, cum Cleri primiceriis anno Domini milleſimo quadringenteſimo decimo. S. IRENÆVS.

7 *Septimo Idus Aprilis.*

IN Monaſterio Cluniacenſi ſancti WALTHERII Monachi & Confeſſoris, ſancti Odilonis alumni, innocentiâ & ſimplicitate clari. S. VVALTHERIVS.

EODEM die, Chriſti ad cœlum veſtigia ſecutus eſt PETRVS-ANDREAS cognomine Challuau Turonenſis, aſceta ordinis Minimorum, vir Apoſtolicæ prædicationis gratia conſpicuus, quo organo vſus Spiritus ſanctus multos peccatores ad pœnitentiæ vias conuertit, & virtutes præclaras in exemplum prodidit. *Petrus-Andreas.*

8 *Sexto Idus Aprilis.*

AVGVSTÆ Trecarum Tranſlatio ſancti LIBAVDI Martyris, cuius natali ſacra eſt dies 8. Auguſti. Sangalli eleuatio ſancti NOTKERI Monachi. Ipſo die in Monaſterio Fontis-Ebraldi Pictauienſis Diœceſis SS. LIBAVDVS, NOTKERVS.

Miraculum myſtici è cruce Dominica cruoris. MIRACVLVM MYSTICI CRVORIS è vitali ligno crucis Dominicæ fluẽtis ipſo die ſacratiſſimo paraſceues. cùm ſcilicet immiſſæ per Margaritam de Chanbley illius Parrhenonæ Monialem, in cuppam argenteam luſtrali aqua plenam, duæ particulæ, quæ de ipſa cruce Domini ſeruatoris excerptæ ferebantur in imum pyxidis, ſuperfluente aquâ deſcenderunt; móxque dum tres virgines ſacræ rem attentè explorantes, diuinum ſignum intuerentur; aquâ albeſcente, fragmenta illa duo adorandi ſtipitis, proximè inuicem cohærentia, liquorem emiſerunt planè ſanguineum, eíque prorſus ſimilem, qui de inciſa corporis humani vena, recèns effluit; vtriuſque fragmenti oras circumlinientem: aqua interim in vaſis fundo, & ſuperficie, natiuum ſuum nitorem retinente, donec moto vaſculo, myſtico permixta cruori, rubicunda apparuit. At ſuper tabulam ornatam in medio chori repoſitâ pyxide, interim repentino clamore trium Monialium, tantum portentum inſpicientium; ceteræ ſorores excitæ cum magna Clericorum, Religioſorum, aliorúmque fidelium ſubinde confluentium multitudine aduolârunt, ſtupendæque rei nouitate ab iis auditâ & ſpectatâ, dum paſſio Domini ex more dici ſolemniter legeretur, rurſus aqua cœpit albeſcere. quâ ebulliente vſque ad orificium vaſis, tres ex ipſo ligno ſalutari exilièrunt guttæ ſeu globuli, vnionis ſeu margaritæ non exilis, ſigillatim formam præferentes, ſanguiníſque humani colorem: qui orbiculi paulatim liqueſcentes, ac aquæ ſacratæ ſenſim immixti, vndâ coccineâ pyxidem cunctis cernentibus, repleuerunt. Quo prodigio micante diuina virtute, omnes qui aderant, religioſo horrore ac ſtupore concuſſi, lachrymas pietatis profuderunt, Chriſtóque ſeruatori crucifixo, ínque ligno triumphanti, deuotas gratesrependerunt: qui quam morte ſua fidem in ſe noſtram conſecrauit, ſpem erexit, amorémque accendit: tam mirifico opere obfirmare, ac magnificare dignatus eſt. Eodem die depoſitio ſancti ALBERTI Hieroſolymorum Patriarchæ, qui cùm eſſet natione Gallus, patria Ambianenſis, & Petri eremitæ pronepos, primus Canonicorum regularium inſtituta ſecutus, ſacerdos factus, doctrina, & pietate præſtans, profectus eſt in Orientem, cum Fulcherio Aquitano, ſubinde Archiepiſcopo Tyrienſi: ínque clauſtro Dominici ſepulchri aliquandiu fulſit, omnis virtutis ſplendore conſpicuus. Inde Gallias pietatis ergò repetens, Româ iterum religioſo voto luſtratâ in Palæſtinam rediit: piéque adminiſtratis aliquot ſacerdotiis, Carmelita factus, ex ſancti Baſilij norma, regulam condens ordini ſuo perpetuo ſeruandam, decem capitibus comprehenſam, Honoriíque tertij auctoritate roboratam, primus ex Latinis dedit, quam & Innocentius itidem III. obſeruari iuſſit. Ipſe autem ſenio & laboribus pro fide Catholica confectus, plurimis inter ſuorum vlnas expirauit. Quem ſacris honoribus coli in Carmelitano ordine, Paulus V. Papa mandauit.

Albertus.

10 *Quarto Idus Aprilis.*

S. Fulbertus. AVTRICI Carnutum ſancti FVLBERTI Epiſcopi & Confeſſoris, qui ante Clericatum liberalibus diſciplinis apprimè eruditus, Philoſophiæ

phiæ ſtudia in Francia innouauit: tantáque ſapientiæ gloriâ effulſit, vt in hoc vno, Gallia *Socratem ſimul*, & *Platonem* habere diceretur. Sed vir excelſæ mentis, veræ ſapientiæ, quæ in Dei timore & cultu verſatur, theoremata complexus, ſcientiarum ſic vſus eſt præſidiis, vt vim omnem qua ex iis valebat, in pietatis obſequium conuerterit. Factus igitur Roberti, filij Hugonis Regis Francorum, in adoleſcentia pædagogus, eum ad hoc eruditionis ac ſanctimoniæ decus prouexit, quo is deinde orbe toto eluxit clarum omnis gratiæ ſydus. cuius deinde Regis Cancellarius fuit. At pertæſus aulæ curarum, imò nugarum, vt Chriſto (cui totus ex corde affectus erat) eò impenſiùs, quo liberiùs ſeruiret, Clericali ſeſe vitæ addixit. Atque ob celebritatem Chriſtianæ ſapientiæ & integritatis euocatus in Aquitaniam à Guillelmo Duce, Theſaurarius ſancti Hilarij factus eſt. Vacante deinde, Rodulphi obitu, Carnotenſi Cathedrâ Epiſcopali, Antiſtes nobilis illius Eccleſiæ (dum abeſſet, fugerétque pontificium honorem) renuntiatus: ſic paſtoralem illic vigilantiam præſtitit, vt ſummi etiam Galliarum Doctoris præconium, apertâ ibidem ſcholâ theologicâ (ingenti cum diſcipulorum frequentia, & omnium admiratione) promereretur; adeo vt ab ætatis illius Scriptoribus, ſapientia clariſſimus, & eruditione incomparabilis, nec minus ſanctitate laudabilis, quin & mirabilis fuiſſe memoretur. Catholicæ autem fidei quòd zelo flagrantiſſimo ferueret, etiam ab iis paſſim prædicaretur *Doctor Catholicus atque Chriſtianiſſimus*. Eximia deuotione coluit ſanctiſſimam Dei genitricem Virginem, cuius *natiuitatis officium* ſpecioſa textura concinnauit, tota inde Gallia diffuſum. Sicut & *officium ſancti Ægidij* Abbatis, quod rogatu ipſius Regis Roberti compoſuit. Nonnulla alia condidit eiuſmodi opificia, quibus vt pietatem quâ affluebat affatim ſpirat, ita & eruditionem prodit ſingularem. Quæ etiam dotes mentis diuinitus irradiatæ, mirificè in omnibus eius ſcriptis relucent, & ſpecialiter in libro quem edidit de *Eccleſiaſticis officiis*: potiſſimum verò in Epiſtola illa Theologica quam ſcripſit ad *Adeodatum de ſacramento Euchariſtiæ*, in quo realem ſic aſtruxit corporis & ſanguinis Domini præſentiam, vt materiæ panis, & naturæ vini mutationem in Chriſti ſubſtantiam, quæ fit tranſcendenti eius verborum virtute, magnifico præconio enunciet, argumentiſque efficaciſſimis tueatur. Cuius myſterij cùm tam ſtrenuus eſſet vindex ac ſedulus cultor, promeruit, vt hoſtis eius mox prodituri in multarum animarum perniciem, diuina reuelatione primus fieret cognitor atque propalator. Ferunt enim cùm in extremis ageret, intérque alios qui ſibi morienti aderant, Berengarium, tunc adoleſcentem & nondum hæreſiarcham vidiſſet, iuſſiſſe eum expelli proteſtando ſe videre immanem dæmonem prope illum, qui etiam blando anhelitu multos ad eum allicere geſtiebat. Quæ ſanè viſio apertè ſignificauit, Berengarium opera diaboli multas ſimplices animas ſeducturum. Nec mirum ſi Fulbertus ſanctiſſimus Epiſcopus circa Euchariſtiæ diuiniſſimum myſterium ita oculatus fuerit, qui non ſo-

lùm ex lactea menſa quotidie alitus, ſed Virginis beatiſſimæ ſibi appa-rentis dum aliquando ægrotaret, lacte puriſſimo recreatus, vires inte-gras tam mentis, quàm carnis recepit. Tandémque poſt multos la-bores conſummatus perfectæ cumulo ſanctitatis, exuta corporis mole, ad ſupernas quas diu concupierat, ſpiritum Deo plenum tranſmiſit, perpetuæ amœnitatis manſiones: vbi torrente diuinæ voluptatis potatus, beata immortalitate potitur, quámque emeritus eſt plena fide, profuſa ſpe & charitate perfecta, optatam poſſi-det beatitudinem.

11 *Tertio Idus Aprilis.*

SS. Leo Magnvs. NATALIS ſancti LEONIS Papæ cognomine MAGNI; qui virtu-tum excellens meritis, & ſapientiæ, cœleſtiſque facundiæ doribus pe[r]ornatus, æterni Verbi incarnationem, diuino ore & calamo decla-rauit; naturarum in Chriſto diſtinctionem & proprietates, vnionem-que & communicationes; perſonæ ſingularitatem, & diuerſas ope-rationes, totámque illius in carne diſpenſationem admirabili illa ad Flauianum diſſertatione explicauit, quam Patres plenario in Eccle-ſia conſeſſu Chalcedone habito, *titulum fidei* nuncupârunt, *Petrúm-que ipſo in Leone locutum* conſonis vocibus acclamârunt. Quâ in Sy-nodo cùm Eutychem Hæreſiarcham per legatos damnâſſet, Synodi-que ipſius acta poſtea confirmâſſet, Romam ſeruâſſet (placato diuini-tus ferociſſimo Attilâ) ab impendenti excidio, Galliam præcipuo a-more complexus, diuerſis ſuæ ſollicitudinis monimentis, (quæ ſuper-ſtant in directis à ſe ad Primores ipſius Galliæ Epiſcopos apicibus) honorâſſet, orbem in vnius fidei confeſſionem conciliâſſet; Eccleſiam vniuerſam ſanctiſſimis legibus communîſſet, multáque luculenter ſcripſiſſet, præclarè edidiſſet; ſanctitatis teſtificatione inſignis, dé-que ſancta Dei Eccleſia & vniuerſo grege Dominico, cui annis vigin-ti ac amplius præfuit, optimè meritus in pace quieuit, coronámque adeptus eſt à *paſtorum Principe* ſibi iuſtè repoſitam. Huius ſanctiſſimi Pontificis corpus tot diuinorum mirabilium inſtrumentum, lapſû temporis Româ in Aquitaniam tranſlatum in maiori Petracoricorum Eccleſia, ſub titulo ſancti Stephani Protomartyris honorificè collo-

Patroclvs & Sabina. catum, vnà cum ſacris oſſibus ſancti PATROCLI, & ſanctæ SABI-NÆ Virginis, Sixtus Papa quartus in ſuis bullis quieſcere teſtatur.

12 *Pridie Idus Aprilis.*

S. Simplicia. IN Monaſterio ſancti Pontij, Nicienſis Præſulatus, ſub Ebredunen-ſi Metropoli in radicibus Alpium, natalis ſanctæ SIMPLICIÆ Virgi-nis martyrio laureatæ, cuius ſacræ ibi exuuiæ omni cum honorificentia conſeruantur.

13 *Idibus Aprilis.*

SS. EVPHEMIA. FRANCISCVS PAVLINAS.

TARBIÆ veneratio S. EVPHEMIÆ Virginis & Martyris. Cæſaroduni Turonum in Pleſſiaco Cœnobio crematio ſacratiſſimi corporis ſancti FRANCISCI DE PAVLA per Caluinianos perduelles hæreticos.

Euſtachius cognominatus Auril.

EODEM die prope Turones victor ad Chriſtum migrauit Pater EVSTACHIVS AVRIL ordinis Minimorum, vitæ innocentis & inculpatæ gratia coronatus, qui cùm nonagenarius diſſolutionem ſui corporis, lætus & alacer expectaret, comprehenſus ab hæreticis, Pleſſiacum Cœnobium diripientibus, & indigna vbiq. facinora edentibus, crudelitatem, & impietatem forti voce ac intrepido zelo iis dum exprobrat, ab ſcala ſuperioris tabulati in ſtratum pauimentum deiectus, alliſus, & totis membris confractuſ eſt. Pariſiis abiit ad Dominum piæ memoriæ GILDVINVS primus Abbas ſancti Victoris in ſuburbiis, vir religionis ſua ætate cultor præcipuus, ſanctiſſimæque propaginis parens.

14 *Decimo octauo Kalend. Maij.*

SS. GENESIVS. BENEDICTVS.

LVGDVNI ſancti GENESII Archiepiſcopi huius ſedis, cuius reliquiarum ſacrarum portio omni cum veneratione ſeruatur in Kalæ virginali Cœnobio, vbi ſacris anniuerſariis colitur pridie Non. Nouembr. tametſi ad cœlum migrauerit Kalendis ipſius menſis. Auenione ſancti BENEDICTI Epiſcopi: ibidem memoria ſanctitatis celebris, cuius corpus reuerenter in cathedrali Eccleſia quieſcit.

15 *Decimo ſeptimo Kalend. Maij.*

S. SYLVESTER.

IN Cœnobio Reomenſi Lingonenſis Diœceſis depoſitio ſancti SYLVESTRI Monachi, diſcipuli ſancti Ioannis primi eius loci Æthetriarchæ, ipſiúſque meritiſſimi ſucceſſoris, viri diuinarum theoriarum, non modò ſpeculatione, ſed & exercitatione præclari.

Cæſar Baſius.

IPSO die ad Dei regnum proficiſcitur Auenione venerabilis Pater CÆSAR de BVS inſtitutor Patrum Congregationis doctrinæ Chriſtianæ, inſignis mundi aſpernator, carnis domitor, diaboli triumphator. Qui poſt conuerſionem ſuam à ſæculo vitam ſanctiſſimam inſtituit, & exegit, caſtigatione corporis & mentis puræ exercitatione admirabilem. Fuit animarum zelator feruentiſſimus, quarum ſalutem perenni ſtudio procurauit. Humilitatis cultor peritiſſimus, quâ honorari meruens, deſpici non refugeret. Patientiæ obſeruantiſſimus, adeovt diuina exprobatione diu percuſſus corporea cæcitate, in tenebris quaſi in luce lætus Domino toto corde ſeruiret, déque contumeliis ſibi illatis, pro iuſtitiæ zelo impensè exultaret, viſceribus miſericordiæ plenus qui afflictis animitùs compateretur: charitatéque affluens de bonorum proſperitatibus, quaſi de propriis commodis lætaretur. Demum vir Dei in plena iuſtitia conſummatus interno illuſtratus lumine, & ſpiritu Prophetiæ præditus, prænuntiato mortis ſuæ die, præſidiis ſanctiſſimæ Virginis, cuius cultor deuotiſſimus ſemper extitit, munitus, ſacramentiſque diuinis magno cum pietatis ſenſu ad viaticum ſuſceptis, ipſo Chriſti à morte reſurgentis triumphali die, inter diſcipulorum ſuorum manus feliciter expirauit, anno ætatis ſexageſimo tertiò. Cuius corpus in Eccleſia ſancti Ioannis veteris, in loco humido & aquoſo ſepultum, elapſo anno integro, ac ſi recens exanimatum, repertum fuit incorruptum, die octaua Maij: at vigeſima tertia Iunij ſequentis, eleuatum & in the-

cam reconditum cypreſſinam: in eiuſdem Eccleſiæ ſacrario collocatum eſt; vbi ſignis claret perpetuis.

16 *Decimo ſexto Kalend. Maij.*

SS. ALBANVS. COLONIÆ in ſolo Gallico Tranſlatio ſancti ALBANI Martyris, cuius corpus ex Anglia vbi apud Verolamium paſſus eſt, à ſancto Germano Epiſcopo Auriſſiodorenſi in Galliam delatum, & demum opera Othonis II. Imperatoris Coloniam tranſlatum, magno illic cultu conſeruatur. Xantis in Cliuia Inuentio ſancti ANONYMI Martyris. ANONYMVS.

17 *Decimo quinto Kalend. Maij.*

S. GERVINVS. IN Centula ſancti Richarij depoſitio ſancti GERVINI Abbatis, quem tempore quadrageſimæ ſpecialibus virtutum exercitiis occupatum, & omni puritate vitam ſuam cuſtodientem, Chriſtus ante Paſcha vocare ad gaudia cœleſtia dignatus eſt.

18 *Decimo quarto Kalend. Maij.*

S. ODA. DEPOSITIO ſanctæ ODÆ Virginis primiceriæ Parthenonæ de Ruicode pone Cœnobium Bonæ-Spei ordinis Præmonſtratenſis, cuius diuinas actiones Philippus illius Cœnobij Abbas ſancto Bernardo coæuus, luculento encomio commendauit.

19 *Decimo tertio Kalend. Maij.*

S. VINCENTIVS. AQVÆ Auguſtæ ſeu Tarbellæ in Nouempopulonia natalis ſancti VINCENTII Aquenſium Apoſtoli, hoc eſt primi Sacerdotis, & Martyris, qui origine Santonenſis, diuino lumine illuſtratus totum hunc tractum ad Chriſti cultum conuertit, prædicationémque diuinæ mirationis actibus confirmatam, fuſo demum pro aſſertione Euangelicæ veritatis pretioſo ſanguine obſignauit. In cuius teſtimonij aceruum erecta eſt deinde à fidelibus Eccleſia, vbi in hunc vſque diem omni cum reuerentia quieſcit, colitúrque non modò, vt ipſius ſuæ Baſilicæ tutelaris, at etiam, vt Patronus vniuerſæ Diœceſis, & auctor Pontificalis Cathedræ, cui primus inſedit, eamque præcipuè exornauit: primæque illic Eccleſiæ quam in crypta initiauit in honorem ſanctiſſimæ Deiparæ conſecrator.

20 *Duodecimo Kalend. Maij.*

S. ADHELARIVS. IN Friſia Tranſlatio ſancti ADHELARII Epiſcopi Erphordienſis, & Martyris, à ſancto Bonifacio ordinati, quo cum coronatus fuit illuſtri Martyrio die 5. Iunij.

21 *Undecimo Kalend. Maij.*

Depositio ſancti Anſelmi Archiepiſcopi Cantuarienſis. Hic natione Burgundus, profeſſione Monachus Beccenſis in Normania, Lanfranci diſcipulus, ſub eóq. Cœnobiarcha eiuſdem Monaſterij Prior, & Galliarum celebris didaſcalus: inde euecto illo ad Cadomenſis Monaſterij regimen, Beccenſis ipſe Abbas: deinde eiuſdem in Cantuarienſi Præſulatu meritiſſimus ſucceſſor, exúlque pro Eccleſiæ ruenda auctoritate, vindex Spiritus ſancti diuinæ emanationis, azymíque panis vſus in tremendo myſterio, aduerſus Græcos in Barrenſi Synodo ſub Vrbano II. nec non diuerſitatis ſacramentorum propugnaror acerrimus; Sanctiſſimæque Deiparæ encomiaſtes præcipuus, Scriprurarum diuinarum explanaror diſertiſſimus ac ſubtiliſſimus, factorúmque diuinorum admirabilis operator: poſtquam populo Dei honeſtiſſimis exemplis & doctrinis clariſſimis præluxiſſet, plenus operibus bonis, & miraculis clarus, felici expirarione ad æternæ ſapientiæ fontem quem enixè concupierar, tranſmigrauit, ætatis ſuæ anno 76. Pontificarus XVI. ſepultúſque eſt in Eccleſia Cantuarienſi primùm ad caput Lanfranci prædeceſſoris ſui. ſubinde autem cùm in tumulo ſigna ſuæ bearitudinis patentia ederet, leuatus de priori ſitu, loculum digniorem in Orientali porticu ſuſcepit. Cranium beatiſſimi huius Pontificis, ad Carmelirarum Sanctimonialium ſacram ædem Coloniæ ſeruatur. Toloſæ autem in Manuſcripto Codice exarata legitur, Paſſio ſancti Papuli Epiſcopi & Martyris, necnon vita ſancti Berengarij Monachi & Confeſſoris, quas adhuc Monachus dum viſitaret Monaſterium ſancti Papuli, flagitarione Raymundi illius Cœnobij Abbatis, priſcis ex monimenris expreſſam nitidiori ſerie conſignauit, eidémque Abbati dedicauit. Eodem die in Campania ſancti Amphisii Confeſſoris. Meldricis in Brabantia Tranſlario ſanctæ Ermelendis Virginis, cuius colendus incidit natalis in diem vigeſimum Octobris.

SS. Anselmus. Amphisius. Ermelendis.

22 *Decimo Kalend. Maij.*

Avgvstobonæ Tricaſſinorum Sanctorum Epiſcoporum & Confeſſorum Melanii & Bobini, ibidem in Monaſterio Cellenſi honoratorum, vbi amborum reliquiæ aſſeruantur.

SS. Melanius & Bobinus.

24 *Octauo Kalend. Maij.*

Avgvstæ Auſciorum ſancti Ceracii Epiſcopi & Confeſſoris, qui in magnis Eccleſiæ perturbationibus, miniſterium pacis impleuit: ferisque perſecutionum rurbinibus ſuperaris, grege feliciter conſeruato & adaucto, ad emeritam abiit paſtoralis curæ fortiter exactæ remunerarionem. Quieſcit Pontifex glorioſus in Monaſterio Benedictinorum ſanctæ Mariæ de Simorra prædictæ Diœceſis Auſcienſis. Ipſo die in territorio Treuirenſi depoſitio ſancti Wandelini Abbatis, natione

SS. Ceracius. Vvandelinus.

Scoti, Tollienſiſque Cœnobij in præſignato agro conditoris ac recto-ris primi, Angelicæ vitæ imitatione nobilis.

25 *Septimo Kalend. Maij.*

SS. PHOEBADIUS. AGENNI Nitiobrigum natalis ſancti PHOEBADII, aliàs Phedarij illius ſedis Epiſcopi & Confeſſoris glorioſiſſimi, qui prædicatione ſua plebem ſibi commiſſam ab Arriana peſtilentia liberauit. Per eiuſdem ſcripta ab Occidente vſque ad Orientem diffuſa, Catholici in fidei ſoliditate longè latéque roborati ſunt, ſicut teſtatur ſanctus Hieronymus, qui hunc ſanctum Antiſtitem illuſtribus Eccleſiæ Doctoribus ſuo in catalogo annumerauit. HERIBALDUS. Autiſſiodori ſancti HERIBALDI Epiſcopi. qui ex Abbate ſancti Germani poſt ſanctum Angelelmum factus illius ſedis Hierarcha, miris virtutum ſplendoribus, quos in cella abſconderat, emicuit: quibus Gallias irradians magnorum etiam virorum ſuæ ætatis, amorem non modò ſed admirationem etiam meruit, quorum præconiis celebratus, at magis meritis diues quàm laudibus, è palæſtra ſanctæ exercitationis ad ſupernæ gloriæ proceſſit donatiuum. Sepultus fuit in Crypta ſancti Germani, cuius corpus anno 841. Kalend. Septembris ſolemniter tranſtulerat. In Monaſterio Cluniacenſi depoſitio beati HERMANNUS. HERMANNI, qui Marchio Zeringenſis, chariſſimâ vxore, & vnico filio, amore Chriſti relictis, ibi Monachus factus, omníque virtute conſummatus, victor de mundo calcato, ad cœlum, quod tanto deſiderio aſpirauerat, gloriæ æternæ candidatus migrauit.

26 *Sexto Kalend. Maij.*

SS. VITALIS. VESVNTIONE ſancti VITALIS Martyris, illic victoria potiùs & palma certaminis, quàm ſerie agonis, & perſecutorum ſuorum notitia conſpicui. In Monaſterio Corbeienſi fit hodie celebritas depoſitionis RATBERTUS-PASCHASIUS. ſancti RATBERTI-PASCHASII Abbatis, cuius epinicia in hoc Martyrologio exarata ſunt 4. Nonas Ianuarij. Tranſlatio autem colenda PRÆCORDIUS. infrà ſignatur 4. Idus Iulij. Ibidem ſancti PRÆCORDII Confeſſoris ipſius ſancti Paſchaſij diſcipuli.

27 *Quinto Kalend. Maij.*

S. ALPINIANUS. IN Aquitania oppido de Caſtro-Saraceno inter Tarnem & Garumnam, veneratio ſacratiſſimi corporis ſancti ALPINIANI Preſbyteri diſcipuli ſancti Martialis: ad quod oppidum, dudum ex Lemouicenſis Eccleſiæ ſinu tranſlatum, beato ipſi Confeſſori vt loci tutelam, ſic incolis viciſſim eiuſdem cultum communicauit. Cabellione Cauarum ad Druentiam fluuium non procul à fonte Sorgiæ, dedicatio maioris Eccleſiæ.

28 *Quarto Kalend. Maij.*

SS. VITALIS. COLONIÆ Agrippinæ veneratio corporis pretioſi ſancti VITALIS

Martyris, illic in Capitolio omni honorificentia aſſeruari. Hoc ipſo die celebriter colitur Heruordiæ in Weſtphalia ſancta PROBA Virgo, cuius inde corpus in Galliam tranſlatum, apud Laudunum Clauatum repoſitum quieſcit. Leodij Tranſlatio ſancti LAMBERTI Epiſcopi & Martyris. Apud Corbolium ad Sequanam, in Pariſienſi Præſulatu, ſuſceptio venerandorum corporum, beatiſſimorum Chriſti Confeſſorum, paritérque Pontificum EXVPERII & LVPI, è Baiociſſina ciuitate, cuius viciſſim Pontificatum ſanctiſſimè adminiſtrarunt. Eodem die Nouioduni ad Oeſiam fluuium natalis ſancti EMONIS Epiſcopi & Martyris, qui ſanctè geſtis & ſynodalibus actis clarus, glorioſam ſacræ adminiſtrationis perfunctionem, morte pro ſalute gregis fortiter tolerata, feliciter conſummauit. Captâ enim vrbe ab Haſtingo Normanorum ethnicorum duce, cùm paſtor bonus, pro ouibus omni pietatis inſtantiâ intercederet, iuſſu illius impij ducis interfectus, coronam iuſtitiæ ex perfecto charitatis opere adeptus eſt. Bitetræ ſub Metropoli Narbonenſi natalis ſancti APHRODISII primi illius ciuitatis Epiſcopi & Martyris, qui natione Ægyptius, patria Hermopolitanus, Chriſti aduentu ſalutari in Ægyptum bene fortunatus, ipſum Dominum infantem cum matre beatiſſima & iuſto Ioſeph hoſpitio exceptos, ſeptem annis apud ſe benignè habuit. Deinde auditâ miraculorum eius gloriâ, ipſum in Iudæa regnum Dei prædicantem diuina afflatus aura conuenit, factúſque eius ex ampliori claſſe diſcipulus: poſt ipſius triumphalem Reſurrectionem & admirabilem Aſcenſionem, beatiſſimæ Virgini, & Apoſtolis indiuulsè adhærens, Spiritum ſanctum cum ipſis in die Pentecoſtes recepit. Petro autem poſtea ſuffragatus in diſſeminatione Euangelij, nonnullas regiones cum eo peragrauit, à quo etiam adductus Romam, illic primordia Chriſtianæ religionis, nonnihil ipſo duce promouit. Demúmque Paulo in Hiſpaniam per extremas Galliæ oras proficiſcenti, factus comes cum Sergio Paulo, aliíſque Euangelij promulgatoribus, illum Narbonenſem Galliam penetrantem, Biterram vſque ſecutus eſt. Ibi autem inualetudine correptus, iuſſúſque ab Apoſtolo ibi ſubſiſtere, viribus receptis opus ſalutis in ea vrbe diuino zelo exorſus, primus fidei ſemen effudit. Vtque vberiorem meſſem excitaret, à Sergio Paulo, quem Narbonenſis Galliæ Apoſtolum Pontificémque vas electionis, ac doctor gentium Paulus conſtituerat, proprius Biterræ Epiſcopus ordinatus: cùm diuini Verbi incarnati præconium pleno cœleſtis ignis pectore oréque ciuibus annunciaret, bonique paſtoris ſedulò obiret munus, ab irruente impiorum in ſe exaſperatorum turba abreptus, obtruncatúſque anno ætatis ſuæ centeſimo primo, eodem nimirum anno quo Pontifex initiatus fuerat, factus ex Sacerdote victima, fidei aram pretioſo cruore conſecrauit. Cæſus eſt autem cum tribus ſociis, *Ciryppio, Agapio & Euſebio*, in vico Ciriaci (cui poſtea ſancti Iacobi nomen inditum fuit.) Caput humeris abſciſſum humo ſuſtulit diuinus heros, & manibus ſuis per mediam vrbem, ſtupente ad prodigium populo, ad ædiculam vſque geſtauit, quàm vero æternóque Deo, trino & vni, ſub ſancti Petri titulo dedicauerat: vbi à Chriſtianis ſepultus multis mi-

PROBA. LAMBERTVS. EXVPERIVS & LVPVS. EMO. APHRODISIVS.

raculis refulſit. Quibus exciti fideles, poſtmodum iam vbique triumphante Chriſto orbis ſeruatore & ſubiugatore, Baſilicam in eiuſdem ſancti Martyris honorem ibidem extruxerunt, Sacerdotalíque inſtruxerunt Collegio: in quam Eccleſiam reliquias ipſius ſummo honore tranſtulerunt die 22. Martij, qui ipſa tranſlatione celebris ibidem factus, anniuerſariis ſactis, à Maioribus coli cœpit, tanta quidem ſolemnitate, vt ab Vſuardo cæteroquin oculatiſſimo creditus fuerit germanus dies natalis eiuſdem ſancti Pontificis, quem tamen Martyrem fuiſſe non cognouit: quoniam & illo die non ageret Biterrenſis Eccleſia officium paſſionis, ſed ſolùm tranſlationis ipſiuſmet ſancti Aphrodiſij. At ipſa deinde tranſlationis commemoratio, à die 22. Martij in ſequentem, quo ſolemni officio recolitur, deducta fuit. Porro Natalis feſtum iſto die, quo agonem expleuit diuinus Athleta, ibidem ex auito more religioſiſſimè celebratur; vbi etiam ſolemni cultu ſeruantur venerandæ eius reliquiæ, quæ vt ſemina ſunt futuræ glorificationis, ita & perpetuæ opitulationis eiuſdem; erga proprium populum quem Chriſto acquiſiuit, ſacratiſſima extant pignora.

29 *Tertio Kalend. Maij.*

S. QVIRILVS. TRAIECTI ad Moſam depoſitio ſancti QVIRILI Epiſcopi & Confeſſoris, diuinæ gratiæ donis, & iuſtitiæ meritis præclari.

30 *Pridie Kalend. Maij.*

SS. CIRYPPIVS, AGAPIVS & EVSEBIVS. BITERRÆ natalis Sanctorum Martyrum CIRYPPII, AGAPII & EVSEBII, qui etiamſi cum ſancto Aphrodiſio duce ſuo nudiuſtertius coronati ſunt: hodie tamen ad maiorem celebritatem ibidem ſpeciali officio Eccleſiaſtico honorantur. Ipſo die Vindocini in Monaſterio ſanctiTrinitatis veneratio non minimæ partis reliquiarum ſancti EVTROPII Santonenſis Epiſcopi & Martyris, quæ diuina diſpoſitione excerptæ ex eius Hierotheca, eò diu antè delatæ ſunt, quàm hæreticæ factionis impius furor vaſtatâ Santonum ciuitate, huiuſque eius tutelaris Baſilicâ ſacratiſſimâ, quæ illic eiuſdem ſupererant, buſta ſacrilegis incendiis abſumeret. Caput tanti cœlitis maturè etiam Burdegalam delatum, diuino beneficio ab hac direptione illæſum ſeruatum fuit. Qua ex vrbe Santonas ſumma pompa relatum, anno 1601. de proſtrata perfidia triumphat, deuotóſq. memoriæ ſui Apoſtoli ciues perpetim incitat ad veram pietatem; & ab aduerſis quibuſque, ſuo patrocinio eoſdem tuetur. Cabilone in Æduis Sanctorum Confeſſorum, paritérque Pontificum, TRANQVILLI, IOANNIS & FLAVII, qui hanc Eccleſiam miris cum ſanctitatis exemplis ac documentis, propria quíque vice gubernârunt. Quorum memoriam benedictam Ioannes Papa VIII. dum Cabilone ageret, in reditu à Concilio Trecenſi, ſacris honoribus mandauit celebrari: oſſa verò ſacra ad cultum perpetuum leuari. Ipſo die ibidem Canoniſatio Sanctorum illius Eccleſiæ Epiſcoporum, facta ab ipſomet Ioanne Pontifice Maximo. Trecis inuentio ſanctæ HOYLDIS Virginis.

EVTROPIVS.

TRANQVILLVS, IOANNES & FLAVIVS.

HOYLDIS.

Eodem die in Carthuſia Monialium Diœceſis Lugdunenſis felix expiratio beatæ Margaritæ Prioriſſæ: quæ ob eximiam virginitatis puritatem, Chriſtó Domino admodum dilecta & familiaris fuit. *Margarita.*

MAIVS.

1 *Kalend. Maij.*

Apud Compendium in ſacrario Monaſterij Sanctorum Cornelij & Cypriani veneratio pretioſi capitis ſancti Iacobi Minoris Apoſtoli, in quo magnificè condito ictus adhuc apparet, quo à fullone percuſſus eſt. Carpentoracte natalis Sanctorum Martyrum Acii & Acioli Martyrum, quorum venerandæ exuuiæ ad Ambianos tranſlatæ, inſigne templum & Cœnobium, quod ad muros penè ciuitatis viſitur, ſub eorum nuncupatione excitârunt. Eodem die apud Ligenos vrbem ad oram Garumnæ in agro Burdegalenſi, tranſitus ſancti Macarii Epiſcopi. Qui in Aquitaniam directus à beato Martino Epiſcopo Turonenſi, cum diſcipulis Cassiano & Castore prædicationis officio non ſegniter impleto, multáque progenitâ ſpiritualium filiorum ſobole, in cœlum vocatus, Apoſtolici curſus ac laboris præmium in aula Regis virtutum & Domini gloriæ feliciter recepit. Apud Ligenos autem (quod oppidum nunc ob eius memoriam ſancti Macarij nomine appellatur) in Baſilica ſancti Laurentij à diſcipulis ſepultus, cùm miraculorum frequentia coruſcaret, à Guillielmo Aquitaniæ Comite cognomine Bono, Burdegalam ad huius Metropolis præſidium, magna pompa & veneratione deportatus eſt, ínque ſummo templo collocatus, ibi in hunc vſque diem omni cum reuerentia obſeruatur. In itinere autem illud ſingulare fuit, quòd ardentes cerei venerationis gratiâ iuxta reliquias poſiti, nulla vi ventorum aut imbrium extincti, Burdegalam vſque micantes delati ſunt. Omni autem Clero & populo ſolemni concurſu obuiam prodeunte, vt tantum theſaurum gratulabundus exciperent, cùm quidam inter cæteros molitor tantæ gratulationi deeſſet, nec opus intermitteret, repentè molettina omnis diſſipata ac comminuta eſt. In Caſtro Begotræ quod & Tarba ad Atyrum fluuium in Nouempopulonia, depoſitio ſancti Iusti Confeſſoris, talentorum gratiæ multiplicatione glorioſi. In territorio Meldenſi ſancti Blandini itidem Confeſſoris, qui in Eccleſia ſui nominis ſita in pago etiam ab eius tutela nuncupato, requieſcit, colitúrque frequenti fidelium concurſu. Auguſtæ Treuirorum Dedicatio maioris Baſilicæ in honorem ſancti Petri Apostolorvm Principis. *SS. Iacobus Minor. Acius & Aciolus. Macarius cum Cassiano & Castore. Iustus. Blandinus.*

2 *Sexto Nonas Maij.*

In Monaſterio ſancti Petri de Brantoſma ad Dronam fluuium, in territorio Petragoricenſi, ſancti Siccarii Martyris, quem vetera mo- *S. Siccarius.*

nimenta produnt fuiſſe vnum ex pueris innocentibus, quos Herodes
Veneratio reliquiarũ Monaſter. Burgidolenſ. impius ex Chriſti odio occidit. Huius beati paruuli corpus illic conditur, colitúrque: vbi collocatus dudum fuit à Carolo Magno eiuſdem Cœnobij fundatore. In Monaſterio Burgidolenſi Diœceſis Bituricenſis ad
Ibidem. fluuium Indrum, veneratio omnium ſanctarum Reliquiarum ibi quieſ-
Dedicatio Eccleſiæ in honorem S. Mariæ Virg. centium. Cuius Cœnobij illuſtrem tot ſacris pignoribus Eccleſiam, Vrbanus II. Papa in honorem beatæ Mariæ ſemper Virginis, cui deuotiſſimus erat, ſolemniter dedicauit.

3 *Quinto Nonas Maij.*

Adoratio viuificæ CRVCIS. PARISIIS in alma ſanctæ Dei genitricis Eccleſia adoratio ſalutiferæ CRVCIS, quam Anſelmus ſancti Sepulchri præcentor Hieroſolymis, Lutetiam ad matricem illam Eccleſiam, cuius pridem vbera ſuxerat pretioſo munere tranſmiſit ſub Epiſcopatu Galonis Cardinalis, & regno Ludouici VI. cognomento Craſſi. Cuius pretioſi muneris ſuſceptio
SS. PHILIPPVS. quotannis Pariſiis recolitur celebri officio Dominica prima menſis Auguſti. Eodem die in territorio Pariſienſi Kalæ monaſterio ſancti PHILIPPI Preſbyteri, Virginum ſacrarum Pædagogi, viri Angelicæ purita-
GENIVS. tis & gratiæ. In Vaſconia apud Lectoram ciuitatem tranſitus ſancti GENII Confeſſoris, qui nobilitate generis, gratiâ prædicationis, & magnis virtutibus clarus, infracto animo falſorum numinum cultum deteſtans, cùm Chriſti fidem ad ſalutem neceſſariam eſſe clara voce teſtaretur, agente Aſclepiade Proconſule gentili ſub Maximo tyranno, præmiſſis multis de fideli populo ad coronam Martyrij, armatus ſcuto fidei inſequentibus gentilibus in ſpeluncam ſe recepit, ibíque in oratione poſitus, ſenio & laboribus confectus intentis in cœlum oculis, coronas vidit, quæ ſibi & ſociis parabantur, diuerſis margaritis coruſcantes, & multitudinem candidatorum circa eas canentium: *Deputentur in numero iuſtorum, & ſcribantur in libro viuentium, qui vicerunt antiquum ſerpentem:* genuflexus effuſúſque in pios affectus, impollutum ſpiritum ad præmia quæ cernebat, emeritus miles tranſmiſit. Cuius corpus ad radices montis prope eandem ciuitatem poſitum, miraculis multis emicuit; Baſilicáque illic demum erecta eſt, in qua frequenti populi deuoti concurſu, eius memoria celebratur, colitúrque ipſe vt ſpecialis Lectoranorum Apoſtolus & Patronus. Eodem die Toloſæ in Monaſterio Benedictino-
Tituli ſalutiferæ CRVCIS veneratio. rum aſcetarum ſanctæ Mariæ deauratæ adoratio inſignis portionis TITVLI TRIVMPHALIS SANCTÆ CRVCIS, in qua Chriſtus omnium Dominus, & redemptor mortem moriendo deſtruxit: victimáque ſimul & Pontifex, expiatis mundi piaculis, æternam pacem & gratiam perfecto ſui holocauſto, omnibus in ſe credentibus, ſperantibus, & ſibi obtemperantibus, auctor factus ſalutis æternæ, comparauit. Eſt autem portio Tituli glorioſum Saluatoris trophæum exptimentis, longitudinis, & latitudinis ſemipedalis, argenteo coopertorio decenter incluſa: bíſque in anno, hac ſcilicet die, & 14. Septembris, ſolemniter populo exhibetur, & continuis penè ſignis coruſcat; etenim febricitantes potati ex aqua ſa-

ero Titulo infuſa, optatum refrigerium conſequuntur, vtque gratis quibuſque datur, ſic requirentibus, quantumuis impertiatur, non deficit.

4 *Quarto Nonas Maij.*

AVGVSTÆ Taurinorum, adeóque in vniuerſa Sabaudia, & Pedemontano Principatu, FESTVM ADORATIONIS SACROSANCTÆ SINDONIS DOMINI NOSTRI SALVATORIS, huc ex Camberiaco ſuperioribus annis delatæ. Eodem die PASSIO PLVRIMORVM SANCTORVM MONACHORVM Latinæ Eccleſiæ alumnorum, Francorúmque natione, qui à Turcis in monte Tabor, euerſo Monaſterio, dira ſtrage necati ſunt, quorum cædem immanem, vt Petrus venerabilis Cluniacenſis Abbas, qui tum clarebat, lacrymabili ſtylo enarrauit, ſic agonem & gloriam digno encomio proſecutus eſt. Ipſo die natalis ſancti FLORIANI Martyris in Aquitania paſſi. Eodem die apud Argentoratum tranſitus & apud Lemouicam feſtiuitas ſancti SACERDOTIS Epiſcopi eiuſdem ſedis & Confeſſoris: cuius laudes narrantur in iſto Martyrologio die ſequenti. Quieſcit beatiſſimus Antiſtes in Eccleſia Cathedrali Sarlatenſi antea Cœnobitica, ad quam ex Argentorato pridem tranſlatus fuit, iam eiuſdem glorioſus tutelaris. Ruremondæ in Belgio ſanctæ HERSVVINDÆ Abbatiſſæ Thorenſis. Ipſomet die apud Oſchum in Hiſpania felix ad Chriſtum migratio Sanctorum ORENTII, & PATIENTIÆ parentum ſancti Laurentij inclyti Martyris & Leuitæ, ſanctíque Orientij Auſcienſis Epiſcopi & Confeſſoris, qui ſacris honoribus colitur ipſis Kalendis huius menſis.

Adoratio ſacroſanctæ Sindonis. Paſſio Sanctorũ multorum Monachorũ origine Frãcorum, qui in monte Tabor cæſi ſunt. SS. FLORIANVS. SACERDOS. HERSVVINDA. ORENTIVS & PATIENTIA.

5 *Tertio Nonas Maij.*

TREVERIS ſancti BRITTONIS Epiſcopi & Confeſſoris, qui Dagoberto Rege hanc Eccleſiam gubernauit, iſſque illuſtrauit meritis, quibus ipſe æternam gloriam comparauit. Turonis ſancti AVERTINI Diaconi, cui pagus & Eccleſia eo in tractu ſacra, perennem impendit venerationem. In territorio Petracoricenſi ſanctæ MVNDANÆ viduæ & Martyris, quæ ſancti Sacerdotis Epiſcopi Lemouicenſis mater, cùm ad filij ſepulcrum means diuinis prodigiis deuotè oraret, apud Argentoratum à Barbaris Gallias vaſtantibus impiè mactata, animam puro famulatu Deo gratam, ad cœleſtia tabernacula tranſmiſit: quæ à Chriſtianis ſepulta prope eundem locum, Eccleſiæ ibi ad ſuam memoriam ædificatæ, nomen ſuum venerabile indidit.

SS. BRITTO. AVERTINVS. MVNDANA.

6 *Pridie Nonas Maij.*

APVD Vicum Partiniacum in Vaſconiæ finibus natalis ſancti IVSTINI: qui à primis Euangelij promulgatoribus, Chriſto per ſemen gratiæ regeneratus, concepto ingenti fidei diffundendæ ardore, pro Domini ſeruatoris gloria, multa & fecit, & paſſus eſt: demúmque ſub Traiano confeſſionem ſuam nobiliter conſummauit. Ipſo die in Gal-

SS. IVSTINVS.

GERONTIVS & EBENTIVS. IVSTVS. liis vico Iulij depoſitio Sanctorum GERONTII Confeſſoris, & EBENTII. Viennæ rumulatio ſancti IVSTI Epiſcopi & Martyris, quarto Nonas huius menſis cum ſociis coronati.

7 *Nonis Maij.*

S. FLAVIA DOMITILLA. LEMOVICIS in Monaſterio ſancti Auguſtini, ſuſceptio reliquiarum ſanctiſſimæ Chriſti Virginis & Martyris FLAVIÆ DOMITILLÆ, ex Tarracina ciuitate in Campania Romana, vbi poſtquam longum duxiſſet martyrium: quòd multos doctrina & miraculis ad Chriſti fidem conuerteret, iuſſu iudicis incenſo cubiculo vbi cum ſuis Virginibus *Euphroſina* & *Theodora* morabatur, curſum glorioſi martyrij conſummauit. Huius ſacra pignora Lemouicis in dicti Cœnobij ſacrario reuerenter condita ſignis & miraculis perpetim coruſcant.

8 *Octauo Idus Maij.*

SS. SCHERVS. MARTINVS. IN Lotharingia depoſitio ſancti SCHERI Confeſſoris, fundatoris Calmoſiaſi Monaſterij circa annum Domini 1127. Eodem die in pago Santonico ſancti MARTINI Abbatis.

9 *Septimo Idus Maij.*

SS. SIMITRIVS. LANDERIACI in Sylua Arduenna Feſtum ſancti SIMITRII Martyris. Ibidem Tranſlatio eiuſdem corporis aduecti ex vrbe Roma per ſanctum Babolenum. Ipſo die depoſitio ſancti BEATI Archiepiſcopi

BEATVS Archiepiſcopus Cätuarienſis. Cantuarienſis, qui patria Aquitanus, cùm in Angliam tranſmigrâſſet doctrinæ, ac ſanctitatis ornamentis conſpicuus, promeruit ad tantæ ſedis infulas promoueri: quas copioſiori ſplendore virtutum decorans,

BEATVS Confeſſor Vindoc. circiter annum 1113. plenus diebus, & meritis, quieuit in Domino. Vindocini ſancti BEATI Confeſſoris.

10 *Sexto Idus Maij.*

SS. GVILLELMVS. APVD Pontæſiam ſancti GVILLELMI Presbyteri animarum zelo & pietatis ſtudiis, artibúſque præclari. Tulli Leucorum ſancti GARINI Epiſcopi & Confeſſoris, qui Chriſti iugo à prima ætate ſe ſubigens, carnem ſpiritui penitus mancipauit; factúſque ſuis in oculis humilis, at coram Deo & hominibus verè magnus, primùm ad regimen Monaſterij ſancti Apri promotus, inde quòd maiora proderet gratiæ qua pollebat lumina, poſt Odonem Tullenſem Epiſcopum huic ſedi præfectus Antiſtes; tantam eo in muniere præſtitit, in Deum religionem, in Clerum ac populum vigilantiam, vt confecto curſu ſanctiſſimæ adminiſtrationis, anno ſalutis 1130. nomen in veneratione reliquerit, ſuámque gloriam diuinis circa ſepulcrum clarificationibus prodiderit. Ipſo die ſanctæ

CONFESSA. CONFESSÆ Virginis à Tarbienſi Eccleſiæ Cathedratica, inter diœceſis tutelares adſcriptæ & honoratæ.

11 *Quinto*

11 *Quinto Idus Maij.*

AQVIS in Aquitania natalis ſancti EVDALDI Martyris, qui natione Italus, natus in Longobardia, cùm gloriæ Dei incrementa quæreret, in Gallias tranſiens, à barbaris irruentibus, impiè trucidatus, animam in ſua innocentia effudit. Corpus eius deinde ſignis diuinis illuſtratum, hinc ad Cœnobium Rinipullenſe inter Gerundam, & Vicum, in ipſa Vicenſi Diœceſi, tranſlatum eſt, vbi condigna in veneratione habetur. Treuiris ſancti SPINVTI Confeſſoris, qui talentis diuinæ gratiæ, multipliciter ditatus, ea in fœnus diuinæ glorificationis diſpenſauit: ſanctíque *Deodati* Eremitæ ſtrenuus imitator, ipſum ad ſupernæ patriæ poſſeſſionem profectum, ſanctæ vitæ progreſſibus ſequutus eſt. Quem ſanctus Hidulphus Antiſtes huius Metropolis, ob clara beatitudinis inſignia glorioſo funere honorauit. SS. EVDALDVS. SPINVTVS.

12 *Quarto Idus Maij.*

LEMOVICIS S. LVPI Epiſcopi & Confeſſoris, qui cultor iuſtitiæ & amator pietatis, gregem ſuum in intellectibus manuum ſuarum paſcens, cœleſtis doctrinæ, & omnis virtutis pinguedine ſaginauit. Solemniaci Monaſterij fundationem factam à ſancto Eligio, probationis ſpontaneæ calculo obſignauit; edirí ſque in terra innumeris operibus bonis, adeptus eſt in cœlis plenam Sanctorum laborum remunerationem. Ipſo die tranſitio ſancti GERMANI Conſtantinopolitani Patriarchæ, qui virtutibus, & doctrina clarus, Leonem Iſauricum aduerſus ſacras imagines impium edictum promulgantem, magna fiducia redarguit, multíſque perſecutionibus ſuperatis, cum palma victoriæ ad regnum cœleſte, beatis aſſociandus (quorum memoriam, cultúmque pro Dei amore propugnauerat) ouans profectus eſt. Huius ſacrum corpus poſtea in Aquitaniam à Francis, Conſtantinopoleos ſubiugatoribus, aduectum, in finibus Aruernorum & Lemouicenſium in oppido Borri, capſæ incluſum argenteæ, cum reliquiis ſancti *Remedij* Epiſcopi Vapincenſis reconditum eſt, vbi nunc vſque omni cum reuerentia conſeruatur. Eodem die depoſitio S. MACARII Abbatis, in Aquenſi Diœceſi. SS. LVPVS. GERMANVS. MACARIVS.

13 *Tertio Idus Maij.*

INVENTIO ſanctæ CATHARINÆ Virginis & Martyris, tota Gallia ob antiquam opitulationem quâ ſibi Reges & regnum obſtrinxit, venerabilis: cuius ſacrum corpus ab Angelis in montem Sinai ad perennem cultum deportatum, ibidem hodie reuelante ſanctiſſima virgine Dei genitrice Maria, repertum eſt. In Aquitania ſancti GALTHERI Confeſſoris. SS. CATHARINA. GALTHERVS.

14 *Pridie Idus Maij.*

APTÆ Iulliæ Vlgienſium ſub Metropolica Cathedra Aquenſi natalis eſt ſanctæ AVGIÆ Martyris, pro Chriſti lege & gloria in ſupremo S. AVGIA.

quem ſubiit agone laureatæ, cuius ſacrum corpus in ſumma æde Apten-ſi iampridem conditum, perpetuam habet illic venerationem: decerptis tamen ex pretioſa gleba aliquibus particulis, quæ Aquis Sextiis magno cum honore reconditæ aſſeruantur.

15 *Jdibus Maij.*

SS. MANARDVS. BERNARDVS.

DVACI depoſitio ſancti MANARDI Abbatis multarum animarum ad Chriſtum pædagogi, Angelorúmque in vitæ puritate ſtudioſi imitatoris. Auguſtæ Prætoriæ ſancti BERNARDI Archidiaconi.

16 *Decimo ſeptimo Kalend. Junij.*

SS. FORTIS. VICTORINVS. GERMERIVS cum DVLCIDIO & PLACIDIO.

BVRDEGALÆ natalis ſancti FORTIS Epiſcopi & Martyris, ibidem ſacris anniuerſariis hac die honorati. In territorio Bituricenſi ſancti VICTORINI Martyris. In oppido Mureti in Vaſconia, natalis ſancti GERMERII Epiſcopi Toloſani cum duobus Clericis DVLCIDIO & PLACIDIO, ſub titulo ſanctitatis conditi. Habet prioralem Eccleſiam ſui nominis à Monaſterio Leſatenſi pendentem, è quà iam à multis annis tranſlatus fuit ad parrochialem Eccleſiam ſancti Iacobi, intra præſignatum oppidum de Mureto primariam. In minori Britannia natalis ſancti *Moderanni* Epiſcopi Redonenſis & Confeſſoris, qui Apoſtolis Galliæ coæuus & ſuppar meritis, hanc vrbem primus Euangelio conſecrauit. At Romam cùm petendi ſubſidij causâ regrederetur, Parmæ in Chriſti pace dormiens, curſum Apoſtolicum conſummauit. Ipſo die in

BERNARDVS.

Alpibus Graiis, per quas ex Salaſſis in Gallias tranſitur, ſancti BERNARDI Diaconi & Eremitæ, qui alter ſui ſæculi Antonius, ardens cœli deſiderio, mortales, patenti mundi contemptu, miráque carnis maceratione, & ſui ipſius rara deſpicientia, ſtudium immaculatæ vitæ edocuit. Diaboli fregit impetus, cultúque aſſiduo diuinæ voluntatis & gratiæ, eam ad ſanctitatem aſcendit, qua omnes ſui admiratione percelleret, nonnullos ad ſui imitationem pertraheret. Qui tandem vndique micans diuinitus irradiatæ mentis inſigniis, miraculis conſpicuus, Nouariæ puram animam efflauit: ibíque ſepultus ſigna pleraque in tumulo operatus eſt. At caput eius ſacratiſſimum ad Alpes prædictas delatum (quas, Pœnináſque ſuo nomine glorioſus Confeſſor demum inſigniuit) ibi in cœnobio ipſius colendæ memoriæ dicato, magna religione ſeruatur.

16 *Decimo ſexto Kalend. Iunij.*

SS. VICTOR & PRIMVS cum HERACLIO, PAVLO & AQVILINO. Sequentibus paulò pòſt ad palmam LIBERIO & PEREGRINO. TORPES.

NOVIODVNI natalis Sanctorum Martyrum VICTORIS & PRIMI, qui cum Sanctis HERACLIO, PAVLO & AQVILINO paſſi ſunt ſub Diocletiano; quos ad palmam mox ſecuti ſunt LIBERIVS & PEREGRINVS, ibidem in teſtificatione diuinæ veritatis impiè obtruncati. In Gallia Narbonenſi ſuſceptio Reliquiarum ſancti TORPETIS Martyris, necnon ſancti Pauli auditoris, ex Piſis in Tuſcia ciuitate, vbi ſub Nerone, iubente Sabellico, alapis cæſus, verberibus diriſſimè affectus, & beſtiis deuorandus traditus, at minimè læſus, martyrium deniq. capitis abſciſione compleuit.

Tolosæ anniuerſarium ſolemnitatis proceſſionis Generalis à Cathedrali Eccleſia ſancti Stephani ad Collegialem ſancti Saturnini, in gratiarum actionem, PRO EADEM VRBE LIBERATA A FVRORE CALVINISTARVM, anno ſalutis 1562. quo Galliam funeſtis ciuitatum cladibus & ſacrilegis Templorum direptionibus, Dei & hominum hoſtes repleuerunt. A cuius celebritatis matutinis horis ad meridiem vſque Eccleſia Toloſana numquam ceſſat, conuenientibus ad eam omnium ordinum tam Eccleſiaſticorum quàm ſæcularium ordinibus, cum ipſo Senatu, in ornatu purpureo procedente; omnibúſque vrbis communitatibus, & populi innumera multitudine. Cæterùm ipſa mirabilis præſeruatio nobilis illius ciuitatis, poſt Deum, iure adſcribitur ſanctæ Mariæ Virginis Deiparæ, & Sanctorum ad Eccleſiam ſancti Saturnini multo numero quieſcentium patrociniis, quos ſpecialiter plebs illa fidelis pia veneratione colit.

Commemoratio beneficy, Toloſa diuinitus liberata à furente hæreſi Caluiniſtica.

18 *Decimo quinto Kalend. Junij.*

Tolosæ depoſitio ſancti GVILLELMI de Nataloſa Confeſſoris, ordinis Eremitarum ſancti Auguſtini, pietate, humilitate, & zelo Dei clari, qui in laudem Chriſti ſicut optauerat deficiens, in amoris iubilo expirauit.

S. Gvillelmvs.

In Cœnobio Valcellenſi depoſitio venerabilis HVGONIS Monachi ordinis Ciſtercienſis, qui Decanatum Cameracenſis Eccleſiæ ſtudio humilitatis abdicauit, vetitus ne ad aliquem Epiſcopatum promoueretur.

Hugo.

19 *Decimo quarto Kalend. Iunij.*

Natalis ſanctæ PVDENTIANÆ Virginis, quæ poſt pleroſque agones, poſt multorum Martyrum editas ſepulturas, poſt omnes facultates ſuas pauperibus erogatas, tandem de terris ad cœlos onuſta cumulis virtutum, & bonorum operum meritis, migrauit. Cuius ſacrum corpus in Gallias tranſlatum, ad Eccleſiam de Caſtellione agri Senonenſis, ſignis claret, & pia veneratione celebratur. Ibidem veneratio corporis ſancti PANATII Epiſcopi III. Cenomanenſis, ibidem cum ſignorum gloria in capſa quieſcentis. Cuius ſacra depoſitio colitur 9. Kalend. Auguſti.

SS. Pvdentiana. Panativs.

20 *Decimo tertio Kalend. Junij.*

Engolismæ paſſio ſancti AVSONII primi illius ſedis Epiſcopi, & Martyris hodie colitur: tametſi vndecimo Kalend. agone perfunctus à nonnullis hagiologis perhibeatur.

S. Avsonivs.

Nemavsi (vbi ſanctus Baudelius à Gothis pridem capite cæſus triumphauit:) ſtrages immanis PLVRIMORVM CATHOLICORVM fidelium, qui ab hæreticis Caluiniſtis comprehenſi (proximè elapſo ſæculo) quòd conſtantes eſſent in fide orthodoxa, in puteum demerſi ſunt, qui ab horum nece, puteus SANCTORVM MARTYRVM deinde appellatur. Carnuti venerandæ memoriæ Ivo Epiſcopus, laude bonæ vitæ, & rectæ doctrinæ ſplendidiſſimus, poſt plures, difficiléſque labores ſuperatos, tandem placida pace quieuit, tumulatus fuit optimus Antiſtes in Choro Abbatiæ ſancti Ioannis in valle, quam condiderat: vbi cum ingenti opinione ſanctitatis reuerenter iacuit, donec hoſtilis hæreticorum Caluiniſtarum rabies opus hoc inſigne deleuit, & pios cineres tanti Epiſcopi & Doctoris, (quòd tam ſacrorum Canonum quam edidit collectione, quàm illuſtrium opuſculorum ſuorum auctoritate, nefanda eorum dogmata præiudicata

Catholici Nemauſenſes plerique ab hæreticis in puteum, ob fidem orthodoxam præcipitati. Qui puteus Sanctorum Martyrum exinde dictus eſt. Ivo Carnotenſis.

proſligârit) in ventos impiè diſperſit. Quod ſcelus (vt modernus ſcriptor grauiter notauit) ſacrilegis notam infamiæ perpetuam aduſſit, & beato Præſuli gloriam conciliauit ſempiternam. Tantis autem pietatis & doctrinæ meritis emicuit venerabilis hic Epiſcopus, vt ab exteris hagiographis, qui ſacras tabulas auxerunt, inter Sanctos numeretur: hácque die nonnullis in Cœnobiis Canonicorum regularium ſancti Auguſtini, cuius profeſſor fuit ante præſulatum, ſacris honoribus memoria eiuſdem celebretur. Hunc Pius V. beatificauit: colendúmque in dicto ordine anniuerſaria commemoratione die 23. Decemb. præcepit.

21 *Duodecimo Kalend. Iunij.*

SS. VALENS CVM SOCIO. AVTISSIODORI natalis Sanctorum Martyrum, VALENTIS Prætoris, & EIVS SOCII anonymi.

22 *Undecimo Kalend. Iunij.*

SS. QVITERIA. IN Vaſconia, agro Adurenſi natalis ſanctæ QVITHERIÆ Virginis & Martyris. Hæc regiæ ſtirpis proles, Catilli & Calciæ Principum ethnicorum filia, præuenta à Deo in benedictionibus dulcedinis, Chriſtiana fide irradiata fuit: exhortationéque Angeli ad Martyrium animata, ex Oreono monte, forti animo ad luctam deſcendit pro pietate ineundam. Chriſtianitatis igitur accuſata, & in carcerem truſa, cùm vitam & nuptias ſplendidas ſibi oblatas modò diſcederet à Chriſto, admittere renuiſſet, conſtanter dato pro cœleſti ſponſo ſuo capite, ad duplicatum Virginitatis & Martyrij præmium euolauit. Cæſa eſt virgo inclyta prope Adurenſem, ſeu Vicoiulienſem ciuitatem ad Atyrum fluuium: tantâ memoriæ partâ gloriâ, vt poſtea ſtabilitâ illic (quam rigauit ſanguine, fulciuítque morte) religione ſanctiſſimâ, nomen tantæ cœlitis pro inſigniori decore ipſimet ciuitati inditum ſit: adeo vt Epiſcopus Adurenſis, antiquitate in Galliis non poſtremus, *Epiſcopum ſanctæ Quitheriæ*, in ſacris diplomatibus, aliíſque publicis monimentis ſe pridem ſubſignauerit. Cæterùm puriſſimum purpuratæ huius Chriſti Athletæ corpus à fidelibus, feruente procellâ perſecutionis, occultè funeratum: hinc fulgente toto orbe Chriſti victoriâ, Eccleſiáque de crucis inimicis triumphante, ad ſancti Seueri excitatum ea in Diœceſi Cœnobium tranſlatum fuit, vbi tandiu quieuit in honore, quandiu in Gallia fides Patrum ſacroſancta viguit. At erumpente ex orco tetra hereſeωs lue, Caluiniſtæ, qui auitâ pietate eiuratâ, cœlitibus qui eam ſparſerant tantis ſudoribus, atrox in terra bellum indixerunt, occupato, direptóque, pluſquam turcica rabie ſancti Seueri Monaſterio, ſacratiſſima oſſa beatæ Quitheriæ è ſacrario deturbata in rogum coniecerunt, è quo nihilominus pia fidelium æmulatione partim erepta ſemiuſta abſconſa ſunt, ſeruatáque, & demum P. Anſelmo Rolle ſuperiori Seminarij Toloſani ordinis ſancti Benedicti, ſub titulo ſancti Ludouici, religioſo data munere, ibi ab eo recondita ſunt magna cum veneratione.

VITALIS. Autiſſiodori ſancti VITALIS Preſbyteri.

23 *Decimo Kalend. Junij.*

NICIÆ in radicibus Alpium ſub Archiepiſcopatu Ebrodunenſi ſancti SIACRII Epiſcopi & Confeſſoris, qui Caroli Magni nepos, ſpretis mundi blandientis illecebris, totum ſeſe vt ſibi moreretur, Chriſti cruci affixit, vitæque auſteritate, & monaſtica obſeruantia præcellens, ex Lerinenſi Cœnobio, ad præſulatum huius ſedis demum euocatus, credito gregi per documenta veritatis, & exempla iuſtitiæ iter ad cœlum præſignauit, donec conſummatâ in Dei obſequio & animarum acquiſitione mortali vitâ, ad immortalem quam iugiter ſperauerat, lætus de felici exceſſu, & repoſito præmio proceſſit. Cuius corpus extra vrbem in Monaſterio ſancti *Pontij* religioſè conditum eſt. S. SIACRIVS.

IPSO die depoſitio beati BOBONIS Confeſſoris, qui cùm eſſet nobilis Gallus, ex Romana peregrinatione, quam deuotus ſuſceperat, rediens, plenus Dei amore, & operibus bonis, cœlique flagrans deſiderio, apud Vicum Iriæ via Æmilia in agro Ticinenſi defunctus eſt, vbi eius corpus in honore cum piè geſtorum narratione conſeruatur. Diuione piæ memoriæ MAVRITIVS, ſeu vt ab aliis ſcriptoribus Maiorianus Abbas ſancti Benigni, poſt ſanctæ gubernationis ſudores, ad quietis æternæ fruitionem migrauit. *Bobo.* *Mauritius.*

24 *Nono Kalend. Iunij.*

IN agro Tarbienſi ſancti MISSOLINI Confeſſoris, ſanctitatis cultu inter tutelares Diœceſis, ab ipſa Tarbienſi Eccleſia honorati. S. MISSOLINVS.

25 *Octauo Kalend. Junij.*

GANDAVI tranſitus ſanctæ ADILIÆ Virginis ſororis ſancti Bauonis Cœnobiarchæ, titulis conſpicuæ puritatis & perfectæ pietatis inſignis. S. ADILIA.

IPSO die apud Vrbem Salernum ad Chriſtum migrauit ſanctæ recordationis GREGORIVS VII. Papa, qui ex Monacho & Priore Cluniacenſi, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Archidiaconus, dictus Hildebrandus, hincque ad ſummum Pontificatum aſſumptus, Eccleſiaſticæ libertatis propugnator & defenſor extitit acerrimus. Quem ob zelum ſacræ legis & diſciplinæ quo flagrabat, impiorum caterua vndique in eum conſpirans, dirißimè oppugnauit: at Chriſtus cuius vices dignè gerebat ſua poteſtate corroborans, & illuſtrans mirificauit, multis ſignorum virtutibus per eum in vita editis, & poſt mortem ad eius tumulum patratis; quibus quàm ſtrenuè ſteterit pro lege Dei & grege fidelis paſtor, quámque iuſtè lupis aduerſus ſe adeò frementibus reſtiterit, apertè conſtitit. *Gregorius VII. Papa.*

26 *Septimo Kalend. Iunij.*

VIENNÆ depoſitio ſancti BABOLINI illius vrbis Metropolicæ Epiſcopi & Confeſſoris nomine ſecundi: qui tempore Dagoberti Regis ſedens, animas ſibi creditas cœleſtis quam gerebat in terra vitæ exemplis informauit, ſtratóque per pura veſtigia ad felicitatem æter- SS. BABOLINVS.

nam tramite, excedens è palæſtra virtutis, & paſtoralis vigilantiæ cura, in conſeſſum gloriæ candidatorum aſſumptus eſt. In agro Tolo-
BERENGARIVS. ſano depoſitio ſancti BERENGARII Monachi Benedictini, miræ ſimplicitatis viri, qui in Cœnobio ſancti Papuli, viuens, perfectæ ſanctimoniæ ſpeculum, ſuis ſymmyſtis tam factis quam verbis præbuit, mortuúſque crebris miraculis refulſit. Huius diuinas actiones ſanctus Anſelmus tum Beccenſis aſceta, cùm aliquando hoc Cœnobium inuiſeret, rogante Raymundo Abbate illius loci, certis ex monimentis colligens præclara commentatione deſcripſit, quem Bernardus Lodeuenſis Epiſcopus ſuas in collectiones de Sanctorum geſtis, congeſſit.

27 *Sexto Kalend. Iunij.*

SS. GAVSBERTVS. IN territorio ſancti Flori, depoſitio ſancti GAVSBERTI Confeſſoris, qui primùm in Vellaunis Eremita: cùm vitam ab omni labe immunem in ſolitudine ageret; factus dum latere cupit (ipſis erumpentibus ſuæ radiis ſanctitatis) conſpicuus, multos ad ſui admirationem, deinde & imitationem pertraxit, quos ſolidè in ſyncera carnis mundíq. deſpicientia, & puriſſimo Dei famulatu inſtitutos, magnas ad virtutes prouexit. His enim colligendis extructo ſub Gregorij VII. Pontificatu & regno Philippi I. Monſaluienſi Cœnobio, in Aruernorum & Ruthenorum finibus, tanta ſanctimonia præluxit, vt nonnullos ſuæ diuinæ gratiæ & conuerſationis hæredes relinqueret. In quibus ante-
BERNARDVS. celluit beatus BERNARDVS, qui poſt eum eiuſdem Monaſterij factus Abbas, iiſdem luminibus claruit, noménque poſteris, ſicut ipſemet ſuus ſanctus deceſſor & didaſcalus, æterna veneratione colendum tranſmiſit. Colitur enim ibi ſancti Gauſberti ſacra memoria, hoc die, & beati Bernardi die 9. Octobris.

28 *Quinto Kalend. Iunij.*

S. IONAS. IN Burgundia depoſitio ſancti IONÆ Abbatis Lexouienſis, qui ſancti Columbani diſcipulus, Sanctorum multorum ipſe Pater ac Magiſter fuit. Porro ipſius Columbani vitam, & Sanctorum Attalæ, Euſtachij, & Bertulphi res geſtas adeo accuratè deſcripſit: vt longè tamen feliciùs eorum actus & præcepta, propriis factis ac ſtudiis expreſſerit: quibus fauſtis progreſſibus, cùm ſe ſupra ſe in dies per virtutum cumulos leuaret, de mortalium cœtu excedens ad immortalium ſpirituum, quorum ſemper puritatem ambiebat magis quàm gloriam, beatum tranſmiſit conſortium.

29 *Quarto Kalend. Iunij.*

S. GERALDVS. MATISCONE in Æduis agro Breſſiano, ſancti GERALDI Matiſconenſis Epiſcopi & Confeſſoris, veri omnium virtutum exemplaris: cuius venerabile nomen, monimentis Eccleſiaſticis inſcriptum, actis ſci-

licet Cabilonenſis Synodi ſua ætate celebratæ, anno octingenteſimo octuageſimo ſeptimo apud ſanctum Marcellum, & in inſtrumento Flauiniacenſis Monaſterij anno octingenteſimo nonageſimo quarto edito, iis lumen gratum indidit: ob miræ eius ſanctitatis recordationem, quam colit annuis ſacris Eccleſia Matiſconenſis.

30 *Tertio Kalend. Iunij.*

AQVIS Sextiis in Gallia Narbonenſi ordinatio Epiſcopatus ſancti MAXIMINI primi illius ſedis Pontificis: cuius beatum ad gloriam tranſitum, anniuerſario natali colit Eccleſia Catholica 6. Idus Iunij. In Cella ſancti Giſleni in Hanonia Sanctorum Confeſſorum LAMBERTI & BERNERII illius Cœnobij Monachorum, quorum vita operibus lucis radioſa, mors coram Deo pretioſa, beatam memoriam perpetuæ venerationi ibidem conſecrauit. Ipſo die apud Auenionetum prope Toloſam paſſio beatorum pietatis Catholicæ Athletarum GVILLERMI, ARNALDI, & STEPHANI inquiſitorum fidei; RAYMVNDI Corbonerij, ordinis Minorum, BERNARDI de Rupeforti, & GARCIÆ ordinis Prædicatorum, RAYMVNDI de Ceſtirano Canonici ſancti Stephani Toloſæ, & cuiuſdam Monachi Prioris de Auenioneto & aliorum quatuor, qui ab inimicis fidei in nocte Aſcenſionis Domini cæſi ſunt, anno ſalutis 1242.

SS. MAXIMINVS.

LAMBERTVS & BERNERIVS.

GVILLERMVS, ARNALDVS, STEPHANVS, RAYMVNDVS, BERNARDVS, GARCIAS & alter RAYMVNDVS.

31 *Pridie Kalend. Iunij.*

IN Monaſterio ſanctæ Mariæ Dolenſi, ſeu Burgidolenſi in Biturícis ad fluuium Angerim FESTIVITAS MIRACVLORVM ibidem patratorum ad ſanctas Reliquias illic conditas, quarum feſtiua veneratio agitur quotannis ſexto Nonas huius menſis. Claromonte Aruernorum Sanctorum Confeſſorum ALEXANDRI & GALLÆ, quorum miræ ſanctitatis encomia ſanctus Gregorius ſuo in libro de gloria Confeſſorum enarrauit. Genuæ hodie celebratur ſuſceptio ſacrorum cinerum ſancti IOANNIS BAPTISTÆ, cuius veneranda facies Ambianis in Gallia eximio cultu aſſeruatur, in principe Eccleſia ſanctiſſimæ Dei genitricis.

Feſtiuitas miraculorũ in Burgidolenſi cœnobio editorum.

SS. ALEXANDER & GALLA.

Suſceptio cinerum S. IOANNIS BAPTISTÆ.

IVNIVS.

1 *Kalendis Iunij.*

SS. CLARVS. IN agro Lectorenſi ſub Auſcenſi Metropoli natalis ſancti CLARI Epiſcopi & Martyris, qui quo tempore primum Euangelij lumen irradiabat, diuinis huius radiis colluſtratus, ex Africa Romam venit, vbi in ſchola Apoſtolorum eruditus, tantâ fide, ſapientiâ, zelo dilatandæ Chriſti gloriæ emicuit, vt poſt edita iam circumquaque præclara gratiæ qua affluebat ſpecimina, maioris diſpenſationis idoneus cenſitus ab Anacleto Papa ſanctiſſimo, Apoſtolorum auditore & hærede, ordinatus ab eodem Epiſcopus, in Galliam fuerit directus, ad Agrippinenſes tum ſilueſtres populos, vt eos finitimáſque gentes Euangelicæ lucis ſplendoribus illuminaret. Qua in regione cùm multos ad Chriſtum conuertiſſet: hinc in Aquitaniam proficiſcens, Petracoriorum vrbem adiit, Frontonis Apoſtolici viri Anianíque eius ſequacis iam prædicationibus Chriſtianis imbutam, ac eorumdem ad præmium abceſſu, ſuſceptæ ſalutiferæ inſtitutionis penè oblitam; quam ad Chriſtum reducere animitùs conſtituit. Sæuiebat tum ibi grauiſſima peſtis, à qua dum corpora, diuina virtute liberaret, ipſas animas lue exitialis ſuperſtitionis infectas: ab hac ſuperna ope eripuit. Verbo enim diuino armatus falſorum Deorum oracula obmuteſcere fecit, delubra euertit, lucos excidit, ſacrificulos qui Iouis & Martis execrabilem cultum exercebant, alter Elias zelator diuinæ gloriæ, de medio ſuſtulit. Nec modò vrbem hanc, ſed oppida vicina & pagos adiacentes diuinâ eloquentiâ, vitæque ſanctimoniâ, & prodigiorum coruſcatione, à nefandis idolorum ritibus, ad veri vnicíque rerum Conditoris & reparatoris cultum feliciter abduxit. Inde quò opus diuinum ampliùs promoueret, ad Lectorenſes progreſſus eſt. Apud quos dum eodem feruore Apoſtolici ſpiritus idola comminueret, à ſatellitibus Satanæ interceptus, vinculis conſtrictus, raptatúſque ad Iouis ſimulacrum, ibi cùm nefanda ſacra facere vrgeretur, ob denegatum pſeudonumini cultum, variis excruciatus tormentis: demum ne triumphatori laurea deeſſet, capite cæſus, diademate cruento proprij ſanguinis redimitus, ſupernam æternámque ad ouationem perrexit. Cuius effuſus ſanguis, ſemen euaſit Chriſtianorum copioſum. Vnde his in populis quos cruento enixu Chriſto ſeruatori peperit, memoria eius perpetua permanſit in gloria: à quibus potens etiamnum vt opitulator imploratur. Eo enim dono perpeti à Deo clarificatus promicat, vt qui diuinæ lucis gerulus, dum inter mortales ageret, à tenebris infidelitatis ereptas humanas mentes lumine diuinæ agnitionis & gratiæ irradiauit, corporeos oculos caligine offuſos, gratæ lucis reſtauret aſpectu. Tam inſignis cœlitis exuuiæ, partim Auſciis in Monaſterio ſancti Orientij, partim Burdigalæ (vbi etiam Chriſtum annunciauit) in ſacrario ſancti Eulaliæ honorificè conſeruantur. Toleiæ apud Treuiros Natalis ſancti CON-

CONRADVS.

RADI Martyris, qui huius Eccleſiæ præpoſitus, ob micantes radios ſanctitatis abſens inſciúſque talis promotionis, ad Epiſcopatum tantæ ſedis electus, dum ad creditam Eccleſiam pergeret gubernandam, ab impiis oſoribus iuſtitiæ & pietatis, (cuius cultor eximius erat) in ſignato pago interceptus, atque ex alto ab iis ferociter præcipitatus, cùm nihil læſus fuiſſet: deinde ab iiſdem magis miraculo eiuſmodi efferatis, gladiis tranſuerberatus, in admirabili patientia ſanctam effudit animam. Eodem die Lodeuæ in Gallia Narbonenſi ſancti FLORI viri Apoſtolici primi illius vrbis Epiſcopi, qui alibi migraſſe recolitur, ipſis Kalend. Nouembris, qua die dictum eſt de eo. Ipſo die depoſitio ſancti GERMANI, qui è Rege Sardiniæ humilis factus ordinis Ciſtercienſis aſceta, ſtupendo tranſitoriæ gloriæ contemptu, quo potenti regno prætulit humilem Chriſti ſeruitutem, æternam felicitatem emeruit, Calarſque ſepultus, diuinæ clarificationis exluxit indiciis. FLORVS. GERMANVS.

3 *Tertio Nonas Iunij.*

MASSILIÆ ſancti ILLIDII Epiſcopi, cuius corpus venerandum in Eccleſia ſancti Victoris requieſcit. In Lotharingia ſancti FERRI Epiſcopi & Confeſſoris titulis diuinæ beatitudinis glorioſi. In agro Vienneſi ad primum ſancti Antonij templum, veneratio Sanctorum TERGEMINORVM Martyrum ibi quieſcentium: qui LINGONIS ſub Aurelio Principe, fuſo pro Chriſti confeſſione ſanguine, primitias fidei glorioſa morte ibidem conſecrârunt; quorum memoriam Catholica Eccleſia ſacris conſignatam tabulis, quotannis ſolemni natali concelebrat: nimirum die ipſo quo paſſi ſunt XVII. Ianuarij. At apud Viennenſes hâc die præcipua celebritate coluntur, quæ propria eſt non paſſionis, ſed tranſlationis, ſeu ſuſceptionis eorumdem reliquiarum. Eodem die in Prouincia Narbonenſi Sanctorum Confeſſorum, paritérque Pontificum HILARII & VALERII, qui propriis vicibus Eccleſiam Carcaſſonenſem (cuius extitère Epiſcopi) ſanctiſſimè gubernârunt: quorum alter, nempe ſanctus Hilarius, tantâ meritorum celebritate emicuit, vt à Narbonenſi matrice Eccleſia propriis tutelaribus prouinciæ ſuæ adſcriptus, eius in diptychis ſacris colendus perpetuis honoribus, conſignetur. At verò ipſa in Diœceſi Carcaſſonenſi, memoria eius etiam templo & cœnobio ipſius nominis nobilitata, incolarum perennem prodit erga eum deuotionem, qui & in Diœceſi ſancti Pontij Tomerrarum ex antiquo more colitur. SS. ILLIDIVS. FERRVS. TERGEMINI LINGONENSES. HILARIVS & VALERIVS.

4 *Pridie Nonas Iunij.*

IN Cartuſia maiori depoſitio ſancti BASILII Confeſſoris eiuſdem ordinis Generalis, cuius ſacris inſtitutionibus & exemplis idem ordo mirificè floruit. Huius porro eximiæ ſanctimoniæ lumina, & raræ ſapientiæ inſignia Petrus venerabilis Cluniacenſis Cœnobiarcha, & Petrus dictus Cellenſis (qui ex Abbate, Epiſcopus Carnotenſis factus eſt) ſuâ, quâ viuebat ætate, perſpicua demirati, indelebilis gloriæ præconiis, extulerunt, & ad poſteros lucidis laudis apicibus commendârunt. S. BASILIVS.

5 *Nonis Iunij.*

S. ADELZARIVS. NATALIS ſancti ADELZARII Epiſcopi & Martyris, in Friſia cum ſancto *Bonifacio* Archiepiſcopo Moguntino, *Eobano* Epiſcopo Regionali, ac Waltero, & *Ventrugio* Presbyteris, *Hamundo* & *Boſone* Diaconis, *Vvacchario*, *Gudichario*, *Vvethero*, *Hildebrando*, & *Adulpho* Monachis, *aliiſque* Euangelicis præconibus, dum Barbarum hunc populum ſuaui Chriſti iugo ſubigere, & ad ſalutarem fidei eius cultum, ac mores pietatis efformare contenderent, cæſi, ac coronati. Viennæ ſancti *Auſtroberti* Metropolicæ illius ſedis Epiſcopi. Qui boni diſpenſatoris munere, vndequaque perfunctus, ſub Zacharia ſummo Eccleſiæ Paſtore, emeritæ beatitudinis præmia recepit, noménque perpetuæ venerationi conſecratum reliquit, vt tabulæ ſacræ illius Eccleſiæ teſtantur. Eodem die in Monaſterio ſancti Sabini de Leuitania ſuper Pyrenæos montes ſancti *Elzeari* Monachi & Confeſſoris, ibidem annuæ ſolemnitatis (quæ hodierna eſt) officio celebris.

6 *Octauo Idus Iunij.*

SS. ALEXANDER, LVCIVS, AMANDVS, AVDALDVS. IN Monaſterio Caunenſi prope Narbonam natalis Sanctorum Martyrum ALEXANDRI, LVCII, AMANDI, & AVDALDI. Qui è Caunenſi oppido, (vbi & eorum paterna domus etiamnum monſtratur) ſuſceptam Chriſtianæ fidei & pietatis flammam circumgerentes, dum Chriſti gloriam quærunt, eiúſque ſplendoribus latè diffundendis inſudant, & caliginem infidelitatis lucis operibus & ſermonibus veritatis ſtrenuè vndique profligant, à tenebrarum principis emiſſariis intercepti, cùm moti ſe poſſe annuerent, at à præconio diuinæ gratiæ & gloriæ ceſſare non poſſe teſtificarentur: dira tormenta perpeſſi, in extremo demum agone, dignas beata immortalitate animas effuderunt. Gratianopoli Natalis ſancti CERATI Epiſcopi & Martyris, qui poſt innumera animarum lucra, ſtadium fidei ingreſſus, ex aſſertione Chriſti Maieſtatis, forti occumbens fideliſque certamine, palmam victoriæ, & coronam honoris & gloriæ feliciter reportauit. Aruernis veneratio ſancti BONITI Epiſcopi & Confeſſoris, cuius glorioſam memoriam annua celebritate recolit Catholica Eccleſia decimo quinto Ianuarij. Treuiris ſancti AVSPICII Epiſcopi, cuius annua veneratio ſignatur in ſanctæ Romanæ Eccleſiæ tabulis exequenda die 8. Iulij. Ipſo die Paſſio ſancti BERTRANDI Patriarchæ Aquileienſis. Qui origine Aquitanus, patria Caturcenſis, ad hanc Cathedram excelſa ob ſapientiæ & pietatis merita ſublimatus, pauperum pater, Eccleſiarum inſtaurator, cultor iuſtitiæ, acerrimus religionis vindex & propagator: pro defenſione Eccleſiaſticæ libertatis, gladiis impiorum apud Spilimbergum trucidatus feliciter occubuit, miraculíſque poſt mortem glorioſam reſplenduit, apud Vtinum in Carnis, vbi tranſlatâ Patriarchali ſede, digna honorificentia conditus eſt. Morbis præſertim inſanabilibus beatus iſte opitulatur, hócque perenni beneficio, magnam ſibi conciliat populi reuerentiam.

CERATVS. BONITVS. AVSPICIVS. BERTRANDVS.

7 *Septimo Idus Iunij.*

VIGANTI intra montes Ceuennicos in Nemauſenſi Epiſcopatu Natalis Sanctorum PAVLI, FORTVNATI, & ACHAZII Monachi. In Ambianenſi tractu ſancti WLPHAGII Preſbyteri & Confeſſoris, qui Pontiuus ortu, à prima ætate, cùm in ſacra propenſus eſſet, Clericali matriculæ ſe adſcribendum curauit; inde tamen quod fortè adoleſcentiæ efferatos motus pertimeſceret, legitimo ſeſe matrimonio obſtrinxit, in quo cùm iuſtè & ſobriè viueret, moréſque præferret ad omnem pietatem compoſitos, Ruæ oppiduli mortuo ſacerdote, in paſtorem electus ac aſſumptus, aliquo tempore multa dignus laude, ob egregiè adminiſtratum munus enituit. Verùm inſtigante liuido humani generis hoſte *in idipſum* cum vxore (quam pro ſorore iam habebat) reuerſus eſt, multa cum gregis ſui offenſione. Sed aſpirante Domino mox ad pœnitentiam flexus, in delicti expiationem, relictis omnibus, Hieroſolymam, ſacra redemptoris veſtigia adorandi voto, profectus eſt. Inde ductu ſuperno patriam repetens, in ſolitudinem ſeceſſit parœciæ ſuæ vicinam, vbi in admirabili abſtinentia viuens, aliquot annos tranſegit, cœlo magis quàm ſolo defixus, demúmque multis exantlatis laboribus, virtutibus & miraculis clarus, quieuit in pace. Eius corpus fulgens ſignis ſpiritus gloriæ, in Monaſterium Foreſtrenſe primùm illatum fuit, deinde Monſtrolium ad ſancti Saluij Cœnobium, vbi etiamnum quieſcit, coruſcatione diuinæ virtutis conſpicuum. Diuione ordinatio, ſeu benedictio ſancti GVILLELMI Abbatis Monaſterij ſancti Benigni, feruentiſſimi, fulgentiſſimíque ſua ætate religionis ſyderis. Cuius felix in morte occaſus, imò beatiſſimus ad vitam immortalem ortus, annua veneratione colitur Kalend. Ianuarij.

SS. PAVLVS, FORTVNATVS, & ACHAZIVS. VVLPHAGIVS. GVILLELMVS.

8 *Sexto Idus Iunij.*

APVD Moguntiam ſancti DISIOBODI Epiſcopi Hyberni: qui abdicato præſulatu, & relictâ patriâ, vt humilitatis perfectus cultor fieret, monachum in ſuburbio Moguntiæ, Chriſti amore profeſſus, ita diuinæ gratiæ ſplendoribus inclaruit, vt demortuo Abbati, ex ſodalium voto, quamuis renitens, ſuffectus fuerit. Quos in omni diſciplina religionis dirigens, & magis factis quàm dictis eoſdem ad omnem virtutem incitans, in ideas perfectionis Euangelicæ Chriſto aſpirante transformauit: deinde multa ſobole ſpirituali feliciter progenita multorum pater filiorum, multorum patrator prodigiorum, ad ciuitatis ſupernæ (ad quam ſemper anhelauerat) amœna domicilia migrauit. Cuius Angelicæ conuerſationis feriem, beatæ *Hildegardis* virgo, & Abbatiſſa Bingenſis, pura mente, candidáque manu deſcripſit; memoriam Rex gloriæ magnis clarificationibus honorauit, & Moguntina Eccleſia eundem ſuos inter tutelares adſcribens, cultu perpetuo abhinc proſecuta, ipſius nomine Eccleſiam, & Cœnobium, quod rexit dudum fidelis diſpenſator, gratulabunda inſigniuit. Claromonte Aruernorum ſancti MARII

SS. DISIOBODVS. MARIVS.

Confeſſoris, qui ſancti Auſtremonij viri Apoſtolici, primíque Aruernorum, & Niuernenſium Antiſtitis ſtrenuus aſſecla, ab eo ad partes Oceanicas miſſus, ſignis & virtutibus pollens, numeroſam gentium multitudinem ad Chriſti cultum conuertit. Iámque multa fruge collecta gratiæ, quòſe puriori calle ad cœleſtis patriæ aditum pararet, apud eos populos in vallis Iornenſis ſpeluncam ſe recepit, vbi ad extremum vſque vitæ terminum in omni ſanctitate permanſit, túmque inſolita luce circumfuſus, ſanctam efflauit animam. Cuius corpus in Monaſterio ſancti Petri de Mauriaco Claromontanæ Diœceſis conditum, magna

TROIECIA. religione adſeruatur. Apud Ruthenos in Aquitania ſanctæ TROIECIÆ Virginis, quæ ex Pictauis, pauperibus orta parentibus, mundum mente ad cœleſtia erectâ, à pueritia contempſit; ſéque carne, & ſpiritu Chriſto Domino in perpetuum dedicauit, quem vt vbique omni alio nexu, quàm eius amoris expedita, ſyncerius ac ſecutiùs coleret, celebrium Aquitaniæ Eccleſiarum peregrinatione ſuſceptâ, in his omnibus quos inuiſit ſacris locis, ſuæ in eum deuotionis, pios ardores edidit. Cùm autem eodem feruore accenſa, Ruthenam ad Eccleſiam ſancti Stephani perueniſſet, longiſſimâ pœnitentia exactâ, vitam Angelicæ puritatis æmulam, felici conſummatione abſoluit, quin exutâ carnis ſarcinâ quam ægrè ſemper circumgeſſerat, animam cupidam conſpectus Domini, imò ſponſi dilectiſſimi, ad beatam eiuſdem emiſit fruitionem, mentiúmque ſupernarum feliciſſimam ſocietatem. Fulſit tam ante quàm poſt mortem innumeris diuinæ virtutis inſigniis, ob quæ ſigna gloriæ, ſacratiſſima eius pignora, in Baſilica ſancti Stephani condita, ab incolis qui patrocinia eiuſdem non inaniter ambiunt, ingenti cum honore conſeruantur. Tre-

FINA. cis ſanctæ FINÆ Virginis, fulgente cum lampade, in occurſum ſponſi cum ſapientibus ſodalibus progreſſæ.

9 *Quinto Idus Iunij.*

SS. VINCENTIVS. IN territorio Agennenſi monaſterio ſancti Saluatoris de Conchis, veneratio ſacratiſſimorum oſſium ſancti VINCENTII Martyris. Qui à ſancto Capraſio, Chriſti agnitione & doctrina informatus, Leuiráque ordinatus, ipſo cum ſancta Fide purpurata Chriſti virgine, cœleſtes ad triumphos per nobile martyrium euocato, curam diſperſi gregis vt gereret, monente Angelo, è ſeceſſu, vbi ſecretam tantum ab hominibus, quantum Deo intentam vitam agebat, progrediens, Satanæ armatas in piorum perniciem cohortes, potenter debellare aggreſſus eſt. Intrepidè igitur ad ſtadium proceſſit, & peragrando Agennenſem tractum in quo Apoſtolicis vocibus, Chriſti ouiculas perſecutionis furore perterritas in fide confirmauit, multóſque infideles diuina prædicatione in caulas Dominici gregis induxit: tandem veniens ad Velaunum agrum Reonemenſis ruris, vbi ſacrilega turba Paganorum conueniebat, fœdæque idolomaniæ deluſa diabolicis præſtigiis ſeruiebat: ne eiuſmodi illuſionibus populus diutiùs deciperetur, inter turbas nefandæ ſuperſtitioni inhiantes, candidatus proximi triumphi athleta Chriſti, ſuperno

igne

igne accenſus inſiliit, fraudulenta diabolicæ machinationis opera declarauit, eleuatáque ſurſum dexterâ, ſigno Crucis phantaſticam machinam, cuius ſpectaculo illudebatur miſer populus dirripuit, aſtantiúmque ſtolidam ac exitioſam ſuperſtitionem increpans, eoſdem vt oculos ad veræ pietatis lucem aperirent, purúmque Dei ſeruatoris cultum (ex quo beati fierent) amplecterentur, magnæ charitatis feruore hortatus eſt. Aderat tum Romanus Præſes, qui tanta virtute Chriſti nominis attonitus, hominémque ſolo armatus verbo tam ſtupenda operantem demiratus, dubio agitari cœpit, quid de eo decerneret. Veritus tamen ne inueteratæ religionis tanto irriſæ prodigio, auctoritas decideret, lictores ferè è veſtigio miſit, qui præconem Chriſti apprehenderent ad ſéque pro tribunali ſedentem adducerent. Rapitur ad Iudicis audientiam propudioſæ ſuperſtitionis inſectator, profligatórque dæmoniacæ impoſturæ, verbíſque duris excipitur tamquam ſacrorum auitorum violator, numinum contemptor, & hoſtis patriæ. Silet ad hæc probra Dei pugil: at eum Præſes impellere nititur vt Chriſti nomen eiuret, atque ad pſeudonuminum aras facti pœnitens quo has profanauerat, thurificet. Exhorruit tam impiam ſuadelam Vincentius, vigoréque pietatis pleno, ſcelus tantum deteſtans, Chriſti præconia magnificentiùs attollit, impuros dæmonum ritus exagitat, populi errorem lamentatur, Præſidis inſaniam reprehendit: quem vt veri, vniciíque numinis cultum ſalutarem ſuſcipiat, cuiúſque gloriam in virtute exhibita vidit, gratiam oblatam non reſpuat, ore & pectore diuino ſpiritu pleno cohortatur. At Præſidis ira talibus dictis magis efferbuit. Pium igitur monitorem terroribus aggreditur, cúmque minis flectere nequiret, diris impetit verberibus. Euocatis tortoribus iubet, vt exquiſitis torqueant contumacem reum ſuppliciis. Tripartitis itaque ſudibus in terram defoſſis, hinc inde Chriſtianus miles ſolotenus extenditur, plumbatis tunditur, adhibitis loris flagellatur tanta feritate, vt dilacerata vndique tenera cute, ſanguis copioſus deflueret. Sub hac præſſura Vincentius altiùs aſſurgit animo; quóque magis laceratur, eò magis lætatur, tripudiat, carnifices ipſos vt ſæuiùs agant ſeriò impellit. Iam ternus laniſta, lacerando, ſulcandóque defecerat, virúmque Dei nulla affecerat moleſtia, qui nihil aliud quàm Chriſtum corde & ore profitebat. Vnde iratus Tyrannus, carnifices inſtantiùs hominem ita, vt aiebat, perditum torquere iubet: quatenus aut tormentorum vi compulſus, IESVM quem vnicè ſpirat, eiuret; vel voce, verberibúſque prorſus deficiens, nomen eius, ſi non neget, ſaltem taceat. At fruſtra furit in leonem impotens vermiculus. Vincentius enim Chriſto inhærens, omnes impetus ceu columna ferrea tenues auræ flatus excipit & ſuperat. Præcipit igitur iudex furore abreptus, illum è ſudibus ſolui, & ad delubrum duci, ibi vel vt aris impura thura adoleat, quibus expiet Deorum iniuriam, ſuámque placet iram; vel gladio ictus intereat. Abſoluitur ergo bellator inclytus à patibulo, membris quidem laceris, ſed ſpiritu alacer & robuſtus, ædem ad profanam adducitur. At ibi diuino ſpiritu confortatus, non tantùm Diis litare aſpernatur, ſed ex eorum contemptu, Chriſti trophæum adornat. Cuius triumphali ſigno

delubrum euertit, ſimulacráque inanium numinum, vnà obruit. Stridet Præſes, fremunt ſacrificuli, plebs ſtupet. At Vincentius iam victor pia ſuperbia intumeſcit, idolorum improperat aſtantibus vanitatem, Chriſti virtutem attollit, gloriam prædicat, in eum credentibus gratiam & felicitatem pollicetur; iámque de imminente ſibi morte, quâ perennem ad vitam abit, lætatur, gloriatur. Quem cùm diutiùs non ferret Præſes de ſua inſania triumphantem, latâ capitali in eum ſententiâ, ad locum ſupplicij trahi per ſuos ſatellites decernit. Ducitur igitur Chriſti victima ad immolationem. Non expauit ad conſpectum theatri, ad fremitum populi, ad lictoris efferatam faciem, ad gladij fulgentis intuitum, imò neque ictum Chriſtiana ouis; ceruices intrepidè extendit, ſúbque crucis ſignaculo manum percuſſoris expectat, iſte ferit, illa cadit, imò ſurgit reportans ex detruncatione capitis coronam, ex morte vitam, ex agone ſuo extremo gloriam ſempiternam. Athletæ diuini corpus Chriſtiani perpauci, qui tunc temporis ibidem erant, metu Gentilium clanculum collegerunt, altíſque ſcrobibus condiderunt, vbi per dena, eóque ampliùs luſtra, fideles etiamnum latuit. Sed numquam poſt martyrij diem dæmonum ibi cultus viſus eſt, nec phantaſmata vlla apparuerunt. Cæterùm nec lucernam tam ſpecioſam Deus diutiùs ſub modio abſcondi permiſit, ſed vt lucem daret in domo ſua, oculis omnium fulgidam demum expoſuit. Quemdam igitur puræ mentis virum, qui non procul à Martyris tumulo morabatur, locum vbi quieſcebat, & nomen eius edocuit. Martyrij etiam reuelauit ſeriem. Hic tanta cœli dignatione lætificatus, ne quid tamen temerè aggrederetur, Caſtrum cui Pompeiacum nomen eſt, ferè quinque milliaribus diſſitum à Reonemenſi agro, expetit; Clericis ibi Deo ſeruientibus, ordinem viſionis referat, quídque factu opus ſit inquirit. Pompeiacenſes Preſbyteri re maturè conſideratâ, de tantæ reuelationis beneficio Deo gratias plurimas rependunt; multóque gaudio exilientes ad locum pergunt deſignatum. Ibíque auxilium à Domino ſupplices depoſcunt, quatenus qui indaginis extitit incitator, quæſitæ etiam latentis in agro margaritæ, dignetur fieri propalator. Primò igitur vigiliis, ieiuniis, & orationibus incumbunt, & poſtmodum locum (fide & deuotione præditi) perquirunt ſepulturæ. Effoſſâ humo diuino tandem indicio quo patent omnia, corpus exquiſitum Martyris inueniunt, adeo incorruptum poſt tanta ſupplicia, poſt tanta temporis curricula; vt nulla tabe liuidum, nulla labe inquinatum, nullis vermium attrectatum morſibus, nullis etiam compagibus apparuerit diſſolutum: ſed ita illibatum, vt ſi placida morte eadem die mandatum fuiſſet ſepulturæ. Repertum igitur ſacratiſſimum pignus ingenti cum reuerentia de tellure leuatur, ac multis populorum comitantibus turbis, quas actionis celebritas conuocârat, ad deſtinatum honorificationis locum (Pompeiacum ſcilicet) vt beatus Martyr admonuerat, multo cum Cleri iubilo, & proſequentis plebis veneratione geſtatur, ac in Caſtri illius Baſilica, condigna cum veneratione collocatur. Gotthi qui poſtmodum Aquitaniam inuaſerunt, cùm Aria-

na labe infecti eſſent, non modò incolas orthodoxæ fidei cultores duro iugo oppreſsêre, ſed deturpatâ nonnihil Martyris Baſilicâ & ſepulturâ, quæ ad ius eius pertinebant facultates, ſacrilegis auſibus rapuerunt, impellente Nicaſio potentiſſimo, at nequiſſimo ſectæ eorum ſacerdote; quem diuina ira patenti multiplicique vltione, terrâ, maríque perſecuta, demum poſt multas iactationes vndis exitialibus abſorptum, non procul à tumulo martyris demerſit; adeò vt omnes circumquaque prædicarent, martyris iniuriam, magno Dei iudició fuiſſe vindicatam. Pro cuius vberiori gloria diuinitus ſubinde factum eſt, vt ſacræ eius exuuiæ de Pompeiacenſi Eccleſia ad monaſterium ſancti Saluatoris Conchenſe dictum (nunc Collegium ſæcularium Canonicorum in diœceſi Ruthenenſi) transferrentur, vnà cum ſanctæ Fidis inclytæ Martyris (quæ Vincentium, ipſúmque eius conſecratorem Capraſium, in pugna fidei, puella fortis præceſſerat) prælioſis pignoribus: vbi etiamnum in magna reuerentia conſeruantur. Quamuis autem hic locus meritis eius ſanctificatus, innumeris virtutibus præpolleat; prioris tamen ſepulturæ ſitus, antiqui ſui hoſpitis benedictione minimè deſtituitur, ſed gratiam adhuc retinet, gloriámque prodit perpetuam. Extat adhuc in loco vbi primùm à fidelibus conditus fuit ſanctus Vincentius, ſuſpicienda ex eius recordatione, ſacra ædicula de Macoſo nuncupata, in qua fontem cernere eſt à ſancto Capraſio Epiſcopo & Martyre initiatore ſancti Vincentij diuinitus impetratum, ex Aquilonari Eccleſiæ angulo ſcaturientem, cuius fluenta morbis ſanandis ſalubertima, ab incolis aduenísque eſſe aſſeruntur. Viſitur ibidem ſancti Capraſij pontificalis cathedra in vno exciſa lapide ſub hiatu ſpeluncæ, in qua exterritos fideles ad ſe confugientes diuino verbo recreabat. Hoc ipſo die Cenomanis ſancti LIBORII Epiſcopi; cuius conſecrata perpetuæ venerationi memoria ſacris in Faſtis locum habet die 23. Iulij, qua die dictum eſt de eo, poſt mortem in Germaniam ad Paderbornenſem ciuitatem, tutelæ gratiâ tranſlató. In Monaſterio Lezatenſi prope Toloſam, veneratio precioſorum pignorum ſancti ANTONII. LIBORIVS. ANTONIVS.

10 *Quarto Idus Junij.*

IN Lotharingia Natalis ſancti MAMMARII & ſociorum Martyrum, quos in vna confeſſione ſummæ Deitatis perſiſtentes, ferus perſecutor trucidauit. Moguntiæ ſancti BARDONIS Epiſcopi illius Metropolis. Qui ex Abbate Fuldenſi hanc ad cathedram prouectus, illam miris ſplendoribus ſanctitatis, & paſtoralis vigilantiæ, illuſtrauit: deinde ad Eccleſiæ vtilitatem conuocato Concilio cui præfuit, ad conſeſſum cœleſtium Senatorum pro laborum præmio euocatus eſt. Autrici Carnutum ſancti ANIANI Epiſcopi, qui quintus ſerie inſignis illius Eccleſiæ Hierarcha: in ipſo Epiſcopatu annis quadraginta quinque magna cum conſtantia & vigilantia, perſeuerauit; repreſſáque impiorum rabie, ſeruato, ac multiplicato grege, in quinta perſecutione à Seuero SS. MAMMARIVS & ſocij. BARDO. ANIANVS.

excitata, editis fidei ſuæ egregiis teſtificationibus, incruenta morte, ad pacem ſempiternam migrauit, ſuáque in paſtorali ſpecula conditus, miris refulſit ſuæ beatitudinis indiciis.

11 *Tertio Idus Iunij.*

SS. IVDOCVS SPINVLVS. IN agro Pontiuo apparitio ſancti IVDOCI Confeſſoris, cuius, in loci huius Monaſterio, principale feſtum agitur 13. Decembris. Tranſlatio recolitur 15. Octobris. Inuentio 25. Iulij. Treuiris ſancti SPINVLI Confeſſoris, diſcipuli ſancti Hildulphi illius ſedis Archiepiſcopi, virtutúmque eius imitatoris egregij.

Adela. IPSO die Bruxellæ felix obdormitio beatæ ADELEIDIS cognomento de Scarembera Sanctimonialis Cœnobij Cameræ, quę ad patientiæ exemplum lepræ tabe diuino conſilio afflicta, fœditatem hanc carnis, ſpiritus inſigni puritate, & magna fortitudine animi decorauit: pietate autem & religione præſtans, viſionibus etiam cœleſtibus illuſtrari promeruit. Deinde in Chriſti pace defuncta, ex patientiæ perfecto opere, coronam conſecuta eſt repoſitam. In Carthuſia maio- *Helizarius.* ri depoſitio beati HELIZARII eiuſdem ordinis Generalis, qui ex illuſtri familia in Gabalitano tractu procreatus, nepos Vrbani V. ſanctiſſimi Pontificis, omnia quæ in mundo fulgent futili obducta ſplendore, diuino ex amore aſpernatus, Chriſto vt perenniter hæreret, carnem crucifigens, ſeſe ei hoſtiam viuentem, voluntario ſacrificio obtulit; ignéque cœleſtis gratiæ incenſus, cùm huius ſanctiſſimi ordinis inſtituta mirè excoluiſſet, ad regimen illius patentia ob cœleſtium chariſmatum lumina, inuitus licet admotus, vigilantiæ, fortitudinis, zeli, charitatis, & perfectæ iuſtitiæ actibus inſignis, vitæ mortalis abrupto ſtamine, ab beatæ immortalitatis euolauit fruitionem. Succeſſit in re- *Ioannes Birellis.* ligioſa præfectura beato IOANNI Birelli ortu Lemouicenſi, qui cùm ob ſpectatæ ſanctitatis & ſapientiæ dotes, Clemente ſexto Pápâ mortuo, à purpuratis Patribus ad Eccleſiæ gubernacula euocaretur, admirabili fortitudine mentis caduca omnia deſpicientis, oblatum ſupremum ſacerdotij honorem recuſauit: humilique in religionis ſtatu ad extremum vſque perſeuerans, honores cœleſtis Regni emeritos à Domino, cuius amore omnia terreſtria ſpreuerat, beatificatus in gloria recepit.

12 *Pridie Idus Iunij.*

S. GILBODVS. CABILONE Æduorum ſancti GILBODI Epiſcopi, qui ſuo tempore magnis virtutum ſplendoribus Eccleſiam hanc, regnúmque Chriſtianiſſimum repleuit; domus Dei decora ampliare intento affectu ſtuduit, hócque pio feruore æſtuans Synodis pleriſque ad diſciplinæ Eccleſiaſticæ fouendam reſtitutionem, depellendáque à regno Dei ſcandala, multa cum vtilitate interfuit. Sanctorum autem cultor eximius, vti & ſedulus imitator, Beatorum Eccleſiæ ſuæ Patrum Syluestri, Agricolæ, Lupi, Tranquilli, aliorúmque ſuæ ciuitatis tutelarium ſacra buſta è terra ad venerationem leuati, horúmque nomina in Cœlitum catalogo per Ioannem VIII. Papam, quem Cabilone excepit à Trecenſi Synodo redeuntem, conſignari curauit. Demúmque ſanctis operibus plenus, ad viſionem pacis, beatitatíſque æternæ vſuram feliciter profectus eſt.

13 *Idibus Iunij.*

Commemoratio ſancti Bartholomæi Apoſtoli, quando eius ſacratiſſimum corpus ex Armenia, ad Liparam inſulam, quæ inter Italiam & Siciliam ſita eſt, & vna ex ſeptem Æoliis, diuina diſpoſitione aduectum fuit. Quo ex loco poſtea Beneuentum delatum, & inde Romam in Eccleſia ſub eiuſdem Apoſtoli glorioſo nomine dedicata, in inſula Tiberis fuit collocatum, ex quo decerptæ pretioſæ reliquiæ in Gallias tranſlatæ ſunt, dignóque honore ſuſceptæ, vti decus regno perpetuum, ſic & eiuſdem beati Apoſtoli patrocinium perenne contulerunt. Ipſo die ex Corbeia Galliæ ad Corbeiam Saxoniæ facta recolitur tranſlatio ſancti Viti Martyris. Eodem die Toloſæ Commemoratio ſancti Antonii de Padva, qui ibi Theologici Lectoris, & concionatoris Apoſtolici officio, magnificè functus, & Anicium, ſeu Podium Vellaunorum petens, illic poſitus Notarium quendam præcipua veneratione colendo, futurum pro Chriſto Martyrem prophetico ſpiritu præuidit. Idipſúmq. matri cuiuſdam pueri, de futura prole euenturum, enunciauit. Nam infans natus Philippvsque dictus, ordinem ab adoleſcentia amplexus Minorum, cùm præclaris polleret moribus, & ex ſuperiorum permiſſione ad ſanctum Domini ſepulcrum perueniſſet, apud Azotum à Saracenis Vrbem illam inuadentibus, vnà cum mille Chriſtianis, quos forti animo ad martyrij agonem animabat, comprehenſus pro Chriſti fide, vltimus omnium cæſus, præciſis digitis ac manibus viuus excoriatus ad vmbilicum, cùm à prædicatione fidei non ceſſaret, amputatâ linguâ, tandémque truncato capite iuxta vaticinium viri Dei Antonij, victor occubuit.

SS. Bartholomævs. Vitvs. Antonivs Padvanvs. Notarius anonymus Martyr. Philippvs.

14 *Decimo octauo Kalend. Iunij.*

In Sylua de Grija agri Lemouicenſis, depoſitio S. Psalmodii Confeſſoris & Eremitæ: qui in Scotia nobili proſapia editus, diſcipulus ſancti Brandani Abbatis, à puero eius piis formatus inſtitutis, cùm triduo marinis fluctibus iactatus, ſed diuina gratia liberatus ab exitio, magiſtri ſui monitu in Galliam traiecit, atque ad ſanctum Leontium Santonenſem Epiſcopum famâ religionis celebrem accedens, ſuſceptis ab eo ineundæ compendioſo tramite vitæ cœleſtis in terra ignotæ conſiliis, iam diuinæ virtutis coruſcatione illuſtratus, cœcæ mulieri gratam luminis vſuram refudit, ſeptimóque vltra Raſtratum milliari Gallico, in ſylua prænidicata, ſecretam tantum ab hominibus, quantum Deo notam & placitam vitam inſtituit: vbi multis ſignis & virtutibus clarus, ac potiſſimum pſalmorum (vnde reuexit vocabulum) modulatione delectatus, poſt ſanatam aquâ benedictâ Ducis Aquitaniæ filiam, potens in morbos, beſtias, & dæmones pretioſa morte cœli gaudia comparauit. Cuius corpus è ſylua ad ſancti Stephani collegialem Eccleſiam de Aënti-Monaſterio delatum, & capſa argentea donatum, honeſtiſſimè aſſeruatur & colitur. Eodem die tranſlatio corporum Sanctorum Martyrum

SS. Psalmodivs.

CANTIVS, CANTIANVS & CANTIANILLA. CANTII, CANTIANI & CANTIANILLÆ: cùm ex Aquileia (vbi
poſtquam cæſi ſunt pro fide, ad aquas Gradatas à Zoilo Preſbytero ſe-
pulti fueranr) Mediolanum ſacra eorum pignora tranſuecta, inde piis
votis Roberti Francorum Regis Chriſtianiſſimi in Gallias delara, Sram-
pis ab eo in Eccleſia ſanctæ Mariæ, religioſo cultu repoſira ſunt. Co-
lit Eccleſia Aquileienſis eorum inuentionem die 24. Aprilis: eorúmque
pignoribus nonnullis etiamnum gloriatur, de quibus pia æmulatione
cum ea dimicat ipſa Eccleſia Mediolanenſis. In agro Caturcenſi Moy-
LEOPHARIVS. ſiacenſi Monaſterio ſancti LEOPHARII Epiſcopi, hac die ibi ritu du-
plicis officij celebris, quamquam magis euidentiâ gloriæ quàm actorum
VRSINVS. notitia clari. Apud Bituricas tranſlatio ſancti VRSINI huius metro-
policæ ſedis fundatoris, viri Apoſtolici, facta per beatum Philippum
Berruier Bituricenſem Præſulem, qui de veteri conditorio, ſacratiſſimos
illius artus in argentea capſa repoſuit: cuius rei memoria à poſteris re-
ligioſè obſeruata, hodierno anniuerſario recolitur, quod *Feſtum ſancti*
EXVPERIVS. *Vrſini roſarum* appellatur. Toloſæ tranſlatio ſancti EXVPERII Epi-
ſcopi perpetui illius vrbis tutelaris, quando ſacrum eius corpus ab hu-
mili loco de Blaniaco duobus milliaribus à ciuirare diſſito, in vrbem de-
larum, & ad ſanctum Sarurninum cum aliis multis depoſitum fuit. Cu-
ius precibus multoties Toloſana ciuitas ab hoſtium fidei & parriæ in-
ſidiis, ſe turatam fuiſſe gaudet, & annuis votis publica auctoritate edi-
tis & redditis profitetur.

Richardus. VIRODVNI tranſitus beati RICHARDI Abbaris ſancti Vironi magnæ
ſanctiraris viri, qui rempore ſancti Odilonis itidem Abbaris florens religionis
decore & augmenro, mirum in modum profuit. Apud Gratianopolim memo-
Baſilius. ria beati BASILII octaui Generalis Cartuſiæ, ibidem defuncti pridie Nonas
Iunij.

15 *Decimo ſeptimo Kalend. Iunij.*

SS. HILARIANVS. IN territorio Ruthenenſi ſancti HILARIANI Martyris, qui diuinæ
gratiæ & veriraris teſtis, ab impiis in Hiſpalione oppido eiuſdem agri
extremum ad agonem compulſus, abſciſſo capite, coronam accepir,
ſtrenuæ concertationi repoſitam. De hoc Chriſti pugili fertur quòd
deciſſum caput, fonti quem diuinâ virtute ex ſe manante imbueret,
immerſerit; dehinc & in manus matris ſuæ pretioſum ceu pignus pie-
LOTHARIVS. tatis depoſuerit. Ciuitate Sajorum in Lugdunenſi 2. ſancti LOTHARII,
qui cœli cupidus primùm vitam eremiticam coluit: inde aſſumptus ad
Epiſcopatum illam Eccleſiam magno fœnore gratiæ repleuit, dignéque
& fructuoſè huius adminiſtrarione peractâ, cœli ciuis cum Sanctis
anteceſſoribus ſuis Latuino, Landrico, Mileardo, Rauenero, & Alno-
berto pro meritis effectus eſt. In Britannia minori, territorio Maclo-
MEVENIVS, aliàs MAINVS. uienſi Veneratio ſancti MEVENII, aliàs MAINI Abbatis ibi in mo-
naſterio ſui nominis quieſcentis, quod ad memoriæ eius celebritatem
Iudicaël Armoricorum Regulus excitauit. Ad cuius loci Eccleſiam hac
die multi vndique peregrini confluunt, vt ſancti Confeſſoris inrerceſ-
ſione pſoris & ſurfuribus liberentur. Ar in agro Toloſano 4. ab vrbe

lapide verſus Occitaniam, in parœcia & loco de Noiailloux, cultus eiuſdem beati Confeſſoris inſignis eſt: ex fonte ad quem ſub eius opitulatione infirmi plerique concurrentes, huius potati fluentis à morbis ſanantur.

16 *Decimo ſexto Kalend. Iulij.*

MOGVNTIÆ ſancti SONDEROLDI Epiſcopi & Martyris à Normanis occiſi. In agro Gabalitano Natalis ſancti ILPIDII Martyris, qui vſque ad ſenium pietatis officiis deditus, & humandis ſacris Martyrum corporibus clam inuigilans, inde robuſtior factus, diſtributis in vſus pauperum propriis commodis, in altum montis cacumen iuxta Elaueris ripam ſe recepit: vbi cùm per biennium eſſet commoratus, ob conuerſos ad Chriſtum populos, ſub Valeriano & Gallieno principibus, martyrij laurea donatus eſt. Lugduni ſancti AVRELIANI Epiſcopi, qui ex Abbate Alzanatenſi, ad ſedis huius gubernacula euocatus, Sancti Remigij cuius ſubiit locum, veſtigia, pura conuerſatione ſeruauit: moribúſque piiſſimis, & claris religionis actibus nobilis, poſtquam ſacris comitiis ſæpiùs interfuiſſet, pro Eccleſiaſticæ politiæ meliori conſtitutione, fine Chriſtianiſſimo conſummatus, Sanctorum laborum peruenit ad præmium. Eodem die in Armorica. Sancti SIMILIANI Abbatis Tauracenſis, qui ortus è Scotia, ſua ætate eximius ſanctitatis cultor & magiſter extitit: Beatum Etbinum ſacris diſciplinis erudiuit, temporéque ſancti Samſonis Epiſcopi Dolenſis in Gallicam Britanniam traiiciens, ſanctitatis ſuæ luminibus plurimos irradiauit, deinde candidatus gloriæ ad perennes Sanctorum ſplendores euolauit.

SS. SONDEROLDVS. ILPIDIVS. AVRELIANVS. SIMILIANVS.

17 *Decimo quinto Kalend. Iulij.*

AVENIONE ad Rodanum ſancti VEREDEMI Epiſcopi & Confeſſoris, qui à ſancto Agricola ſedis huius Pontifice, præſtantia ob merita, ſucceſſor ſacri muneris deſignatus, non impari gloria pietatis, commiſſam ſibi Eccleſiam direxit: moriénſque plenus operibus iuſtitiæ, & vitæ æternæ in cœlo præmia adeptus eſt, & nomen in terra venerabile reliquit: ab hinc enim ſacris tabulis, ob patentia teſtimonia gloriæ, inſcriptus, honoribus ſacris annuatim, hac die celebratur. Tranſlatio ſancti GVILELMI Abbatis Roskildenſis in Dania, ex Canonico regulari Baſilicæ ſanctæ GENOVEFÆ Pariſiis. Cuius beati Confeſſoris depoſitio colitur die ſexto Aprilis. Ipſo die tranſlatio ſancti INNOCENTII Martyris ex Thebæa Legione, quæ apud Agaunum ad Rodanum iuſſu Maximiani pro Chriſti fide, ad internecionem vſque cæſa eſt. Porro huius ex tam nobili ſodalitio Athletæ corpus, ad montem Silnigenſem delatum eſt, ibíque congrua reuerentia collocatum.

SS. VEREDEMVS. GVILIELMVS. INNOCENTIVS.

18 *Decimo quarto Kalend. Iulij.*

IN territorio Senonenſi ſancti FORTVNATI Epiſcopi, qui ſancto Germano Pariſienſi Epiſcopo coætaneus, eidémque ob ſanctimoniæ af-

S. FORTVNATVS.

finitatem percharus, cùm ad eum viſendum ægrotantem pergeret, Celliſ 20. milliaribus Gallicis ab vrbe regia diſſitis, ipſe anticipatus euocatione diuina, carnis exutâ mole, animam meritis fretam purè ad optatiſſima cœli tabernacula tranſmiſit.

19 *Decimo tertio Kalend. Julij.*

SS GERVASIVS & PROTASIVS. ROMVALDVS.

NIVERNIS ad Ligeris ripam, & Vindico-Cænomanorum ad Sartam fluuium, veneratio Sanctorum Martyrum GERVASII & PROTASII, dudum Epiſcopalium harum Eccleſiarum patronorum. Eodem die depoſitio ſancti ROMVALDI Abbatis, ordinis Camalduenſis inſtitutoris, qui per annos viginti Gallias ſuæ præſentia decorauit, & collapſam in Italia Eremiticam diſciplinam ex hoc inſpectu reſtituit, ac mirificè propagauit: & cùm centum & viginti annos vixiſſet, centúmque ipſos in ſumma vitæ aſperitate Deo ſeruiiſſet, æternâ potiturus vitâ migrauit in cœlum. Cuius corpus quinquennio poſtquam ſepultum fuerat illibatum repertum, Fibriani in Eccleſia ſui ordinis 7. Idus Februarij, honorificè collocatum eſt.

20 *Duodecimo Kalend. Julij.*

SS. GEMMA. ÆLIA. VRSMARVS, ERMINVS, THEODVLPHVS, VLGISVS, AMOLVINVS, ABEL, HIDVLPHVS & AMALBERGA.

IN Aquitania feſtum ſanctæ GEMMÆ Virginis & Martyris, in Prioratu ſui tituli ſolemniter celebratur, à Monaſterio Caſæ-Dei in Aruernia diœceſis Claromontenſis dependenti. Ipſo die Auguſtæ Treuirorum ſanctæ ÆLIÆ Abbatiſſæ magnæ religionis. Binchij in Hannonia tranſlatio Sanctorum VRSMARI, ERMINI, THEODVLPHI, VLGISI, AMOLVINI, ABEL, HIDVLPHI & AMALBERGÆ ex Cœnobio Laubienſi.

21 *Vndecimo Kalend. Iulij.*

SS. DESIDERIVS. ENGLEMVNDVS.

VIENNÆ veneratio ſancti DESIDERII Epiſcopi & Martyris, ibi poſtquam ſacrum eius corpus è vico Priſciniano (vbi lapidibus iuſſu impiæ Brunechildis obrutus fuit) ſuſceptum eſt 11. Februarij, ſignis diuinæ gloriæ radiantis. Welſæ in Hollandia natalis ſancti ENGLEMVNDI Preſbyteri & Martyris. Qui natione Anglus ſancti Willebrodi comes, eiuſdem Apoſtolicum munus obeuntis apud Friſiones mandato Sergij Papæ, in ſancta prædicatione, animarum conuerſione, & miraculorum peractione ſuffragator, Abbáſque multorum quos aggregauit aſcetarum, demum cùm feram Friſionum gentem à nefanda ſuperſtitione, & barbaris moribus inſtantiùs arceret, ad purum vrgeret Dei cultum, & obſeruantiam Chriſtianæ pietatis & iuſtitiæ; odio gratis habitus, perſecutionéque oppreſſus & fortiter occumbens, Apoſtolicum officium glorioſo martyrio coronauit. Oſcæ in Hiſpania citeriori depoſitio ſancti

RAYMVNDVS.

RAYMVNDI Balbaſtrenſis Epiſcopi, qui in finibus Conſeranorum prope Toloſam nobili genere procreatus, & à puero liberalibus diſciplinis

inſtructus, apud Eccleſiam ſancti Antonini Apamiarum de Fredelacio, aſpirante Chriſto Canonicus regularis effectus; deinde ad Toloſanam Eccleſiam Prior conſtitutus, cùmque multis virtutum titulis clareret ad præſignatam Eccleſiam poſtulatus, deinde & renitens ordinatus à Bernardo Toletano Primate, & Apoſtolico Legato, natione Gallo, annos viginti & ampliùs paſtorale onus præſtanti virtute ſuſtinuit: Diœceſim enim ſedulò viſitauit, oues Domini verbo & opere paſcere non ceſſauit, mala deſtruere, bona conſtruere gnauiter intendit. At diaboli tam vigilem Chriſti operarium non ferentis inuidia, & Pſeudo-Epiſcopi liuore ſede ſuâ vir Dei demum deiectus, iniuriam cum magna manſuetudine excipiens ſe ad Rotenſem Eccleſiam contulit, vbi ad miracula vſque refulſit. Tandem charitatis igne decoctus, miſericordiæ actibus ac affectibus totus effuſus; vitæ auſteritate admirabilis O[illegible]cæ vbi venerat ad afflictis fidelibus ſuccurrendum, morbo lethali correptus, in cinere & cilicio poſitus, felicem ſpiritum in cœlum emiſit. Cuius corpus ad Rotenſem Eccleſiam delatum, ibidem ſignis reſplenduit copioſis.

22 *Decimo Kalend. Iulij.*

CATANZARI in Calabria inuentio Reliquiarum ſancti IRENÆI Epiſcopi Lugdunenſis & Martyris, Doctoriſque glorioſi. Quæ in direptione eius Eccleſiæ ab hæreticis Caluinianis facta (anno 1562. 30. Aprilis) cùm indignè diſcerperentur, rogóque iniicerentur, ab Italis aliquot impij facti ſpectatoribus, aliqua ex parte ereptæ ab incendio, eò tranſuectæ ſunt, vbi ab iis abditæ ad ſecuriorem cuſtodiam, tandem Deo Martyri ſuo ampliorem honorem prouidente, anno 1583. repertæ ſunt, dignáque veneratione habitæ, quâ etiamnum conſeruantur. In Monaſterio Sithiu depoſitio ſancti LAMBERTI quadrageſimi eiuſdem loci Abbatis, viri magnæ religionis & fidei. Giſnæ in Picardia ſub Præſulatu Bononienſi ſanctæ ORTRVDIS Virginis Deo charæ, cuius corpus ſacrum ibidem religioſè conditum eſt. In Britannia minore depoſitio ſancti ANSOLI Monachi diſcipuli ſancti Maini Abbatis, quem in omni ſtudio pietatis, operéque iuſtitiæ imitatus, ſeptimo die poſtquam è carne exceſſit, felix ad gloriam ſecutus eſt.

SS. IRENÆVS. LAMBERTVS. ORTRVDIS. ANSOLVS.

CAMERACI obiit piæ memoriæ LIEBERTVS Epiſcopus, qui cœnobium ſanctæ Andreæ abſoluit, diuiniſque operationibus emicuit. Piæ memoriæ PHILIPPVS DE LVXEMBVRGO Cenomanenſis Epiſcopus, deinde Cardinalis Tuſculanus: cuius anima gratiæ ſeptemplicis ſacrarium fuit, corpus omnium virtutum organum, & vita perfectæ ſanctimoniæ ſpeculum; longæuus & venerabilis, diuinæque amicitiæ teſtimoniis clarificatus, æternum vt viuat apud Chriſtum moritur, & Cenomanis in ſua Cathedrali ſepelitur. Ad cuius tumulum multæ diuinæ virtutes coruſcârunt, quibus infirmi eò deportati ſolatia perceperunt ingentia: quouſque ſegreges, lupina rabie, boni Paſtoris oſſa effoſſa cremauerunt. Quo flagitio ſibi quidem ſequacibúſque ſuis amicorum Dei hoſtibus, ſempiternum dedecus inuſſerunt, at beato Antiſtiti nullam iniuriam irrogârunt: quin potiùs glorioſam magis eius effecêre memoriam, & piorum in ipſum auxerunt deuotionem.

Liebertus. *Philippus.*

23 *Nono Kalend. Iulij.*

APVD Lingonas ſuſceptio corporis ſancti DESIDERII Epiſcopi & Martyris à Wandalis occiſi: cùm bonus paſtor interuentutus pro oui-

SS. DESIDERIVS.

cularum ſalute, in occurſum truculentorum horum luporum prodiiſſet die 23. Maij, qua die triumphus eius claret. Onhauiæ apud Namurcum

VVLHERVS natalis ſancti WLHERI Preſbyteri & Martyris: cuius corpus Waleiodori conditum à fideli populo, perpeti cultu honoratur. In Monaſterio Fon-

FEBRONIA. tiſebrardi natalis ſanctæ FEBRONIÆ Virginis & Martyris.

24 *Octauo Kalend. Iulij.*

SS. COLVMBAS, MATERNA & PICINA. LVPICINVS.

IN territorio Pictauienſi natalis Sanctarum Virginum & Martyrum COLVMBÆ, MATERNÆ, & PICINÆ. Pariſiis ſancti LVPICINI Solitarij. In agro Auxitano Caſtro de Baſſoües memoria ſancti Friſij Martyris: cuius licet natalis 17. Kalend. Februarij recurrat, hac tamen die, & ipſa ſacra Pentecoſtes frequenti populi concurſu recolitur, contra epilepſim potiſſimum inuocatur.

25 *Septimo Kalend. Iulij.*

SS. LAMBERTVS. ALBERTVS.

LEODII ſancti LAMBERTI Preſbyteri, qui ſub Epiſcopis Henrico, Alexandro II. & Rodulpho, pietatis egregiæ radiis coruſcauit. In Cœnobio Medelocenſi prope Treuiros ſancti ALBERTI Monachi: ſancti Adelberti, qui hodie quoque colitur, familiaritate, at magis imitatione clari.

26 *Sexto Kalend. Iulij.*

SS. VIGILIVS.

AVTISSIODORI è Compendio ſuſceptio corporis ſancti VIGILII Epiſcopi & Martyris, in ſylua Cotia impiè interempti, iuſſu Ebroini Ty-

CORBICANVS. ranni quinto Idus Martij. In Belgio ſancti CORBICANI Confeſſoris, qui natione Scotus ſanctum Adalgiſum comitatus, conuerſioni gentium in illa Galliæ parte multam operam impendit; manipulíſque copioſis ſua ex meſſe collectis, ouans ad cœleſtem patriam properauit.

HILARIVS. LAMBERTVS. Pictauis tranſlatio ſancti HILARII. Venciæ ſancti LAMBERTI.

28 *Quarto Kalend. Iulij.*

SS. LVPERCVLVS.

IN Vaſconia apud Eloſatium ciuitatem, paſſio ſancti LVPERCVLI Martyris. Hic ortu Cæſarauguſtanus, irradiatus fide Chriſtiana, in ipſa pueritia iam diuinis prodigiis micans, gloriam vt fugeret, eremum petiit. vnde abſtractus, próque proſapiæ, quâ ingenuâ prodierat, dignitate, militiæ ſæculari adſcriptus; creſcentéque ætate & robore, numeroſo agmini armatorum præfectus: cùm Dacianus ſæuus Præſes, in cultores Chriſti atrocibus tam terriculamentis, quàm ſuppliciis fureret, palam prodiit pro fidei veritate conflicturus: increpatóque Tyranno, deriſis pſeudonuminum ſimulacris, nefandæque ſuperſtitionis ritibus: ob aſſertæ pietatis præconia, nexibus conſtrictus, equuleo ſuſpenſus, vngulis dilaceratus, aculeos ferreos nudis pedibus calcare compulſus, horrendíſque tormentis excruciatus: his omnibus, confortatione Angelicâ ſuperatis, tandem triumphans, multis diuinæ virtutis ſibi aſſiſtentis prodigiis, datis fortiter, non tam ad percuſſionem, quàm coronam ceruicibus, ouans euolauit ad præmium. Eodem die Sanctorum

BENIGNVS & BENEDICTVS. BENIGNI & BENEDICTI Epiſcoporum, quorum hic Carnuti paſſus, ille Traiecti hodie pro fide & iuſtitia, memorantur.

29 *Tertio Kalend. Iulij.*

TREVIRIS inuentio ſancti MAXIMINI Epiſcopi, qui natali anniuerſario colitur die 29. Maij. Apud Pontæſiam tranſlatio & repoſitio ſancti MELONIS Epiſcopi Roromagenſis. In Lorharingia cœnobio ſancti Michaëlis tranſitus ſanctæ HVMBERGÆ ſororis ſancti Theobaldi Presbyteri & Eremitæ. SS. MAXIMINVS. MELO. HVMBERGA.

30 *Pridie Kalend. Iulij.*

CENOMANIS ſancti BERTRANDI Epiſcopi & Confeſſoris. S. BERTRANDVS.

IVLIVS.

1 *Kalendis Iulij.*

LEONII in Armorica, ſub Archiepiſcopatu Turonenſi depoſitio S. GOLVENI Epiſcopi ſecundi illius ſedis & Confeſſoris, qui S. Paulo ſuccedens teneram ſibi relictam Eccleſiam ablactauit, ſolidóque enutriens cibo ſanctæ prædicationis, & illuſtrans lumine piæ conuerſationis, ad plenam virtutis formam prouexit: ſicque ex filiæ, imò ſponſæ decore, factus Deo gratiſſimus, ad agni perennes nuptias, quæ in ſuperna Hieruſalem aguntur, beatitudinis candidatus euolauit. Obiit autem apud Redones vir ſanctus, & in monaſterio ſancti Melanij ſepultus eſt. Item in minori Britannia ſancti LEONORII Epiſcopi & Confeſſoris, tam parenti meritorum coruſcatione, quàm antiqua fidelium veneratione illuſtris. Viennæ Allobrogum ſancti THEOBALDI Epiſcopi & Confeſſoris, qui ſub ſancto Leone Papa IX. & Henrico I. Francorum Rege illam Eccleſiam rexit, omníque ſtudio boni paſtoris functus, aucto grege, copioſo gratiæ fœtu; plenus ipſe operibus iuſtitiæ, ſummi Paſtoris iuſſu euocatus, ad emeritum perrexit præmium. Ipſo die in territorio Ruthenenſi ſancti FLOREGII Epiſcopi, dotibus gratiæ perornati. cuius etiamſi geſtorum ſanctorum notitia exciderit: memoria tamen ob titulos perfectæ iuſtitiæ, perpetuæ venerationi conſecrata, ibidem clara perſeuerat, potiſſimum in oppido Stagni eiuſdem agri Ruthenenſis, vbi ſacrum eius corpus dignè repoſitum aſſeruatur & colitur. SS. GOLVENVS. LEONORIVS. THEOBALDVS. FLOREGIVS.

2 *Sexto Nonas Iulij.*

TRANSLATIO ſanctæ EVPHEMIÆ Virginis & Martyris facta, quando è Lemno inſula pretioſum eius corpus Conſtantinopolim delatum eſt, quod hinc Melitam ad inſulam demum aduectum fuit, decerptæque ex eo aliquot venerandæ particulæ, tranſlatæ ſunt Lutetiam Pariſiorum, ad ſacellum Sorbonici Gymnaſij, vbi multa cum honorificentia ſuſceptæ, & conditæ, cultu perpetuo obſeruantur. S. EVPHEMIA.

3 *Quinto Nonas Iulij.*

SS. RAYMVNDVS. TOLOSÆ depoſitio ſancti RAYMVNDI Confeſſoris, qui ibidem in lucem editus, à puero ludicris abiectis, totum ſeſe diuino cultui applicuit, quæque cœleſtia ſunt cogitans, tramitem quo vera petitur felicitas, puro Chriſti famulatu ingreſſus, poſt litterarum exacta tyrocinia à parentibus, qui flammam diuini amoris in eo ardentem conſpiciebant, Eccleſiæ ſancti Saturnini obſequio delegatus, ibi Cantoris officio functus eſt. At ſubinde ipſe lubricum timens ætatis, vt infirmitatis annos ſecuriùs tranſigeret, caſto connubio ſe addixit, ínque matrimonio irreprehenſibiliter vixit. Vxore deinde extremum diem obeunte, ſtrictæ continentiæ virtutem amplexus, auſteritate vitæ carnem ſpiritui ſtrenuè ſubiugauit; plenúſq. viſceribus charitatis, miſericordiæ opera tam ſedulò & copiosè, quàm latẽter & verecũdè exercuit, toiúſq. erga inopes, ægros, ac quoſuis afflictos, piis affectibus effuſus, ipſos Iudæos etiamſi fidei hoſtes, à ſolatiis charitatis ſuæ non excluſit. Xenodochium ſuis ex facultatibus ædificauit, quod tredecim pauperibus clericis attribuit. Caſus etiam nonnullorum commiſeratus, qui diabolo agente, in gurgite fluuij Hereij dum tranſirent, ſuffocabantur, duos pontes ſuper alueum illius fluminis ſuo ex penu conſtruxit. Sed eius non his exhauſta eſt impendiis pietas. Etenim ſancti Saturnini, cuius cultor erat ſtudioſiſſimus, Baſilicam vetuſtate collapſam à fundamentis inſtaurari curauit, cuius ſtructuræ annis tredecim omni inſtantia præfuit, atque ferè eius molem vſque ad faſtigium perduxit. Tum vehementiori ſuccenſus igne, ſatis non eſſe ratus ſua Deo offerre, ſeipſum penitus Chriſto viuum ſacrificium conſecrauit, atque in ipſa ſancti Saturnini Eccleſia ſuſcepto ſanctæ religionis habitu, ſub ſancti Auguſtini inſtituto, vitam iniit tantùm à carne abſtractam, quantùm Deo vnitam, & Angelicorum ſpirituum virtutibus conformem. Cuius admiratione nonnulli excitati, & exempli eiuſdem gratia incitati, fugitiua mundi deſerentes, ad ſimilis religioſi propoſiti tranquillitatem confugerunt. Sic præeunte & enitente Raymundo canonica diſciplina ibidem quæ emarcuerat, refloruit. Cuius fides, religio, caſtimonia, manſuetudo, benignitas, charitas, & miſericordia illo in cœtu, ſingulari ſplendore enituit. Quouſque Deo militem ſuum ad donatiuum emeritum euocante, diutina ægritudine maceratus, velut aurum in camino ignis probatum, váſque in gloriam, per cælaturam omni gemmarum decore adornatum, è corpore per diuerſas tunſiones glorioſæ incorruptioni præparato, animam puriſſimam, diuino viatico munitam, ſuum ad principium (ad quod tamdiu anhelauerat) feliciter remiſit. Noluit autem vir humilis, qui ſe vel minimis inferiorem reputabat, cum fratribus Collegij ſancti Saturnini ſepeliri. Prouiderat ſibi vas lapideum iuxta domum Collegialem, quam tredecim Clericis pauperibus conſtruxerat, vbi modis omnibus flagitauit tumulari: quod diuina diſpenſatione ſic actum eſt, vt miſerationis officium quod viuus impendebat afflictis; defunctus etiam impertiret. Igitur

tur exequiis honorificè expletis, de Prioris licentia, vbi rogauerat, pauper cum pauperibus ſepultus eſt: ibíque diuitiis gloriæ, qua beatus fruitur, apud Chriſtum coruſcans, prodigia multa edidit, cæcis ſiquidem lumen, mutis loquelam auditum ſurdis, ſacris interceſſionibus opitulando refudit. Energumenos etiam à Dæmonum vexatione liberauit; quæ omnia aliáque multa vera, miráque eius præconia ſanctus Anſelmus, dum eſſet Beccenſis Monachus, profectus Toloſam, ex authentica rerum recèns geſtarum relatione perdidicit, luculentáque diſcuſſione, quâ & aliorum tractus huius beatorum tutelarium vitas exarauit, complexus eſt. Eodem die ſancti LANFRANCI Archiepiſcopi Cantuarienſis, ex Abbate Cadomenſi in Normania: qui noui & æterni teſtamenti veritatem, contra Berengarium Andegauenſem Archidiaconum, hoc humanæ ſalutis pretioſum pignus, & Seruatoris nobiſcum inuiolabile fœdus, omni arte euacuare contendentem, orthodoxis ac aculeatis ſcriptis ab Eccleſia collaudatis, fortiſſimè propugnauit; viuificatricíſque Chriſti carnis, & ſanguinis exiſtentem hoc in myſterio ſubſtantiam, ad alimoniam æternitatis ſumentibus fidelibus realiter exhiberi, irrefragabiliter demonſtrauit. LANFRANCVS.

4 *Quarto Nonas Iulij.*

IN vico Vaſtino agri Biruricenſis paſſio ſancti LAVRIANI Epiſcopi Hiſpalenſis, illic à ſicariis Totilæ Regis, impiè obtruncati. Vbi & ſepultus, magnis coruſcauit diuinæ virtutis prodigiis. Caput autem eius glorioſum ab ipſo poſt feralem ictum, triumphaliter ad locum vſque ſepulturæ euectum, ab iiſdem emiſſariis tantum portentum mirantibus, & de perpetrato ſcelere dolentibus, Hiſpalim honorificè deportatum fuit, vbi etiamnum ſeruatur & colitur, cum toto corpore, quod ſubinde ad ſedem ipſam tandem reuectum, perpetua populi deuotione frequentatur. S. LAVRIANVS.

5 *Tertio Nonas Iulij.*

CONSERANNIS in Vaſconia ſancti VALERII Epiſcopi primi illius ciuitatis & Confeſſoris, cuius præconia ſanctus Gregorius in libro de gloria Confeſſorum veraci laude commendauit: memoriam ſanctitatis mox ab eius obitu ipſa ſua Eccleſia celebrauit; noménque reuerendum Theodorus eius ſucceſſor perdignus, Baſilica in ipſius recordatione condita honorauit. S. VALERIVS.

LVTETIÆ Pariſiorum eodem die felicem animam ad fontem vitæ perennem emiſit beatæ memoriæ HVGO A SANCTO VICTORE ſuburbicarij illius Cœnobij Canonicus religioſiſſimus, qui ordinem illic ſancti Auguſtini profeſſus, cœleſti pollens ſapientia, ſui tempore Auguſtinum appellari promeruit, ſcriptiſq; præclaris non modò Galliam, ſed vniuerſum orbem illuminauit, quin & bono odore repleuit præſtantiſſimæ virtutis, & admirandæ pietatis. Fuit enim beatus hic vir excelſus Theologorum apex, & Euangelicæ perfectio- *Hugo à S. Victore.*

nis, ac Angelicæ puritatis viuidum nitidúmque ſpeculum. Verùm cùm talis ac tantus eſſet, non intra ſancti Victoris Baſilicam dignum ſe cenſuit ſepeliri, at voluit in clauſtro humili ſitu humari, vbi ab æquis meritorum eius æſtimatoribus, epitaphio honorifico non magis quàm vero inſignitus eſt: quo *in breui vrna* proditur *magnum condi virum, qui nulli toto orbe ſecundus, dogmate præcipuus, ingenio, ore, ſtylo, & moribus inſignis, mirificè claruit.*

6 *Pridie Nonas Iulij.*

SS. Gervasius. Alexander, Amandus, Lucius & Audaldus. CABILONE in Æduis Natalis ſancti GERVASII Diaconi & Martyris, ibi in propugnatione pietatis laureati. In Monaſterio Cannenſi prope Narbonam natalis Sanctorum Martyrum ALEXANDRI, AMANDI, LVCII & AVDALDI, quorum meritis fulgura refringuntur. Horum Athletarum Chriſti glorioſa memoria in Diœceſi ſancti Pontij Tomeriarum annuis ſacris recolitur die 6. Iunij.

7 *Nonis Iulij.*

SS. Evoldus. AVGVSTÆ Trecatum Dedicatio Cathedralis Eccleſiæ in honorem ſancti Petri Apoſtolorum principis. Viennæ ſancti EVOLDI Epiſcopi quadrageſimi, Metropolitanæ Eccleſiæ ſub ſancti Mauritij nomine

Felix. inſtauratoris. Nanneris ſancti FELICIS Epiſcopi decimi ſexti ſanctitate inſignis, cuius laudes ſanctus Gregorius Turonenſis celebrauit. In territorio Meldenſi Pharæ Monaſterio, ſeu Brienſi, depoſitio ſan-

Edilburga. cti EDILBVRGÆ Abbatiſſæ, quæ Annæ Anglorum Orientalium Regis filia, amore cœleſtis ſponſi ſceptra terrena; regióſque thalamos ſpernens, in Galliam Gymnaſium pietatis delibandæ ſanctæ Religioni ſtudio traiecit, atque ad ſignatam Parthenonam ſub ſanctæ Pharæ (celebris ſanctimoniâ, Virginum ſacrarum Abbatiſſæ) diſciplina cum pleriſque ſtemmatis quoque Regij puellis conuolauit: à qua diligenter in ſanctitatis theorematibus erudita, copioſos gratiæ latices imbibit, induítque perfectiſſimæ conuerſationis mores. Quamobrem in vicem ſanctæ Mariæ ipſius ſanctæ Pharæ glorificatæ ſuffecta, ita ſacro in regimine ſe geſſit, vt rediuiuum in ſe eius ſpiritum expreſſerit; & carne, ac mente virgo, mater verò prole ſpirituali & merito, ſobolem Chriſto caſtarum ſponſo animarum copioſam pepetit, ſibi verò perennem vtriuſque integritatis, & myſticæ fœcunditatis, conciliârit glo-

Earcongotha. riam. Iterum Briæ in agro Meldenſi ſanctæ EARCONGOTHÆ Reginæ & Abbatiſſæ: quæ ſanctæ Edilburgæ prædictæ Abbatiſſæ ſuæ materteræ, ſacro in regimine ſucceſſit, non minùs dotibus gratiæ quàm præfecturæ vix inſignis, quemadmodum venerabilis Beda ve-

Syra. raci encomio teſtatur. Trecis ipſa die memoria ſanctæ SYRÆ Virginis.

Gerardus. ABIIT hoc die ad ſpei Chriſtianæ brauium GERARDVS ſexageſimus nonus Archiepiſcopus Bituricenſis, fide, ſanctitate, doctrina, & miraculis clarus.

8 *Octauo Idus Iunij.*

In agro Leodienſi, Pinciacenſi pago natalis ſancti Nomii Martyris SS.
litteris inuerſis à nonnullis ſacris Cenſoribus Monij nuncupati, potiùs Nomivs, aliàs Mo-
laurea emerita martyrij in morte, quàm in vita rerum geſtarum notitia nivs.
clari. Noiennij apud Senones ſancti Itherii Epiſcopi Niuernenſis Itherivs.
& Confeſſoris, qui vbi natus, ibi & ſepultus, creditam patriam ſpeciali
pattocinio fouet & protegit. Nec ſolùm in pattia colitur, vir ſancti-
tate celebris, ſed diffuſis, longè, latéque gloriæ ſuæ radiis, etiam Solia-
ci ad Ligerim in dicata tutelæ ſuæ Collegiali Eccleſia ſacris honori-
bus obſeruatur. Sederunt autem in Niuernenſi Cathedra alij ſancti-
tatis exploratæ præſules ante beatum Itherium: quorum aliqui fixos
natales habentes diebus propriis ad cultum conſignati ſunt: alij ta-
metſi meritis æquè ſpectabiles in faſtis ſacris minimè certa die ſunt
adſcripti: nimirum ſancti Patricivs, Evlalivs & Eoladivs, Patri-
quorum benedicta memotia ne à Galliæ Sanctorum ſerie excidat, no- civs, Ev-
mina eorundem, pium & conſentaneum viſum eſt, tabulis his ſacris lalivs &
inſcribere. Auguſtæ Viromanduorum reſeratio ſancti Qvintini Eoladivs.
Martyris, iam illius vrbis nuncupatoris & Patroni. Burdigalæ ſanctæ Qvinti-
Benedictæ matronæ. Quæ à ſancto Marciale Aquitaniæ Apoſto- nvs.
lo, Chriſti agnitione illuſtrata, ſacríſque fontibus expiata, fidei zelo Benedi-
feruens, & charitate plena, religionis Chriſtianæ prouectionem, mul- cta.
tis laboribus procurauit: demúmque conſummata pio exceſſu, ad glo-
riam migrauit ſempiternam. Cuius memoria titulis ſanctitatis inſignis,
ibidem in veneratione habetur, potiſſimum in Eccleſia ſancti Seuerini,
vbi ſpeciali cultu honoratur. Vintone in Anglia depoſitio ſancti Grim- Grimbal-
baldi Preſbyteri, magnæ ſanctitatis & doctrinæ viri: qui primò in dvs.
Gallia apud ſanctum Bertinum in pago Morinorum religioſam vitam
profeſſus, deinde in Angliam traiiciens, Affridi Regis Magiſter effe-
ctus, recuſato Cantuarienſi Archiepiſcopatu, in pace quieuit.

9 *Septimo Idus Iulij.*

Apvd Senonas tumulatio ſancti Pavli Epiſcopi huius Metropo- SS.
lis & Confeſſoris. Qui frater ſancti Eraclij, eiuſdem ſucceſſor in hac Pavlvs.
Eccleſia fuit: quam vbi eadem vigilantia & pietate adminiſtrâſſet, in
pace æterna obdormiuit. Eodem die Trecis feſtiuitas ſancti Eraclii Eraclivs.
fratris ipſius beati Pauli, qui octauo Iunij defunctus, germanum
ſuum, quem ſacri muneris reliquit hæredem, ſuo tumulo poſt feli-
cem mortem illarum, apud Cœnobiticam ædem ſancti Ioannis Euan-
geliſtæ ſic excepit ſepulchri iure conſortem, vt eiuſdem in Cœlis glo-
riæ præmio muneratum, beatum complexus ſit ſocium. Apud Leo-
dium tranſlatio ſanctæ Odæ viduæ ſolemniter facta per ſanctum Oda.
Floribertum Epiſcopum.

10 *Sexto Idus Iulij.*

S. PASCHASIVS. NANNETIS in Armorica depoſitio ſancti PASCHASII Epiſcopi, viri Apoſtolicis virtutibus clari. Qui diuina ſimul virtute & eloquentiæ præſtans, multos dum in Eccleſia prædicaret, Dei amore inflammauit, & ſæculo abductos, Chriſtum ſequi, crucémque poſt eum ferre ad conſequendum eius regnum edocuit.

11 *Quinto Idus Iulij.*

SS. SAVINVS & CYPRIANVS. IN finibus Pictonum paſſio Sanctorum Martyrum SAVINI & CYPRIANI, qui apud oppidum Confluentium ſub Maximo Præſide, fidem Chriſti aſſeuerantes, glorioſum pro eius confeſſione martyrium compleuerunt. Fuit alius Sauinus, aliàs Sabinus, Confeſſor eodem in tractu meritis gratiæ conſpicuus, in cuius honorem conditum eſt antiquum Cœnobium ad Garempam amnem, nouem leucis ab Auguſtorito Pictonum, vbi colitur proprio natali 7. Idus Octobris. Item in Pi- ALBINVS & LYSIAS. ctauienſi territorio depoſitio Sanctorum Confeſſorum ALBINI & LYSIÆ, ſeu Lyſiani, ſacris Catholicæ Eccleſiæ tabulis inſcriptorum. Item SABINVS. in Vaſconia apud Conuenas natalis ſancti SABINI Martyris ibidem laureati, à quo alius eſt ille cuius ſacrum corpus in ſui nominis Monaſterio apud Montes Pyrenæos omni religione ſeruatur, & depoſitio celebratur die 9. Octobris.

12 *Quarto Idus Iulij.*

SS. SAVINVS & CYPRIANVS. IN Monaſterio Caſæ Dei feſtiuitas Sanctorum Martyrum SAVINI & CYPRIANI. Qui Brixiæ nati, & in Chriſto renati; cùm doctrinam eius ſalutarem diſſeminarent à Lodicio Præfecto cruciati, quod abduci à Seruatoris præconio non poſſent, patriâ ſuâ expulſi ſunt: à qua excedentes in Galliam monente Angelo peruenerunt. Vbi cùm diuinæ veritatis ſemen ſpargere non ceſſarent, iuſſu Maximi Proconſulis, qui nullis tormentis conſtantiam illorum flectere potuit, capite plexi, coronam immarceſſibilem ex tam nobili agone reportârunt. Eodem die Corbeiæ RATBERTVS PASCHASIVS. in Ambianis eleuatio & tranſlatio ſancti RATBERTI PASCHASII Abbatis illius monaſterij, & propugnatoris myſterij Euchariſtiæ inſignis. PRÆIECTVS. Tranſlatio ſancti PRÆIECTI Epiſcopi & Martyris.

13 *Tertio Idus Iulij.*

S. ARNO. NATALIS ſancti ARNONIS Epiſcopi Herbipolenſis, qui Caroli Craſſi Francorum Regis & Imperatoris, (apud quem ob ſpectabilem ſanctimoniam magna in reuerentia fuit) piâ inſtantiâ hunc ad Præſulatum aſſumptus, dum paſtoris boni officio, omni ſollicitudine fungitur, irruentibus Barbaris in Eccleſiam, inter tremenda quæ celebrabat myſteria, multis cum aliis fidelibus occiſus eſt, ſacrificiúmque propria ſui immolatione duplicauit.

14 *Pridie Idus Iulij.*

SONNEGIIS in Hannonia ſancti VINCENTII Comitis: qui ſub Dagoberto Rege, omni ſtrenuitate pollens, ac religionis ſtudio præcipuè nobilis, incolas illius quem regebat tractus barbaris adhuc moribus viuentes, vt ad omnem honeſtatem, & pietatem promoueret. Ex Hibernia (quò iuſſione Regis tranſmeauerat) Apoſtolicos viros Vltanum, Foillanum, alióſque in Belgium euexit, quibus hoſpitio fouendis Malbodium cœnobium ad fluuium Sambram extruxit, horúmque ope informatis popularibus ſuis, ad Chriſtianæ legis obſeruantiam: ipſe Sonnegias ſecedens depoſito balteo militari, humilem religionis habitum induit, coaceruatíſque ſub ſancta diſciplina meritorum cumulis, in Chriſti pace obdormiuit. Colitur in tota Hannonia ſumma celebritate, non hâc die modò quæ eſt depoſitionis; ſed die quoque Septembris vigeſima, quæ eſt tranſlationis. Camberiaci in Sabaudia commemoratio ſanctæ memoriæ BONIFACII Epiſcopi ibi corpore integro poſt quatuor ferme ſæcula à morte ſua quieſcentis. Hic coram Deo & hominibus ſpecioſus, Thomæ Comitis Sabaudiæ, & Beatricis de Geneua filius, prima ab ætate Chriſto deditus, à genitoribus ſuis traditus eſt piis præceptoribus liberalibus diſciplinis inſtruendus. Quarum dotibus egregiè præſtans, & moribus omnem ſpirantibus pietatem iam emicans, ex Priore Nantuæ (quem dignitatis gradum ſyncera profeſſione religionis emeruerat) exuente hominem Raynardo Epiſcopo Bellicenſi, qui ſub Alexandro tertio Papa Concilio Lateranenſi interfuerat, eius in locum ſublectus, inde ad Valentinianenſem in Delphinatu Cathedram orbatam Præſule, obitu Wilelmi Germani ſui poſtulatus, interim ſancto Edmundo Cantuarenſi Metropolita ad cœli amœnitates pro ſedula Chriſti ſeruitute euocato, quaſi ambitioſo Anglicæ gentis, quæ Galliæ natiuum ſydus inuidebat enixu, raptus, Lugdunúmque deductus; ſolenniter ab Innocentio quarto Pontifice Concilium ibi Oecumenicum celebrante, quantumuis renitens, inauguratus eſt. Atque ad ſedem hanc tranſmarinam emiſſus, creditum ouile paſtorali amore fouit, curáque peruigili coluit: donec patrium ſolum quadam neceſſitate reuiſens, in Caſtro ſanctæ Helenæ, iam maturus gloriæ, mortis ſarcina exemptus, ad beatæ immortalitatis emigrauit vſuram. Funeratus autem in Cœnobio Altæ combæ, ad lacum Burgeti Diœceſis Genuenſis, ſuæ glorificationis indicia prodidit perſpicua: quibus effectum eſt Chriſto ſeruum ſuum mirificante, vt corpus eius incorruptum, Camberiacum metropolim Sabaudiæ, ad ſecuriorem ſitum, & vberiorem cultum, quo etiamnum fulget, delatum fuerit. Reſſæ in Cliuia ſancti DENTLINI Confeſſoris, ſancti Vincentij de quo ſupra filij: qui ſeptennis, iam miraculis fulgens, migrauit ad cœleſtis aulæ cuius candidatus erat felicitatem. Corpus eius Reſſæ vbi ſepultum eſt radiat, & colitur, noménque eius in Hannonia publicè in Litaniis inuocatur.

SS. VINCENTIVS.

BONIFACIVS.

BONIFACIVS.

15 *Idibus Iulij.*

S. BERNARDVS. IN Lotharingia ſancti BERNARDI Confeſſoris, in Vici Eccleſia, quæ eſt in Metenſis Eccleſiæ alodio, ſancta ex recordatione celebrari.

Eſther. IN Britannia minori beatæ ESTHER puellæ piæ memoriæ. Quæ intimis ex præcordiis Religionis Catholicæ moribus dedita, cùm ab ambobus parentibus hæreſi Caluiniſtica infectis, ad defectionem vrgeretur, ne eorum technis & impetitionibus, ad eorum impios nutus declinaret, mortem à vitæ largitore, cui puros carnis artus, & cordis affectus dedicauerat, precibus ſuis impetrauit. Ad cuius expirantis cubile Angelorum cantus auditus eſt. At nihilominus purum eius corpus à parentibus ſuis hæretico ritu in communi humo ſepultum, Chriſto ſponſa ſuæ Virguneulæ fidem vindicante, non diu pòſt, nempe die octaua Septembris, ſolemni triumpho ab Epiſcopo Maclouienſi, Cleróque ſacrum ad locum eſt tranſlatum; ibique cùm reconderetur ritu Catholico, miram fragrantiam ſpirauit.

16 *Decimo ſeptimo Kalend. Auguſti.*

MEDIOLANI Aulercorum, ſeu apud antiquum Caſtrum Ebroæ, ſub Lugdunenſi ſecunda, Natalis ſancti ÆLHERII Epiſcopi & Martyris Liſarchiis ab hæreticis occiſi, cuius præconium alio die in iſto Martyrologio deſcriptum eſt. Lemouicis ſancti IVSTINIANI Confeſſoris fidei operibus & charitatis officiis præclari. In vico Apriliaco natalis ſancti DOMNINI pueri decennalis. Qui diuinum fidei lumen adeptus, cùm nomen Chriſti adorandum numen vnicum profiteretur, iuſſu Rictiouari virgis cæſus; ſale, aceto, ſinapi in naribus & auribus tortus, cùm ad hæc rideret puer, & diceret hæc, MIHI INSTAR MELLIS SVNT: clauis candentibus viginti quatuor in manuum & pedum digitis, naribus & auribus eſt cruciatus. Cùm autem quinquaginta quatuor viros ad Chriſti fidem tum diuinis verbis, tum admirabili patientia, conuertiſſet, & ex triginta ob eam cauſam occiſis, *Maurum & Iuſtinum* reuocaſſet ad vitam; ipſe tandem vt corona emerita potiretur, capite plexus eſt. Cuius corpus ab Apriliaco à Normanis deleto primùm ad Cœnobium Nobiliaci Pictauienſis Diœceſis, deinde Anitium in Vellaunis tranſlatum eſt per Godolenum Nobiliaci Abbatem, tam pretioſi pignoris ſecuriorem cuſtodiam, & tanti Martyris honorem ampliare cupientem.

SS. ÆLHERIVS. IVSTINIANVS. DOMNINVS cum 30. ſociis.

Clarus. IN Carthuſia maiori beati CLARI XIX. ſui ordinis Generalis, ex Priore Pariſienſi. Qui iuxta omen nominis clarus in vita & morte, clarum radiis gratiæ ſpiritum, gloriæ clarificandum ſplendoribus, anno 1337. in ſui Redemptoris manus piè efflauit.

17 *Decimo ſexto Kalend. Auguſti.*

SS. VIGILIVS. FRANCISCVS. LEO.

AVTISSIODORI tranſlatio ſancti VIGILII Epiſcopi & Martyris. Eodem die Canonizatio ſancti FRANCISCI, cuius ordo fœcundiſſimus toto orbe diffuſus, in Gallia potiſſimum copioſa ſobole, & fruge multiplici doctrinæ & pietatis pullulauit. Ipſo die depoſitio ſancti LEONIS

Papæ IV. Cuius corpus Româ in Gallias tranſlatum vnà cum corporibus Sanctorum ARRESTI & THEODORI, ac aliorum Martyrum ad Eccleſiam Monaſterij ſancti Petri Condomienſis tranſlatum; ibidem adſeruari tradit Iulius Papa III. in ſuis litteris ad prædictum Monaſterium ſcriptis. ARRESTVS & THEODORVS, atque alii.

18 *Decimo quinto Kalend. Augusti.*

IN Normania natalis ſancti CLARI Martyris, cuius glorioſa facinora, iſto in Martyrologio narrantur pridie Nonas Nouembris. Ebroicis clarificatio ſancti AQVILINI Epiſcopi, qui Apoſtolicæ virtutis copia plenus, decimo nono Octobris exutâ mole carnis, cœleſtem patriam introiuit. Cuius clara geſta inter ſacra hiſtoriæ Sanctorum monimenta extant deſcripta: beata autem memoria perpetuæ venerationi conſecrata, propria feſtiuitate ſua in Eccleſia celebratur die decimo quinto Februarij. In territorio Turonenſi Sanctorum Confeſſorum VRSI & LEVBERII Abbatum Locenſium, quorum præclaras actiones inter vitas Patrum, Gregorius Turonenſis deſcripſit. Treuiris tranſlatio ſancti MATERNI Epiſcopi, à ſancto Petro hanc ad ciuitatem cum Euchario & Valerio viris beatiſſimis, qui eum in Epiſcopatu illius vrbis anteceſſerunt directi. Huius natalis agitur decima quarta Septembris. In Sequanis ſancti ANGESISI Abbatis Luxouienſis ſtudiis religionis, & actibus iuſtitiæ præclari. SS. CLARVS; AQVILINVS. VRSVS & LEVBERIVS. MATERNVS. ANSEGISVS.

HAC die piè mortem guſtauit ISAAC beatæ memoriæ Lingonenſis Epiſcopus: qui Hilduini Abbatis Dionyſiani diſcipulus, mira toto ſuo in Epiſcopatu, dixit, ſcripſit, geſſit, præconiiſque omnium ſapientum, & piorum huius ſæculi virorum laudatus, boni, & pij cognomine pro meritis honoratus, poſtquã annos viginti quinque in Epiſcopatu ſanctiſſimè exegiſſet, Cathalauni diem clauſit extremũ: Remiſque multa cum honorificentia ſepultus eſt. At inde ſtudio Algrini mediati ſucceſſoris, Diuionem relatus, in templo Benigniano quod à Paganis dirutum cum Monaſterio inſtaurauerat, nec cenſu modò fulcierat, ſed religioſis etiam inſtitutis; cum non modica ſanctitatis (cuius lumine copioſo viuens fulſerat) opinione, ſepultus eſt. Dicitur in antiquis monimentis Præſul iſte *admirandæ ſanctitatis gratiâ refulgens*, qui forma ſequentibus factus, diuinis rebus inſtantiſſimè defixus, omnia loca ſacra ſuæ diœceſis ditârit, & ornârit; non ſolùm temporalium bonorum largitione, ſed & morum perfectorum traditione, potiſſimùm verò Eccleſiam Cathedralem, & Benignianam, vbi eius depoſitio hac die celebratur; quæ 7. Kalend. huius ipſius menſis, ipſa in Cathedrali recolitur. Collegit beatus hic Epiſcopus ex ſacris Canonibus vtiliſſima quæque, inque volumen vnum dictum, CANONES D. ISAAC, digeſſit. Hoc ipſo die in Lotharingia piæ vitæ tramitem abſoluit, beatæ memoriæ ROBERTVS de Valle Monachus Benedictinus, ex Cœleſtinorum Patrum ſodalitio. *Iſaac.* *Robertus.*

19 *Decimo quarto Kalend. Augusti.*

LVGDVNI ordinatio S. RVSTICI Epiſcopi & Confeſſoris, cuius ſacra depoſitio celebratur die 25. Aprilis. Ipſo die depoſitio S. BERNVLPHI Epiſcopi Vltraiectini, qui viuum cùm eſſet Dei templum, lapides viuos plurimos in ſtructuram myſticam effotmauit, & erexit. Ædificiáque ſacra etiam nonnulla, cultor & amplificator ſedulus pietatis, conſtruxit. S. RVSTICVS. BERNVLPHVS.

Dauentriæ ſcilicet inſigne templum ſancti Lebuini,& Traiecti Baſilicam ſancti Petri,in qua exutâ carne ſepultus eſt die ſequenti,qua in iſto Martyrologio ſignatur.

20 *Decimo tertio Kalend. Auguſti.*

SS. MERA. In territorio Auſcienſi natalis ſanctæ MERÆ Virginis & Martyris, quæ pro teſtificatione diuinæ veritatis,& firmo ſanctitatis colendæ propoſito,ibidem mactata, victima Deo grata, moriendo æternæ vitæ aditum penetrauit. Colitur autem potiſſimum in territorio Lectorenſi,vbi dicatam ædem habet, & oppidulum. Cúmque paſſa ſit die 2. Martij, tamen quòd ea dies ſacræ quadrageſimæ,vt plerumque primordiis ineundis occupetur, quò vberiori celebritate fulgeat, eius feſtiuitas in hanc diem protelatur. EVSPICIVS. Apud Pariſios ſancti EVSPICII Abbatis Miciacenſis primi. CLODESINDIS, aliàs GLOSINDIS. Metis ſanctæ CLODESINDIS, aliàs GLOSINDIS Virginis,inſignis ſanctimoniæ Abbatiſſæ. Cuius materna cura Virgines plurimæ omni excultæ decore, ad cœleſtis ſponſi nuptias, cum lucidis lampadibus peruenerunt. In huius memoriam perpetuam Parthenona eſt erecta Metis, titulo eius conſecrata, in qua hodiéque Virgines ſacræ, puros Deo famulatus nitidæ mentis offerunt.

21 *Duodecimo Kalend. Auguſti.*

SS. SERENVS. IVLIOMAGI Andium ſub 4. Lugdunenſi ſancti SERENI Epiſcopi & Confeſſoris. Hic natione Italus, patria Beneuentanus, in Galliam veniens lumen gratiæ quo fulgebat diffudit; eámque in omnium bonorum exiſtimationem, ob clara Spiritus ſancti chariſmata euaſit, vt Audonino Andegauenſi Epiſcopo ſupernas ad ſedes abeunte, eidem, communi Cleri & populi deſiderio ſuffectus fuerit. Quo in munere editis perfectæ ſanctimoniæ exemplis, morte beata obdormiens, ad eum quem vnicè quæſierat Chriſtum, qui via, veritas, & vita eſt, feliciter tranſiuit. SATVRNINVS. In Dolenſi Eccleſia Epiſcopali ſit hodie feſtum ſancti SATVRNINI Epiſcopi & Confeſſoris ex ritu antiquo.

22 *Vndecimo Kalend. Auguſti.*

SS. LEVVINA. BERGÆ, ſeu montibus in Brabantia, vbi Somma in Scaldim influit, feſtiuitas ſanctæ LEVVINÆ Virginis & Martyris: cuius reliquiæ ſacroſanctæ ibi olim erant conditæ cum pretioſis exuuiis ſancti *Oſualdi Regis,& ſanctæ Idalbergæ.* SALVIANVS. Maſſiliæ ſancti SALVIANI Epiſcopi ſcriptis, & meritis glorioſi. Qui Treuiris oriundus, cœleſtis ſapientiæ irradiatus lumine, ætate ſua iubar rectæ fidei, & ſanctimoniæ perfectæ ſpeculum nitidum fuit. Cúmque adhuc eſſet Presbyter, iam MAGISTER EPISCOPORVM Verannium & Salonium Epiſcopos fratres, ſancti Eucherij Lugdunenſis filios, poſtea laude Sapientiæ Chriſtianæ inſignes in diuinis theorematibus erudiuit. Ad quem Salonium, iam ipſe Maſſilienſis Antiſtes, libros ſuos planè cœleſtes de diuina prouidentia dicatos

miſit & inſcripſit. Libros etiam quatuor ſub Timothei nomine de Ec-
cleſia concinnauit, in quibus cernere eſt quàm corruptus iam eſſet hoc
æuo Cleri, ac populi Chriſtiani ſtatus. Contra quorum vitia vir totus
zelo Dei plenus, mirum in modum excandeſcit, & Apoſtolici Spiritus
vehementiâ, acerbè inuehitur. Nec ceſſauit pius Epiſcopus arguere,
obſecrare, increpare in omni patientia & doctrina, quoúſque ſanctis la-
boribus confectus, à Paſtorum Principe ad coronam emeritam vocatus
eſt. Quem ſecutus eſt ex ſtadio benè confecto ad præmium Salonius præ-
libatus, ſanctæ memoriæ & ipſe Epiſcopus Viennenſis, dialogo elegan-
ti & erudito in Prouerbia & Eccleſiaſtem Salomonis, quem conſcripſit,
celebris. Hoc ipſo die ſancti CLAVDII MARII VICTORINI, qui il- CLAVDIVS
luſtris & Eccleſiaſticus ſcriptor, Rhetoricis facultatibus excultus, non MARIVS
minori doctrina dogmata ſacra explicauit, quàm facundia enarrauit: VICTORI-
nec minùs piis factis clarus quàm ſcriptis, abiens ad Dominum prome- NVS.
ruit, vt memoria ſua à poſteris æterna in veneratione haberetur, ſacríſ-
que etiam honoribus, quos ſanctis glorioſis Eccleſia defert, iam olim in
Maſſilienſi Diœceſi celebraretur, hoc anniuerſario natali antiquis ſacris
tabidis conſignato. In territorio Bituricenſi ſancti BALTFRIDI Mo- BALTFRI-
nachi ſancto Wandregeſillo chari, cuius ætate florens mores etiam ſan- DVS.
ctos æmulatus eſt. Veſuntione feſtiuitas ſancti HILARII Epiſcopi, à HILARIVS.
ſancto Syluestro Papa eò directi: cuius fœlix depoſitio contigit 11. Ka-
lend. Octobris.

23 *Decimo Kalend. Augusti.*

IN Sagiorum agro, qui eſt in diſtrictu Metropolis ſecundæ Lugdu- SS.
nenſis natalis Sanctorum RAVENNI & RASIPHI Martyrum, qui ger- RAVEN-
mani fratres ex minori Britannia oriundi, Chriſti Domini cùm doctri- NVS & RA-
nam ſuos Gentiles edocerent patriâ pulſi deſertum quemdam locum SIPHVS.
cui Mathiacus nomen, prope Sagiorum vrbem, ad diuinis rebus quietè
inſiſtendum petierunt: vbi dum ferinis tecti pellibus, herbarum radi-
cibus victitantes, orationibúſque & vigiliis incumbentes gratiæ lumina
ſpargerent, incolarum ad ſe concurſum excitârunt: quos Rauennus me-
dicinæ non rudis, diuino ſuperueniente auxilio corporis ægritudini-
bus ſubleuabat: ſimúlque cum Raſipho fratre cœleſti medela mentes
eorum recreabat. Donec fremente Satana Iudex loci hac fama exulcera-
tus Emiſſarios miſit, qui ſine examine ſeruos Dei imperentes Chriſti à
præconio quòd non ceſſarent, immani feritate trucidârunt. Quorum
beatorum athletarum memoria non modò vbi occubuere, clara illa vicit;
ſed etiam ad Baiocenſes dilatata eſt, vbi pretioſa eorum ſpolia patro-
cinij titulo fuerunt tranſuecta. Coloniæ tranſlatio corporum Sanctó-
rum *trium Magorum* ex Mediolano ſuſceptorum.

APVD Maſſiliam depoſitio venerabilis IOANNIS CASSIANI multorum *Ioãnes Caſ-*
Monachorum Patris, & inſignium opuſculorum auctoris, doctrinâ & ſanctimoniâ *ſianus.*
præclari. Hic apud Athenas natus Hieroſolymam ex deuotione veniens, ibi pro-
pe Domini præſepe inſtituto Monaſterio manſit, ac pòſt in Ægyptum ad mores
Sanctorum ibi latentium, ſublimémque vitæ rationem perdiſcendam profectus,

tum Conſtantinopolim ſe contulit, vbi à Ioanne magno, qui à mira facundia Chryſoſtomi tulit cognomentum, Diaconus ordinatus, ei aliquádiu hæſit: poſtea Romam petiit, demúmque ad Gallias accedens, luſtratâ Phocenſi prouinciâ, Maſſiliam ingreſſus ſedem ibi fixit; conſtructóque illic nobili Monaſterio ſub titulo ſancti Petri Apoſtoli, & beati Victoris Martyris, quinque millo monachos ſub regulari diſciplina congregauit, quorum ipſe cùm eſſet pater Presbyter ordinatus, & Spiritu ſapientiæ impletus, præclaras lucubrationes concinnauit, vt non modò Monachis ſuis vtilia præcepta præſcriberet, ſed & documento Chriſtiani populi inſeruiret. Igitur libros tres *de habitu Monachorum*, *& de Canonico orationum & pſalmorum modo*, & vnum *Inſtitutionum* conſcripſit, quorum ad *Caſtorem* Aptenſem Epiſcopum apographa miſit. quo mortuo, commentarium texuit de *origine & remedio peccatorum*, & inſignem illam collectionem aſcetis traditam, quam *Collationes Patrum* inſcripſit. Demúmque ad petitionem Leonis Romanæ Eccleſiæ Archidiaconi, (poſtea Papæ cognomento Magni) pereruditum exarauit tractatum de Incarnatione Verbi, & hoc opere expleto finem ſcribendi, viuendique fecit anno ætatis ſuæ 97. Inque Monaſterio ſuo prælibato, quod primus rexit, (nam & erexit) multis clarus virtutibus, & ſapientiâ ſepultus eſt, temporibus Theodoſij Iunioris, & Valentiniani tertij. Colitur hic pater multis in locis pleno honore ſanctitatis, & paſſim quidem in Maſſilienſi tractu, maximè autem in percelebri Monaſterio ſancti Victoris, vbi ſacris faſtis adſcriptus, hodie natalem anniuerſarium habet. Eodem die in Monaſterio Lirinenſi tranſitus piæ admodum memoriæ IACOBI dicti GASTOLII ortu Graſſenſis, profeſſione monachi Lerinenſis; qui poſt luſtratum, adoratúmque ſanctum Domini ſepulchrum, viſiſque Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli limina, poſt viſitatum inde ſancti Iacobi in Galicia Sepulchrum, intra Lerinenſe Monaſterium ſe recluſit: cúmque per multos annos ab eſu carnium abſtinuiſſet, etiam infirmus, & omni tempore quintam feriam ſolo pane & aqua contentus ieiunâſſet, atque in vita & morte non modicam ſanctitatis ſpeciem prætuliſſet; quinta etiam feria poſt abſolutum in choro cum fratribus matutinarum horarum officium, regreſſus in cellam, placida morte quieuit.

Iacobus dictus Gaſtolius.

24 *Nono Kalend. Auguſti.*

S. Segolina.

IN agro Albienſi fœlix ad ſuperna migratio ſanctæ SEGOLINÆ Virginis & Abbatiſſæ. Hæc anno ætatis 12. Giſbaldo cuidam nupta: at Dei gratia à iugo maritali, (ad Agni cœleſtis vt perueniret nuptias) maturè erepta, in loco Troglaris nuncupato, Monaſterium ſuis ex facultatibus ædificauit, adlectiſque in ſocietatem pleriſque ingenuis puellis, ſic exemplis, & documentis præluxit, vt ſub eius ductu, eam ad caſtimoniæ & pietatis perfectionem conſcenderent, quâ & Eccleſiæ augebant decorem, & ſibi aditum parabant ad ſupernam gloriam. Ad quam Segolena, quæ has ad omnem religionem efformauerat, ſpirituali fœcunda fructu caſtæ ſobolis, & ſanctæ operationis, dignanter à cœleſti ſponſo inuitata, demùm lætabunda properauit.

25 *Octauo Kalend. Auguſti.*

SS. Reticius.

AVGVSTODVNI tumulatio ſancti RETICII celeberrimæ ſanctitatis & doctrinæ Epiſcopi, qui ibidem curſum immortalitatis abſoluit die decima nona huius menſis, qua & in faſtis Eccleſiæ Catholicæ, ſacra eius memoria recolenda ſignatur, & cultus annui celebritate honoratur. Pariſiis tranſlatio corporis ſancti MARCELLI Epiſcopi &

Confeſſoris de Eccleſia vbi conditus fuerat ad Maiorem Baſilicam ſan-
ctæ Mariæ Virginis, in qua etiamnum religiosè aſſeruatur & colitur, ſi-
cut vrbis ipſius regiæ defenſor, & communis totius Diœceſis cum ſan-
cta Genouefa tutelaris. Quæ tranſlatio, etiam ſi hodie ſit peracta, atta-
men ob maiorem ſancti Iacobi Apoſtoli celebritatem, in craſtinum de
more auito differtur. Ipſo die tranſlatio ſancti GERMANI Pariſienſis GERMANVS.
quoque Epiſcopi facta ſua Pipino Rege Chriſtianiſſimo, inſtante *Lan-*
fredo Abbate Pratenſi, præmiis pleriſque diuinæ voluntatis indiciis, mul-
tiſque comitantibus & ſubſequentibus prodigiis. Apud Treuiros tranſ-
latio non corporis, ſed Cathedræ ſancti GAVGERICI, quando de- GAVGERICVS.
mortuo ſancto Magnerico Treuirenſi Metropolita de ſede Camera-
cenſi tum ſimplici diœceſana, ad Treuirorum principantem Eccleſiam,
ſuperiori iuſſu tranſcriptus eſt. Romandiſſæ autem poſtquam ſacra eſt
præfectura vndequáque ad Dei gloriam perfunctus, extremos ſpiritus
exhalauit.

26 *Septimo Kalend. Auguſti.*

DIVIONE ſolemnitas ſanctæ ANNÆ Chriſti auiæ: quæ ex voto SS. ANNA.
communi ciuium, inſtar *feſti Dominicæ reſurrectionis*, quotannis hac die
cum ſuſceptione Euchariſtiæ celebratur, ob ſedatam anno milleſimo quin-
genteſimo trigeſimo primo, per eius inuocationem exitioſæ peſtilen-
tiæ luem. Eodem die apud Durenum oppidum Diœceſis Colonienſis
ſuſceptio capitis ipſius beatæ Annæ ex Moguntia. Eodem die Colo-
niæ veneratio brachij eiuſdem beatiſſimæ. Rotomagi tranſlatio eius
Reliquiarum. Pariſiis in ſummo templo Deiparæ colitur magna reli-
gione memoria ſanctæ Annæ in propria eius capella; quam deuotione
ſua celeberrimam reddidit Anna Regina, Ludouici XIII. Chriſtianiſ-
ſimi Regis coniux piiſſima. Trecis ſancti VRSI Epiſcopi & Confeſ- VRSVS.
ſoris: cui beatus Lupus ſucceſſit. In agro Agennenſi memoria ſancti
FREDEBERTI Epiſcopi. Hac die TVRPINVS beatæ memoriæ E- FREDEBERTVS.
piſcopus Lemouicenſis multis pietatis titulis conſpicuus, Albuconi fe- TVRPINVS.
lici morte defungitur, apúdque ſanctum Valerium tumulatur.

27 *Sexto Kalend. Auguſti.*

NATALIS ſancti GALACTERII Epiſcopi de Benarno, aliàs Laſca- SS.
rienſis, & Martyris. Qui Synodo Agathenſi præſens, ſancitas ibi le- GALACTERIVS.
ges Eccleſiaſticas ſyngrapha ſua ſignauit: at officium ſanctificationis
animarum, quod multa cum ſedulitate obierat, in morte pro lege & grege
fortiter tolerata, ipſo pretioſo cruore fortiter effuſo cõſummauit. Corpus
eius omni veneratione in Cathedrali Eccleſia tandiù obſeruatum fuit,
quandiù ibi viguit tradita ab illo, & obſignata orthodoxæ fidei doctri-
na. Sed corruptâ nouiſſimè his temporibus per perfidiæ Caluinianæ
diſſeminatores populi credulitate; euerſóque ſyncero Dei cultu, exci-
dit quoque tanti Pontificis veneratio, & ex Eccleſia de domo orationis
in ſpeluncam latronum conuerſa, eiectis ſacris eius pignoribus ac dire-

ptis, memoria quoque ab incolarum notitia penè euanuit: quæ in tabulis antiquis annotata, officio etiam proprio quotannis in ſolemnitate natalis eius celebratur. Succeſſerat autem glorioſus hic athleta & Antiſtes ſancto IVLIANO eximio Confeſſori, primóque ſedis illius Epiſcopo, cuius ſubſcriptio inter Patres Arauſicani Concilij conſpicua eſt. Nomen cuius officio quoque Eccleſiaſtico ab ipſa Laſcarienſi Eccleſia ſacris annuis dudum excultum fuit. Memoria autem viget in Eccleſia ipſi illic dicata in ſuburbiis hodiéque inſignis.

IVLIANVS.

Guigo.

IN Carthuſia maiori depoſitio Patris GVIGONIS ordinis illius V. Generalis, qui ſancto Bernardo coæuus & Petro Venerabili, iiſdem & charus ob ſanctitatis & Sapientiæ patentem excellentiam, ipſorum & epiſtolis, & laudibus admodum celebratus eſt. Idem ſancti Hugonis Gratianopolitani Epiſcopi vitam nitido à ſe ſtylo deſcriptam, Innocentio II. Pontifici maximo dedicauit; diuináque eiuſdem ſic præconia enarrauit, vt decora in ſe transfuderit imitatione tam ſyncera, quàm ſtudioſa. Hic pius Pater tota cogitatione circa diuina verſabatur. Cuius meditationes ſuperſunt Patrum opuſculis inſertæ, quæ eximiam eius ſpirant deuotionem, & mentem ſatis indicant ſuperno lumine illuſtratam.

28 *Quinto Kalend. Auguſti.*

S. CAMELIANVS.

AVGVSTÆ Trecarum feſtiuitas ſancti CAMELIANI Epiſcopi, qui ſancto Lupo ſucceſſit, tam dignitate ſedis quàm merito ſanctitatis. At poſtquam ad Dei beneplacitum, Eccleſiam illam multis annis adminiſtraſſet, Concilio Aurelianenſi, quod ſub Clodoueo magno habitum eſt, interfuiſſet; multarum animarum quas Chriſto genuit parens feliciſſimus, ſpirantem conſpectus Domini animam in cœlum tranſmiſit, vndecimo Kalend. Aprilis. Ex quo die Feriis quadrageſimæ obnoxio, (in quibus nec natales Martyrum antiqua Eccleſia politia permittebat celebrare) in hunc colenda eius depoſitio differtur; quæ ibidem hoc ipſo die ſolemnis perſeuerat, potiſſimum in Eccleſia maiore, vbi eius reliquiæ congrua reuerentia conditæ aſſeruantur.

29 *Quarto Kalend. Auguſti.*

SS. MARCELLA.

AQVIS Sextiis ſanctæ MARCELLÆ ancillæ beatæ Marthæ Virginis: quam è Palæſtina in Gallias ſecuta, tandiu fideli obſequio iuuit, quoúſque illa beata Taraſci defuncta eſt. Tum enim eùm fortè in patriam Marcella remearet; in Illyrico diuina vocatio anticipata, felici efflatu ſpiritum remiſit ad Dominum. At hinc eius corpus in Gallias relatum, Aquis ſextiis, pone tumulum ſancti Maximini, cuius diſcipula fuerat, omni cum honore collocatum, memoriam eiuſdem ibidem reddidit perpetuo cultu conſpicuam. Eodem die apud Dolum in Armorica depoſitio ſancti GENEVÆI illius Eccleſiæ Epiſcopi, illic & memoria ſanctitatis, & cultu nominis, certíque natalis conſignatione illuſtris.

GENAVÆVS.

HAC die mortali è ſtadio exceſſit Romæ piiſſimæ memoriæ ALINARDVS ex Abbate Benigniano Diuionenſi, Lugdunenſis Archiepiſcopus. Qui vit Apoſtolicæ

ſtolicæ virtutis, eouſque tenax fuit auctoritatis Eccleſiaſticæ, & ſacerdotis eminentiæ, vt cùm ab Hugone Archiepiſcopo Veſuntionenſi ordinaretur, præſente Henrico Imperarore (cuius tum Lugduno potentis, vt eligeretur, opera nonnihil interceſſerat) voluerit iurare: tum quòd oblarum Epiſcopo iuramentum mos Maiorum non tulerat, tum quòd ſæculari Principi non deceat Sacerdorem abſolutè ſpondere ligiam fidelitatem. Homagium denique nefas ſit penitus de ſpiritualibus Regi facere. Obiit autem poſt annum Pontificatus ſeptimum, in ſancti Gregorij Monaſterio, quod olim ipſe Gregorius nondum Pontifex in paterno fundo ad cliuum Scauri ſancto Andreæ Apoſtolo dicauerat. Sepultus autem fuit à nobilibus Romanis, arcu tumbæ impoſito, ad læuam partem Baſilicæ ſancti Pauli viâ Oſtienſi.

31 *Pridie Kalend. Auguſti.*

METIS depoſitio ſancti ANSOLINI, aliàs GOSELINI Epiſcopi & Confeſſoris, qui ſancto Agatimbro meritis ſuppar ſucceſſit, annóſque octodecim omni laude Epiſcopali florens, hanc Eccleſiam direxit, Domini lucra non commoda quærens. vnde fideli villicatione exactâ, ſeruus fidelis in gaudium Domini ſui admiſſus, talenta gratiæ, quæ ſedula opera multiplicauerat, ipſi Domino retulit, & hinc adaucto munere, diuitiis nunquam perituris, in cœleſti regno, pro meritis locupletatus eſt. SS. ANSOLINVS, aliàs GOSELINVS.

AVGVSTVS.

Kalendis Auguſti.

IN Campania Natalis ſanctæ HELENÆ matronæ & martyris. Viennæ ſancti NECTARII Epiſcopi: Qui ſancto Hilario Pictauienſi coætaneus, attritæ Gallicanæ Eccleſiæ preſſuris, magno ſolatio fuit. Fortitudine enim fidei, Arianos Chriſti hoſtes, & piorum perſecutores, ſtrenuè oppugnauit & repreſſit: tuendæque Chriſti hæreditatis cauſa, Vaſarenſe Concilium, cui præfuit, conſcio Iulio Papâ, collegit, latiſque ibi legibus factis præcipuum robur indidit; deinde confectus ſanctis laboribus, æternam abiit ad requiem. Apud Nannetes in Armorica Sanctorum Confeſſorum SECVNDELLI & FRIARDI recluſi: cuius decora pangit Gregorius Turonenſis. Porro Secundelli ſanctitas commendatur in eiuſdem Friardi actis. Gandaui tranſlatio ſancti BAVONIS Confeſſoris, facta anno milleſimo decimo, cum magno miraculorum ſplendore. In agro Tarbienſi ſancti SEVERI Abbatis in Monaſterio de Ruſtagno, cuius Patronus eſt, hodie ex beati tranſitus cultu annuo celebris. SS. HELENA, NECTARIVS. SECVNDELLVS & FRIARDVS. BAVO. SEVERVS.

2 *Quarto Nonas Auguſti.*

BLANDERATI pago agri Nouarienſis in Diœceſi Vercellenſi, ſancti SERENI Epiſcopi Maſſilienſis, ad quem ſanctus Gregorius Magnus non ſemel reſcripſit: cuius monitis ille obſecundans, quædam quæ im- SS. SERENVS.

prouidè admiſerat correxit; totúſque ad amorem Dei & gregis commiſſi curam conuerſus, emeruit, vt poſt pia funera diuinæ gloriæ inſignijs clarificaretur: quæ effecerunt vt corpus eius tam diuinorum mirabilium inſtrumenrum, ambitioſo quaſi æſtu à populis pro præſidij pignore expeteretur; tandémque ad Eccleſiam parœcialem dicti pagi, ad culrum & munimentum deportaretur, vbi etiamnum honoratur ſicut loci proprius defenſor, quin & potens totius agri Nouarienſis opitulator. (Avspicivs.) Aptæ Iuliæ in Prouincia Phocenſi ſancti Avspicii primi illius ſedis Epiſcopi & Martyris. Qui furente M. Aurelio Imperatore aduerſus Chriſtianæ Religionis cultores, at potiſſimum contra Paſtores, intrepidè tamen fidei myſterium prouexit, illícque (cùm circumquaq. aperta eſſet tam cruenta carnificina) caulam Dominicam collegit, ſpeculam fixit, paſtoris ſtrenui peruigilíſque munia ſubiit omnia, & expleuit. Nec ceſſauit ab animarum lucris, quouſque à lupis truculentis circumſeptus, in odium tam fidelis & ſtrenuæ gregis Chriſti cuſtodiæ, ab iis dilaceratus feliciter expirauit, purpuratóque triumpho, quem ex agone hoc extremo reuexit, aulam ſuperni Regis ingreſſus, perennis gloriæ percepit emeritam coronam. (Stephanvs.) Coloniæ in ſancti Cuniberti ſacrario, veneratio pretioſi capitis S. Stephani Papæ & Martyris, hâc die poſt peracta diuinæ Synaxis myſteria, in cathedra ſua Romæ pro Chriſti fide & gregis tutela, obtruncati. (Petrvs Oxomenſis.) In Hiſpania natalis ſancti Petri Oxomenſis Epiſcopi, ordinis Cluniacenſis, qui ob fulgentia gratiæ lumina à ſancto Bernardo Archiepiſcopo Toletano, ortu Aquitano, in Hiſpaniam euocatus, commiſſum ſibi populum verbo pauit & exemplo; multiplicatóque ex ouium ſalute, Domini fœnore, æternum introiuit in gaudium.

3 *Tertio Nonas Augusti.*

(SS. Ivstvs. Eonivs.) Viennæ repoſitio ſancti Ivsti Epiſcopi & Martyris, cuius natalis colitur die 6. Maij: Arelate feſtiuitas ſancti Eonii, cuius mors beata incidit colenda in diem 16. huius menſis.

4 *Pridie Nonas Augusti.*

(SS. Tertvllinvs.) Anicii veneratio oſſium ſancti Tertvllini Preſbyteri & Martyris, hodie Romæ paſſi ſub Valeriano: quæ in celebri Eccleſia ſanctæ Mariæ, duabus in capſulis condita, ad maius altare, magna reuerentia conſeruantur. (Peregrinvs, Machoratvs & Viventianvs.) Eodem die paſſio Sanctorum Monachorum, & Martyrum Peregrini, Machorati & Viventiani Hiſpanorum, qui pro defenſione ſororis ſuæ *Flaminea* Virginis Chriſto ſacratæ, ab eius raptore in Gallia cæſi ſunt, tempore Clodouæi Francorum Regis. (Epiphanivs & Isidorvs.) Veſuntione ſuſceptio corporum Beatorum Epiphanii & Isidori Martyrum, quæ dudum à Theodoſio Iuniore, cum nonnullis oſſibus Sanctorum Innocentium, eam ad Vrbem miſſa, & ibi ſeruata, tandem ad vberiorem honorificentiam *Vitalis* Epiſcopus, in capſa argentea collocauit.

5 *Nonis Augusti.*

APVD Corbolium in Præſulatu Pariſienſi veneratio ſacrorum pignorum ſancti IONII Preſbyteri & Martyris commilitonis ſancti Dionyſij. Cuius hodie natalis eſt ſacris in faſtis celebris apud Pagum Caſtrolium, vbi paſſus eſt ipſa in diœceſi Pariſienſi. Eodem die in ſaltibus Pyrenæis in valle Leuitaniæ prope Tarbam, tranſlatio corporis ſancti SABINI, à rupe de Poieſpè in qua obiit, ad Monaſterium quod ab eius nomine nuncupatur. Valentiæ Segalaunorum ad ripam Rodani ſiniſtram, ſub Metropoli Viennenſi, Dedicatio maioris Eccleſiæ quæ dudum ſancto Stephano Protomartyri ſacra; demum ſub ſancti Apollinaris patrocinio cenſeri cœpit. Quam cùm hæretici è Caluini ſecta, non ita diu euertiſſent, Epiſcopi & ciuium pietas denuo inſtaurauit. Cameraci depoſitio ſancti IOANNIS Epiſcopi & Confeſſoris, qui Concilio Trecenſi à Ioanne VIII. Papa habiti, & Pontigonenſi interfuit: noménque ob merita patentia ſanctitatis, poſteris reliquit venerandum.

SS. IONIVS. SABINVS. IOANNES.

6 *Octauo Idus Augusti.*

TRANSFIGVRATIO DOMINI IESV CHRISTI, quam præcipua veneratione Aquenſis maior Eccleſia in Prouincia, ſingulari titulo celebrat. Cui recolendo myſterio etiam ſacrata ſunt ſub *Sancti Saluatoris* nuncupatione plurima in Gallia Monaſteria: & Lutetiæ Pariſiorum Eccleſia Parœcialis via Regali ſancti Dionyſij condita. Ipſo die natalis Sanctorum Martyrum IVSTI & PASTORIS fratrum; qui Compluti in Hiſpania, apertâ perſecutione, cùm adhuc pueri literis imbuerentur, proiectis in ſchola tabulis, ſponte ad martyrium occurrerunt. Et moxà Daciano Præſide teneri iuſſi, & fuſtibus cædi, cùm ſe mutuis cohortationibus conſtantiſſimè roborarent, extra ciuitatem ducti à carnifice iugulati ſunt, quorum deinde corpora, à ſancto Vrbico Monacho feliciter à Maurorum Hiſpaniam occupantium rabie vindicata, primùm in Galliam aduecta, deinde in Hiſpaniam relata, & apud Oſcam condita ſunt; parte tamen in Gallia in vicem hoſpitalitatis relictâ. Horum igitur illuſtrium Chriſti Martyrum exuuiis, & titulis Eccleſia Narbonenſis maior in hunc vſque diem glorificata coruſcat, in qua etiam colitur quotannis vndecimo Kalend. Martij ſecunda illorum Martyrum tranſlatio, anno ſalutis 1335. ſolemniter peracta, quando procedente toto Clero, & aſſiſtente vniuerſo populo, Narbonenſi, de veteri Eccleſia ad nouam Metropolitanam Baſilicam delata; in eáque vbi hactenus ſeruantur digniſſimè repoſita ſunt. Fuit autem ſanctus VRBICVS, qui ea ſacra buſta primùm in Galliam tranſuexit, ortu Burdegalenſis, profeſſione Monachus, deinde & Eremita: cuius in Hiſpania adhuc in honore memoria perſeuerat. Nam in Valle Nocica Diœceſis Oſcenſis feſtum habet 15. Decembris. Colitur etiam in Gallia, maximè verò in diœceſi ſancti Pontij Tomeriarum, at die decima ſexta eiuſdem menſis. Slesbuſrodæ apud Coloniam, ſancti GEZELENI Monachi

SS. CHRISTVS SALVATOR transfiguratus. IVSTVS & PASTOR. VRBICVS. GEZELENVS.

ordinis Ciſtercienſis. Cuius vitam admirabilem Aichardus Monachus diſcipulus ſancti Bernardi deſcripſit.

7 *Septimo Idus Auguſti.*

SS. SIGEBERTVS. NATALIS ſancti SIGEBERTI Regis & Martyris, qui in Anglia regiis parentibus at Ethnicis natus, & turbato regno deinde pulſus, exul in Gallia cùm eſſet, Chriſti fidem amplexatus eſt, fratríque ſuo Eorconualdo in Orientalium Anglorum regno tandem ſuccedens, illud Chriſtiana fide imbui curauit à ſancto *Felice* Epiſcopo natione Burgundo. Demum abdicatis regni curis in Monaſterio ſe recipiens, ab eo iterum exire coactus, à Penda Merciorum Rege occiſus eſt. Sícque ex regno terreno, quod Chriſti amore contempſerat, ad cœleſte & æternum purpu-

DONATVS. reo aſcenſu peruenit. Veſuntione ſancti DONATI Epiſcopi illius Metropolicæ Sedis; qui ſancti Columbani ſuſceptitius ſacro è fonte filius, virtutum meritis pollens, poſt ſancti Claudij tranſitum, hanc ad cathedram ſublimatus, magna ſuſceptæ diuinitus gratiæ lumina prodidit, decorum domus Dei ſanctiſſimè curauit, animarum zelo ardentiſſimè flagrauit, caſtitatis amator Sirudem ſororem ad virginitatis perennem cultum animauit. In cuius gratiam cœnobium Iuſſanum beatæ Mariæ dicatum, conſtruxit, vbi eandem ſororem ſuam præfecit Abbatiſſam; propriámque matrem Flauiam, quæ nugatum ſæculi pertæſa, ſeſe cum filia, ad ſoli Deo ſeruiendum dicto Monaſterio incluſerat, ibidem piè defunctam ſepeliuit, vbi etiam ipſa Sirudis virgo ſanctiſſima, digniſſimè Abbatiſſæ perſuncta officio, condita fuit. Cùm autem vir ſanctus etiam Remenſi Concilio ſub Sonantio, ac Cabilonenſi III. interfuiſſet, cumulatus iuſtitiæ copioſa fruge, ad optatam perrexit ſeruatoris viſionem. Ibi-

MEGETIVS. dem ſancti MEGETII Epiſcopi; qui ſancti Donati diſcipulus, ipſi in præfectura ſucceſſit, ſanctíſque operibus lucens, vitam beato fine concluſit, & ad ſanctum Paulum humatus ſicut gemma ſplendida, hinc copioſos fulgores emiſit: quibus gloriâ eius patefactâ, religioſæ venera-

CELSVS. tionis obſequia adeptus eſt. Apud Lemouicos ſancti CELSI Confeſſoris, cuius caput à Domino, ſignis pleriſque clarificatum, in æde Cathedratica ſancti Stephani habetur, populóque ſumma cum veneratione hodie oſtenditur.

8 *Sexto Idus Auguſti.*

SS. LEOBALDVS. AGAPA. TERNATIVS, GERVASIVS & GEDEON. IN territorio Trecenſi Natalis ſancti LEOBALDI Martyris. Treuiris Natalis ſanctæ AGAPÆ Virginis & Martyris ſub Maximiano laureatæ. Veſuntione Sanctorum Epiſcoporum TERNATII, GERVASIIque eius fratris, ac ſucceſſoris, necnon S. GEDEONIS, re & cognomine mitiſſimi, qui B. Bernonem primum Abbatem Cluniacenſem ordinauit.

9 *Quinto Idus Auguſti.*

S. MAXIMVS. LEMOVICIS natalis S. MAXIMI Martyris, antiquo ex cultu emeritæ coronæ, magis quàm vitæ, vel mortis hiſtoria conſpicui.

10 *Quarto Idus Auguſti.*

IN Eccleſia ſanctæ Mariæ Podienſi veneratio vnius brachij ſancti LAVRENTII Martyris, ibi omni cum honore collocati. Huius glorioſi Martyris, alias reliquias Geldricus XLIV. Epiſcopus Autiſſiodorenſis à Ioanne Papa impetrauit, acceptáſque digno apparatu repoſuit. Seruatur in Lezatenſi Monaſterio diœceſis Riuenſis in Vaſconia, viſitúrque vncia vnius digiti ipſius ſancti Laurentij, quæ apparet vſtulata. Mandibula eiuſdem Martyris habetur Coloniæ apud Carmelitas & vertebra vna ſpinæ apud Ioannitas, & Scabulæ ad ſanctum Andream extant ibidem reconditæ. S. LAVRENTIVS.

11 *Tertio Idus Auguſti.*

ARELATÆ ſanctæ RVSTICVLÆ Virginis. S. RVSTICVLA.

12 *Pridie Idus Auguſti.*

REATE depoſitio ſancti BALDVINI Abbatis ordinis Ciſtercienſis, ſancti Bernardi diſcipuli, qui ad eum ſcripſit. S. BALDVINVS.

13 *Idibus Auguſti.*

IN Friſia Francis pridem ſubiecta, Natalis ſancti WIGBERTI Preſbyteri & Martyris. Qui ſancti Villibroldi Epiſcopi auxiliarius, Foſſelandiæ cùm opus Euangeliſtæ impleret, ab infidelibus cæſus, glorioſo martyrio occubuit. In Pictauienſi diſtrictu, ſancti AVREMVNDI Abbatis: quem ſanctus Iunianus tempore inædiæ auro redemit, in fide inſtituit, baptizauit, boníſque in litteris & Chriſtiana philoſophia egregiè erudiuit, demúmque in Monaſterij ſui regimine ſucceſſorem habere promeruit. Toloſæ veneratio capitum glorioſorum Chriſti Martyrum HIPPOLYTI & CASSIANI. Seruatur autem Coloniæ corpus ſancti Hippolyti ad ſanctam Vrſulam conditum. At non certè illius Hippolyti, qui Romæ à ſancto Laurentio baptiſatus, hodie Valeriani iuſſu, indomitis equis direptus eſt. Huius enim ſacratiſſimum corpus Roma aduectum; in proprio ſacello, magno in templo ſancti Dionyſij in Francia, ante annos 750. collocatum quieſcit. Cuius cùm Alexander III. Papa in Gallia exiſtens, háncque Baſilicam viſitans, germanitatem in dubium reuocaret, aſſertæ tranſlationi eiuſdem corporis è Roma in Franciam factæ non acquieſcens, diuino prodigio compulſus eſt. Impreſentiarum veritatem agnoſcere, & Martyrem ſibi iratum, humili ſupplicatione placare. Cùm enim ſacellum Martyris ingreſſus percunctatus eſſet, quis beatus eſſet in loculo hic petito reconditus, auditóque exuuias hîc incluſas eſſe ſancti Hippolyti Martyris, continuò inficiatus eſt vnquam ex agro Verano eas fuiſſe eductas. At repentinâ oſſium Martyris in capſula colliſione, & fragore exterritus, vbi ſe de ve- SS. VVIGBERTVS. AVREMVNDVS. HIPPOLYTVS & CASSIANVS.

ritate præſentiæ ipſius Martyris diuinirus admonitum inrellexiſſet, tum ſemel & irerum exclamauit, CREDO DOMINE HIPPOLYTE, CREDO, IAM QVIESCE. Túmque ceſſauir Martyris commotio: cuius ſæpè porenrem opirularionem Francia in neceſſitaribus experta, vr verам ibi eius exiſtentiam hactenus mulrifariàm profeſſa eſt, ſic & omni honore ſacram proſecura eſt memoriam, quæ & Pariſiis in ſuburbiis ſancti Marcelli parœcialem Eccleſiam ſub rirulo eiuſdem inclyri Martyris excitauit. Igitur alrerius Hippolyri corpus Coloniæ conditum eſſe neceſſe eſt. Fuerunt enim alij huius nominis, etiam tirulo Martyrij conſpicui: nempe Hippolytus Epiſcopus & Marryr, qui cum ſociis ſub Claudio Principe in mare mnerſus fuit 4. Kalendas Februarij. Hippolytus iridem Marryr, qui apud Placentiam in Æmilia, ſæuiente Antonino agonem ſuum expleuir die conſequenti. Hippolytus qui Anriochiæ pro fide congreſſus, coronatus eſt 5. Kalendas Februarij. Hippolytus Preſbyter & Martyr, qui apud Abellinum in Samnio cum Sabino & Romulo, exrremam pro pietate pugnam fortiter iniit, & feliciter peregir ſub Diocleriano. Aliſque hoc nomine illuſtres Chriſtiani bellarores, quorum alicuius ſacra pignora oporret aliqua occaſione ſuo è nariuo ſolo, Coloniam (ditiſſimam eiuſmodi prerioſis monilibus vrbem) rranſlara fuiſſe; ínque ſignara ſanctæ Vrſulæ Baſilica, in hunc vſque diem religiosè ſeruari.

14 *Decimo nono Kalend. Septembris.*

S. VVERENFREDVS. ELSTÆ in Geldria ſancti WERENFREDI Preſbyreri, diuinæ gratiæ cooperarij inſignis: qui ſancto Willebrordo aſſociarus in negotio pietatis, animarum multarum lucra cumulauit. Sícque onuſtus præda pretioſa, à Domino in gloriam ſuſceptus eſt. Quieſcir honorificè vir ſanctus in collegiato ſui nominis remplo apud pagum prænotatum, qui ad Rhenum inter Nouiomagum & Arenacum ſirus eſt.

15 *Decimo octauo Kalend. Septembris.*

S. BALSEMIVS. REMIS ſancti BALSEMII Confeſſoris ibi in monre recluſi: póſtque vitæ Angelicæ exactum in terra decurſum, gloria & honore in cœlis à Domino, cui fideliter ſeruierat, coronari.

16 *Decimo ſeptimo Kalend. Septembris.*

SS. EZELINVS. IN Vaſconia depoſitio ſancti EZELINI Epiſcopi Sutricenſis; cuius corpus in Monaſterio ſancti Orientij de Regula prope Tarbam re-
ARIGIVS. quieſcit. Deſizæ ad Ligerim in agro Niuernenſi Natalis ſancti ARIGII Epiſcopi fratris ſancti Auſtregiſili Bituricenſis Antiſtitis, qui generis ſplendorem, Chriſti ſeruitutis ingenuæ nobilitate & pietare religionis & iuſtitiæ cultu tranſcendens, poſtquam Niuernenſes adhuc idola colentes ad fidem Chriſti, multo cum labore pertraxiſſet; explero vndique credito paſtorali munere, ad gloriam cœleſtem euolaùit. Ad quem ſæ-

piùs ſanctus Gregorius Papa literas dirigit: eúmque vt Apoſtolicis inſtruit monitis, ſic collaudat præconiis. Apud Aruernos ſancti FRAMBALDI Eremitæ, ſub Childebetto I. Rege diuinæ gratiæ muneribus ptæclati. FRAMBALDVS.

18 *Decimo quinto Kalend. Septembris.*

AMBIANIS ordinatio ſancti FIRMINI Epiſcopi & Confeſſoris, cuius beatus in cœlum ttanſitus recolitur die trigeſimo huius menſis. S. FIRMINVS.

19 *Decimo quarto Kalend. Septembris.*

APVD montem Verdunum in Foreſio ptope Lugdunum paſſio ſancti PORCARII Abbatis Lernienſis, & ſociorum, quorum natalis celebratur apud Lerinum die duodecima huius menſis. Eodem die in agro Tuletenſi ptope Lemouicas ſancti CALMINI Confeſſoris in Aquinarum Eccleſia (vulgò *la Gaine*) quieſcentis. SS. PORCARIVS & ſocij. CALMINVS.

VIENNÆ glorioſus ad Chriſtum tranſitus beati BVRCHARDI Epiſcopi, ibidem apud ſanctum Pettum vbi iacet, miraculis coruſcantis. *Burchardus.*

20 *Decimo tertio Kalend. Septembris.*

AQVIS in Prouincia Phocenſi Natalis ſancti CHELIDONII Epiſcopi, quem Cæcigenum illum fuiſſe tradunt, quem Chriſtus illuminauit. In agto Caturcenſi S. AMATORIS Confeſſoris. Qui ex diſcipulo ſancti Martialis, Doctor Euangelicus factus, Caturcenſes in fide vberiùs edocuit, ſanctitatéque clarus, obdormiuit in Domino. Huius cotpus poſt mortem mita integritate reſſulſit, quod ſubiectum ignibus à Caluiniſtis abſumi Deo volente non potuit. SS. CHELIDONIVS. AMATOR.

APVD Caſtrum Gorniacum in Diœceſi Pariſienſi paſſio beati THOMÆ Prioris Cœnobij ſancti Victoris, *in obſequio charitatis* (vt refert ad Innocentium Papam ex perſona Srephani Pariſienſis Epiſcopi ſanctus Bernardus) *in itinere pietatis, in opere ſancto, in Sanctorum comitatu, in Dominico die, in ſinu ipſius Epiſcopi, intérque eiuſdem manus* ab impiis crudeliter excerebrati. Cuius mortem ſanctus ipſe Bernardus ſeribens ad præfatum Papam, proprio nomine, tragicis vocibus, & multis gemitibus deplorauit; *beatum virum, zelo feruentem, iuſtitiæ amatorem & defenſorem, Sanctum Domini, planéque Martyrem* eundem vocitans. Potto ſanctus Hugo Gratianopolitanus ſetibens ad Epiſcopos in Synodo apud Iottum pro vltione tam nefariæ necis congregatos, tanta commendatione attollit, vt ex eotum cenſeat numero, *quorum mors pretioſa eſt in conſpectu Domini;* quíque *lotis in ſanguine agni ſtolis ſuis*, ad cœleſtia demigrârunt. Huius beati viri corpus ad Cœnobium ſancti Victoris prouidentiâ prædicti Stephani Epiſcopi Pariſienſis; delatum fratres in clauſtro, ob ſignum humiliratis, quam vir Dei impensè coluerat, ſepelierunt. At Innocentius Papa anredictus, cùm ob Anacleti Antipapæ ſæuitiam, fugiſſet in Galliam, & ſub initium anni milleſimi centeſimi trigeſimi ptimi Lutetiam ingreſſus, vidiſſet in clauſtro tanti viri ſepulturam; ratus locum dignitati locati non reſpondere, iuſſit efferri corpus intus Baſilicam ad dexteram ſummi altaris, & ptope ſacellũ tum memoria Crucis Chriſti inſignitum reponi, VII. Idus Martij: quo die notata fuit tranſlatio ipſa in tabulis eiuſdem Eccleſiæ, eo ſub tenore. *Commemoratio Domini Thomæ Prioris huius Eccleſiæ, quando corpus eius, præcepto Domini Papæ Innocentij, de clauſtro tranſlatum, & in Eccleſia ſepultum eſt.* Videtur *Thomas.*

nunc vſque ſeruata à *fratribus* eius effigies capillis rufis; quorum portio reſecta fuit à fratribus, & inter Sanctorum reliquias compoſita; etiamnum florens, omniſque expers cariei. AVRELIIS truculentus etiam occubitus ARCHEMBALDI Subdecani pietatis & iuſtitiæ itidem zelatoris, harúmque odio ab iniquis perfidè & crudeliter interempti: cuius etiam mortem ſanctus Bernardus amarè defleuit, próque iuſta homicidarum punitione prælibati Papæ iuſtitiam interpellauit. Cæterùm patet tam ex ſancti Bernardi, quàm ſancti Hugonis prætaxatis epiſtolis, *multos viros ſacros & iuſtos* vno eodémque impetu fuiſſe ab iniuſtitiæ & perfidiæ aſſeclis, variis in Franciæ locis interfectos. Nam, *Ecce* (ſcribebat ad ſignatum Pontificem ſanctus Bernardus) *Proh dolor! iuxta Prophetam, ſanguis ſanguinem tangit, & ſimul iuncti clamant ad vos de Francia.* Et ſanctus Hugo ad Epiſcopos apud Iotrum conſidentes. *Etſi* (ait) *beati Thomæ & cæterorum, qui recenter lotis in ſanguine agni ſtolis ad cœleſtia demigrârunt, in conſpectu Domini mors pretioſa mundana vltione non egeat, tamen ne Eccleſia Dei (ſine qua nec publica res ſalua fiunt, nec priuata) vtilitate careat diſciplinæ, rogamus & obſecramus quatenus armatura fidei protecti, & rectitudinis zelo ſuccenſi, & Sanctorum Moſis, Phinees, & Mathatiæ, Beatorum quoque Apoſtolorum Petri & Pauli aduerſus Symonem, Ananiam, & Barjeſu, piè deſæuientium; maximéque ipſius Domini venditores de templo cadendo proturbantis, exemplis animati, in ſacrilegos homicidas, Eccleſiaſtici rigoris intrepidè gladium producatis*, &c.

Archembaldus.

Alij plerique anonymi Clerici, ob zelum iuſtitiæ & religionis impiè trucidati.

21 *Duodecimo Kalend. Septembris.*

SS. LEONTIVS. BVRDIGALÆ ſancti LEONTII Metropolis illius Epiſcopi & Confeſſoris cognomento Senioris, qui nobiliſſimo genere in Aquitania natus temporibus Arcadij Imperatoris, & filiorum eius, militari in exercitu claruit: at ſedatis Hiſpaniarum tumultibus, ad vitæ magis Deo hærentis, ſtudia conuerſus, obeunte extremum diem ſancto Amando Burdegalenſi Antiſtite, coruſcus iam virtutum multarum ſplendoribus, hanc ad ſedem (renitens quantumuis) euectus eſt. Quo officio perfecto cum decore functus, aucto multis incrementis grege Dominico, placida morte in Chriſto qui vera eſt vita, obdormiuit in territorio Ruthenenſi.

IVLIANVS. Ipſo die in Vaſconia ſancti IVLIANI Epiſcopi, quem nonnulli cenſent eum eſſe, qui primus præfuit Hierarcha Eccleſiæ Leſcarenſi in Bearnia Prouincia.

VEREDEMVS. In pago Vzetico ſancti VEREDEMI Confeſſoris, qui è Græcia in Gallias tranſiens, eremitica vita clarus effulſit, in qua pleniùs ſanctum Ægidium inſtituit.

FLORVS. Andegauis beati FLORI Vicecomitis & Monachi.

22 *Vndecimo Kalend. Septembris.*

S. ARNVLPHVS. TRANSLATIO ſancti ARNVLPHI Epiſcopi, cuius corpus è Gallia tradunt in Angliam delatum, & apud Bedfortiam fuiſſe depoſitum.

23 *Decimo Kalend. Septembris.*

SS. SPERIVS. METIS ſancti SPERII Epiſcopi eiuſdem ciuitatis, cui annis 17. ſanctiſſimè præfuit.

FRANBALDVS. Cenomanis ſancti FRANBALDI Abbatis, cuius geſta glorioſa extant præclaris monimentis conſignata.

24 *Nono Kalend. Septembris.*

SS. BERTOLDVS. NEPTADIVS.

TVLLI Leucorum ſancti BERTOLDI Epiſcopi, viri eximiæ puritatis, & mirabilis honeſtatis, qui Eccleſiam ſuam multis cum virtutum luminibus, tum ſpecioſis columinibus Clericorum inſignium decorauit; moriénſque immortale decus gloriæ, largiente Domino, cuius in omnibus honorem quæſiuit, adeptus eſt. Cemiduni Burgundiæ pago in Æduis ſancti NEPTADII Preſbyteri, & Monachi religioſiſſimi, qui ibi in Cœnobio omni virtute floruit, excuſſóque mortalitatis puluere, inter lilia cœleſtia, quorum decore & odore ſponſus oblectatur, caſtam emittendo animam feliciter ſuſceptus eſt. Auguſtæ Prætoriæ quæ eſt ſub Tarentaſienſi Metropoli, Dedicatio Eccleſiæ maioris.

25 *Octauo Kalend. Septembris.*

SS. MARTIANVS. SEVERVS. ROMADVS.

APTÆ Iuliæ Vulgienſium ſancti MARTIANI Abbatis: cuius corpus beatæ animæ priſcum domicilium, & futuræ ſemen incorruptionis & gloriæ, ibidem ſancta obſeruatione habetur. Agathopoli in Gallia Narbonenſi ſancti SEVERI itidem Abbatis, trecentorum ſexaginta Monachorum Patris, miraculis & ſanctitate celebris. Eodem die depoſitio ſancti ROMADI Confeſſoris, in Dolenſi Cœnobio Bituricenſis diœceſis honorati. Iſto die facta eſt prima dedicatio Eccleſiæ Laubienſis in territorio Cametacenſi.

Ioannes Baſſandus. Lambertus.

MIGRAVIT hoc ipſo die feliciter ad Chriſtum beatæ memoriæ IOANNES BASSANDVS, origine Burgundus, aſceta ſanctiſſimus ordinis Cœleſtinorum, cuius acta præclara Manuſcripto in Codice de vitis Patrum huius Ordinis deſcripta in Conuentu Pariſienſi ſeruantur, edita verò compendioſè iam habentur in nouo Martyrologio Monaſtico. Ex quibus elicitur quemadmodum abdicatâ ſicut alter Abraham patriâ, ex Canonio Regulari, ordinem prædictum Cœleſtinorum diſtrictioris vitæ cupidiſſimus, Pariſiis profeſſus fuerit: & plenus ſanctitatis meritis Aquilæ in Italia piiſſimè in Chriſto obdormierit, anno aſſumptæ Religionis quinquageſimo quinto, ibíque ſepultus in Colliſmadij Monaſterio, ſignis pleriſque refulſerit emeritæ glorificationis. Ipſo die depoſitio venerabilis LAMBERTI piiſſimæ memoriæ Epiſcopi Lingonenſis, ſcientia, religione, & bonitate ſuo ſæculo præclari. Cui mole carnis grauato, Robertus Rex Chriſtianiſſimus ob reuerentiam ſanctitatis, in conſeſſu Epiſcoporum ſuppedaneum memorabili omne in æuum Regiæ pietatis exemplo miniſtrauit.

26 *Septimo Kalend. Septembris.*

S. EVLALIVS.

NIVERNIS ſancti EVLALII Epiſcopi, qui quartus ordine ſedis, cum magno ſplendore virtutis, eam Eccleſiam gubernauit. Iámque ad Chriſtum proficiſcebatur, cùm ſanctus Seuerinus Abbas illuc tranſiens, vicinum iam morti (ob ægrotis, cui ille vtiliſſimus erat, ſolatium ac commodum) fuſis precibus ad vitæ vſuram reuocauit. At retardatæ gloriæ moras longè compenſauit Dominus, duplicatis fidelis ſerui præmiis, quæ ex auctis laboribus & meritis ipſimet rependit.

27 *Sexto Kalend. Septembris.*

SS. CALIXTVS & CYPRIANVS. IN Monaſterio Lezatenſi Diœceſis Riuenſis prope Toloſam, natalis Sanctorum CALIXTI & CYPRIANI Martyrum, qui ibidem ſolemni hodie officio coluntur. Horum ſacra corpora ex duabus capſis perantiquis in quibus dudum requieuerant anno milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo primo 5. Aprilis, à Priore loci, Cœnobitis præſentibus, in nouam thecam ornatiorémque fuerunt tranſlata, & intra Capellam ſancti Antonij honorificè recluſa: cum aliis venerandis cœlitum lipſanis, nempe corpore ſancti ALBINI Epiſcopi; ſacris aliquot pignoribus Sanctorum Martyrum CRISPINI & CRISPINIANI, quæ Sueſſione (vbi Martyrium ſuum patrauêre) in propria Eccleſia magno Dei beneficio præſeruata ab impiorum hagiomachorum, qui illic tot Sanctorum corpora cremauerunt, ſacrilegis manibus; religioſiſſimè collocata ſunt. Ipſo die in vico Diœceſis Riuenſis *Martyrium* nuncupato, paſſio ſancti Vidiani Martyris, cuius in propria Eccleſia honorati meritis, fulgura & tempeſtates ſedantur. In Vaſconia oppido Conſerano ſancti LICERII Epiſcopi ex diſcipulo ſancti Fauſti Tarbienſis Antiſtitis, qui magiſtri in exilium pro fide & ſana doctrina pulſi ſocius, & in munere paſtorali collega, ac in certaminibus aduerſus impios commilito ſtrenuus, demúmque in cœleſti gloria conſors effectus eſt. Tanta autem meritorum clarificatione poſt tranſitum refulſit, vt ipſi Eccleſiæ cui præfuerat; oppidóque nomen inclytum indiderit; vbi magna celebritate colitur, tamquam præcipuus protector, cum perſolutione Octauæ.

ALBINVS. CRISPINVS & CRISPINIANVS. LICERIVS.

LVPVS. Cabilone in Æduis feſtiuitas ſancti LVPI Epiſcopi, cuius glorioſa migratio, cum elogio eiuſdem ſanctitatis, propria die conſignata eſt in ſacris his Galliæ Faſtis ſexto Kalend. Februarij.

28 *Quinto Kalend. Septembris.*

S. AGNES. COLONIÆ natalis ſanctæ AGNETIS Virginis & Martyris, cuius in Anglia pro Chriſti trucidatæ, pretioſæ exuuiæ, ad hanc aduectæ vrbem, reuerenter ibidem conſeruantur.

29 *Quarto Kalend. Septembris.*

SS. ADELPHVS. METIS depoſitio ſancti ADELPHI Abbatis Habenſis, actis quidem & dignitate, à cognomine ſuo Epiſcopo eiuſdem vrbis, diuerſi, at animo coniuncti, & meritis coæqualis. Petracoricis in templo maiori ſancti Stephani, ſuſceptio oſſium ſanctæ SABINÆ Virginis, Romæ, hâc die Martyrio nobiliſſimo coronatæ ſub Adriano Imperatore, vnde prædicta eius ſpolia veneranda in Gallias tranſuecta, illic cum reliquiis ſancti Leonis Papæ cognomento Magni (vt Sixtus quartus Apoſtolicis ſuis litteris teſtatus eſt) condigno cum honore iamdiu repoſita ſunt.

SABINA.

Hac ipſa die beatus Bertholdvs Malfaida Lemouix, frater Americi Antiocheni Patriarchæ, primúſque Carmelitarum ordinis Generalis, centenario maior, ac meritis prædiues, ſuaui ſomno quietæ mortis in Chriſtó quieuit. Bertholdus.

30 *Tertio Kalend. Septembris.*

In Monaſterio ſancti Petri de Fertariis, Diœceſis Senonenſis, veneratio ſacrorum corporum beatorum Martyrum Felicis & Adavcti, hódie extremo agone viâ Hoſtienſi peracto Romæ triumphantium, quæ integra huc tranſuecta, ibidémque repoſita, cultu præclaro honorantur. Eodem die in pago Conuenarum paſſio ſancti Gavdentii Martyris, & ſociorum. Hic anno ætatis duodecimo dicitur occiſus. Coloniæ ad Sanctos Machabæos ſanctæ Sigillindis Virginis & Martyris. SS. Felix & Adavctvs. Gavdentivs & ſocij. Sigillindis.

31 *Pridie Kalend. Septembris.*

Lemovicis in Aquitania tranſlatio ſancti Martialis totius huius regionis Apoſtoli. Apud Nannetum in Armorica ſancti Victoris Epiſcopi eiuſdem vrbis, qui populo ſuo in Dei timore multa diligentia erudito, apud Campum bonum in territorio vrbis prædictæ, puriùs ac liberiùs Chriſto ſeruiendi amore ſe recluſit: vbi extructo paruo oratorio cùm ſecretus à ſæculi conturbationibus, in ſumma animi tranquillitate aliquandiu vixiſſet, Angelicæ puritatis æmulator, meritis locupletatus innumeris, finem ſic mortalitatis inuenit, vt ad beatæ immortalitatis gaudia peruenerit. SS. Martialis. Victor.

SEPTEMBER.

1 *Kalendas Septembris.*

Vesvntione natalis Sanctorum Chriſti Martyrum Lazari & Prisci, qui Chriſti fide extremo agone aſſertâ, palmam Victoriæ & iuſtitiæ coronam in præmium acceperunt à Domino. Eodem die tranſlatio ſanctæ Marinæ Virginis: cuius memoria etiam in Gallia clara, Pariſiis propria in Eccleſia colitur. SS. Lazarvs & Priscvs. Marina.

2 *Quarto Nonas Septembris.*

Apvd Leomaniam in Lectorenſi territotio natalis ſancti Antonii cognomento de Lyaloris Martyris: qui nobili ſtirpe progenitus, primùm militiam ſecutus eſt; deinde amore Dei inflammatus ſic ſæculum contempſit, vt derelictis omnibus in eremum confugerit, vbi à feris diuina diſpoſitione paſtus, dum inſtantiſſimè Domino famulatur, in omni puritate perfectus, magna ſanctitatis lumina prodidit. At hoc ſplendore aduerſarius Sanctorum draco rufus efferatus, liuore ſuo effecit, vt vir Dei è medio tolleretur. Qui ab impiis in odium SS. Antonivs dictus de Lyaloris.

perſpicuæ pietatis trucidatus, de ergaſtulo mortalitatis, ad vitæ immortalis tabernacula dignum Deo ſpiritum, ouans de exacto feliciter agone transmiſit. Ipſo die colitur ab ipſa Eccleſia Lectorenſi memoria ſancti LICETI Martyris, coronæ emeritæ decore, magis quàm geſtorum in vita notitia conſpicui. Baiocis translatio ſancti REGNOBERTI Epiſcopi & Confeſſoris, necnon ZENONIS eius miniſtri: quorum corpora in monte condita & diuinitus reuelata Walfugus Epiſcopus humo defoſſâ, ad Eccleſiam ſancti Victoris tranſuexit, apparatúque condigno repoſuit veneranda.

LICETVS. REGNOBERTVS & ZENO.

4 *Pridie Nonas Septembris.*

SS. FRODOALDVS. MIMATE Gabalorum natalis ſancti FRODOALDI Epiſcopi & Martyris, qui ſub temporibus Ludouici Pij Imperatoris hanc Eccleſiam magna pietatis gloria adminiſtrans, ſuæ regionis incolarum animos adhuc agreſtes, & gentilitatis ſuperſtitionibus deditos ſtrenuè excolendo, verbi diuini copia, & omnium virtutum exemplo, ad purum veri numinis cultum, & Chriſtianæ fidei obſequium feliciter perduxit. Sanctíſque ſemper occupationibus intentus, dum orationi vacaret, à proprio nepote, proditorio ſub oſculo ſalutatus, inuaſus, ac capite truncatus eſt. Porro ſacer Præſul deciſum caput, propriis manibus reſumens, eouſque mirabiliter gradiendo detulit, vbi à gemente fideli populo honorificè ſepultus eſt, non longè ab oppido & Caſtro de Canonica: vbi in aſceteriolo ſui nominis ordinis ſancti Benedicti nunc vſque aſſeruatur & colitur. Tradunt acta eius Paſſionis parricidam illum nepotem, à dæmone illico arreptum, & ſuffocatum, Dei iuſto iudicio pœnas tam immanis flagitij, populo ſtupente, luiſſe. Viroduni veneratio Sanctorum Epiſcoporum MAVRI, SYLVINI & ARATORIS, qui hanc Eccleſiam recta ſerie viciſſim gubernantes in media perſecutionum procella, magnis ſanctitatis fulgoribus illuſtrârunt, & viribus auctam, virtutibus prouectam, cùm migrârunt ad cœleſtia beandi, reliquerunt. Maſſiliæ ſancti MVSÆI Preſbyteri viri cœleſti doctrina atque vita præclari.

MAVRVS, SYLVINVS & ARATOR. MVSÆVS.

COLONIÆ migrauit, ad optatum ſponſi Virginum conſpectum beatæ memoriæ IRMGARDIS Comitis Zuitphanienſis filia: quæ mundi fallacis illecebris deſpectis, purum carnis & ſpiritus holocauſtum Deo vt offerret, cœlibi vitæ & conſpicuæ macerationi addicta, conſummato in ſyncero Chriſti obſequio fluentis ætatis decurſu, beata morte, votorum compos, quæ crediderat conſpexit, quæ concupierat obtinuit, quæ ſperauerat veræ felicitatis gaudia, ſponſo præmia largiente, accepit.

Irmgardis.

5 *Nonis Septembris.*

S. THAVRINVS. AVSCIIS in Nouempopulonia feſtiuitas ſancti THAVRINI primi Eluſani Epiſcopi & Confeſſoris glorioſi. Eodem die veneratio ſanctæ Probæ Virginis, cuius corpus ſacratiſſimum miraculis micans, è Lauduno Clauato, vbi in florentiſſima Chriſti ſeruitute cōſenuit & obiit,

Heruor-

Heruordiam in Weſtphalia tranſlatum, dignâ reuerentiâ repoſitum eſt, vbi & eiuſdem tranſlatio annuis ſacris recolitur die 28. Aprilis.

6 *Octauo Idus Septembris.*

ALBIÆ feſtiuitas ſancti EVGENII Africæ Primatis & Martyris: cuius illic pro fide orthodoxa exulis felix ad beatitudinem migratio contigit die 13. Iulij, quo ſignatur eius natalis celebrandus in Romano Martyrologio, & iſto Gallicano. Ipſo die in Monaſterio Maricolenſi ad Helpiam fluuium in Hannonia Cameracenſis Diœceſis, tranſlatio ſancti HVMBERTI Epiſcopi Foroiulienſis in Narbonenſi Gallia, qui depoſitionem habet ſolemnem die 25. Martij. Tarentaſiæ tranſlatio ſancti PETRI illius Metropolis Antiſtitis glorioſi, cuius tranſitus memoria quotannis colitur die 8. Maij. SS. EVGENIVS. HVMBERTVS. PETRVS.

7 *Septimo Idus Septembris.*

IN Taurinorum finibus apud montem Veſulum Natalis ſancti THEOPHREDI Martyris ex Thebæa Legione ibi ſub Maximiano obtruncati. Huius pretioſæ exuuiæ repoſitæ honorificè aſſeruantur in Eccleſia pagi ſui nominis, prope Criſſolium oppidulum in Salutienſis Eccleſiæ Diœceſi. Eodem die depoſitio ſancti GRATI eiuſdem Eccleſiæ & vrbis Salutiarum Epiſcopi & patroni, qui ſub Carolo Magno diuinis virtutibus clarus effulſit, adminiſtratóque Apoſtolico ſpiritu officio paſtorali ad præmium, pro meritorum copia euocatus eſt. Ipſo die depoſitio ſancti STEPHANI Epiſcopi Dienſis ex priore portarum Cartuſienſis ordinis, perfectæ religionis viri. Item ſancti GORLINI Epiſcopi Dolenſis in Britannia Minori. In agro Albienſi ſanctæ CHARISSIMÆ Virginis, quæ nobilitate generis, ac monaſticæ vitæ obſeruantiâ celebris triduano Angelorum obſequio ante mortem honorata, gaudens migrauit ad ſponſum. Huius beatæ cœlitis vitam miraculis plenam, literis mandaſſe traditur ſanctus Sulpitius Confeſſor. Tulli Leucorum ſancti GAVSELINI Epiſcopi, qui omni ſanctimonia ornatus ſub Carolo Simplici floruit, functúſque miniſterio ſalutis meritis plenus ad ſuperna migrauit. SS. THEOFREDVS. GRATVS. STEPHANVS. GORLINVS. CHARISSIMA. GAVSELINVS.

8 *Sexto Idus Septembris.*

AVGVSTÆ Auſciorum & Autrici Carnutum præcipua feſtiuitas Maiorum Baſilicarum, quæ NATIVITATIS SANCTISSIMÆ DEIGENITRICIS titulo conſecratæ, cunas ipſius beatiſſimæ Deiparæ Virginis, peculiari cultu venerantur, vt tam felicis ortus ſpeciali fruantur benedictione. In territorio Cenomanenſi Natalis ſancti BERTEVVINI Martyris, quem Lauallenſis Eccleſia ſpeciali deuotione honorat. Apud Lingonas paſſio ſanctæ BELINÆ Virginis & Martyris, quæ propter fidem caſtitatis ab impuro homine capite truncata; à Sponſo Virginum Chriſto victoriæ laurea coronatur. Cuius athletæ glorioſæ triumphale caput in Monaſterio de Moris vicino loco eius agonis religioſè ſeruatur. SS. Deigenitrix nata Auſciorum ac Carnutum tutelaris. BERTEVVINVS. BELINA.

Agilramnus. IN Monaſterio Gorziæ Metenſis Diœceſis depoſitio beati AGILRAMNI, qui ex primicerio Eccleſiæ Tullenſis, ſubinde factus Metenſis: demum irradiatus Spiritu ſancto, ſæculi blandiciis terga vertit, factúſque in celebri Monaſterio magis actu quàm habitu Monachus, diuinæ gratiæ cuius affluebat donis, clara inſignia expandit; quibus clarificatâ Dei gloriâ æternam ad beatitudinem, quàm multis operibus bonis emeruerat profectus eſt.

10 *Quarto Idus Septembris.*

SS. THOMAS. FRIBARI in Sabinis depoſitio ſancti THOMÆ primi Farfenſis Abbatis, ordinis ſancti Benedicti, qui origine Toloſanus, diuino æſtuans amore flammas cœleſtes quibus ardebat longè, lateque circumtulit. Iámque non tam religionis diſcipulus, quàm Magiſter, adlectis ſibi ex ſua gente ſociis, delecto ad ſeceſſum loco in remotis à patria oris, Farfæ Monaſterium inſtaurauit, (fuerat enim antea Sanctorum aliquot aſcetarum ibi domicilium:) qua ex palæſtra pietatis, multis reuectis triumphis, deuicto diabolo, calcato mundo, carne fortiter ſpiritui ſubiugatâ, ad ſerta gloriæ immarceſſibilia, amœnitatéſque cœli perennes, ouantem animam emiſit: ſuæque ſanctitatis vt multos quos informauerat religionis diſciplinis, ſuos reliquit imitatores: ſic & religioſæ adminiſtrationis perdignos ſucceſſores. Claruit autem ſub Apoſtolicis Præſulibus, Agathone, Leone II. & ſequentibus vſque ad Ioannem V. ſub quo beatum curſum conſummauit. Extant in dicta Abbatia Farfenſi acta pridem deſcripta, quæ quantis diuinæ beneuolentiæ ſignis fulſerit, liquidò reſtantur.

Michael Daniel. GRATIANOPOLI depoſitio venerabilis Patris MICHAELIS DANIEL ordinis Minorum Recollectorum, qui anno ætatis 46. & Chriſti Seruatoris 1610. magna ſanctitatis opinione quieuit.

11 *Tertio Idus Septembris.*

SS. VVILEBERTVS. COLONIÆ Agrippinæ in ſolo Gallico ſancti WILEBERTI Epiſcopi, qui ſedulus ſalutis humanæ procurator, oues ſibi commiſſas in Dei beneplacito erudiuit, non tam dictis quàm factis legis diuinæ obſeruantiam commendans. Cuius tuendæ ſtudio cùm Colonienſe Concilium coëgiſſet, Moguntinenſi interfuiſſet, locupletatus operibus iuſtitiæ cœleſtes ad manſiones, mundis corde à Domino præparatas, euolauit.

MARCELLVS. In Aruernia ad Bornam fluuium apud Anitium, paſſio ſancti MARCELLI Epiſcopi & Martyris, qui à ruſticis gentilibus & barbaris tentus ad Vlmum quandam Anitio vicinam (pòſt de ſancto eius nomine celebratam) deductus, ibidem capite cæſus eſt, ſuper ſaxum quod in hunc vſque diem manet glorioſi Martyris ſanguine cruentatum. Truncatum caput Martyr ipſe manibus geſtaſſe memoratur, ad fontem ſtadio fere ab vlmo exitiali diſtantem; cuius laticibus infuſam reliquit ſuæ opitulationis virtutem. Et inde progreſſus ad beatæ Mariæ non procul diſſitam ædiculam, quæ iam ab eius triumpho titulum mutuatur, ibidem prouolutus in genua, ſtrato cum corpore capite, religioſa donatus eſt ſepultura.

12 *Pridie Idus Septembris.*

AVGVSTODVNI Æduorum depoſitio ſancti EVENTII vel EVANTHII decimi Sedis illius Epiſcopi & Confeſſoris; qui diuinæ Maieſtatis obſequiis, cum ſedulitate, in gregis cura impletis, ad bonorum paſtorum beatam ſortem dignè euocatus properauit. In Monaſterio ſanctæ Mariæ de Simorra, agri Conuenarum, veneratio ſacri corporis ſancti *Ebontij* Confeſſoris, origine Aquitani, dignitate Epiſcopi Balbaſtrenſis in Aragonia, vbi quieſcit cum magna veneratione. Angeliaci, ſeu Angeriaci Monaſterio ſancti Ioannis Baptiſtæ, ſub Santonenſi Præſulatu, feſtiuitas ſanctæ REVERENTIANI Monachi, diuinarum virtutum viri, gratiæque ſeptiformis dotibus perornati: cuius corpus miraculis coruſcum in eodem Cœnobio vbi conditum quieſcebat cum honore, Caluiniſtæ Hagiomachi impiè, ac ferociter diripuerunt. At hoc flagitio memoriam ſancti Confeſſoris quam abolere putabant, magis claram, & venerabilem effecerunt: quæ die iſto quo beatus vir ad Dominum placidæ mortis ſomno migrauit, ibidem conſpicua, cultu anniuerſario ſub officij ritu duplicis perſeuerat. Baiocis natalis ſancti REVERENTII Preſbyteri & Confeſſoris, qui ſancti Exuperij vrbis illius Apoſtoli diſcipulus, ab eo fidei lumine illuſtratus, & lauacro ſalutari ablutus: ſpiritum eius (ſicut Pauli dudum Timotheus) cum manuum ſacra impoſitione accepit. Quo eidem ſuffragatus in miniſterio ſalutis, Baiocis prædicans Chriſti fidem & gloriam, innumeras animas, cœleſti ſemine, beatæ æternitati progenuit. Cúmque tranſmiſſo baculo paralyticum ſanaſſet, miráque alia pleraque diuinæ virtutis qua plenus erat ſigna edidiſſet: candidatus glorioſæ immortalitatis, ad ſuperna migrauit tabernacula. Maſſiliæ ſancti SIFREDI Abbatis, qui beatum Iſarnum (cuius nomen cum elogio hoc in Martyrologio ſignatum eſt) præceſſit in religioſo regimine. In monte ſancti Romerici in Lotharingia depoſitio ſanctæ PERPETVÆ Virginis & Abbatiſſæ. Hæc nobili nata genere, Deo à teneris vnguiculis in Monaſterio huius loci oblata, multiplici decore ſanctitatis enituit. Quæ Cœleſti ſponſo facta dilecta, poſt caſtiſſimæ vitæ excurſum, multa filiarum ſpiritualium ſobole fœcunda & meritis omnis virtutis affluens, ad nuptias cœleſtes læta euolauit.

SS. Eventivs vel Evanthivs. Reverentianvs. Reverentivs. Sifredvs. Perpetva.

13 *Idibus Septembris.*

IN Flandria ſancti FREDERICI Preſbyteri, qui Aloſti & Gandaui multa veneratione colitur. In minori Britannia ſancti COLVMBINI Abbatis Sutrenſis, diſcipulíque & ſucceſſoris S. Deicolæ.

SS. Fridericvs. Colvmbinvs.

14 *Decimo octauo Kalend. Octobris.*

MASSILIÆ Inuentio ſancti DEFENDENTIS Martyris, ſub Maximiano, ibi, cum ſociis cæſi, die 2. Ianuarij. Bruxellis in Brabantia tranſlatio ſanctæ GVDVLÆ Virginis vrbis illius patronæ. Nannetis in Ar-

SS. Defendens cum ſociis. Gvdvla.

ODILARDVS. morica ſancti ODILARDI Epiſcopi, qui tempore Caroli Magni fulgoribus gratiæ inſignis, huic Eccleſiæ præluxit, ac peracto ſtrenuè Epiſcopali munere, ad cœleſtem tranſiuit beatitudinem.

Serena dicta Coquerel. BITERRIS hac die contigit tranſitus piæ memoriæ SERENÆ Coquerel Virginis puriſſimæ. Hæc cùm eſſet vna è quatuor primis fundatricibus ordinis ſanctæ Mariæ, ſeu noſtræ Dominæ nuncupati, ac Burdegalæ inſtituti: hinc Biterras miſſa, & piis operibus inſtiruendiſque ciuitatis illius virgunculis, annis fere quatuor mancipata: ipſo Exaltationis ſanctæ Crucis die poſt ſumptam ſacram Synaxim, interno vulnere ſauciata, & omnes Medicorum artes incaſſum experta, ſolummodo in genuflexione ſolatium ſentiens, recurrente annuo exaltationis ſanctæ Crucis feſto, cùm præter pellem & oſſa nihil haberet, præuiſo non ſine diuino afflatu beatæ mortis die, diuinæ gratiæ præſidiis munita, feliciter animam Chriſti cupidam exhalauit. Cuius corpus poſtea tanta pulchritudine, tantóque nitore, Deo volente, decoratum effulſit, vt omnibus ſpectantibus admirationi fuerit. Eodem die ad lacum Turitinum, *miraculoſa dedicatio* facta eſt oratorij
Meginardus. Cœnobij ſancti MEGINARDI Martyris.

15 *Decimo ſeptimo Kalend. Octobris.*

LVGDVNI dedicatio Eccleſiæ Metropolitanæ ſub patrocinio beatiſſimæ Deiparæ Virginis Mariæ, ſancti Stephani Protomartyris, & beati Ioannis Baptiſtæ, cuius iam titulo potiſſimum celebratur.

16 *Decimo ſexto Kalend. Octobris.*

SS. EIMBERTHA. IN Alſatia depoſitio ſanctæ EIMBERTHÆ Virginis, quæ Argentorati puros Chriſto famulatus exoluit, functáque perfectæ ſanctitatis officiis, animam ornatam meritorum monilibus, tranſmiſit ad nuptiarum agni fruitionem.

17 *Decimo quinto Kalend. Octobris.*

SS. PETRVS & ADOLETVS. IVSTINVS & SIMILINVS. RODINGVS. APVD Leodium natalis Sanctorum PETRI & ADOLETI Martyrum, qui cum ſancto Lamberto pio agone triumphârunt. In præſulatu Turonenſi depoſitio Sanctorum IVSTINI & SIMILINI Preſbyterorum, quorum digna præconia beatus Gregorius Turonenſis in libro de gloria Confeſſorum, veridica commendatione celebrauit. In Argonia Sylua ſancti RODINGI Epiſcopi & Confeſſoris, beati Pauli Virdunenſis Epiſcopi in Theologienſi Cœnobio diſcipuli, & in Epiſcopatu ſucceſſoris: ac Belliloci in finibus Campaniæ & Lotharingiæ ſexto à Virduno lapide fundatoris. Qui anno ætatis ſuæ decimo ſeptimo ſupra centeſimum, Angeli cuſtodis voce admonitus, animam à Deo electam ad beatas cœli manſiones efflauit. Cuius corpus in Monaſterio Belliloci ſepultum, magnis radiauit gloriæ futuræ indiciis. Lætiis
HILTRVDIS. in Hannonia tranſlatio ſanctæ HILTRVDIS Virginis: cuius natalis colendus incidit in diem 27. huius menſis.

18 *Decimo quarto Kalend. Octobris.*

DRONERII apud Salutias antiquum patrimonium Regni Franco- SS. CONSTANTIVS, VICTOR & ſocij.
rum; Natalis Sanctorum Martyrum CONSTANTII, VICTORIS &
ſociorum: qui Maximiani Imperatoris immanitate, hoc in agro, cùm
iram fugerent, ſæua internecione, ob Chriſti fidem deleti ſunt. In Ar-
chimonaſterio Cluniacenſi, Commemoratio omnium SANCTARVM Sacræ Reliquiæ Monaſterij Cluniacen-ſis.
RELIQVIARVM IBIDEM QVIESCENTIVM. In finibus Alſatiæ
Natalis Sanctorum Martyrum DESIDERII Epiſcopi Redonenſis, &
RAINFRIDI Diaconi, quorum corpora in pago ſancti Deſiderij (ſic DESIDERIVS & RAINFRIDVS.
enim locus ab agone præfati ſancti Epiſcopi celebratur) Veſuntionenſi
in agro digna veneratione obſeruantur. Lemouicis ſancti FERREOLI
Epiſcopi, qui ſancti Aredij Abbatis conſanguineus, digno illum fune- FERREOLVS.
re ſepeliuit, Concilio Matiſconenſi II. interfuit, editiſque multis cha-
ræ Deo mentis ſignificationibus, ad ſpirituum beatorum felix euolauit
conſortium. Huius ſancti viri cum digna commendatione beatus Gre-
gorius Turonenſis in hiſtoria ſua meminit; cuius & memoriam iam ab
hinc annua celebritate colir ipſa, cui diuinè præfuit, Eccleſia Lemoui-
cenſis. Bergis in Belgio tranſlatio ſancti WINOCI Confeſſoris, cuius VVINOCVS.
depoſitio colenda ſignatur in diptychis Romanæ matris Eccleſiæ die 6.
Nouembris. Tranſlatio altera celebratur die 22. Martij. In Germania
Monaſterio Andelaha felix migratio ſanctæ RICHARDIS Imperatri- RICHARDIS.
cis, & Virginis, ac coniugis Caroli Craſſi Imperatoris Auguſti, & Fran-
corum Chriſtianiſſimi Regis.

20 *Duodecimo Kalend. Octobris.*

APVD Leodium ſancti NAVITI Epiſcopi & Confeſſoris, qui beato SS. NAVITVS.
Maturino ſuccedens in nupero Tungrenſi Præſulatu, populi huius mo-
res ad præſcriptum Chriſtianæ diſciplinæ compoſuit; auctáque Domi-
ni hæreditate, ſtrenuis ſuis laboribus euocatus eſt ad gloriam. Claro-
monte Aruernorum ſancti AVITI Epiſcopi cognomento Senioris. Hic AVITVS.
vir Apoſtolicæ gratiæ & virtutis Iudæos illius municipij (reſerato ab eo-
rum oculis velamine infidelitatis) ad Chriſtum verum animarum lu-
men, mirabili facinore conuertit; ínque vigilia Pentecoſtes, congloba-
tim coram ſe proſtratos & baptiſmum flagitantes, ex gaudio ſpirituali,
pias in lachrymas effuſus, ſalutari aqua abluit, chriſmate liniuit, atque
in ſinum matris Eccleſiæ cooptauit, *flagrantibus* (vt Gregorius Turo-
nenſis refert) *cereis; lampadibus fulgentibus, totáque ciuitate nitente de grege
nouiter candidato.* Erant enim qui tum ouili Dominico acceſſerunt am-
plius quingenti. At ſanctus Pontifex tam copioſa Chriſto progenita
prole, aucta Eccleſiæ gloria, multiſque editis diuinis virtutibus, ouans
de lucris Domini, eius ad conſpectum, quem vnicè ſemper concupie-
rat, tandem voti compos euolauit. Ipſo die in Territorio Colonienſi
ſancti GERARDI Confeſſoris, qui in Ægypti ſolitudinibus, vitam à GERARDVS.
ſæculi contagio purgatiſſimam duxit. Póſtque exactos moralis pere-

grinationis dies, animam Angelorum choris ſociandam, feliciter tranſmiſit. Cuius ſacræ exuuiæ memoriam in Colonienſi Diœceſi vbi aſſeruantur, perpetuæ venerationi conſecrârunt.

21 *Vndecimo Kalend. Octobris.*

SS. MATTHÆVS. IN agro Tullenſi Cœnobio Regis Vallis ordinis Præmonſtratenſis, veneratio ſancti MATTHÆI Apoſtoli & Euangeliſtæ. Cuius hodie triumphantis inclyto martyrio, in Æthiopia: pars capitis laureati, inde non ſine cœleſti præſidio aduecti, dicto in Monaſterio honorificentiſſimè aſſeruatur, & hodie colenda religioſiſſimè exhibetur. Veſuntio-HILARIVS. ne Sequanorum Metropoli ſancti HILARII Epiſcopi & Confeſſoris, quem S. Silueſter Papa à ſe ordinatum ob Apoſtolicas dotes Epiſcopum eò miſit, ad Eccleſiam orbatam Paſtore, per mortem ſancti Euſebij, & àttritam diris perſecutionum procellis, ſolatio opportuno refouendam. Cui cùm opem egregiam impendiſſet, Chriſti vindicata lege, aucto grege, partíſque pletíſque ſanctæ ſollicitudinis meritis, iam maturus quietis æternæ, ad viſionem, imò fruitionem perpetuæ pacis & gloriæ, beato fine tranſmigrauit. Ipſo die Aptæ Iuliæ in Prouincia natalis ſancti CASTOR. CASTORIS Epiſcopi illius ſedis & Confeſſoris perilluſtris. Hic Nemauſenſis indigena, nobili proſapia ortus teneris, ab annis Arelate liberalium diſciplinarum ſtudiis traditus eſt à parentibus imbuendus. Cúmque opibus terrenis, eotum hæres ex aſſe toto afflueret; ſæcularibus pompis primum innexus eſt: quibus tamen florida in ætate iam abiectis, ſuccenſus diuino igne, in quodam agello ſui iuris, cui Mannacus nomen erat, Eccleſiam ſub ſancti Fauſtini titulo, & regularis vitæ cultorum domicilia conſtruxit, ſéque ipſum dedicauit totis affectibus Domino, cum adlectis pium in cœtum ſociis, ſeruiturum. Supplicem igitur ad B. Ioannem Caſſianum Abbatem Maſſilienſem nominatiſſimum, ſcripſit epiſtolam, quâ ſibi ſuíſque ab eo præſcribi popoſcit documenta vitæ ſpiritualis. qui eius precibus annuens, *libros tres de habitu Monachorum, inſtitutionéſque ſacras ad ipſum direxit.* His igitur rheorematibus ſuſcepta, cum ſodalibus ſuis Caſtor caſtiſſimæ conuerſationis, & perfectæ religionis ſtudia excoluit. Abbáſque factus illius Cœnobij, cuius fundator erat, ſanctitate conſpicua ita inclaruit: vt exempto ab humanis Quintino Epiſcopo Aptenſi, tam Cleri, quàm populi votis, in eius vicem fuerit ſublectus. Declinauit omni qua potuit induſtriâ vir ſanctus delatum ſuſcipere honorem. Clero enim & plebe ad eius Monaſterium concurrente, ne ad ſedem raperetur feſtinus ſe ſubduxit, in monte de Breſone, vbi aliquandiu latuit. At ne in occulto maneret fulgentiſſima Spiritus ſancti lucerna, diuina prouidentia effecit. Deprehenſus enim in latebris à quibuſdam venatoribus vir Angelicus, in ciuitatem cum cuſtodia adductus, atque ad Eccleſiam directus, ibi magno applauſu omnium exceptus, magna reuerentia ordinatus, ſolemníque titu Pontificali throno impoſitus eſt. Móxque, vti orto ſole germinant flores, tanti ſyderis diffuſis ſplendoribus religio circumquaque refloruit, pullulârunt omnis generis virtutes, vitia emarcuerunt,

Cleri decora aucta ſunt, populi mores in melius commutati. Operibus etenim iuſtitiæ non ſolis ſapientiæ verbis Pontifex ouibus ſuis prælucebat: qui caſtitatis, pietatis, & miſericordiæ affectibus plenus Eccleſias decorabat, officia diuina religioſiſſimè celebrabat; Clericos ſuos in perfecta diſciplina continebat: in omni patientia & doctrina arguebat peccantes, correptóſque ad meliorem frugem eos reducebat: mœſtos ſolabatur, miſeros adiuuabat; paſcebat ſcilicet egenos, veſtiebat nudos, captiuos in vinculis paternè inuiſebat, iíſque omnem quam poterat impendebat opem. Qua in re illud æterna commemoratione dignum de eo narratur, quòd aliquando imminente ſacroſanctæ Dominicæ reſurrectionis celebritate, commiſeratus reorum qui in ergaſtulo, cathenarum nexibus conſtricti tenebantur, maciéque & ſqualore tabeſcebant: ſupplex ad iudicem, qui ſub *Arcadio Imperatore ciuitati præſidebat, acceſſerit, cúmque tam dimiſsè quàm enixè orauerit, quatenus pro reuerentia Dominici triumphi miſeros illos ad participandum paſchale gaudium tantiſper relaxaret. At ſuperbæ ceruicis iudex Præſulis vota, ac preces contempſit. Ideóque ſanctiſſimus Epiſcopus comitante Clero, populóque ſpectante, progreditur ad carcerem, vbi præ foribus pauimento affuſus, aliquantulum Dominum exorauit, vt ſuos gemitus (paſtoris ſcilicet pro ouibus anxiati) de alto reſpiceret. Mox mirum in modum diuinæ virtutis impetus, cuſtodiæ clauſtra inuiſibiliter reſerauit, cathenas & compedes vinctorum diſrupit, qui (ceu captiui illi de inferni ergaſtulo, eodem die à Chriſto erepti) prodeuntes cum gaudio, de tetro carceris ſpecu, ad ſancti Antiſtitis pedes procubuerunt, tantæ opitulationis ei gratiam referentes. At ille opus diuinum agnoſcens, ad Domino debitas gratias exoluendum, eoſdem excitauit, ceúque paſtor bonus ouiculas ſibi diuino præſidio redditas, humeris ſuæ pietatis reuexit, introduxítque cum diuinis laudibus in matricem Eccleſiam ſanctæ Dei genitricis. Exterritus Iudex tanto prodigio, depoſitâ cordis duritiâ, Epiſcopum magna cum humilitate conuenit, togauítque vt carceris illius domicilium, quod tam miro facto inſignierat, in ſacros vendicans vſus, in Domini Saluatoris oratorium conſecraret. Vota eius compleuit Pontifex, eóque in loco deinceps frequentiùs Chriſtianæ Redemptionis ſacrificium immolabat, quatenus vbi precibus reorum vincula ruperat, ibidem iugi litatione placatâ diuina iuſtitiâ, peccatorum nexus exitioſos diſſolueret. Plurimis autem aliis diuinæ virtutis operibus emicuit. Cùm verò migrationis ſuæ diem Domino ſibi reuelante prænoſſet, conuocatos ad ſe vicinos Epiſcopos, Abbates, Preſbyteros, Monachos, cæteróſque religioſos viros omni inſtantia pietatis obſecrabat; vt pro ſe Dominum deprecarentur. Flere omnes cœperunt, & mirari, quamobrem tam humiliter de ſe vir beatus ſentiret, vt tanto enixu preces ipſorum flagitaret, rogarétque Magiſter diſcipulos, ſupremus infimos, iuſtus indignos. Saginatus itaque alimoniâ vitali corporis & ſanguinis Domini, pſallens cum pſallentibus, orans cum orantibus, hilari vultu ſeſe beatum ad exitum accinxit: frontíque; & pectori ſigno ſanctæ Crucis impreſſo, manibus in

*aliàs Honorio.

cœlum protenſis valedicens fratribus, animam ſanctiſſimam efflauit ad gloriam ſempiternam.

22 *Decimo Kalend. Octobris.*

SS. Antonivs. IATINI Meldorum ſancti ANTONII Epiſcopi ſecundi illius ſedis, ſanctíque Dionyſij diſcipuli: cuius paſſionis intentus inſpector, & fidelis deſcriptor cum beato Sanctino hac eadem die celebri, extitit, ſicut in elogio ſancti Dionyſij ex antiquis monimentis inſinuatum eſt die nona Octobris. Victor. Meris ſancti VICTORIS Epiſcopi, qui teneram hanc adhuc Eccleſiam paterna cura tutauit, materno amore fouit, prouectámque ad fidei robur & religionis, multis perſecutorum turbinibus impugnatæ, magnificam profeſſionem & ſtrenuam aſſertionem, triumphis pleriſque reddidit Inſignitam. Sylvanvs. In Pago Bituricenſi ſancti SYLVANI Confeſſoris, qui à beato Petro Apoſtolo cum Silueſtro probatæ fidei & virtutis cooperario, in Gallias directus eſt ad Gentilium errores extinguendos, & dæmonum deſtruendum artes. Quo munere multo cum fœnore gratiæ ſuſcepto, & exacto ad præmium ſupernæ felicitatis emeritum migrauit. Porro cuius Apoſtolico zelo, incendium exitialis cultus idololatriæ, in pleriſque Aquitaniæ locis ſopitum eſt: eiuſdem meritis morbidus ignis extinguitur, & membris ægris refrigeria, Domino largiente, præſtantur. Colitur potiſſimum beatus hic Confeſſor in antiquo Monaſterio Dolenſi, vbi die 26. huius menſis propriam habet cum ſpeciali officio celebrationem.

23 *Nono Kalend. Octobris.*

SS. Aphrodisivs. BITERRIS Dedicatio Collegiatæ Eccleſiæ ſancti APHRODISII Apoſtolici viri & Martyris, primíque illius ciuitatis Epiſcopi, cuius natalis ſacratus colitur 4. Kalend. Maij. Scvbilio. In territorio Conſtantienſi ſub Lugdunenſi ſecunda: Inuentio ſancti SCVBILIONIS, ſancti Paterni Abrincenſis Epiſcopi & antea Anachoretæ, ſymmyſtæ, quo cum communia habet præconia in eiuſdem natali, die 16. Aprilis.

24 *Octauo Kalend. Octobris.*

Ioannes Baptiſta. CONCEPTIO ſancti IOANNIS Præcurſoris & Baptiſtæ Domini: Galliarum primarij Tutelaris.

25 *Septimo Kalend. Octobris.*

SS. Avstindvs. AVGVSTÆ Auſciorum ſancti AVSTINDI Metropolicæ iam illius Eccleſiæ Epiſcopi & Confeſſoris: qui Burdigalæ ortus, per iuſtitiæ ſemitas hanc ad Cathedram aſcendit: cúmque annis 59. gregem ſibi creditum in magna ſanctitate & vigilantia gubernâſſet, hæreſes compreſſiſſet, Synodo Iakæ (cui adfuerunt octo Epiſcopi & tres Abbates) præfuiſſet; Moyſſacenſis Eccleſiæ conſecrationi cum multis Pontificibus interfuiſſet; Eccleſiâ ſua ampliatâ, fundato Nugatoli Collegio, ad cœ-

leſtis ſanctuarij decorum euocatus, vas gloriæ, inter puriſſimos templi illius ſuperni myſtas ſuſceptus eſt. Tulli Leucorum ſancti AMMONIS ſecundi Epiſcopi, qui ſancto Manſueto ſancti Petri diſcipulo, ea in cathedra ſucceſſit, cuius veſtigia ſequens, bene excultâ Domini hæreditate, ad laborum præmium pari progreſſu euectus eſt. Apud Leodium S. MARCELLI Epiſcopi ſerie tertij, qui non diu poſt Apoſtolicorum virorum tempora, illic pontificatu Euangelico fungens, animarum copioſos greges Chriſto Domino lucrifecit: demúmque ad paſtoralis officij dignè exacti brauium, ouans, meritíſque plenus perrexit. Apud Lingonas felix obdormitio ſancti CEOLFRIDI Abbatis Giruuenſis in Anglia, doctrina & ſanctitate præſtantiſſimi, in Sanctorum Martyrum tergeminorum Monaſterio defuncti & ſepulti. Ipſo die tranſlatio ſancti MAIANI Epiſcopi ex Vaſconia ad Monaſterium Cognenſe, ſeu Villæ magnæ in agro Biterrenſi: cuius beatus ad Chriſtum tranſitus, incidit in ipſas Kalendas Iunij. AMMONIVS. MARCELLVS. CEOLFRIDVS. MAIANVS.

26 *Sexto Kalend. Octobris.*

TOLOSÆ veneratio ſacrorum oſſium beatorum Chriſti Martyrum CYPRIANI & IVSTINÆ, quæ in Eccleſia ſancti Nicolai in ſuburbio ſancti Cypriani ſita religioſe ſeruantur, in ara maiori, Deo ſub ipſorum Martyrum & ſancti Nicolai titulo dedicata. Apud Albanum Galliæ Narbonenſis oppidum ſancti SENATORIS Confeſſoris. Ipſo die ſanctæ DEVOTÆ in Auxitana prouincia, perpetua obſeruantia inſignis. SS. CYPRIANVS & IVSTINA. SENATOR. DEVOTA.

27 *Quinto Kalend. Octobris.*

TVLLI Leucorum Natalis ſancti EVCHARII Martyris, triumpho magis quàm hiſtoriæ celebritate nobilis. Sagij in ſecunda Lugdunenſi, quæ eſt Rotomagi Metropolis, Dedicatio maioris Eccleſiæ Sanctorum Martyrum memoriæ GERVASII & PROTASII conſecratæ. SS. EVCHARIVS. GERVASIVS & PROTASIVS.

LAVSANÆ ſub Archiepiſcopatu Veſuntionenſi, hominem feliciter exuit, vt immortalitatem beatam indueret, ſanctæ memoriæ AMEDEVS, ex Monacho Ciſtercienſi digniſſimo, & Abbate Altæcombæ, primodictæ ſedis Epiſcopus. Qui caſtiſſimis moribus nitens, ſuſceptam ad regendam Eccleſiam mirum in modum decorauit; Virginique ſanctiſſimæ Deiparæ deuotiſſimus octo inſignes homilias, eximiam pietatem & eruditionem ſpirantes, illius in honorem concinnauit. Quæ inter monimenta Patrum, ob clara quibus micant irradiatæ cœlitus mentis, auctoris ſpecimina, connumerata leguntur. *Amedeus.*

28 *Quarto Kalend. Octobris.*

IN territorio Auſcienſi ſanctæ DODÆ Virginis, quæ ſanctæ Quiteriæ Virginis & Martyris ſoror, perfectáque imitatrix eiuſdem ſanctimoniæ; ipſius & conſors gloriæ (quamquam tramite incruento cœli inuaſerit limina) meritis egregiis effecta eſt. Pretioſum cuius corpus in propria illius Eccleſia, vici de ſuo nomine nuncupati etiamnum honorificè ſeruatur. In Vaſconia apud Tarbam ad Atyrum flumen natalis SS. DODA.

FAVSTVS. ſancti FAVSTI eiuſdem ciuitatis Epiſcopi. Qui in diuinis Scripturis nobiliter eruditus, vita puriſſimus, Spiritus ſancti gladio armatus, ad tuendam Catholicam fidem Apoſtolicis prædicationibus ſuperna inſpiratione plenis, populum in ſana doctrina confirmauit. Cúmque piam Eccleſiæ ſententiam conſtantiſſimè tueretur, hominum impiorum factione, primum in carcerem truſus, & vinculis conſtrictus, deinde in exilium cum Licerio ſuo diſcipulo (qui poſtea Conſerannenſis Epiſcopus fuit) miſſus, id diutiſſimè ac fortiſſimè tolerauit. Sed tandem Deo volente reuocatus, & ſedi ſuæ reſtitutus, florentiſſimè populos edocuit, vt triumphalis Chriſti tuba reſonans, donec tandem ſenio venerabili confectus, commendatâ Licerio Eccleſiâ, quam tot ſudoribus excoluerat, tot laboribus tutauerat, glorioſus Confeſſor in Chriſti pace

FVRSEVS. quieuit. Apud Latiniacum commemoratio ſancti FVRSEI. Qui in Hybernia Epiſcopus, abdicato ad maiorem Dei gloriam præſulatu, in Gallias veniens, pietatis germina frugifera pleraque huc inuexit. Latiniacenſe & Peronenſe Monaſterium, hoc in Nouiomenſi, illud in Pariſienſi agro excitauit; multáque animarum meſſe collectâ, onuſtus manipulis iuſtitiæ, ad Domini deſideratum conſpectum profectus eſt; relictis multis diſcipulis, qui ſpiritus eius hæredes, religionem immaculatam, felici conſpiratione admodum dilatârunt. Honoratur vir ſanctus à Catholica Eccleſia annuali commemoratione, ſacris in tabulis Sanctorum conſignata, die 16. Ianuarij.

29 *Tertio Kalend. Octobris.*

SS. MAXIMVS. APVD Regium Galliæ Narbonenſis antiquiſſimum oppidum felix ad ſuperna tranſitio ſancti MAXIMI Epiſcopi, doctrina, & diuinæ virtutis ſplendore clariſſimi, cuius Eccleſia memoriam anniuerſariis ſacris recolit ac honorat 5. Kalend. Decembris. In Hannonia inuentio ſan-

GISLENVS. cti GISLENI Confeſſoris.

30 *Pridie Kalend. Octobris.*

SS. HIERONYMVS. CLVNIACI veneratio ſacratiſſimi capitis ſancti HIERONYMI Doctoris Eccleſiæ maximi. Cuius & nonnullæ exuuiæ pretioſæ Toloſæ ſumma in veneratione habentur, tam in Collegio Fuxenſi, quod beatiſſimum Confeſſorem agnoſcit tutelarem, quàm in cella ſancti Ludouici ordinis ſancti Benedicti. Catalauni ſancti LEVDOMERI Epiſcopi illius ciuitatis, qui ſancti Elaphij frater, dignis progreſſibus ad hanc cathedram prouectus, populo ſibi commiſſo æternitatis viam, nitido quem tenuit iuſtitiæ & Religionis tramite demonſtrauit. Multáque fruge collectâ gratiæ & laboris, ad ſuperna tabernacula ſibi mundo corde parata, feliciter euolauit. Quieſcit in Eccleſia omnium Sanctorum, in qua ſepultus, cùm beatitudinis ſuæ ſigna crebra proderet, non tam epitaphio, quàm encomio, ad eius tumulum appenſo, honoratus eſt: quo non tantùm ob diuinæ conuerſationis exempla laudatur, ſed

à deuoto populo tamquam Dei glorioſus amicus & potens auxiliator
clientum inuocatur. Lemouicis ſancti VICTVRNIANI Eremitæ. Qui VICTVRNIANVS.
Scotus patriâ, illuſtri genere editus, Deo vt ſine impedimento ſeruiret;
relictâ vt alter Abraham patriâ, in Galliam Aquitanicam tranſmeauit,
atque ad Vigennam flumen in agro Lemouicenſi, tuguriolo conſtru-
cto, ſumma in vitæ innocentia conſedit, cœleſtibus ſpeculationibus &
diuinis obſequiis totus intentus. Quo in loco poſt beatam mortem ſe-
pultus, magnis prodigiis reſplenduit: ob quæ Eccleſia ibi ædificata eſt
ſub eius patrocinio, in qua abhinc ſacris honoribus celebratur. In Ve-
romanduis ſancti SIMEONIS Comitis, qui ibi colitur in Vermandi SIMEON.
Abbatia ordinis Præmonſtrat. diœceſis Nouiodunenſis.

CLAREVALLIS felix obdormitio beati IACOBI de Viniaco, qui XXIV. Ci- *Iacobus.*
ſtercienſis ordinis Generalis, pacis & quietis animæ amore & deſiderio, paſtorale
munus quod digniſſimè obierat, ob diſſentiones enatas depoſuit, & Claramual-
lem reuerſus eſt, vbi in humilitate & perfecto Chriſti obſequio, conſenuit. Tan-
ta autem puritate morum & decore ſapientiæ & virtutis emicuit, vt vel æmulis
ſuis admirationem, ac reuerentiam ſui ipſius (quam haud affectabat) excitârit:
ſuo enim tempore quaſi Angelus Dei apparuit, & poſt obitum, multis gloriæ co-
ruſcationibus refulſit.

OCTOBER.

1 *Kalendis Octobris.*

APVD Traiectum ad Moſam ſancti VRSICINI Epiſcopi Tun- SS.
grenſis, & Confeſſoris, qui ſancti Agricolai ſucceſſor perdignus VRSICINVS.
ſub Clodouæo Rege Magno claruit, non tam dignitate ſedis, quàm
merito conſpicuæ ſanctitatis: ob cuius inſignia, honorem perpetuæ ve-
nerationis, quâ beati Dei amici coluntur, ſua in Eccleſia iamdudum
obtinuit. Cuius cathedra inde Leodium tranſlata, nomen eius glorio-
ſum ibidem, inter celebres ſanctitate eiuſdem ſedis Præſules, conſigna-
uit percolendum. Hoc ipſo die in Gallia ſancti FRONTI Epiſcopi. Hic FRONTVS.
natione Anglus, facibus ſuccenſus diuini amoris, relicto ſolio pontifi-
cali & patriâ, ad latendum, in Galliam tranſiuit: vbi *ſolitarius ſedens, ſe-
que ſupra ſe* pennis ſanctæ contemplationis *leuans*, exutâ carne quam
mundo crucifixerat, ſpiritum fontem vitæ ſitientem, ad torrentem æ-
ternæ voluptatis Chriſtum, quem vnicè ſemper ſpirauerat, emiſit.

2 *Sexto Nonas Octobris.* SS.

REMIS quæ eſt ſecundæ Belgicæ Metropolica Sedes, antiqua De- Beatiſſ. V. M.
dicatio maioris Baſilicæ in honorem BEATISSIMÆ VIRGINIS DEI SERENVS
GENITRICIS MARIÆ. Cantumerulæ ſancti Sereni Confeſſoris exi- de quo, vide additionem ad finem huius ſupplem.
miæ ſanctitatis & gloriæ. Pariſiis depoſitio ſanctæ CELINIÆ Virgi-
nis ſanctæ Genouefæ alumnæ: cuius feſtiuam memoriam Maiores an-
niuerſario officio die 21. Octobris honorârunt. Binchij in Hannonia, CELINIA.

VRSMARVS. CLARA. Tranſlatio ſancti VRSMARI, & aliorum beatorum Confeſſorum. Ipſo die Tranſlatio ſanctæ CLARÆ Virginis: cuius ordo ſanctiſſimus tota diffuſus Gallia, felicem recordationem propria reuerentia proſequitur.

3 *Quinto Nonas Octobris.*

SS. SANCTINVS & ANTONIVS. LVTETIÆ Pariſiorum Natalis Sanctorum SANCTINI & ANTONII. Qui ex primis ſancti Dionyſij diſcipulis, interiorem Galliam faucibus Euangelicæ doctrinæ illuſtrarunt: Viroduni, Carnuti, Meldis Chriſti trophæa erexerunt; Pariſiis religionis enaſcentis cunabula, maximè poſt martyrium ipſius Dionyſij (cuius triumphum oculis perſpectum, litteris conſignauère) paterno amore fouerunt, alternis vicibus Meldenſis Eccleſiæ primordia prouexerunt, paſtoraliſque eius cura ſucceſſiuè perfuncti, eodem fine ad ſummi boni principium redierunt: Chriſtum ſcilicet æterni Patris vnigenitum: cuius ob gloriam, extremam ad luctam, Meldis Pariſios (eodem die quidem recurrente, at diuerſo anno) abducti, præſtanti certamine ſigillatim confecto, laureas immarceſſibiles ab ipſo gloriæ Domino, in regia cœleſti, perceperunt. Maſſi- CANALIS. liæ ſancti CANALIS Epiſcopi teſtimoniis diuinæ gratiæ & gloriæ præclari: cuius corpus in ſummo illius vrbis templo requieſcit, vbi & hodie celebratur eius memoria religioſo cultus honore. In Tullenſi territorio Eccleſia de Portu ſuaui (quæ titulo, & tutela ſancti Nicolai, eſt MENNA. CYPRIANVS Abbas. totâ Galliâ & Germaniâ celebris) natalis ſanctæ MENNÆ Virginis glorioſæ. Telone Martio in ora Prouinciæ ſancti CYPRIANI Abbatis: qui patriâ Maſſilienſis, religioſæ vitæ magiſterium apud Telonenſes exhibuit; omnis Euangelicæ perfectionis factus tam verbo, quàm opere didaſcalus: quo munere ad cumulum adimpleto, multorum pater aſcetarum religioſiſſimorum, hâc palæſtrâ exceſſit, & ad præmium perrexit ſibi à Domino in cœlis repoſitum, relinquens memoriam in Telonenſi Matrice Eccleſia, ab hinc ſacris faſtis celebratam: in qua vi- CYPRIANVS Martyr. get etiam perenni cultu, percolenda recordatio beati CYPRIANI Martyris, à Saracenis Gallias inuadentibus illic ad altare perempti. Necnon CYPRIANVS Epiſcopus Telon. & ſancti CYPRIANI Eccleſiæ ipſius Telonenſis Epiſcopi, qui vitam ſancti Cæſarij Arelatenſis conſcripſit: inque Conciliis aliquot, magnus & clarus, doctrina & moribus ſanctis emicuit. Veſuntione Sequano- STEPHANVS Protomart. rum Metropoli Dedicatio maioris Baſilicæ in honorem ſancti STEPHANI Protomartyris, cuius tunica, & brachium vnum, cum parte ſacri cruoris, ibi dudum à Placidia Auguſta repoſitum, omni religione tenetur.

4 *Quarto Nonas Octobris.*

SS. PERPETVVS. APVD Tullum ſancti PERPETVI Epiſcopi, ibi cum magno ſplendore ſanctitatis defuncti. Moyſſiaci Cœnobio in agro Caturcenſi veneratio ſancti Malfredi Epiſcopi incertæ ſedis, at exploratæ ſanctitatis.

5 *Tertio*

5 *Tertio Nonas Octobris.*

VLTRAIECTI ſancti RIXFRIDI Epiſcopi, qui ſeptimus ordine, ſeptemplici ſpiritus chariſmate inunctus, in domo Dei ſicut candelabrum lucens & flammans viuæ fidei & perfectæ charitatis ſplendore emicuit: multóſque in vias pacis & iuſtitiæ cùm deduxiſſet, animam lucis filiam ad patrem æterni luminis glorificandam tranſmiſit. Niuernis ſancti HIERONYMI Epiſcopi itidem & Confeſſoris. Hic maiorem Eccleſiam fultus Caroli Calui munificentia inſtaurauit: háncque Sanctis Martyribus Cyrico & Iulittæ (quorum ſacra ſuſceperat ad tutelam pignora) dedicauit. Sed non minus templi ſpiritualis augendi quàm materialis reparandi ſtudioſus, cùm in ſe viuum Deo tabernaculum condidiſſet: expolitis pleriſque ad ſpiritualis ſanctuarij fabricam, & ad ſupernæ ciuitatis ſtructuram, lapidibus viuis, in æterna pace, ſtrenuus Chriſti cooperarius demum feliciter quieuit, atque in ſancti Martini Cœnobitica Eccleſia tumulatus, magnis refulſit ſuſceptæ in cœlis apud Dominum gloriæ donatiuis. Coloniæ tranſlatio ſancti SEVERINI, ſeu potiùs aduentus, & ſuſceptio ſacratum eius exuuiarum ex Aquitania. Hoc ipſo die feſtiuitas ſanctæ THERESIÆ Seraphicæ Virginis, Carmelitarum diſcalceatarum fundatricis, multis in Gallia monaſteriis quæ idem inſtitutum tenent, deuotiſſimè celebratur. In cuius glorioſæ Chriſti ſponſæ venerationem, mox ac Sedis Apoſtolicę oraculo (decreto ſcilicet Gregorij XV. Pontificis Maximi) publici ſanctitatis approbatæ honores eidem delati ſunt; Lutetiæ Pariſiorum erecta fuit inſignis capella in Parœciali templo Sanctorum Confeſſorum Lupi & Ægidij, ea in parte ſacratiori baſilicæ, quæ noua mole, at nobiliori opera conſtruebatur.

SS. RIXFRIDVS. HIERONYMVS. SEVERINVS. THERESIA.

6 *Pridie Nonas Octobris.*

AGENNI Nitiobrigum in Aquitania ſecunda ſancti DVLCEDII Epiſcopi, deuoti ſanctæ Virginis & Martyris Fidis, beatíſque ibidem Chriſti athletæ Captaſij veneratoris: in cuius beatæ Virginis honorem, Eccleſiam parœciali titulo inſignitam excitauit. Porro (quod maius eſt) idem gloriæ Filij Dei acerrimus aſſertor, Arrianos impiè huic detrahentes, impugnauit. Deinde ſeruatâ fide, conſummato curſu, expleto bono certamine, coronam iuſtitiæ adeptus eſt repoſitam. Aptæ Iuliæ ſancti AMANRVESII Confeſſoris præclari, cuius ſacrum corpus in maiori illius Epiſcopalis ciuitatis Eccleſia, magno cum cultu conſeruatur, hodiéque ibidem beata eiuſdem depoſitio recolitur. Coloniæ Agrippinæ S. YVVII Diaconi ſancti Cutberti Epiſcopi; eiuſdémque diſcipuli, & imitatoris egregij. Ipſo die in Diœceſi Lombarienſi vico Pompeiaco ſancti PARDVLFI egregij Confeſſoris, qui ibi magnis virtutibus fulſit. Eodem die in agro Gabalitano glorioſa migratio ſanctæ ENYMIÆ Virginis regiæ, quæ dum ad terrenas nuptias vrgeretur, impetratâ à Domino leprâ ob virginitatis cuſtodiam, ab Angelo monita Burleum fontem adiit, vbi ſanata eſt. At cùm iterum impeteretur virginalis eius conſtantia,

SS. DVLCEDIVS. AMANRVESIVS. YVVIVS. PARDVLFVS. ENYMIA.

vſque tertiò ſimili tabe percuſſa: annuente Dagoberto fratre Rege, duplici monaſterio ad montes Tarni fluuio imminentes, quò perfugerat, ædificato, à beato *Iſero* Epiſcopo, Virginum Abbatiſſa, ſolemni ritu conſecrata eſt: ac virtutibus pollens, Angelorum, *quibus ſemper eſt amica virginitas*, frequenti honorata obſequio, morte in conſpectu Domini pretioſa, cœleſtis regni gaudia comparauit.

7 *Nonis Octobris.*

S. AVGVSTALIS. ARELATE commemoratio ſancti AVGVSTALIS Epiſcopi, qui tempore ſancti Leonis magni, Galliam decore doctrinæ, & pietatis egregiæ illuſtrauit, ſanctóque Hilario Arelatenſi ſancta amicitia deuinctus, eidem in ſalutis gregis Domini ſedula procuratione, collaborauit: fractúſque non fide ſed ætate, feliciter obdormiuit in Chriſto, die 7. Septembris, quo in ſanctæ Romanæ Eccleſiæ ſacris diptychis, memoratur beati eius tranſitus memoria.

8 *Octauo Idus Octobris.*

SS. METROPOLVS. NATALIS ſancti METROPOLI Epiſcopi Tungrenſis ſimúlque Treuirenſis, & Martyris: ſub Marco Aurelio Antonino, in pugna quam pro Chriſtiana pietate iniit & peregit, coronati. In Diœceſi Tullenſi natalis ſanctæ LIBARIÆ Virginis & Martyris in Grandenſi Eccleſia celebraræ. Autiſſiodori Natalis Sanctorum Martyrum DIONYSII & FAVSTINI. Cabilone in Æduis ſancti GRATI Epiſcopi & Confeſſoris, qui Eccleſiam S. Laurentij conſtruxit, ſedémque Epiſcopalem inibi tenens perfectæ ſanctimoniæ titulis exornauit: in eáque ſepultus, tot radiauit beatitudinis promeritæ ſignis, vt Ioannis VIII. Papæ (Cabilonem in reditu ſuo inuiſentis) iudicio & præcepto, de tumulo leuatus, & Sanctorum catalogo inſcriptus, plenam inde acceperit ſanctitatis venerationem.

LIBARIA. DIONYSIVS & FAVSTINVS. GRATVS.

9 *Septimo Idus Octobris.*

S. VICTOR. VIRODVNI ſancti VICTORIS Epiſcopi, qui ſub Clodouæo Rege clarus ſapientiæ cœleſtis & veræ iuſtitiæ decore, ſubdito ſibi populo mirificè præluxit, lucíſque operibus affluens, ſplendoribus quos emeruerat Sanctorum, in regia cœleſti, potitus eſt.

Bernardus. Gausbertus. IN Vellaunis depoſitio beati BERNARDI Abbatis Monſaluienſis: ſancti GAVSBERTI proto-Abbatis illius loci, qui colitur ſingulis annis feſtiua commemoratione, ſexto Kalendas Iunij, præcipui aſſeclæ & meritiſſimi ſucceſſoris: in cuius ibidem encomio, ipſa die, hoc in Supplemento exarato, etiam Inuentio laudatur. Dominica prima poſt feſtum S. Dionyſij celebratur feſtum ſanctarum RELIQVIARVM ab vrbe Conſtantinopoli SVESSIONEM allatarum: & legitur in Eccleſia Sueſſionenſi hiſtoria DE MIRACVLIS SANCTÆ MARIÆ SVESSIONE FACTIS.

Sacræ Reliquiæ Sueſſionenſes, & ibid. Feſtum miraculorũ ſanctæ Mariæ.

10 *Sexto Idus Octobris.*

SS. Evodivs. Geraldvs. Clarvs.

AVGVSTÆ Trecarum depoſitio ſancti EVODII Metropolitæ Rotomagenſis, qui alibi cultu anniuerſario celebratur die 22. Decembris. Aureliis ſancti GERALDI Monachi diuinarum virtutum æmulatoris. Nannete in Armorica natalis ſancti CLARI, qui cùm Dei ſpiritu ad omne bonum ageretur, à ſancto Petro Epiſcopus ordinatus, eámque ad ciuitatem legatus, miráque aggreſſus pro Chriſti nomine, lumine, quod perferebat Euangelicæ veritatis, hinc caliginem ethnicæ infidelitatis longè depulit. Ciuium illius vrbis illuminauit mentes, Chriſtianæ Religionis normam iiſdem tradidit & formam indidit: tandémque exacto ſibi demandato Apoſtolico munere, ad donatiuum peruenit ſtrenuis agoniſtis propoſitum.

11 *Quinto Idus Octobris.*

SS. Avgvstinvs.

TRANSLATIO ſancti Pattis AVGVSTINI, quando primùm ex Africa in Sardiniam, venerandum eius corpus delatum eſt, ob ſæuitiam Wandalorum. Quæ prior tranſuectio, æquè ac poſterior, quà à Luitprando Longobardorum Rege ex Sardinia ipſius beati Pontificis corpus Ticinum deportatum fuit, vniuerſo in eius ordine ſacris anniuerſariis celebratur, cùm in Monaſteriis Eremitarum, tum in Cœnobiis Canonicorum Regularium eiuſdem ordinis, totum in Galliæ ſinum longè latéque diffuſi. Coloniæ Agrippinæ ſancti BRVNONIS Epiſcopi, qui Othonis Imperatoris frater, regiam progeniem diuinis moribus antecelluit. Hic enim vir beatiſſimus ſolum Dei regnum cogitans, mundi opes & honores, alióſque fucos, ſtrenuè aſpernatus, ita vixit, vt iam mundo mortuus, ſoli Chriſto, cui commori geſtiebat, verâ, hoc eſt ſpirituali vita, viueret. Illum ob micantia Apoſtolicæ virtutis lumina Agapitus II. Papa pallio honorauit: Anſegiſus Trecenſis Epiſcopus miſſis pretioſis ſancti Patrocli exuuiis, religioſo munere donauit. Imò & præfatus Papa, datis S. Pantaleonis reliquiis, ad quas venerandas, monaſterium tituli ipſiuſmet beatiſſimi Martyris Bruno, ipſemet extruxit. Deinde perfectus in omni ſanctitate, felici fine quieuit. In agro Lemouicenſi Monaſterio Fontaneti, obdormitio ſancti MAVRINI monachi & Confeſſoris. Hic ortu Biturix, cœleſtis patriæ amore monaſterium tum percelebre ſancti Germani Autiſſiodorenſis petiit, vbi ab Mammertio Abbate ſanctiſſimo, paternè ſuſceptus, humilitatis & paupertatis colendæ affectu, boues vt paſceret, impetrauit, animæ interim obſeruator intenſiſſimus. Cùm autem diuinæ gratiæ (cuius affluebat donis) etiam inuitus & latere cupiens, radiis corruſcaret; ad tractum Lemouicenſem directus eſt, vt Fontaneti coaleſcens cœnobium, ſuis chariſmatibus locupletaret: vbi dum opera lucis exequitur, beato fine conſummatus, Chriſto vocante, ſupernam migrauit ad gloriam. Hoc ipſo die tranſlatio ſancti HADELINI Confeſſoris facta auſpiciis Adolphi à Marchia, Epiſcopi Leodicenſis anno milleſimo trecenteſimo trigeſimo

Mavrinvs.

Hadelinvs.

GRADVLPHVS. FAVSTA. nono. Ipſo die Engoliſmæ ſancti GRADVLPHI Confeſſoris. Bituricis tranſlatio ſanctæ FAVSTÆ, cuius corpus in Monaſterio de Pratea repoſitum quieſcit.

12 *Quarto Idus Octobris.*

SS. PANTHALVS. ALPINVS & HERMANIVS. COLONIÆ Agrippinæ, Natalis ſancti PANTHALI Epiſcopi Baſilienſis & Martyris, ibi cum ſancta Vrſula, & eius ſodalibus virginibus trucidati. In Aquitania Natalis Sanctorum ALBINI & HERMANII.

13 *Tertio Idus Octobris.*

SS. ROLANDVS. CAMERACI ſancti ROLANDI Epiſcopi, qui ſancto Ioanni ſucceſſit; Normanorum infidelium, qui ciuitatem Cameracenſem combuſſerunt feritatem, Chriſtiana manſuetudine debellauit; obiénſque ſanctitatis plenum nomen reliquit. Item ſancti PETRI Raſtiatenſis dicti Epiſcopi & Confeſſoris, qui origine Lemouix, facem virtutis & doctrinæ cœleſtis circumferens, Hiſpaniam Apoſtolicis ſuis fulgoribus illuſtrauit. Quamobrem 42. Bracarenſis Antiſtes factus eſt; editíſque in hac Metropolica ſede præclaris iuſtitiæ & pietatis ſignificationibus, in cœlum pro meritis ſuſceptus eſt.

PETRVS Raſtiatenſis.

14 *Pridie Idus Octobris.*

SS. AGRATVS & CASTVRVS. GVILELMVS. VIENNÆ Allobrogum Sanctorum Epiſcopoporum AGRATI & CASTVRI incertæ ſedis Antiſtitum, ac conſpicuæ ſanctitatis Confeſſorum. In Normania S. GVILELMI, Comitis illius prouinciæ, & Angliæ Regis.

15 *Idibus Octobris.*

SS. LEONARDVS. IN agro Æduenſi Cœnobio Corbiniaco, depoſitio ſancti LEONARDI Preſbyteri & Confeſſoris, patientia, humilitate, auſteritate, pietate, necnon ſignis diuinæ gratiæ, tam in vita, quàm poſt mortem glorioſi. Toloſæ in Baſilica ſancti Saturnini Tranſlatio beati IACOBI Apoſtoli Zebedæi filij.

IACOBVS Apoſt. Maior.

Philippa de Campteliman dicta. VIENNÆ Tranſitus beatæ PHILIPPÆ de Campteliman, quæ poſt vitæ ſanctiſſimæ decurſum, ad ſanctum Mauritium in Clauſtro ad altare ſanctæ Mariæ tumulata, intra annos decem, ſexdecim mortuos ſuſcitauit.

16 *Decimo ſeptimo Kalend. Nouembris.*

SS. PRISCVS & HILARIVS. APVD Carnutes Natalis ſancti PRISCI Martyris ad Auduram fluuium in concertatione fidei laureati, cum HILARIO eiuſdem, in titulo pugnæ & palma victoriæ, digniſſimo conſorte. Amborum horum corpora Athletarum ad Iotrenſe celebre Monaſterium virginale in agro Meldenſi, ob fulgentia diuinæ virtutis ſigna delata, ibidem in ſacrario cum permultis Beatorum reliquiis, ſummo in honore habentur. In Monte Falconis apud Belgas ſancti BALDRICI Monachi clariſſimæ ſanctitatis. Apud Ruthenos paſſio Sanctorum Martyrum GRATI & ANSVTI, ex quibus prior patria Romanus nobili genere natus, in

BALDRICVS. GRATVS & ANSVTVS.

Galliam veniens, ſeſe Anſuto pietatis fœdere coniunxit; & prædicatione diuinæ veritatis, ſignîſque clarus, patientia in laboribus, & perſecutionibus præſtans, impiorum cùm cæcitatem & ſæuitiam reprehenderet, hóſque ad agnitionem veri numinis, (quâ ſalui fierent) hortaretur, ab his cum ſuo ſuffragatore tentus & capite cæſus, inclytó Martyrio occubuit. Colitur in vico ſui nominis, vbi pugnans extremo conflictu pro Chriſto triumphauit. Eodem die ſancti GALDERICI Confeſſoris. Hic ortu Toloſanus in Cataloniam tranſiens, extra ſolum patrium, vberes fidei fruges, oliua fructifera protulit: exemptúſque mortalis vitæ viciſſitudine, ad perpetuas cœli amœnitates, inter germina gloriæ immarceſſibilia, quæ in horto diuinæ voluptatis conſita ſunt, tranſlatus eſt. Quieſcit ſacrum eius corpus Canigoni pago Comitatus Parpinianenſis. Ipſo die in monte Tumba præſulatus Abrincenſis dedicatio Baſilicæ ſancti MICHAELIS Archangeli. GALDERICVS. MICHAEL Archangelus.

17 *Decimo ſexto Kalend. Nouembris.*

AVGVSTÆ Treuirorum natalis ſancti FLORENTII Epiſcopi & Martyris. Qui cùm Tungrenſem ſimul & Traiectenſem Eccleſias ob operariorum paucitatem & meſſis abundantiam curaret, in ſeptima perſecutione ſub Gallo & Voluſiano producta, titulo Chriſtianitatis impetitus, quòd fidei doctor & animarum paſtor ſtrenuiſſimus; fortiter in munere perſiſteret, extremo affectus ſupplicio, ex morte vitam, ex agone extremo coronam perennem comparauit. In agro Toloſano paſſio SANCTARVM PVELLARVM, quæ cùm funus ſancti Saturnini Epiſcopi & Martyris procuraſſent, ad eius ſepulcrum in odium pietatis necatæ ſunt: quamobrem, vt Martyres ex maiorum traditione honorantur. Cabilone in Æduis ſancti FLORENTII, iſtius ciuitatis Epiſcopi & Confeſſoris. Hic Turonis natus, gratia Dei repletus, virtute multa in liberandis energumenis, cùm Gratianopoli, tum Mediolani etiam enituit: ac tandem humilitate & charitate præcellens, cœli gaudia à diuino largitore adeptus eſt. Eius oſſa multis rutilantia ſupernæ virtutis coruſcationibus partim Anitij, partim in Lauſonio Vellaunorum viculo cum religione adſeruantur. Quin & illorum pars in Italiam virtutum eius memorem, votiuo munere tranſuecta, in oppido Florentiolæ ab eo cognominato, collocata, in templo ipſius nominis; magna cum reuerentia habetur, vbi & hodie officium eius ſolemniter celebratur à ſancta ſede Apoſtolica approbatum. Apud Mirapicenſes ad Lertium amnem, ſancti GAVDERICI Confeſſoris: qui patria Toloſanus, ſuo tempore eximia pietate, patientia, humilitate, & charitate clarus, morienſque ad æternos Sanctorum ſplendores diuino nutu aſſumptus eſt. Corpus eius ad cathedralem ſancti Mauricij Eccleſiam digniſſimè delatum, ibidem in theca argentea multa cum veneratione conſeruatur: noménque eius contra æris tempeſtates, & incommoda inuocatur, frequenti populi concurſu. Abiit quidem ad Chriſtum beatiſſimus Confeſſor die præcedenti, ſed memoriæ eius veneratio quibuſdam in tabulis hac die

SS. FLORENTIVS. Toloſanæ puellę Martyres. FLORENTIVS. GAVDERICVS.

ſignatur anniuerſario cultu exequenda. Habet autem & alterum feſtiuitatis diem, tranſlationis ſcilicet, quæ colenda incidit in diem 15. Iulij.

PETRVS. Cæterùm fuit huic ſancto Confeſſori plurimùm addictus B. PETRVS poſtremus Epiſcopus Mirapicenſis ex aſceta Lezatenſi. Qui *pauperum pater*, ex affectu miſericordiæ erga inopes, officiíſque magnæ charitatis, dum adhuc mortalis eſſet, dici promeruit, déque ſtadio ad præmium ideo feliciter excedens piiſſimè expirauit die 3. Iulij anno Domini 1630.

AVSTRVDIS, & BALDVINVS. Cœleſtem aulam hodie ingreſſa eſt ſancta AVSTRVDIS virgo: cuius frater beatus BALDVINVS ſancti Seculfi Laudunenſis Epiſcopi Archidiaconus, ſectator etiam & ſocius in gloria æterna, ſancta ex conuerſatione & fideli diſpenſatione effectus eſt. Tumbæ monte in Normania

SERGIVS & MARGARITA. ſancti SERGII Ducis: qui ſolidam gloriam in ſyncero Dei famulatu quærens, cum vxore MARGARITA templi ſancti Michaëlis obſequiis ſeſe Chriſti amore mancipauit: cui & illa ſubminiſtrauit multa cum humilitate & ſedulitate. Donec ambo in ſuauiſſima Saluatoris ſeruitute conſummatis caducæ lucis diebus, ad lumen indeficiens emeritæ beatitudinis diuina euocatione commigrârunt.

18 *Decimo quinto Kalend. Nouembris.*

S. HERBLANDVS. IN territorio Andegauenſi ſancti HERBLANDI Cœnobiarchæ. Qui fœtus gratiæ ſemine filios Chriſto multos progenuit: ditatúſque ſobole ſanctæ operationis ad quietis æternæ promiſſam perrexit vſuram.

19 *Decimo quarto Kalend. Nouembris.*

SS. VERANVS. APVD Iargolium in agro Aurelianenſi ſuſceptio corporis ſancti VERANI Epiſcopi Cauellicenſis. Qui Gabalis in Aquitania ortus, à pueritia in Dei timore & ſacris diſciplinis inſtitutus, Clericus Mimatenſis Eccleſiæ effectus eſt. Cúmque fama eius ſanctitatis iam erumperet, declinandæ humanæ exiſtimationis affectu, ad Cauellicenſem prouinciæ Maſſilienſis vrbem contendit, vbi fugato immani dracone Eccleſiam beatæ Deigenitricis ædificauit. Tum Romam peregrinus veniens, & in multis vrbibus plurima ſanctitatis ſigna operatus, dum perſequentem ſe nominis gloriam quocumque fugit, ſupernæ diſpoſitionis arcano iterum ad Cauellicenſam vrbem delatus, Epiſcopali honore inuitus quamuis ſublimatus eſt. Quo in munere maiora gratiæ diuinæ lumina propalauit: cúmque in ſyncero Dei famulatu, & gregis ſedulà procuratione conſenuiſſet, Concilio Matiſconenſi ſecundo interfuiſſet, plenus diebus & meritis vitæ immortalis præmia adeptus eſt. Sepultus fuit ſanctus Antiſtes in Oratorio, quod in honorem Deiparæ Virginis pridem conſtruxerat. At poſtea crebreſcentibus ad eius tumulum prodigiis in ciuitatem delatum ſacratiſſimum eius corpus Cathedrali Eccleſiæ titulum ſui nominis indidit: & vniuerſæ diœceſi cuius fuit primus paſtor perenne contulit beati iam cœlitis patrocinium. Verùm iam-

pridem inde ipſum eius corpus tranſlatum in interiorem Galliam, apud Iargolium, tribus ab Aurelia paſſuum millibus, repoſitum eſt in Eccleſia ſanctæ Crucis, quæ poſtea ob glorioſi hoſpitis celebritatem de eius nomine inſignita eſt: in qua Decanus cum capitulo Canonicorum, nocturnis & diurnis horis ſedulam Domino perſoluunt ſeruitutem. Colitur autem præcipuè ſanctus hic Pontifex pridie Idus Nouembris, quo die fidelis diſpenſationis remunerationem accepit. Viennæ S. THEVDERI Abbatis, qui Monachus Lerinenſis ſub ſancto Cæſario Abbate, poſtea Arelatenſi Epiſcopo, ſic diſciplinæ cœleſtis theoremata didicit, vt in normam viuam perfectæ pietatis & exemplar totius religionis, tam opere quàm ſermone tranſierit: demúmque plurimorum diſcipulorum informator, ad conſpectum Domini euectus eſt peroptatum. Eodem die in Aruernis ſancti AMABILIS itidem Ætheriarchæ religioſiſſimi, cuius inſignior laus habetur in præcipua eius commemoratione Kalend. Nouembris. Tamen Ricomagi feſtum habet 3. Idus Iunij. THEVDERVS. AMABILIS.

BEATIFICATIO venerandæ memoriæ IVONIS Epiſcopi Carnotenſis, cuius feſtum cum officio in ordine Canonicorum regularium, quotannis in die eius obitus qui 23. eſt huius menſis, Pius V. Papa celebrari conceſſit Apoſtolicis tabulis Romæ exaratis Pontif. anno 5. Iuo.

25 *Decimo tertio Kalend. Nouembris.*

CABILONE Æduorum ſancti VERANI Epiſcopi & Confeſſoris: cuius vita fide & virtutum meritis conſpicua emicuit. Hic tanta vi diuina præditus fuit, vt plerumque (ſicut refert beatus Gregorius Turonenſis) infirmis ſignum crucis imponens ſtatim ſanitatem tribuente Domino reſtitueret. Cuius ex ſanctitatis exploratæ reſpectu, voluit Childebertus Francorum in Auſtraſia & Burgundia Rex, vt filium ſuum Theodoricum de ſacro fonte ſuſciperet. Cùm autem poſt mortem in tumulo reniteret gloriæ vberioris radiis, Ioannes Papa VIII. eò tranſiens cùm à Trecenſi Concilio rediret, iuſſit ſacra eius oſſa de ſepulchro advenerationem exaltari, noménque eius perpetuo ſanctitatis honore hac die celebrari. Eodem die apud Treuiros in Monaſterio Theologij à Dagoberto Francorum Rege fundato, ſancti WANDELINI Abbatis. Hic ex regali Scotorum genere procreatus, cuncta ſæculi illicia deſpiciens, in Galliam, liberiùs vt Chriſto in humilitate ſeruiret tranſmeauit, Monachúſque factus cùm non fucatæ ſanctimoniæ claritate polleret, ab ipſo Rege Dagoberto illic Abbas primus conſtitutus eſt. Vbi aggregatis regularis obſeruantiæ cultoribus præluxit perfectiſſimæ vitæ & cœleſtis ſapientiæ fulgore: quouſque quietæ mortis ſomno conſopitus, relictis habenis regiminis felix ad regnum Dei tranſmigrauit. Ipſo die natalis Sanctorum EVTICI, LVCII & MARCELLIANI, in antiquis Toloſanæ Eccleſiæ diptychis conſcriptorum. SS. VERANVS. VVANDELINVS. EVTICVS, LVCIVS & MARCELLIANVS.

REMIS piiſſimè quieuit SONANTIVS Metropolita, qui ſedis Apoſtolicæ ex titulo ſuæ Eccleſiæ Legatus Concilium Gallicanorum Præſulum celebrauit; in quo collapſos mores Cleri & populi reuocari curauit ad diſciplinæ Eccleſiaſti- Sonantius.

ex normam, pietatéque vindicata, & multis bene in Dei obſequium & animarum ſalutem affectæ mentis editis indiciis, de carne tandem plenus ſpe Chriſtiana exceſſit, poſtquam annis triginta ſeptem Eccleſiam ſuam religioſiſſimæ gubernâſſet.

21 *Duodecimo Kalend. Nouembris.*

SS. MAVRONTVS. MASSILIÆ ſancti MAVRONTI Epiſcopi: cuius corpus pleriſque beatæ animæ irradiationibus illuſtrarum, in templo Cathedrali eiuſdem vrbis plurima cum veneratione ſeruarur. Meldis ſanctæ EDIMIÆ (EDIMIA.) Virginis, teſtimonio diuinæ beatitudinis claræ. Ipſo die Natalis ſancti BERTHOLDI (BERTHOLDVS.) Martyris. Qui vnus ex Caroli Magni aulicis, factus ex Comite Eremita, à latronibus impiè interfectus eſt prope pagum Einſedlienſem in Heluetia. Ipſo die in Scotia tranſitus ſanctæ DARIÆ (DARIA.) matris ſanctæ Vrſulæ Virginis & Martyris, quæ cum numeroſo ſociarum Virginum agmine, pretioſo cruore in aſſertione pietatis & pudicitiæ effuſo, Galliæ oras purpurando decorauit. Hoc ipſo die Sanctæ COLVMBINÆ (COLVMBINA.) Virginis & Martyris ex ſodalitio ſanctæ Vrſulæ. Huius corpus in Hiſpaniam è Colonia tranſlatum, Pobleti in Catalaunia digna honorificentia tenetur. Eodem die natalis ſancti CONDEDI (CONDEDVS.) aſcetæ & Martyris in Gallia coronati.

22 *Vndecimo Kalend. Nouembris.*

SS. BERTHARIVS. PASSIO S. BERTHARII Abbatis Caſſinenſis & Martyris, liligeræ Francorum ſtirpis regiæ præcelſi germinis. Hic apud Caſſinū cùm victimam Chriſtianam ad aram immolaret, ipſemet factus hoſtia qui ſacerdos, à Saracenis cum plurimis Cœnobitis interemptus eſt. Ipſo die S. LEONTII (LEONTIVS.) Epiſcopi, loco ſedis ignoti, at ſanctimoniæ notitiâ conſpicui, ob quam colendus hodie indicatur, in antiquis Eccleſiæ Toloſanæ tabulis. Apud Bredam in Brabantia natalis ſancti ODELBERTI (ODELBERTVS.) Martyris Hocſtratæ oppidi protectoris. Dertoſæ in Hiſpania Tarraconenſi veneratio reliquiarum ſanctæ CANDIDÆ (CANDIDA.) Virginis & Martyris, Coloniæ in ſolo Gallico cum ſancta Vrſula laureatæ. Huius beatæ Cœlitis reliquiarum pars altera Fribugi in Heluetia (vbi Baſilienſis Epiſcopi & Capituli iam hæret, profligatâ à Baſilienſibus ciuibus Catholicâ religione, ſedes) omni honore conſeruatur, cum ſanctæ FLORÆ (FLORA.) eiuſdem Candidæ ſodalis venerandis lipſanis. Berceti oppidulo in confiniis Parmenſis ditionis, beata migratio ſancti MODERAMNI (MODERAMNVS.) primi Epiſcopi Redonenſis in Britannia Gallica. Qui cùm ad ſedem Apoſtolicam Eccleſiaſticæ neceſſitatis causâ fuiſſet profectus, iámque ad ſuam Eccleſiam rediret, ibi ſomno mortis præoccupatus, exuta carnis mole, animam meritis laborum multorum, quos in collectione & tutela noui gregis ſubierat præditam, paratam ad præmium, in ſumma puri cordis ſuauitate emiſit. Colitur hodie ibidem glorioſa eius memoria in Monaſterio ſancti Abundij ad fluuium Macram. Sueſſione Inuentio ſancti EDIBII (EDIBIVS.) Epiſcopi, cûius præcipua commemoratio agitur 4. Idus Decembris.

23 *Decimo Kalend. Nouembris.*

APTÆ Iuliæ natalis ſancti THEODORITI Martyris, in pugna Chriſtianæ veritatis, qua victor occubuit corona honoris & gloriæ redimiti. SS. THEODORITVS.
Ipſo die natalis ſancti THEODORICI Preſbyteri Antiocheni, & Martyris perilluſtris, ſub Iuliano Chriſti infeliciſſimo eiuratore, gladio cæſi; quem tutelarem & patronum Vceticenſis Eccleſia agnoſcit & colit. THEODORICVS.
In Burgundia, ſancti LEOTHADII Auguſtæ Auſciorum, iam ſedis Metropolitanæ, Antiſtitis. Hic ex Abbate Moyſſacenſi ad confluentes Tarnis & Saræ amnium in Caturcenſi agro; hanc ad cathedram ob micantia plenæ Deo mentis lumina euocatus, & inceptum aſceterium abſoluit, & paſtoris boni exempla ſecutus, diœceſim ſuam, adeóque & Nouempopulaniam vniuerſam, ad præſcriptum diuinæ voluntatis gubernauit. Cùm autem creditas ſibi oues annis 37. ſanctiſſimè rexiſſet, in Burgundia quò pro vtilitate Eccleſiaſtica profectus erat ad ſuorum laborum metas peruenit, placidáque morte in Chriſto, qui vera vita eſt, requieuit. Corpus eius ad propriam ſedem reuectum, & in ſumma æde ſanctiſſimæ Virginis Deiparæ conditum, ſignis gloriæ pleriſque effulſit: ex quibus id effectum, vt fidelis populi votis, tanquam gratus apud Deum ſuffragator, iam ab hinc fuerit inuocatus: quibus largiente Domino non rarò opitulatur. Succurrit enim ſæpiſſimè beatus Confeſſor & Pontifex clientibus ſuis, contra omnes anguſtias mentis & corporis: at potiſſimum contra ſubitaneam mortem patrocinatur. Eodem die natalis Sanctorum SEVERI, DOROTHEI & VICTORIS: quos antiqua Eccleſiæ Toloſanæ diptycha indicant hodie recolendos. Meldis ſanctæ SYRÆ Virginis, beati Fiacrij Confeſſoris & anachoritæ germanæ: quo cum Chriſtum extra ſolum patrium, colendum in ſpiritus humilitate quærens, de Scotia (cuius Regis, Eugenij nempe quarti, erat filia) in Franciam venit: fratrémque adeuntem ſanctum Pharonem Epiſcopum Meldenſem, ſecuta, ab ipſo ſancto Epiſcopo, B. Pharæ eiuſdem ſorori Abbatiſſæ Brigenſi notiſſimæ ſanctitatis, commendata, eius in diſciplinam conceſſit. Sub qua tanta virtute floruit, vt ſicut religionis perfectæ viuum ſpeculum, nitens omni obſeruantia caſtimoniæ, abſtinentiæ, pietatis, obedientiæ, humilitatis, charitatis, cæteris præluxerit. Candore igitur omnis puritatis & gratiæ conſpicua, regia virgo, quæ Chriſti amore regnum regióſque talamos deſpexerat: cùm iam vas honoris & gloriæ perfectum exiſteret, de cella ad cœlum tranſlata, regni ſempiterni decora auxit, ſplendoribúſque Sanctorum potita, ſpecioſa ſicut ſtella in perpetuas æternitates in Dei conſpectu lucens, hinc terris gloriæ ſuæ magnos infudit fulgores: quibus ante homines diuino placito clarificata, inter nitida paradiſi ſidera ſuſpici cæpit, perpetuíque cultus honore, Eccleſiæ iudicio digna cenſita eſt, quo potiſſimum in Gallia & Scotia celebratur. Treuiris tranſlatio ſancti MATERNI viri Apoſtolici.

LEOTHADIVS. SEVERVS, DOROTHEVS & VICTOR. SYRA. MATERNVS.

24 *Nono Kalend. Nouembris.*

SS. MAXENTIA & BARBANTIVS. IN territorio Bellouacenſi natalis ſanctæ MAXENTIÆ Virginis & BARBANTII eius famuli, Martyrum. Hæc beata virgo Scotiæ ſtirpis regiæ inclyta proles, affectu Chriſto placendi vehementer incenſa, quo integritatem ſeruaret ſuam & pietatem ſeduliùs coleret, in Franciam (omnibus ſancti propoſiti ſtudioſis admodum propitiam) nauigauit, tanto minus hominibus agnita, quanto magis Deo nota & deuota. Quæ eò loco qui nunc ab ea nomen retinet, conſiſtens, vt ſponſo cœleſti in omni cordis puritate & ardore ſpiritus famularetur, Barbantij pij & fidelis ſerui cura & obſequio adiuta: illic vbi ſactæ Deo virginitatis ſtudium percolebat, Martyrij coronam, ceu pretioſam margaritam quam diu quæſierat, inuenit: qua ornata ad ſponſi cœleſtis optatiſſimas nuptias in cœlo paratas tranſiuit. Hanc comitatus eſt ad gloriam ipſe Barbantius, eodem agone laureatus. EVCHARIVS. Ipſo die natalis S. EVCHARII Epiſcopi Tullenſis & Martyris glorioſi, in prædicatione diuinæ veritatis & gregis ſui tutela, à Barbaris impiè furentib. obtruncati. NORTBVRGIS. Item Confluentiæ in agro Colonienſi ſanctæ NORTBVRGIS Virginis: quæ filia Pipini principis domus regalis Auſtraſiæ, ſæculi contemptâ gloriâ, Chriſto fideli ſe famulatu deuinxit. Cui cùm ſancta corpore & ſpiritu, diu ſeruiuiſſet, piiſſimè mortua vitæ indeficientis gaudia adepta eſt.

25 *Octauo Kalend. Nouembris.*

SS. HILDEMARCHA. IN territorio Rotomagenſi ſanctæ HILDEMARCHÆ Virginis & Abbatiſſæ, quæ Burdigalæ nata patriâ abdicatâ pro Chriſto, Fiſcani apud Celtas ſub ſecunda Lugdunenſi reſedit, tempore ſancti Audoëni Metropolitæ Rotomagenſis. Cuius auctoritate puellari collegio præfecta, trecentarum ſex virginum mater fuit, Chriſtianæque ſimul ſimplicitatis & prudentiæ, nec minus caſtimoniæ & religionis laude claruit, demúmq. poſtquam beatum Leodegarium exulem benignè ſuſcepiſſet, diu fouiſſet, in omni virtute conſummata feliciter quieuit in Domino. Corpus eius in Fontanellæ cœnobio depoſitum, magna emicuit diuinarum operationum gloria: quæ cultum eius ibidem celebrem reddiderunt. SILISSA. Ipſo die ſanctæ SILISSÆ itidem Virginis, in ſactis Eccleſiæ Toloſanæ tabulis dudum annua commemoratione celebris. TEGVLVS. Epotediæ in Salaſſis, feſtiuitas S. TEGVLI Martyris, ex numero militum Thebæorum.

26 *Septimo Kalend. Nouembris.*

SS. CEOLFRIDVS. TRANSLATIO ſancti CEOLFRIDI Abbatis Glaſconienſis in Anglia: qui Lingonis in Gallia defunctus cùm à Romana peregrinatione rediret, ſepultúſque in Sanctorum Tergeminorum Eccleſia: deinde à gentilibus ſuis repetitus, fulgens in tumulo crebris prodigiis, ad cœnobium proprium multa cum veneratione reuectus eſt. APTONVS. Ipſo die Inuentio ſancti APTONI Epiſcopi Engoliſmenſis, fratris & ſucceſſoris ſancti

Auſonij, primi illius ſedis Antiſtitis. Poſt quem nouo ſplendore huic populo effulgens, inter infidelitatis tenebras & perſecutionis turbines, fidei lumen multorum in cordibus accendit, accenſúmque admodum dilatauit: ac demum dirè ab impiis exagitatus, præclara concertatione æternam aſcendit ad gloriam. Huius natalis à Maioribus digno honore obſeruatus, dudum agebatur ſolemnis die 22. Iunij.

27 *Sexto Kalend. Nouembris.*

ELNONE in Hannonia ordinatio ſancti AMANDI Epiſcopi Traiectenſis. In Britannia minore, Translatio ſancti IVONIS Preſbyteri & Confeſſoris, diœceſis Trecorenſis ſpecialis tutelaris, & totius prouinciæ Armoricæ communis apud Deum Aduocati. SS. AMANDVS. IVO.

28 *Quinto Kalend. Nouembris.*

RHENIS in Belgio ſuſceptio Reliquiarum ſanctæ CVNERÆ Virginis & Martyris, ſanctæ Vrſulæ sociæ: cuius ibidem natalis colitur 12. Iunij. Burdigalæ aduentus ſancti SEVERINI Epiſcopi. Quando diuino nutu de Colonia eò tranſmigrans, ad conciliandam turbatam Eccleſiam, ſancto AMANDO, qui talem ſubſidiarium à Domino ſibi mitti popoſcerat, honorificè exceptus, & in cathedra Pontificali collocatus, miniſterium paſtorale, quo ex humilitate ceſſerat in eius aduentu beatus Amandus (vt diuino nutui obſecundaret) obeundum ſuſcepit. *Vnde* (ſicut in Burdegalenſis Eccleſiæ ſacrorum præconiorum libro habetur) *tanta morum mutatio in omnibus ordinibus repente facta eſt, vt alia ciuitatis facies, magna cum admiratione cerneretur.* Ex quo, fuiſſe dextræ excelſi opus conuerſionem hanc cordium, manifeſtè apparuit. Abiit autem ad ſuperos, poſt impertita Burdigalenſibus conciuibus ſuis pleraque ſolatia ſanctus SEVERINVS die 23. Octobris, qui in Romano Martyrologio ſacra eius migratione inſignitur. Qua die etiam potiſſimùm celebratur Coloniæ, vbi ſecundus ſedit Epiſcopus. At hodie Burdigalæ, magis honoratur. Meris ſancti TERENTII Epiſcopi & Confeſſoris. Is plenus zelo diuinæ gloriæ & animarum ſalutis hunc gregem annis circiter viginti magna cum ſollicitudine & ſanctimonia gubernauit: auctúſque magnis ſuſceptæ diuinitus gratiæ fœnoribus, ad boni paſtoris euocatus remunerationem, lætus in cœlum properauit. Eodem die Coloniæ in Eccleſia ſancti Andreæ, veneratio brachij ſancti SIMONIS Apoſtoli, inclyto hodie Martyrio triumphantis. Cuius pretioſa mandibula, cui adhuc tres dentes inhærent, religioſè in Cartuſiano illius Catholicæ vrbis Monaſterio, digno cultu adſeruatur. SS. CVNERA. SEVERINVS. TERENTIVS. SIMON Apoſtolus.

IN Cartuſia maiore ſanctiſſimè expirauit beatæ memoriæ HAYMO XVII. illius ordinis Generalis, eiuſdémque alter conditor: vir ſummæ religionis & magnæ conſtantiæ ac patientiæ. Leodij Dedicatio Eccleſiæ ſancti LAMBERTI Epiſcopi & Martyris. *Haymo. Lambertus.*

29 *Quarto Kalend. Nouembris.*

SS. Salvivs. Vvlganvs. Rictrvdis.

Ambiani ſancti Salvii Epiſcopi & Confeſſoris, qui beati Firmini corpus in Cathedralem ſanctæ Deigenitricis Eccleſiam tranſtulit: ipſe verò titulis perfectæ ſanctitatis clarus, nomen ſuum in ſacris Catholicæ Eccleſiæ tabulis conſignari mox ab obitu promeruit, atque Monaſterio inſigni quod eo in præſulatu apud Monſtrolium ſitum eſt, ſuam benedictam memoriam, ceu triumphali fornice, nobilitari. Lenſij in Arteſia ſancti Wlgani Epiſcopi Hiberni, ibi cum teſtimonio diuinæ gratiæ vita functi, vbi ſepultus die 2. Nouembris mirabiliter refulſit. Marcianis repoſitio ſanctæ Rictrvdis, quæ feſtum habet ſui tranſitus die 12. Maij.

30 *Tertio Kalend. Nouembris.*

SS. Fraternvs. Ioannes & Vvlfredvs. Victor. Maxentivs.

Avtissiodori releuatio ſancti Fraterni Epiſcopi & Martyris, hoc ipſo pontificalis ordinationis ſuæ die, diademate pretioſo Martyrij decorati. Auguſtoduni Sanctorum Confeſſorum pariterque Pontificum Ioannis & Wlfredi, quos venerabilis Beda ſuo Martyrologio, colendos hac die inſcripſit. Xantis in Cliuia tranſlatio ſancti Victoris Martyris, in Romanis faſtis decima die huius menſis adſcripti: quo die natalis eiuſdem celebritas ibidem vbi quieſcit conſueuit obſeruari. Lemouicis ſancti Maxentii Confeſſoris, qui ſub Clodouæo magno Rege copioſis donis gratiæ emicuit.

Nanterus. Chriſtophorus.

Ipso die pio fine quieuit Nantervs Abbas ſancti Michaëlis in Lotharingia, multis ſanctitatis teſtimoniis illuſtris. Caturci item hodie molem carnis in magna ſpiritus ſuauitate, & Chriſtianæ fidei lætitia, depoſuit, B. Christophorvs Confeſſor. Hic è ſinu ſancti Franciſci ordinis Minorum parentis miſſus in Galliam, Caturcum appulit, & annis ferè 35. gratiæ Dei collaborando mira ſanctitatis opera edidit: egenis eloquio corrogatáque piis blandiciis ſtipe ſubleuandis, tabidis & leproſis lauandis, fouendis, amplexandis, oſculandiſque; obuiis quibuſque elementa fidei edocendis, omniſque miſericordiæ & pietatis officiis exequendis perenniter intentus. Corpuſculum vir ſanctus durè habens ferrea catena & cilicio domabat: ſpiritum verò flagranti Dei amore & orationis ac ſanctæ meditationis pabulo roborabat. Tam puram animam dono prophetiæ Deus irradiauit, ſigniſq. multis merita eiuſdem teſtatus eſt. Tanta enim virtute induit fidelem hunc ſeruum Dominus, vt mirabiles opitulationes per eũ infirmis præſtiterit, per quem & mortis ſpolia eripuit. Defecit tandem centenarius vir beatus, febrium, tabis, epilepſiæ, morborúmque quorumuis depulſor, ac mortuorum etiam ſuſcitator mirificus; in peruigilio triumphalis Sanctorum omnium feſtiuitatis, anno ſalutis reparatæ 1272.

31 *Pridie Kalend. Nouembris.*

SS. Nortbvrgis. Pigmenivs.

Conflventiæ in agro Colonienſi, Tumulatio ſanctæ Nortbvrgis Virginis, Pipini Francorum domus Regiæ in Auſtraſia Maioris, filiæ: at Regis Regum Chriſti ſponſæ venerabilis, ad quem læta tranſiuit die 24. huius menſis. Auguſtoduni ſancti Pigmenii Epiſcopi illius

illius ciuitatis & Confeſſoris, qui beato Ægemonio ſucceſſit, fidéque ac charitate præſtans, oues Chriſti ſibi commiſſas, in tramitem beatæ æternitatis verbo deduxit ac exemplo.

NOVEMBER.

1 *Kalendis Nouembris.*

NIVERNIS natalis ſancti PATRICII Martyris. In huius præſula- SS. PATRICIVS.
tus territorio, dum diuinam tueretur legem necati. In Vaſconia
Caſtro Paleſtrios paſſio ſancti SEVERI Martyris, & eius ſociorum. Au- SEVERVS & ſocij.
guſtoduni ſancti PRIMI Epiſcopi Æduenſis, cuius cùm memoria PRIMVS.
apud ſuos diu exciderit, tamen apud Græcos propagata (ita vir diuinus orbem vniuerſum exploratæ ſanctitatis celebritate impleuerat) ad noſtros vſque dies pullulauit, ex quorum faſtis vendicata in lucem, volente Deo tandem aliquando rediit, pia opera Petri Galeſinij Protonotarij Apoſtolicæ ſedis, qui venerandum ſanctiſſimi huius Præſulis nomen ex Græcorum monimentis repetitum, ſacras in Latinæ Eccleſiæ tabulas, quas digno munere dedicauit Gregorio XIII. Pontifici Maximo, retulit. Ex quibus nouum in Catalogum Sanctorum ſacris auſpiciis Vrbani VIII. Papæ nunc ſedentis editum, hoc ipſo die tranſcriptum eſt.

FRANCISCVS DE STANNO, ex ſtemmate eiuſdem nominis pernobili, *Franciſcus de Stanno.*
omni virtute, doctrina & pietate præclarus factus poſt Bertrandum de Polliniaco Epiſcopus Rutenenſis, ſuſceptum paſtorale pedum, miris gratiæ inſigniis quibus præſtabat, decorauit. Atque Deo imprimis intentus, ſacris eius gloriæ præconiis obeundis primus in choro interfuit, diebus ſingulis incruentam ſalutis hoſtiam ingenti cum pietatis ſenſu immolauit; cœleſtium rerum contemplationi ita deditus erat, vt ad diuinis cogitationibus quietiùs inhærendum, in Eccleſiam vnâ ad minus horâ antequam ſacra officia inchoarentur veniens, animam piis in gemitibus coram Deo effunderet. Ouium ſuarum deinde commodis inuigilans, vt afflictis opitularetur, Xenodochia ſæpè ſæpiùs perſonaliter inuiſebat, cúmque non poſſet ex grauis negotij occurſu, per ſummiſſos primarios domeſticos viſitabat. Haud ſemel deprehenſus eſt intempeſtæ noctis ſilentio bonus Paſtor, præeunte faculâ, priuato amictu & comitatu domos pauperum circuire, infirmos vt iuuaret & inopes; maximè verecundos, quibus eleemoſynam non tenuem impertiebat. Vrbe exitioſa lue afflictâ, cum opulenti quique ciues, vt peſtilitatem illam declinarent certatim fugerent, ipſe animarum fidus cuſtos, loco nihilo minùs conſiſtebat, & per ſe infirmorum perſpiciens diſcrimina, horum ſolatio, omni qua poterat ope proſpiciebat: non animarum modò ſaluti, ſed & corporum ſubſidio conſulens. Succeſſit lethali morbo annonæ grauis penuria. Horrea Epiſcopalia optimi Paſtoris euacuauerat profuſa in egenos charitas. Interim euenit vt ciuis quidam inops triticum inſtantiùs ab Epiſcopo flagitaret: iuſſit pius Pater ſacerdoti, qui ſibi erat ab eleemoſynis, vt egeno petitam præſtaret opem, at ille ſe non poſſe illi ſuccurrere reſpondit: quoniam tritico horrea prorſus vacua eſſent. Inſtat Epiſcopus vt è prompruario certa, vt aiebat, annona exuberanti ſtipem pauperculo tribuat. Rurſus ille negat rei frumentariæ in penu quicquam ſupereſſe. Vrget Antiſtes fide & miſericordia plenus, nec modò præcipit, vt triticum det egeno ciui eleemoſynarius, ſed & copioſè eroget. Deus interim, tam pij Patris pauperum fide & charitate delectatus, horrea eius, fru-

mento, larga bonitatis manu repleuerat: tantâ quidem affluentiâ, vt cùm ad locum ventum eſſet, vix potuerint horrea reſerari, quia copia frumenti ianuas obſtruebat. Porro vigil Præſul animarum magis quàm corporum ſollicitus, populo ſpiritualem eleemoſynam frequenter faciebat egregiis prædicationibus, quibus gregem paſcens, vnumquemque ab infirmitate erigebat,& in virtute omni roborabat. Hic religioſus fuit Antiſtes, qui Angelo cuſtodi deuotiſſimus, ei colendo Martias Kalendas dedicauit. Et verò ſicut in cæteris ſtudioſiſſimus erat iuris Eccleſiaſtici aſſerendi, ſuámque Eccleſiam præclaris fundationibus amplificauerat, inſudauit quo potuit enixu, vt die prima Martij ſua in Eccleſia, adeóque in vniuerſa diœceſi feſtum Angeli tutelaris cuiuſque fidelium magna ſolemnitate ageretur: atque vt pium inſtitutum muniret, largè ex ſuis facultatibus impertitus, perpetua vt eſſet hæc obſeruantia, effecit. Cùm autem nonnulli ex primoribus Cleri huic ſolemnitati admittendæ obniterentur prætextû reſpuendæ nouitatis, ſummæ ſedis auctoritate interpoſitâ, eos coërcuit, mandato Papæ poſt diſcuſſam legitimè cauſam impetrato, quo religioſa hæc inſtitutio collaudata, perennis vt foret decernebatur. Tandem Rutenis exuit carnis ſarcinam vir beatus, anno ſalutis 1529. ipſóque die ſpiritum Chriſto Seruatori reſignauit, quo omnium Sanctorum glorificatio annualis obſeruantiæ recurſu, vniuerſali in Eccleſia eſt celebris, ad quorum fèlix tranſiiſſe conſortium, reſtantur quæ fiunt ex hinc ad eius tumulum, diuinæ virtutis magnalia, & clientum, qui opem eius interpellatam ſenſerunt, patentia gratitudinis, quæ ex voto eius ſepulchro appendunt inſignia.

2 *Quarto Nonas Nouembris.*

SS. ALBINVS. NATALIS ſancti ALBINI Martyris, quondam in cœnobitica, deinde Cathedrali Eccleſia ſancti Pontii-tomeriarum, in corpore quieſcentis: quod à fœdis hagiomachis nefario auſu, ſuperiori labente ſæculo, direptum eſt. Eodem die Rutenis ſancti NAAMATII Diaconi, à ſancto Amantio Rutenenſi Epiſcopo ordinati, cuius geſta in ſcriniis illius Eccleſiæ præclara habentur: virtus verò perpetim viget in liberandis energumenis. Ipſo die Albia ciuitate natale ſanctæ MARCIANÆ Virginis, quæ nobilitate generis clara, abdicato ſæculo, *Tarſiæ* cuidam Virgini nobiliſſimæ iuncta in Monaſterio, ab Antiſtite Albienſi Polymio velata; vigiliis, abſtinentiis caſtigans corpus, & orationis pabulo mentem reficiens, ſpiritu prophetiæ inſignis (quo prænunciauit fratri ſuo Georgio viro prudenti domus propriæ ſucceſſum) tandem vocanti Deo reſpondens, iugiter intenta cœlo, felix migrauit ad ſponſum. Eius anima incontaminata in ſpecie niueæ columbæ à pleriſque viſa eſt cœli intima penetrare. Colitur à pleriſque Martyris honore, fortè quòd ob fidem vel pudicitiam à Barbaris Narbonenſem Galliam hac ætate opprimentibus exagitata, aliqua ab his dira ſit perpeſſa; vel potiùs quòd vitæ auſteritate rigidiſſima, carnem quotidie crucifigens, *longo* (vt aiebat quondam de B. Paula ſanctus Hieronymus) *coronata ſit Martyrio.*

NAAMATIVS. MARCIANA.

3 *Tertio Nonas Nouembris.*

SS. IVSTVS. AD Vtticionem fluuium prope Bituricas, natalis ſancti IVSTI Martyris, qui cum beato Vrſino Epiſcopo ad vrbem Bituricam proficiſcens, milliario nono ab vrbe diſſitus migraſſet ad Chriſtum: ab eodem ſancto Vrſino condignè ſepultus eſt, in orientali plaga vrbis. Ipſo die

ſancti Egetii Epiſcopi in antiquis faſtis Eccleſiæ Rutenenſis celebris. Item ſancti Vacatiani Apoſtolorum Galliæ ſocij. Veſuntione migratio ſancti Hvmberti Fotoiulienſis Epiſcopi. Veneti in Armorica ſancti Gvenelli illius ciuitatis Epiſcopi, cuius corpus in ſumma æde conditum venerabiliter pone ſancti Vincentij ſacros artus requieſcit. Tornodori in diœceſi Lingonenſi ſanctæ Alpaidis Virginis, magnæ puritatis & pietatis, quæ Philippo Auguſto regnante floruit, omni decore, gratiæ & fruge iuſtitiæ, inſignis.

Egetius. Vacatianus. Humbertus. Guenellus. Alpais.

Lvtetiæ Pariſiorum, in populoſa ſancti Iacobi parœcia, ſolemnitas ſancti Caroli Borromei Cardinalis Archiepiſcopi Mediolanenſis, cvivs stola Pontificia honorificè in illa Eccleſia ſeruatur, à Frederico Borromeo mediato prædicti beati Antiſtitis in Mediolanenſi ſede ſucceſſore, religioſo munere data piæ memoriæ Carolo de Sauſſeia Doctori Sorbonico, Rectori illius Eccleſiæ, & Decano Aurelianenſi; viro cùm eminenti doctrinâ (cuius monumenta ſuppetunt) tum rarâ morum integritate & ſanctimoniâ ſpectabili: qui ſuſceptum pretioſum adeo munus, de licentia eminentiſſimi Cardinalis de Rets, Henrici Pariſienſis Epiſcopi, magna celebritate in Eccleſia ſua ad tutelam parœciæ ſuæ collocauit, in ara Deo Altiſſimo ſub titulo ſancti ipſius Caroli conſecrata: ad quam eadem auctoritate, inſtituto religioſiſſimo clientum eiuſdem glorioſi Confeſſoris ſodalitio (cuius alumni, ex legibus & reſſeta huius confraternitatis, operibus pietatis & miſericordiæ obſtringuntur) feſtiuitatem ſancti Caroli quotannis, hac die quæ eiuſdem beati natalis eſt, decerni fecit perpetuâ obſeruantiâ celebrandam. Pullulat pleno cum vigore mos tam piè inuectus, qui ex inſtitutoris pia recordatione, & digni ſucceſſoris vigilanti cultura vires maiores recipiens, ampliùs quàm ab ipſo ortu floret, cum ſummo regiæ vrbis applauſu & ingenti fidelium vtriuſque ſexus & ordinis acceſſione.

Veneratio ſtola Pontificalis ſancti Caroli Borromei.

4 *Pridie Nonas Nouembris.*

Natalis Sanctorum Martyrum Vitalis & Agricolæ hodie Bononiæ pro Chriſto Iesv multiplici tormentorum genere interfectorum. Quorum Martyrium aureo ſtylo beatus Ambroſius in exhortatione ad Virgines deſcripſit. Eorúmque ſacratiſſimorum corporum inuentioni & tranſlationi cùm intereſſet, eorum ſanguinem triumphalem, clauos, & crucis lignum cui Agricola affixus fuerat, collegit, ac ſub ſacris altaribus, ſicut ipſe refert, recondidit. Porro ſanctus Namativs Aruernorum Antiſtes, cum maiori Eccleſiæ ſuæ ciuitatis, à ſe nobili ſtructura inſtauratæ, patrocinia ſacra conciliare vellet inſignia; Bononiam Italiæ vrbem ſacerdotes (ſicut refert ſanctus Gregorius Turonenſis, & ipſe ortu Aruernus) direxit, vt ſibi aliquot reliquiæ Sanctorum Vitalis & Agricolæ, quorum triumphalis pro Chriſto concertatio toto orbe erat notiſſima, tranſmitteretur: quibus pio ex voto ſuſceptis, titulum ipſorum Sanctorum Baſilicæ ſuæ Cathedrali indidit, eorúmque ſacratiſſima lipſana, in eadem egregio cultu collocauit. Fuerat beatus ille Antiſtes ante ſacerdotium coniugatus, at poſt ordinationem ſuam, *vxorem* ſororis loco habuit, quæ & ipſa miro ſuccenſa in hos Martyres pietatis feruore, cum viti ſui piis operibus pro viribus ſuffragaretur, illam primariam Eccleſiam quo potuit ornatu decorauit. Ipſa verò ædificatam à ſe in ſuburbio ſancti Stephani baſilicam, cum fucis

SS. Vitalis & Agricola. Namatius cum vxore piiſſima.

colorum adornare vellet, hiſtorias legens actionum Sanctorum antiquas pictoribus indicabat, quæ in parietibus ſacris figurari conueniret, & optaret. Interim in veſte nigra cum omni modeſtia ſacra in æde ſedens, ne pictoribus quicquam excideret, quod loci & rerum effictarum non redoleret ſanctitatem. Cæterùm beatorum Martyrum Vitalis & Agricolæ ſacra pignora ipſa Aruernenſis Eccleſia maior etiamnum retinet: quorum & protectioni dicatum eſt Cazæ-Dei in eiuſdem diœceſi antiquum ac illuſtre cœnobium. Remis ſancti AMANTII tertij illius Metropolitanæ Eccleſiæ Epiſcopi, quam virorum Apoſtolicorum Sixti & Sinicij diſcipulus, poſt eos cœleſtes ad triumphos nobili agone euectos, magna fide & vigilantia rexit, póſtque ſedis annos viginti & vnum continua in pugna pro lege & grege exactos, & ipſe felici fine conſummatus ad Beatorum anteceſſorum ſuorum ouans perrexit conſortium. In territorio Lemouicenſi ſancti CONSALOI Confeſſoris, in monte eiuſdem agri quieſcentis ſub propriæ inuocationis titulo.

AMANTIVS. CONSALOVI.

5 *Nonis Nouembris.*

SS. GVIRAVDVS.

BITERRIS ad ſanctum Aphrodiſium depoſitio ſancti GVIRANDI Podio Saliconenſis, Epiſcopi & Confeſſoris. Is nobili genere, licet, deſpicabili tamen & parua ac pene abortiua corporis forma ad certum tempus manens, inde morum atque animæ dotibus clarior, cùm in Monaſterio beatæ Mariæ de Caſſiano ordinem ſancti Auguſtini profeſſus fuiſſet, hinc vrgentibus meritis vi extractus, reniténſque Epiſcopus Biterrenſis Eccleſiæ conſecratus, populum ſibi commiſſum diu & ſanctè rexit, & à Deo ex hydropiſi in cœlum vocatus, innumeris micans miraculis, in Sanctorum numerum relatus eſt: quo honore hac die ab Eccleſia ſua colitur.

6 *Octauo Idus Nouembris.*

SS. MELANIVS.

REDONIS in minori Britannia ordinatio ſancti MELANII Epiſcopi eiuſdem ciuitatis & Confeſſoris, cuius felicem ad beatas cœli ſedes tranſitum annuis ſacris colendum ſignat Catholica Eccleſia die ſexta Ianuarij, in ſuis diptychis. Veſuntione tranſlatio Sanctorum EPIPHANII & ISIDORI Epiſcoporum. Eodem die ſancti PETRI Abbatis, qui apud Claramuallem à ſancto Bernardo piis inſtitutis imbutus, tum ex Gallia in Hiſpaniam ad ſubſidium religionis antè collapſæ, tempore Alphonſi ſeptimi directus, primus Abbas creatus eſt cœnobij ſanctæ Mariæ de Morerulla in agro Zamorienſi, nouiter reſtaurati. Vbi collectis pleriſque alumnis, quos religioſis theoriis informauit, tam verbo quàm opere potens, prophetia & ſignis conſpicuus, in Chriſto, felici ſomno æternæ pacis quieuit.

EPIPHANIVS & ISIDORVS. PETRVS.

7. *Septimo Idus Nouembris.*

AVRELIIS, natalis ſancti RESTITVTI Epiſcopi Tricaſtrienſis in Gallia Narbonenſi. qui poſt ſanctum Paulum, primum illius ſedis Antiſtitem, paſtorale munus ibidem vicè digna impleuit, abiénſque ad Dominum, pro fidelis diſpenſationis præmio, beatitudinem in cœlis æternam, & in terra glorificationem perpetuam adeptus eſt. Huius ſancti Pontificis pretioſæ exuuiæ à Maioribus pio cultu in ſacrário baſilicæ Abbatialis ſancti Euuttij compoſitæ, ibidem non ſine fœnore hoſpitij honorificè permanſerunt: donec ab Hagiomachis perduellibus ciuitatem Aurelianenſem occupantibus, cum multis aliorum Beatorum pignoribus direptæ ſunt. Sed perſeuerauit nihilominus illic tam glorioſi hoſpitis venerabilis memoria: cuius & opitulatio erga fideles incolas poſtea non defecit. S. RESTITVTVS.

8 *Sexto Idus Nouembris.*

MASSILIÆ ad ſanctum Victorem ſancti HVGONIS Confeſſoris, cui diuinam rem facienti, reuelatum eſt vbinam eſſet crux ſancti Andreæ Apoſtoli, quæ amiſſa fuerat. Hanc ex Achaia in Galliam delatam Stephanus Burgundiæ Rex, apud Veaunenſes virgines in agro Maſſilienſi depoſuerat. At hinc ne tam nobile pignus raptui pateret, Maſſiliam ad ſecuriorem ſitum deportata, in S. Victoris templo monaſtico perpetuo cultu conſeruanda, repoſita fuit, vbi etiamnum oſtenditur in angulos rectos productos, non obliquos, quemadmodum à pictoribus perperam figuratur, porrecta. In Nigra ſylua in finibus Galliarum, verſus Conſtantiam Germanicam ſancti GREGORII Abbatis admiranda ſanctitate viri, qui ſancti Eberardi diſcipulus iuxta cellam ſancti Meginardi Martyris Augienſis, omni cum decore gratiæ floruit, copioſáque prole animarum fœcundatus, filiorum multorum in Chriſto Pater, migrauit ad cœleſte gaudium. Apud Aruernos FESTVM SACRARVM RELIQVIARVM SANCTÆ ANICIENSIS ECCLESIÆ, ſanctiſſimæ Virginis Deiparæ fauſta inuocatione illuſtris. SS. Hvgo recuperator crucis ſancti Andreæ Apoſtoli. GREGORIVS. Sacræ Reliquiæ Anicienſis.

9 *Quinto Idus Nouembris.*

LVTEVÆ ſub throno Metropolitæ Narbonenſis, ſancti GEORGII illius ciuitatis Epiſcopi & Confeſſoris: qui apud Rutenos nobilibus ortus parentibus, mundum ſpernens, ordinem ſancti Benedicti in aſceterio Conchæ ſacræ eiuſdem terminationis (vbi demum repoſitum eſt corpus ſanctæ Fidis Virginis, Martyris Agennenſis) religiosè profeſſus eſt. A quo in Vabrenſe monaſterium miſſus, cùm in omni ſimplicitate & innocentia inter fratres conuerſatus eſſet, ex ſuaui diuinorum chariſmatum odore, ad Epiſcopatum prænemoratum vocatus, ſic in ſanctitatis propoſito perſeuerauit, vt creditas animas erudiens ad ſalutem, aditum ſibi munierit ad gloriam. Niuernis ſancti MAVRI Diaconi. SS. GEORGIVS. MAVRVS.

SPERATVS. NATHANAEL. Item ſancti SPERATI Martyris, cuius corpus Lugduni requieſcit. Bituricis natalis ſancti NATHANAELIS veri Iſraëlitæ, vniúſque ex primariis diſcipulis Domini.

10 *Quarto Idus Nouembris.*

SS. SPATIVS. NOTARIVS. IOANNES Martyr cognomento Scotus. ANDELIACI ad Sequanam in agro Rotomagenſi veneratio ſancti SPATII Martyris Baiocenſis, cuius cum corpore ſacro honorabile nomen, antiquiſſima ibi religione obſeruatur. Aureliis ſancti NOTARII Epiſcopi notiſſimæ pietatis, at incertæ ſedis. Eodem die in monaſterio Maleſburienſi apud Anglos ſancti IOANNIS Martyris cognomento Scoti à pueris malis occiſi. Hic eſt qui ſancti Dionyſij Areopagitæ opuſcula ad petitionem Caroli Calui Chriſtianiſſimi Francorum Regis & Imperatoris Romanorum Auguſti, ex Græco Latinum in ſtylum conuertit, ipſique Principi ſolemni xenio dedicauit.

11 *Tertio Idus Nouembris.*

SS. PATERNVS. MARTINVS. VERANVS. IN territorio Sueſſionenſi Natalis ſancti PATERNI Martyris. Malloniæ in Belgio ſub nouo præſulatu Namurcenſi, ſancti Bertuuini Epiſcopi, qui comes & ſocius Sanctorum Ettonis & Folquini fuit, in officio diuinæ prædicationis. Eodem die Coloniæ ſancti MARTINI Confeſſoris, monaſterij Scotici ibidem protectoris, cuius piè res geſtas Heribertus Archiepiſcopus nitido eloquio deſcripſit. Cabellione Cauarum ſub Archiepiſcopali ſede Auenionenſi, ſancti VERANI primi illius ciuitatis Epiſcopi; cuius præconium ſupra expreſſum eſt die 18. Octobris.

12 *Pridie Idus Nouembris.*

SS. EVODIVS, SCRVTARIVS, HERMENTARIVS, AVRELIVS, BENIGNVS, SVACRIVS & alij. ANITII in veteri podio Vellauni, cocommemoratio Sanctorum Epiſcoporum EVODII, SCRVTARII, HERMENTARII, AVRELII, BENIGNI, SVACRII, & aliorum, quorum nomina in libro vitæ ſcripta ſunt, & memoria in perpetua manet hominum (quorum ſalutem impigri diuinæ gratiæ miniſtri ſedulò procurârunt) laude & benedictione. In his maximè ſpectabiles duo prænominati extitêre; *Euodius* ſcilicet, qui primus Vellaunenſis Præſul, pietate & religione clarus Eccleſiam ibidem ſanctæ Dei genitricis monitu, eius in memoriam conſtruxit: vbi ſede Epiſcopali ex diuino nutu ordinata, cùm iam emeritus è militia ad præmium ſupernum feſtinaret, Scrutarium Romani ordinis Senatorem doctiſſimum, delegit ſibi ſucceſſorem, futurum in cœleſti quoque gloria collegam. Hi duo ſacri ſymmyſtæ multa deuotione erga ſanctiſſimam Virginem Mariam flagrauerunt: cuius quoque frequentiſſimis apparitionibus fuêre viciſſim honorati. Ipſo die ſancti MATHANI Epiſcopi Santonenſis, qui in Scotia regnum Chriſti amplificans, animam maturam præmio glorioſæ æternitatis, ad Sanctorum felix emiſit contubernium.

MATHANVS.

13 *Idibus Nouembris.*

AQVIS Sextiis in Prouincia, Natalis ſancti MITRII Martyris. Hic Græcis parentibus ortus, piis quidem at inopibus, in potentis ciuis Aquenſis ſeruitutem incidit; intérque effluentem ſeruorum turbam, ſolus Chriſti inſignia cùm præferret, & à ſæuo domino graui iugo premeretur, & à conſeruis ludibrio habitus diris modis impeteretur: conditionis tamen ſuæ vilitatem præſtanti virtute nobilitabat, ac miſeriam pietate & patientia inſigni ſuperabat, Chriſti bonum odorem in omni conuerſatione profundens, cui quamquam vndequaque affligaretur, incenſum deuotæ mentis ſedulò offerebat; Domini ſui nihilominus obſequio intentus, & conſeruorum quaſi imperio ſubiectus. Chriſti autem ſalutiferum nomen & fidem cùm herus ipſe ex virtutis odio inſectaretur, crudelior hinc in fidelem ſeruum, impietatis ſuæ motus ferociùs idem retorquebat, quem deſpectu & tribulatione ita macerabat, vt occidere tantùm caueret, ne videretur martyrio affeciſſe. At glorioſum athletam tot probris laceſſitum, tot preſſuris confectum (cùm fortior in fide quotidie fieret) tandem diuturni agonis ad metam, Chriſti, pro cuius gloria tantam perſecutionem ſuſtinuerat, bonitas perduxit. A quo euocatus ad perpetuum triumphum & gaudium, patientiæ, fidei & iuſtitiæ coronam recepit promeritam. Lemouicis in Aquitania ſancti PRVDENTII Martyris. Rutenis ſub Bituricenſi Metropoli ſancti DALMATII Epiſcopi qui beato Amentio ſucceſſit, ac Alaricum Gothorum Regem plurimis ſignis à tyrannide compeſcuit. Hunc beatum Antiſtitem ſanctus Gregorius Turonenſis egregiis cum laudibus commeminit: virum enim ſcribit fuiſſe ſanctitate præcelſum, abſtinentia à cibis, à concupiſcentiis carnis mirabilem; eleemoſynis admodum effuſum, in oratione & vigiliis ſtabilem, cunctis humanum ac benignum, qui Eccleſiam ſuam magno decoris domus Dei ſtudio à fundamentis inſtaurauit, póſtque obitum miraculis à Deo clarificari meruit: quale id vnum prodigium fuit, quo maledicus clericus mortui ſancti Præſulis pium nomen iniuriis dilacerans, medio in conuiuio diuinitus percuſſus, repentina morte interiit, ablatúſque ab epulo ad ſepulchrum ſine vllis pietatis Chriſtianæ officiis ac inſigniis delatus eſt. Porro ſanctus Dalmatius etiam ante mortem ſtupendis ſignis emicuit. Nam captiuorum vincula, ſola oratione diſrupit, Ligerim fluuium pedibus traiecit, & mortuum ad vitam reuocauit. Hoc ipſo die apud Monachos ſancti Benedicti, FESTVM OMNIVM SANCTORVM MONACHORVM HVIVS ORDINIS, ex quibus (vt refert Trithemius) temporibus Ioannis Papæ XXII. natione Galli, ex Annalibus ſummorum Pontificum, & hiſtoriis veterum reperti ſunt, tam ex ſimplicibus Monachis, quàm ex Prælatis diuerſarum dignitatum, Sanctorum catalogo inſerti, QVINDECIM MILLIA CENTVM QVINQVAGINTA NOVEM.

SS. Mitrius. Prudentius. Dalmatius.

Feſtū omnium Sanctorum ordinis ſancti Benedicti, ex quibus ante annos circiter trecentos reperti ſunt ſupra quindecim millia, centum quinquaginta nouem, in Canonem Sanctorum relati.

14 *Decimo octauo Kalend. Decembris.*

SS. AMANDVS. REDONIS in Armorica ſancti AMANDI Confeſſoris, eiuſdem vrbis Epiſcopi, ſeptimi ea in cathedra ordinati, quam repleuit ſplendore cœleſtis ſapientiæ, & omni ornatu Epiſcopalis virtutis. Ipſo die in monaſterio Suſterenſi in Geldriæ Brabantiæque confinio, ſancti ALBERICI Epiſcopi Vltraiectini, qui Carolo Magno Imperatore huic Eccleſiæ præluxit, peractóque fideliter paſtorali officio, emeritam à Domino accepit Sanctorum laborum retributionem.

ALBERICVS.

Feſtum ſacrarũ Reliquiarũ Eccleſiæ Mimatenſis.

15 *Decimo ſeptimo Kalend. Decembris.*

GABALIS FESTVM SANCTARVM RELIQVIARVM ECCLESIÆ MIMATENSIS, & vniuerſæ diœceſis.

16 *Decimo ſexto Kalend. Decembris.*

SS. ÆMILIANVS. GEORGIVS. CVNIBERTVS.

IN diœceſi Burdigalenſi ſancti ÆMILIANI Monachi & Confeſſoris, qui traditur fuiſſe diſcipulus ſancti MARTINI Abbatis Saliginenſis. Eodem die Coloniæ ſuſceptio vnius ex brachiis ſancti GEORGII Martyris. Item ibidem repoſitio ſacrorum oſſium ſancti CVNIBERTI Epiſcopi & Confeſſoris, qui adſcriptus fulget colendus in tabulis ſacris ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, die 12. huius menſis.

17 *Decimo quinto Kalend. Decembris.*

SS. AVRELIANVS. LEONTIVS.

LEMOVICIS ſancti AVRELIANI diſcipuli ſancti Martialis, eiuſdémque ſucceſſoris proximi in Epiſcopali ſede huius vrbis. Ipſo die apud Santones ſancti LEONTII Epiſcopi: qui exulem ſanctum Maclouium Epiſcopum benignè excepit, ſedulò fouit, ac tandem honorificè ſepeliuit. Idem ſancto Bibiano Eccleſiam extruxit, & multa patrauit in Dei famulatu & procuratione animarum, laude digna. Cuius inde ab ortu venerandum nomen ipſa Santonenſis Eccleſia in cultu habuit, ſacróſque in faſtos ſuos retulit. Hoc ipſo die ſancti HVGONIS Epiſcopi & Confeſſoris, qui natione Burgundus ex Monacho Carthuſiano, ad Eccleſiam Lincolnienſem in Anglia regendam vocatus, multis miraculis claruit, & ſancto fine quieuit. In agro Pariſienſi ſanctæ HILDÆ Virginis & Abbatiſſæ, quæ celebritate Kalenſis monaſterij auditâ, ſtudio perfectæ religionis ex Anglia in Franciam traiiciens, præfatam Parthenonam adiit, vbi ex humili voto recepta, peregrinam pro Domino duxit vitam, donec cumulata meritis, ſupernam ad quam ſemper ſuſpirabat migrauit ad patriam. Ipſomet die apud Claramuallem ſancti MELCIADIS Monachi, ſocij ſancti Bernardi.

HVGO. HILDA. MELCIADIS.

18 *Decimo quarto Kalend. Decembris.*

SS. ODO.

APVD inſulam Iordanis prope Toloſam, veneratio ſacratiſſimi cor-

poris ſancti ODONIS Abbatis Cluniacenſis, eò ex gremio Eccleſiæ ſancti Iuliani Turonenſis (vbi ſolutus nexibus mortalis vitæ ſepulturam primùm receperat, tranſlati. Item in agro Nouiomenſi Cagniaci pago repoſitio ſancti MOMBOLI Abbatis, eò aduecti ex Latiniaci cœnobio, in agro Pariſienſi. MOMBOLVS.

19 *Decimo tertio Kalend. Decembris.*

AVGVSTODVNI Æduorum ordinatio ſancti SIMPLICII eiuſdem vrbis Epiſcopi: cuius felix ad ſupernas ſedes tranſitus celebris eſt in ſacris Eccleſiæ tabulis die 24. Iunij. S. SIMPLICIVS.

20 *Duodecimo Kalend. Decembris.*

FESTVM ſancti RAPHAELIS Archangeli apud nonnullas Eccleſias hac die pio ex more celebratur. Eodem die Natalis ſancti EADMVNDI Regis Angliæ & Martyris, cuius vitam ſanctus Abbo Floriacenſis Abbas digno præconio exarauit: ſacra verò ſpolia cuſtodit inclyta vrbs Toloſana, cum pleriſque aliorum cœlitum pretioſis exuuiis, condita perhonorificè in baſilicæ inſignis ſancti Saturnini ſacrario. Cui beato Regi & Martyri vrbs, ipſa deuotâ gratitudine ſopitæ eiuſdem ex interceſſione peſtilitatis, capſam nouam reliquiis eius decentiùs reponendis argenteam, paucis ab annis dedicauit; anno nimirum Chriſtianæ ſalutis milleſimo ſexcenteſimo triceſimo. Ipſomet die ordinatio S. CORBINIANI Epiſcopi Friſingenſis in Noricis, origine Franci ex Meloduno, quem colit Catholica Eccleſia ex Martyrologij Romani præſcripto die 8. Septembris. SS. RAPHAEL Archangelus. EADMVNDVS. CORBINIANVS.

21 *Vndecimo Kalend. Decembris.*

VLTRAIECTI feſtiuitas ordinationis ſancti WILLEBRORDI Epiſcopi illius ſedis primi, Friſionum Apoſtoli, necnon Eccleſiæ quam cum collegio quadraginta Canonicorum ope Caroli Martelli Francorum principis fundauit, ſub ſancti Martini patrocinio, conſecratoris, viríque planè Apoſtolici zelo, fide, prædicatione, operibus ſanctis & miraculis: cuius vitam ſcripſit Alcuinus Caroli Magni eruditor: qui & homiliam elegantem habuit in eius Natali, conſignato, in ſacris diptychis Catholicæ Eccleſiæ, die 7. huius menſis. Cæterùm hac die etiam apud Vltraiectenſes iamdudum celebris fuit tam ſancti Pontificis ordinationis commemoratio, quòd nutu diuino facta ſit Romæ, à Sergio Papa, Angelica viſione præmonito. S. VVILLEBRORDVS.

Hoc die quo PRÆSENTATIO SANCTISSIMÆ VIRGINIS MARIÆ anniuerſario cultu recolitur, Virgines ſacræ de ipſius BEATISSIMÆ VISITATIONE nuncupatæ (quarum congregationis in Gallia B. Franciſcus de Sales Epiſcopus Geneuenſis auctor fuit) ſuas profeſſiones renouant, ſolemniùs quàm per reliquos anni menſis, ex ſpeciali beati illarum patris prædicti, inſtituto. *Præſentationis ſanctæ Mariæ apud Virgines de viſitatione celebritas ſpecialis.*

22 *Decimo Kalend. Decembris.*

SS. Medrisina. Osmanna. Svessione, ſanctæ Medrisinæ Virginis. Item in Britannia aduentus ſanctæ Osmannæ Virginis ex Hibernia, cuius poſt Angelicæ in terra vitæ excurſum, radiantes diuinæ virtutis ſignis exuuiæ, ad regale ſancti Dionyſij monaſterium tranſlatæ ſunt.

23 *Nono Kalend. Decembris.*

SS. Sarivs. Gobertvs. In territorio Cameracenſi ſancti Sarii Preſbyteri & Confeſſoris: cuius honorabile corpus ibi in æde ſacra ſanctæ Dei genitrici Mariæ requieſcit. Colitur autem & hic beatus Confeſſor Lauernæ pago apud Duacum vt proprius aduocatus, quòd ibi vixiſſe in omni pietate memoretur. Eodem die in agro Laudunenſi ſancti Goberti Confeſſoris diuinæ gratiæ teſtimoniis præclari.

24 *Octauo Kalend. Decembris.*

S. Prosper. Regii tranſlatio ſancti Prosperi Epiſcopi & Confeſſoris doctrina, fide ac pietate clariſſimi, cuius natalis dies honore ſacro colitur ex Catholicæ Eccleſiæ (quam vir ille diuinus ſua ſapientia & virtute mirificè irradiauit more, ſeptimo Kalendas Iulij.

25 *Septimo Kalend. Decembris.*

SS. Mavrinvs. In Agro Agennenſi paſſio ſancti Mavrini Martyris. qui cùm eſſet beati Euticij filius, & à ſancto Germano celebris ſanctimoniæ Epiſcopo Capuano in fide inſtructus, baptizatus, ac Leuita fuiſſet ordinatus; tandem patriam repetens, cùm hominem apud Agennum à dæmonibus liberâſſet, & Chriſti puram fidem prædicare non deſiſteret, à Walduando Lectoranorum Præfecto comprehenſus, ac ad pallum hærens iaculari iuſſus, deinde coniectus in ignem, quòd flammæ fidelem Chriſti præconem attingere refugerent, ex iis illæſus egreſſus, truncato capite, eóque propriis manibus ad fontem vſque militanum ſublato, glorioſo fine Martyrium compleuit. Item in agro Toloſano ſancti
Elanvs. Elani, ſeu Alani Epiſcopi Vaurenſis Eccleſiæ ad Agotum amnem
Evsichivs. in pago Lauracenſi patroni. Apud Bituricas ſancti Evsichii Confeſſoris, qui tempore ſancti Sulpitij pij, ſedis illius primariæ Metropolitæ, claruit diuinæ gratiæ copioſis inſigniis.

26 *Sexto Kalend. Decembris.*

SS. Evtichivs. Girstanvs. In territorio Agennenſi Natalis S. Evtichii Martyris, qui præſignati ſancti Maurini Martyris & Leuitæ diuina ex promiſſione pater, cum Alaranna vxore ſua religioſiſſima & tota familia, in pietatis odium à prædicto tyranno ferro obtruncatus, cœleſtis regni cum cœtu ſuo triumphali patentia adyta, æternùm glorificandus ingreſſus eſt. In territorio Maleacenſi ſancti Girstani Eremitæ & Confeſſoris.

VIENNÆ piè in Chriſto quieuit beatæ memoriæ IOANNES cognomine FRANCARDVS ordinis Cæleſtinorum religioſiſſimus aſceta, diuinis moribus præſtans, & miraculis etiam illuſtris. *Ioannes Francardus.*

27 *Quinto Kalend. Decembris.*

IN Belgio commemoratio ſanctæ IDÆ, cuius hodie ſacrum corpus ſignis gloriæ refulgens, in Saxoniam tranſlatum eſt. *S. IDA.*

28 *Quarto Kalend. Decembris.*

NATALIS ſancti SOSTHENI diſcipuli ſancti Pauli, qui ad Corinthios ſcribens eius mentionem facit honorificam. Hic ex Principe Synagogæ conuerſus ad Chriſtum, ante Gallionem Proconſulem acriter à Iudæis liuore & odio frementibus verberatus, præclaro initio fidei ſua primordia conſecrauit, quam & inclyto agone, fuſo cruore obſignauit. Eius ſacrum caput cum brachio, primum Romam è Græcia aduectum, deinde ſuccedente tempore è Monaſterio ſanctæ Bibianæ de vrbe Toloſam in Gallia tranſlatum, ac in cœnobio ſanctæ Mariæ deauratæ collocatum eſt, tempore Gregorij Papæ IX. vbi etiamnum digna veneratione ſeruatur. *S. SOSTHENES.*

29 *Tertio Kalend. Decembris.*

APVD Namurcum ſub noua Metropoli Machlinienſi (quæ eſt antiqua portio Epiſcopatus Leodienſis) ſanctæ IDÆ Monialis ordinis Ciſtercienſis gratiæ diuinæ chariſmatibus refertæ. *S. IDA.*

30 *Pridie Kalend. Decembris.*

IN Monaſterio Cazæ-Dei in Aruernia veneratio brachij ſancti ANDREÆ Apoſtoli, hodie apud Patras Achaiæ Metropolim, in curru Dominico, cum luce ac odore ſuauiſſimo, & Spiritus ſancti gaudio, dum moreretur triumphantis. Cuius egregij Apoſtoli & athletæ barba longa vt minimum vno palmo, & niuis inſtar candida, circumſperſis tamen capillis nigris Maſſiliæ, in Prædicatorum Eccleſia, hodie oſtenditur, & magna reuerentia conſpicitur. Ipſo die ſancti ACCÆ Epiſcopi Lindisfarnenſis in Anglia, qui Dei Spiritu plenus Friſionibus Chriſtum zelo Apoſtolico fructúque copioſo prædicauit. Eodem die ordinatio ſancti BONIFACII Epiſcopi Moguntini ipſorum Friſionum Apoſtoli, ad quos dum iuſſione ſummæ ſedis, & inſtantiâ Pipini Francorum Regis ſalutis proferret præconia, ferociter cum ſociis necatus, plus moriens quàm viuens (ceu alter Samſon) ſua victoria præualuit. *SS. Veneratio brachij S. ANDREÆ Apoſtoli. ACCAS. BONIFACIVS.*

DECEMBER.

1 *Kalendis Decembris.*

SS. ANISIANVS & MAXIMA. IN Lotharingia natalis SS. Martyrum ANISIANI & MAXIMÆ, quos fides armauit pro Chriſto ad prælium, victoria euexit ad præmium, mórſq. glorioſa ad vitæ immortalis & beatæ gaudium, triumphúmque perduxit ſempiternum. Hoc eodem die in agro Gratianopolitano depoſitio APER. ſancti APRI Presbyteri & Confeſſoris, cuius vita perpetua mortis meditatio fuit: conuerſatióque quamdiu vixit in terra, cœlo, ad quod indeſinenter anhelabat, defixa hæſit. Ipſo die in agro Agennenſi ſancti COLONVS. COLONI Confeſſoris, quem duplici feſto ipſa Agennenſis Eccleſia colit: magis meritorum eiuſdem ac patrociniorum conſcia, quàm actorum ſpeciali notitia prædicta.

3 *Tertio Nonas Decembris.*

SS. MARIA IACOBI & SALOMÆ. ARELATE Reuelatio ſanctarum MARIÆ IACOBI & SALOMÆ: in puellari Monaſterio ſancti Petri montis Maioris quieſcentium: vbi agitur ſpeciale feſtum ſanctæ Mariæ Salomæ die 22. Octobris cum octaua: & ſanctæ Mariæ Iacobi die 25. Maij. Propria verò feſti vtriuſque celebritas ibidem fit, magna cum ſolemnitate. Eaſdem verò colit ambas beatas Burdigalenſis Eccleſia ſub ritu duplici die 25. Maij. Apud AMBROSIVS. Senonas tranſitus ſancti AMBROSII illius Metropolitæ ſedis Epiſcopi: cuius apud Melodunum ad Sequanam in eadem diœceſi clara eſt memoria, parœciali titulo ſeu Eccleſiâ ſub nomine ipſius glorioſi An- TRESANVS, VERANVS & GERMANVS. tiſtitis dicata, illuſtris. In Campania Sanctorum TRESANI, VERANI & GERMANI fratrum.

4 *Pridie Nonas Decembris.*

S. BARBARA. TRANSLATIO Reliquiarum ſanctæ BARBARÆ Virginis & Martyris, hac die nobili agone triumphantis. Quæ tranſlatio contigit, quando apud Drepanum in Sicilia primùm repoſitæ fuerunt, in æde ſancti Franciſci: vnde aliquæ portiones decerptæ poſtea in Galliam allatæ ſunt, quarum coruſcatione, vt aucta eſt glorioſæ Chriſti Athletæ in hoc regno veneratio, ſic & eiuſdem hinc patrocinia enituerunt apud Gallos crebriora.

5 *Nonis Decembris.*

SS. BASSVS. NICEÆ ſub Ebredunenſi Metropoli Natalis ſancti BASSI Epiſcopi & Martyris: qui in perſecutione Decij & Valeriani à Perennio præſide, ob Chriſti fidem equuleo tortus, laminis candentibus vſtus, fuſtibus ac ſcipionibus cæſus, in ignem iniectus, cùm illæſus euaſiſſet,

duobus

duobus confixus clauis, illuſtre martyrium conſummauit. Eodem die Bracaræ in Luſitania natalis ſancti GERARDI Epiſcopi ordinis Cluniacenſis, qui nobilibus apud Caturcum in Aquitania parentibus ortus, ab iiſdem ante natiuitatem Deo oblatus, & à puero in Monaſterio Moiſſacenſi ad erudiendum in omni doctrina & pietate traditus: religione & literarum ſcientiâ, breui emicuit. At cùm in Hiſpaniam profectus eſſet, ibi ob radiantem meritorum ſplendorem, omnium ſuffragiis Antiſtes effectus, ſuſceptum paſtorale officium perfectiſſimè impleuit: tandémque bonis operibus plenus, in pace quieſcens, inter Pontifices ſanctitate conſpicuos ab Eccleſia cenſitus eſt.

6 *Octauo Idus Decembris.*

COLONIÆ natalis ſanctæ FLORENTINÆ Virginis & Martyris, quæ pro pudicitiæ virginalis integritate & fidei Chriſtianæ tutela occiſa ad coronam euolauit. S. FLORENTINA.

7 *Septimo Idus Decembris.*

APVD Baiocas ad Auram fluuium in Normania ſancti GERBOLDI Epiſcopi & Confeſſoris, qui poſt ſanctum *Geretrannum* hanc Eccleſiam regens, magna cum virtutum Epiſcopalium gloria, Rotomagenſi Concilio interfuit: ac poſt felicis adminiſtrationis conſummationem, cupidus Domini conſpectus, in Octaua ſancti Andreæ Apoſtoli beatum ſpiritum efflauit. In territorio Santonenſi ſancti EVTROPII Confeſſoris diſcipuli ſancti Martini Epiſcopi, in cuius vita commendatione ſpeciali egregiè memoratur. SS. GERBOLDVS. EVTROPIVS.

8 *Sexto Idus Decembris.*

AVGVSTÆ Taurinorum ad Duriam fluuium Natalis Sanctorum Martyrum IVLIANI & BESVLII, ex Thebæorum legione: quorum duorum ibi ſacra cadauera volente Deo depoſita, illorum memoriam reddidêre percelebrem. Ipſo die depoſitio ſancti EVSEBII, VZANI Presbyteri, & SVSSEBSI Epiſcopi: quos Toloſana Eccleſia antiquo ex more colens, dipthycis ſuis inſcripſit. SS. IVLIANVS & BESVLIVS EVSEBIVS, VZANVS & SVSSEBSVS.

9 *Quinto Idus Decembris.*

ITERVM Auguſtæ Taurinorum Sanctorum Martyrum MARTINIANI & ſociorum ſub Maximino trucidatorum. SS. MARTINIANVS & ſocij.

10 *Quarto Idus Decembris.*

TRANSLATIO SANCTÆ DOMVS LAVRETANÆ, ex qua deuotio erga annuntiatam ſanctiſſimam Deiparam, & educatum in Nazareth Galileæ ciuitate ipſa in domo Chriſtum Dominum Seruatorem; totum in orbem, maximè occiduum atque nominatim in Galliam, diffuſa emanauit. SS. Sanctiſſimæ Virginis commemoratio eſt deuotione LAVRETANA.

11 *Tertio Idus Decembris.*

S. DAVID. IN pago Treuirenſis diœceſis ſancti DAVID Monachi diſcipuli ſancti Bernardi Confeſſoris: qui ex Claræuallenſi cœnobio, ad Clauſtrenſe miſſus, ob profectum religionis ſanctè ibi quieuit.

12 *Pridie Idus Decembris.*

S. MAXENTIA. IN tractu Bellouacenſi ſub Remorum Metropolitana ſede, inuentio & repoſitio ſanctæ MAXENTIÆ Virginis, ibidem (vbi oppidum cum ponte ab ea paſſa cognominatur) in agone pietatis ac puritatis coronatæ.

13 *Idibus Decembris.*

S. TASSILO. DEPOSITIO ſancti TASSILONIS Monachi & Confeſſoris. Qui ſtupendo Dei conſilio, ex ſublimitate ducali. imò regia ad humilitatem monaſticam, iubente Carolo Magno Francorum Rege Chriſtianiſſimo ac Imperatore deiectus; faciens de tentatione prouentum, in Lauriſſenſi cœnobio, vitam Deo tanto acceptiorem quanto ſubmiſſiorem & puriorem tranſegit, conſummatúſque in omni opere bono, de terreno Bauariæ principatu perdito cœlorum regnum ex fœnore talenti gratiæ multiplicati lucratus eſt.

14 *Decimo octauo Kalend. Ianuarij.*

S. VRBICIVS. DEPOSITIO ſancti VRBICII Eremitæ & Confeſſoris: qui Burdigalæ in Gallia nobili genere natus, ex materno Aſteriæ piiſſimæ fœminæ gremio: caſtitate ſic ſeruiuit altiſſimo, vt impar inter homines hoc in decore haberetur. Cùm autem in Hiſpaniam veniſſet, ne Maurorum incurſu Sanctorum reliquiæ fœdarentur, Hiſpalim petiit, & inde ſacra beatorum *Iuſti & Paſtoris* corpora pio furto ſurripiens, Oſcam tandem detulit: cúmque beati Benedicti habitum & ordinem è beati Martini Monachi manibus ſuſcepiſſet, plenus ſanctitate & diebus centenario proximus glorioſus Confeſſor migrauit ad Dominum, perpetuæ virginitatis lilio decoratus, ac medius inter duo illa Martyrum Complutenſium puerorum corpora, iuxta primæuum cordis ſui deſiderium ſepultus eſt, vt quibus mens vna ſemper fuerat, eorum etiam corpora nec ſepultura ſepararet. Cuius vitam ſanctitate & miraculis plenam, & virtutem in obtinendis imbribus tempore ſiccitatis, litterarum monimentis pluribus legimus atteſtatam. Habet Eccleſiam in ſolitudine, in qua vixit intra montes ab Oſca quinque milliaribus diſtante, nomine ſuo inſignitam. Colitur autem beatus hic Confeſſor in Epiſcopali Eccleſia ſancti Pontij-Tomeriarum prouinciæ primæ Narbonenſis annuali officio die ſequenti.

16 *Decimo ſeptimo Kalend. Ianuarij.*

TRANSLATIO ſanctæ OTHILIÆ Virginis cuius ſacrum corpus ex Alſatia, primæ Belgiæ portione, vbi inſigne monumentum ſui nominis habet: ad Eccleſiam Brienonenſem in Notico deportatum, ibidem ſeruatur & colitur. Tranſiuit ad ſponſum cœleſtem virgo ſanctiſſima & prodigioſa die 13. Nouembris, quo celebris notatur in Martyrologio Romano. Ipſo die ſanctæ ADELHAIDIS Auguſtæ & poſtea Monialis: cuius pios mores litteris ſanctus Odilo Cluniacenſis Abbas conſignauit: fulgentíſque iam ſplendore ſanctitatis & gloriæ ſacra præconia eximiis modulationibus cecinit, quæ etiamnum inter opera eius inſerta leguntur. SS. OTHILIA. ADELHAIDIS.

17 *Decimo ſexo Kalend. Ianuarij.*

IN Monaſterio ſancti Galli Leodienſis Præſulatus depoſitio ſancti MARCELLI Monachi eiuſdémque cœnobij Scholarchæ. qui è Scotia in Galliam profectus, deſiderio ſynceriùs ac liberiùs Chriſto ſeruiendi, ad hoc celebre aſceterium ſe contulit: quo loco qui cupiebat eſſe diſcipulus, continuò ob ſplendidas cœleſtis ſapientiæ caſtæ infuſas animæ dotes, cæterorum conſtitutus didaſcalus, theorias diuinas ac religioſas praxes, hos non minùs opere quàm eloquio docuit: quouſque animarum multarum illuſtrator, ad promiſſam doctoribus iuſtitiæ lauream cœlitùs euocatus eſt. Fuit ſanctus hic aſceta præceptor beati *Notkeri*, cuius vberes piorum laborum fructus, Gallia ſuſpexit, primáque collegit; orbis denique Chriſtianus vniuerſus, merita veneratus eſt in ſe copioſa. S. MARCELLVS.

18 *Decimo quinto Kalend. Ianuarij.*

DEPOSITIO ſancti FLORINI Preſbyteri, Confluentiæ hac die celebrati. S. FLORINVS.

19 *Decimo quarto Kalend. Ianuarij.*

IN Burgundia cœnobio Iurenſi ſancti Claudij nomine famoſiſſimo, depoſitio ſancti VRSICINI Confeſſoris, teſtimoniis diuinæ gratiæ clarificati. Idem ſancti RIBARII Monachi, qui puræ mentis ſacrificio perenni, diuinæ maieſtati illic famulatus, quo tempore Karlomanus Caroli Magni frater, Francorum Regnum in Auſtraſia moderabatur, nouo decore ſanctitatis Galliam illuſtrauit: atque in cœlum ob Angelicam quam attigerat munditiem aſſumptus, inter *vaſa gloriæ & aſtra matutina* connumeratus eſt. Cuius corpus multarum diuinarum virtutum perenne inſtrumentum, poſt multas quam ambiebant Eccleſiæ circumuectiones, in Normaniam tandem deportatum, ad oppidum ſancti Valerici tractus Caletenſis, in Prioratu conuentuali, fiſcanenſi cœnobrenhiæ deuincto; ibi cum multa ho- SS. VRSICINVS. RIBARIVS.

norificatione conditum requieſcit. Cuius hinc latè erumpentia gloriæ lumina, quinque circiter parœciales Eccleſias in diœceſi Rotomagenſi, circumcirca Nouocaſtcenſem pagum, ſub eius patrocinio (quo populi mirificè ſubleuantur) excitârunt.

Calixtus. ROMÆ depoſitio beatæ memoriæ CALIXTI Papæ II. ex Archiepiſcopo Viennènſi, qui pacem cum Henrico V. Imperatore Eccleſiæ infeſtiſſimo feliciter compoſuit: vitque planè Apoſtolicus cùm eſſet, virturibus arque miraculorum ſignis enituit.

20 *Decimo tertio Kalend. Ianuarij.*

SS. IVLIVS. GELDVBÆ oppido in ſolo Gallico ad Rhenum fluuium Natalis ſancti IVLII Martyris hac die inter ſanctos Chriſti athletas, in Romano Martyrologio, perpetuam ad celebritatem conſcripti. In Monaſterio Luxouienſi ſancti VRSICINI Monachi diſcipuli ſancti Columbani, magna diuini ſpiritus coruſcatione collucentis.

VRSICINVS.

Henricus. CALCARIÆ in Ducatu Cliuenſi beati HENRICI Preſbyteri & Monachi ordinis Carthuſiani, qui Colonienſi domui diu cum odore ſuauiſſimo vitæ & regiminis præfuit.

21 *Duodecimo Kalend. Ianuarij.*

S. MEMMIVS. CATALAVNI pacificus demum ingreſſus ſancti MEMMII illius vrbis Apoſtoli, & Apoſtolorum Principis diſcipuli: à quo eò ob Chriſti præconium diffundendum & procurandam ciuium ſalutem miſſus eſt, ſicut pleniùs inſinuatum eſt in eius natali die 5. menſis Auguſti.

Joannes de Mata, cum Felice de Valeſia. BEATÆ memoriæ IOANNES DE MATA nobilis Gallus, è prouincia Phocenſi, Doctórque Theologus Pariſienſis inſignis; qui diuina inſpiratione afflatus, ordinem ſanctæ Trinitatis de redemptione captiuorum in loco Cerui Frigidi diœceſis Meldenſis, ſuffragante ſibi FELICE DE VALESIA anachoreta ſanctiſſimo (cui in ſolitudine illa ſe purioris vitæ ſtudio, coniunxerat,) approbante Innocentio III. Papa inſtituit. A quo Pontifice propria ordinis inſignia diuinitus expreſſa recepit, poſt multas animas ſanctis prædicationibus & exemplis ad vitæ melioris conuerſionem adductas; poſt pleroſque fidelium greges de luporum vnguibus ereptos; captiuos ſcilicet innumeros Chriſtianos, in Africa (quò eximia feruens charitate proceſſerat) ex infidelium poteſtate & miſeranda ſeruitute redemptos; poſt ordinem denique per totam Franciam, Italiam, Hiſpaniam & Angliam feliciter dilatatum: Romam cùm rediiſſet ad procuranda ſui Chriſtianiſſimi inſtituti incrementa, non tam fatiſcens ex aſſiduis laboribus, quàm charitatis, quâ totus ardebat, interna flamma cõſumptus, animam ſanctiſſimè exhalauit: condignóq. tumulo honoratus eſt in Eccleſia S. Thomæ de Formis, ſeu de Nauicella: in qua Deus fideliũ remunerator animarum per multa virtutis ſuæ ſigna, quanta apud ſe gloria perfruatur vir ſanctus manifeſtauit. Huic beato cùm primùm ſacrum Pariſiis celebraret, præſente Mauricio de Soliaco vrbico Pontifice, cum Archimandritis S. Genouefæ & S. Victoris, Rectoréq. Vniuerſitatis, & multa Clericorum & ciuium turba; in ipſa viuificæ hoſtiæ adoratione, Angelum (tradunt Scriptores) candida veſte apparuiſſe, crucem coccineo & ceruleo colore mediatim expreſſam, ipſi afferentem; decuſſatiſque manibus & tranſuerſis ſuper duorum captiuorum proſtratorum capita, illum de eorum curanda redemptione & ordinis huius inſtitutione, diuino ex nutu admonentem. Quæ viſio vt illum ad tam magnum opus incitauit, ſic & deinceps in ſtemma ceſſit perpetuum fundati ab eo huius ordinis etiamnum vigentis magno orbis Chriſtiani ſolatio & ornamento.

22 *Vndecimo Kalend. Januarij.*

IN monte ſancti Diſibodi Monaſterio Bingenſi depoſitio ſanctæ IVTTÆ Virginis, quæ diuinis chariſmatibus plena ſanctam *Hildegardem* in Dei timore & religionis cultu mirificè erudiuit. S. IVTTA.

23 *Decimo Kalend. Januarij.*

LEODII tranſlatio ſancti LAMBERTI Epiſcopi & Martyris præcelſi. S. LAMBERTVS.

24 *Nono Kalend. Januarij.*

LEMOVICIS in cœnobio ſancti Auguſtini veneratio Reliquiarum ſancti ASCLEPII eiuſdem ciuitatis Epiſcopi, glorioſæ commemorationis, qui ex fragili hoſpitio carnis ſpiritum omni virtute præditum, ad cœleſtis Regis felicia penetralia hodie tranſmiſit: ibíque carne ſepultus, vi diuina (quam Dominus gloriæ cui fideliter ſeruierat ipſimet impertiuit) laborantibus infirmitate hæmorreos potenter opitulatur. S. ASCLEPIVS.

25 *Octauo Kalend. Ianuarij.*

CLAROMONTE Aruernorum repoſitio ſancti ARTHEMII ſedis illius ſeptimi Epiſcopi: cuius beata ad ſupernos choros tranſitio celebris eſt anniuerſario cultu die 24. menſis ſequentis. S. ARTHEMIVS.

26 *Septimo Kalend. Januarij.*

LVGDVNI dudum, Moguntiæ, Conſtantiæ, Rheni proprio cultu celebratur natalis ſancti STEPHANI Protomartyris primi illarum Eccleſiarum protectoris. Qui & nunc Agathæ in Volcis Arecomicis ſub prima Narbonenſi, proprius vt tutelatis honoratur. Cùm pridem ibi patronus coleretur ſanctus *Andreas Apoſtolus*: in cuius baſilica Patres Gallicani, qui ſub Symmacho Papa Synodum ibidem habuêre, fulti tanto opitulatore, qui ipſum Petrum ad Chriſtum duxit, conuenêrunt. S. STEPHANVS Protomartyr.

27 *Sexto Kalend. Ianuarij.*

CLVNIACI tumulatio ſancti PETRI Abbatis cognomento venerabilis, die ipſo Natalis Domini ad ipſius quem tamdiu ſitierat beatum conſpectum, tranſlati. S. PETRVS.

EODEM die in Anglia beati GODEFRIDI Confeſſoris, qui propter Chriſtum Cameracenſi patria abdicatâ, religione & litteris inſignis in Angliam traiiciens; Vintoniæ Prioris functus officio, celebri Xenodochio ædificato, humilitate & patientia clarus, multis annis acuto morbo probatus in lectulo iacuit: donec ipſa *ex patientia opus perfectum habens* æterna ad gaudia Chriſto vocante euectus eſt. *Godefridus.*

28 *Quinto Kalend. Ianuarij.*

ANIANÆ Monaſterio in Occitania, & Lemouicis in ſancti Augu- ſtini aſceterio, veneratio Reliquiarum SANCTORVM PVERORVM INNOCENTIVM, hodie ab Herode Chriſti odio & loco immani furore trucidatorum.

SS. Innocentes pueri.

29 *Quarto Kalend. Ianuarij.*

S. Evro.

BAIOCIS ſub ſecunda Lugdunenſi depoſitio ſancti EVRONIS Abbatis, qui Childeberto magno regnante, fulgens omni gratiæ dono eluxit, clarúſque ſanctæ conuerſationis inſigniis, cœleſtem felix migrauit ad patriam. Cuius corpus in æde ſancti Petri conditum, glorificationis beati ſpiritus, ex manánte ex ſe virtute, indicia prodidit perſpicua.

Pontius.

PONTIVS dudum eximius Abbas Cluniacenſis, poſtea domus illius ferus infeſtator: demum ſyncerus pœnitens, & in humilitate vera conuerſus, propitiante Domino, in viam æternæ pacis, obdormiens placida morte, pertexit.

30 *Tertio Kalend. Ianuarij.*

S. Iacobvs Maior tranſlatus.

TRANSLATIO ſancti IACOBI Apoſtoli, non tantùm in Compoſtellana Eccleſia, ſed & in ordine Ciſtercienſium celebris: nec ab Eccleſia Toloſana prætermittenda, in cuius meditullio nempe ſacrario baſilicæ ſancti Saturnini, cœlitum pignoribus refertiſſimo, magna pars exuuiarum tanti Apoſtoli, cum aliorum Apoſtolotum quinque ſacratiſſimis reliquiis, dignè repoſita ſeruantur, & oſtenditur: ſicut die 25. Iulij inſinuatum eſt in hoc Galliæ Martyrologio.

Matthæus.

PARISIIS pia expiratio venerabilis MATTHÆI Abbauillæi Capucini, concionatoris Apoſtolici, qui ab hæreticis in odium fidei Catholicæ lethali veneno intoxicatus, ſed Dei graria à morte liberatus, ob venenum tamen per intimas medullas diffuſum, diutino languore contabuit. At poſtquam poſt ſex annos productum toletaſſet, martyrium, variis & acutiſſimis dolorum aculeis exercitatus, ſanctiſſimè obdormiuit in Domino. In Anglia animam præclaris dotibus iuſtitiæ & pietatis ornatam, Chtiſto Setuatori teddidit venerabilis BALDEVVINVS Abbas, qui patria Gallus, beati Eadmundi cœnobio præfuit, in magna luce gratiæ & religionis. PHILIPPVS Picardus Theologus Pariſienſis ex ordine Minorum, qui validus auitæ pietatis propugnator, hæreticos diuinis cùm prædicationibus, tum factis profligauit, Aureliam bis ab his oppreſſam Apoſtolicæ curæ & operæ ſolatiis fulciuit & erexit; antiquæ fidei cultores in officio continuit, nutantes confirmauit, errantes ad veram Eccleſiam reduxit: randem verbum Dei dum prædicatet ea zelo quo feriebat conſumptus, è ſuggeſtu delatus ad lectulum in Chriſti pace quieuit. Habitus meritò ſecundus Aurelianotum Apoſtolus.

Baldeuuinus. *Philippus Picardus.*

31 *Pridie Kalend. Ianuarij.*

S. Germanvs.

IN agro Geneuenſi apud Allobroges ſub prima Viennenſi, ſancti GERMANI Monachi, ordinis ſancti Benedicti, ad cuius altare beatus *Franciſcus* Epiſcopus Geneuenſis hac die aſſumptus ad gloriam primùm apparuit.

COROLLARIVM.

Die 1. Ianuarij.

ALBIGÆ in Aquitania, aduentus ſancti EVGENII Epiſcopi Carthaginenſis & Martyris. Qui Africæ primas, trophæis de Ariana impietate multiplici de agone reuectis, admodum nobilitatus, à Gundabundo impio Wandalorum Rege, Hunnerici in eadem ſæuitia ſucceſſore, ex odio Catholicæ pietatis (quæ ſub tanto Antiſtite de furente exitiali hac hæreſi mirificè triumphabat) iteratò, poſt egregium nec incruentum certamen, exilio damnatus, atque fragili rate in Galliam deportatus, Albigæ auſpice Chriſto paululum reſpirans conſedit: vbi poſt elapſos aliquot menſes, conſummato præclaræ concertationis ſtadio, ſpiritum tot laureis coronatum, placido efflatu quietæ mortis exhalauit. Sepultus eſt pone tumulum beati Amaranti Martyris, cuius ſibi apparentis ſuaui alloquio ad beatorum Chriſti pugilum ſocietatem, paulò antè fuerat inuitatus, multíſque ibi refulſit emeritæ clarificationis inſigniis. S. EVGENIVS.

Die 16. Februarij.

IOANNES RAVLINVS ſacræ Theologiæ profeſſor in Academia Pariſienſi, qui *vina Spiritus ſancti tuba*, tum lectionibus, tum concionibus diuina oracula Catholicæ Eccleſiæ filiis (nondum ortâ hæreſi) indefeſsè nunciauit vberrimo omnium emolumento: quique ſæcularia negligens quo ſanctiùs viueret ex magno Nauarrei Gymnaſij Magiſtro, humilis Cluniacenſis aſceta factus, non tamen deſiit ab Euangelico munere. Nam Apoſtolico planè zelo, animarum ſalutem procurans, non ſemel ad populum quotidie concionabatur: cùm ſe ſuáque omnia, id eſt animum, corpus, vim ingenij, & quicquid poterat, in Chriſti obſequium & Eccleſiæ commodum impendiſſet ſanctitatis ornamentis clarus; quin & prophetiæ ſpiritu illuſtris; Lutetiæ Pariſiorum in domo Cluniacenſi, ſui inſtituti præcipuum ſidus, momentaneæ mortis eclypſim paſſus, ad perennes Sanctorum ſplendores tranſmigrauit. *Ioannes Raulinus.*

Die 19. Februarij.

LVTETIÆ Pariſiorum piæ memoriæ CATHARINA À IESV, ſanctimonialis virgo, ordinis ſanctæ Mariæ de monte Carmelo, inſtituti in Francia ſecundum reformationem ſanctæ Thereſiæ: in omni religionis perfectione conſummata, ad Chriſtum cuius vultum deſiderabat lætanter peruenit. Hæc Burdigalæ nata, honeſto ex mercatorum genere, adhuc ſeptennis, à ſeptiformis gratiæ ſpiritu afflata, cœlo ſeſe totam dedicauit. Cùm enim in libellum vitæ ſanctæ Catharinæ Senenſis incidiſſet: ita eius ex lectione piè affecta eſt, vt incen- *Catharina à Iesv.*

ſa diuino amore, Chriſto vt grata ſeruitute totâ vitâ obſequeretur, ſanctæ illius virginis genium & mores deinceps ſibi ad imitandum propoſuerit. Ad litteram igitur, quæ de ea legebat, ſic æmulabatur pia puella, vt iam ab exordio ſpecimen magnæ virturis actibus ſuis exprimeret. Ne tamen ſine duce viam capeſſeret & curreret, ſe Parrum Fullieuſis ordinis gubernarioni commiſit, quorum in omnibus conſilia ſequebarur. Imitationem ſanctæ Carharinæ, à deuotione ad beatiſſimam Deiparam exorſa eſt: aſſiduæque orarioni inrenta, adhuc octennis, Chriſtum ſibi perpetuum in ſponſum elegit, cuius amore, vix nouennis cùm eſſer, perpetuum virginiratis edidit votum. Dehinc ſpeciali dono orationis diuinitus dotata fuit, adeò vt à præſentia Dei ſenſibili, numquam exindè abſtractam ſe deprehenderit: quo fiebar vt diem cùm in Eccleſia exegiſſet, vix ad horam ſeſe crederet ſacta in æde immoraram. Genuflexa ante Crucifixum horas quinque tranſigebat, Chriſti vulneribus & medirationi eius mortis immobiliter defixa. Tantæ abſtinentiæ erar, vt annum ſemel excurrerit nullo alio vſa alimento, quàm panis & aquæ, eóque ita modico, vt valorem quadrantis aſſis vix æquaret: cæteram quam abſumere poruiſſet alimoniam, in pauperum ſuſtentationem erogabat: cilicio carnem macerabar, tenerόſque artus diſciplinis crebris atterebat. Frigore corpus conſtringens, ſpiritus ardorem dilatabat: in excubiis ſactis noctes ad auroram vſque precibus incumbens protrahebat: inſigni nitebat innocentia, in qua Chriſtum ſponſum præſertim imitabatur: cuius & patientiam, humilitatem, modeſtiam, manſuetudinem, charitatem mirificè præferebat. Cùm iam adoleſceret, maioris perfectionis cupida, religioſam ſtatuit vitam amplecti; quo in propoſito matrem aduerſariam experta eſt, à qua tamen piâ inſtantiâ licentiam cùm extorſiſſet, Lutetiam, vt ſodalitio virginum Carmelitarum, quarum rigidæ obſeruantiæ fama erat celebris, adſcriberetur, venit; ibi à Domina Acarie (quæ *beata* deinde *Maria de Incarnatione*, dici ac eſſe promeruit) hoſpitio benignè excepta eſt, cuius interuentione, in cœnobium de Incarnatione admiſſa, tyrocinium ſacræ profeſſionis iniit ac expleuit, tanta ſanctitate, vt Angelicos mores, puritate conuerſationis, & ſpiritus claritate ac feruore exhibuerit. Dehinc profeſſionem emiſit ſolemnem: in qua diuinos raptus paſſa, viſis cœleſtibus plerіſque honorata eſt. Ita magnalium Dei vias ingreſſa, proceſſu continuo, eas ad metas proceſſit, quas vix beatis immaculatis in via tranſilire licet, abyſſo diuinæ bonitatis ita abſorpta, vt iam à ſe deficiens nonniſi in Chriſto viueret. Cùm igitur ardenter diſſolui cuperet, & ob perpetuam ſpiritus ad cœlum contentionem, carnis infirmitatibus in dies debilitata, hydropiſi diu afflicta, at prærogatiuis gratiæ ditata innumeris cœleſtibus viſis, diuinis reuelationibus, intelligentiæ lumine, ſignaculo electionis, & chariſmatibus inexplicabilibus cumulata, pignoribúſque gloriæ munita: audito Angelico concentû, die Dominica quæ ortus eſt lucis, lucis filia oculos carnis in mortem clauſit, & ſpiritum luminibus gratiæ plenum, perennes ad conſpectus ſolis iuſtitiæ (cuius vultum ſemper vnicè concupierat) ſplendores tranſmiſit. Expirauit beata anima in parthenona matris Dei, cuius intra vrbem fundationem, ſuperiorum iuſſu promouerat. Vnde corpus eius puriſſimum, ad monaſterium de Incarnatione ſuburbanum (vbi Eliæ duplicem cum pallio ſpiritum induerat) relatum, honorifico funere ſepultum eſt, non ſine diuinæ teſtificationis clarificatione.

Die 4. Aprilis.

Cantianus cognomento Hue.

VENERABILIS CANTIANVS HVE Sacerdos, qui præſtanti eruditione, in Nauarræ Gymnaſio Grammaticorum Primarius, poſtquam ad Theologica theoremata mentis aciem erexiſſet, primæ iam licentiæ inter candidatos præcipuus; terga vertit ſæculo, ſibi vndique applaudenti ob eximias virtutes & claras doctrinæ & ſapientiæ dotes, ordiniſque Fontiſebraldi humilis profeſſor Pariſiis factus, in parthenona puellarum Dei: ibi ſicut arbor odorifera & frugifera, omnis religionis & ſanctimoniæ inſignia protulit; collapſámque in nonnullis ordinis ipſius familiis diſciplinam, priſtinum in decus ſuo zelo & prudentiâ re-

ſtituit. Demum vita non modò irreprehenſibili, ſed & ſanctiſſimâ, exactâ, piiſſimo fine defecit, inque templo prædicti Monaſterij multiplici cum elogio ſanctitatis ſepultus eſt. De hoc pio viro legitur, quòd iuſſus ab Antiſtita totius ordinis, Theologicum agonem vſque ad lauream perſequi; cùm hunc expleſſet, ſuæ licentiæ gradum ſecundum aſſecutus, inſignia doctoratus accipere noluerit, ſed tuendæ humilitatis ſtudio in licentiæ gradu conſtiterit. Concionator interim egregius, abſtinentiæque, obedientiæ, charitatis & totius perfectionis Euangelicæ cultor perpetuus.

Die 4. Maij.

APVD Carcaſſonenſes ſancti LVPINI Confeſſoris: cuius corpus in Cathedrali ſancti Nazarij Eccleſia venerabiliter requieſcit: glorioſa autem memoria, annuis ſacris colitur feria tertia ante Aſcenſionem Domini. S. LVPINVS.

Die 3. Junij.

TRANSITVS ſancti HILARII Carcaſſonenſis Epiſcopi & Confeſſoris. Qui inter primos orthodoxæ fidei defenſores, ſtrenua virtute conſiſtens, pro legis & gregis Chriſti tutela, multa à furentibus lupina rabie hæreticis perpeſſus: demum deuictâ eorum perfidiâ, egregiè aſſertâ Catholica veritate, de communi vnigeniti filij cum æterno Patre eſſentia & gloria, ad lauream emeritam victor inclytus euolauit. *Cuius* (vt in eius officio antiquo ex ſermone hodie Carcaſſone legitur) ***dum recolimus perſeuerabilem in operibus fidem, mirabilem in contemptu mundi rigorem, ſingularem in miſericordia charitatem, inexpugnabilem aduerſus Arianam hæreſim conſtantiam, indubitanter credimus, eum adimpleſſe, etiam non impleta paſſione Martyrium.*** S. HILARIVS.

Die 15. Iulij.

IN Lugdunenſium finibus, loco Bredone dicto ad montana Iuræ, natalis ſancti RAGNEBERTI Martyris, Radberti Ducis filij, iuſſu Ebroini domus Regis Theodorici Maioris, illic poſt multas perſecutiones, mucrone lanceæ transfixi; póſtque felicem necem quam pro iuſtitiæ cultu, ab hoc impio Tyranno Dei & Sanctorum hoſte, ac Francorum nobilitatis cruento extirpatore iniuſtiſſimè pertulit, diuinæ glorificationis coruſcationibus illuſtrati. Ad cuius tumulum appenſæ lampades, oleum quod lumen fouebat perenne, ſine humano adminiculo produxerunt. S. RAGNEBERTVS.

Die 20. Julij.

PETRVS LOMBARDVS Pariſienſis Epiſcopus, qui ſua ætate Theologòrum apex, mirabili felicitate vniuerſam Theologiam complexus, in libros quatuor ſententiarum ex Scripturis & Patribus depromptarum digeſſit: in quod incomparabile opus innumerabilia diſputationum volumina, clariſſimarum toto Chriſtiano orbe Academiarum Theologi elaborârunt, quémque ideo omnes Theologorum Scholæ ſingulari quadam venerationis excellentiâ Magiſtrum appellauerunt: poſt compilatos etiam in omnes Pſalmos Dauid, & in vniuer- *Petrus Lombardus.*

ſas Apoſtoli Pauli Epiſtolas ex dictis Sanctorum Ambroſij, Hilatij, Auguſtini, Caſſiodori & Remigij, mentiſque diuino lumine irradiatæ conceptibus, eruditiſſimos commentarios: at quod maius eſt poſt præſulatum omnibus numeris abſolutum, vtrámque ad præſcriptum cœleſtis doctrinæ, quam libris tradebat, exactam, piiſſimo fine conſummatus, in Chriſto omnium ſpe & ſalute feliciter obdormiuit: atque ad ſanctum Marcellum ſepultus eſt, immortalem apud Deum & homines emeritus gloriam.

Die 1. Auguſti.

Fides, Spes & Charitas, cum Sapientia earum matre.

NATALIS Sanctarum Virginum FIDEI, SPEI & CHARITATIS, quæ Romæ hodie ſub Adriano Principe, ob Chriſtianæ pietatis propagationem ab Antiocho Præfecto vrbis comprehenſæ, variiſque tentatæ blanditiis, imperitæ minis, ac pœnis acerbis excruciatæ, demum obtruncatione capitis, Martyrij palmas & coronas inclyto trophæo adeptæ ſunt. Ad quarum ſepulcrum, triduò poſt illarum agonem, ipſarum mater Sapientia, preces lacrymis miſcens, pio ex voto filiabus reddita quieuit in Domino. Quarum omnium ſacra corpora in Galliam tranſlata, in Eccleſia ſanctæ Mariæ de Vizano, in agro Caturcenſi, argenteis incluſa hierothecis digna veneratione coluntur.

Die 6. Auguſti.

S. CYRIACVS.

APVD Conuenas in oppido ſancti Beati: natalis ſancti CYRIACI Martyris, cuius virtus in ſanandis infirmis quotidie elucet.

Die 16. Auguſti.

Margarita d'Arbouze dicta à ſancta Gertrude.

IN oppido Setiaco tractus Autiſſiodorenſis venerandæ memoriæ ſoror MARGARITA DE VENIX, D'ARBOVZE, dicta, à SANCTA GERTRVDE, Abbatiſſa Vallis gratiæ Pariſiis: virgo ſplendidiſſimæ pietatis, quæ extinctum ferè ardorem religionis, in præcordiis ſanctimonialium ordinis ſancti Benedicti (cuius alumna erat) hac ætate renouauit; poſt vitam admirandæ ſanctimoniæ ſtudiis ac actibus vndequaque illuſtratam, poſt ingentia religionis edita lumina, excitata incrementa, in procuratione aſſidua amplioris Dei gloriæ, & laborioſa (quam poſt ſponte abdicatum Abbatiale munus ſuſceperat, ex obedientiæ voto & officio charitatis, pro religionis augmento) expeditione, viribus exhauſta corporis, at virtutibus præſtans animi, & copioſis gratiæ chariſmatibus cumulata, ſpiritum ſapientiæ cœleſtis radiis nitentem, & ſanctitatis perfectæ decore perornatum, in cœlum, ad optatiſſimum ſponſi Virginum conſpectum, feliciſſimo efflatu tranſmiſit, poſtridie Aſſumptionis beatæ Mariæ ſemper virginis, ſicut ipſa diuino afflatu prædixerat. Facies eius poſt mortem eximio decore reſplenduit. Corpus autem ſuauiſſimum ſpirauit odorem. Quod ad Charitatem, vrbem ad Ligerim in Diœceſi Autiſſiodorenſi ſitam (vbi regularis diſciplinæ, pias vindicias abſoluerat) primùm tranſlatum eſt, deinde Pariſios peruectum ad Monaſterium Vallis gratiæ ſuburbanum, cuius prima Mater extiterat. Vbi quædam Sanctimonialis ex ſenioribus, ſpecioſam vidit ſtellam fulgentem in eo loco, vbi beata illa virgo, poſt demiſſionem Abbatialis dignitatis ſedere ſolebat. Commendatur autem potiſſimum ab orationis peritia, deuotionis feruore, contemplationis ſublimitate, ſpirituum diſcretione, prophetiæ lumine: at potiſſimum diuini amoris incredibili ardore, quo ceu ſagitta transfixa, res creatas in ſolo Deo amabat, & huius beneficio amoris, à ſeipſa, & à mundo, & ab omni re extra Deum abſtrahebatur. Maximè autem Deo per ſacram Euchariſtiam vniebatur, cuius orbatione deficiebat; Eſu vſúque mirificè conforrabatur. Cuius diuini muneris ſumptione peractâ, viſa eſt à multis, Angelica facie, & immenſo ſplendore, collucere. Miraculis etiam pleriſque in proximi ſolatium editis, ſua in vita coruſcauit. Quin & poſt mortem à Deo glorioſis meritorum ſignificatio-

nibus clarificata, refulſit; Permultis afflictis ſuffragia eius flagitantibns, deſiderata opitulatione impertitâ.

Die 11. Septembris.

Mauricius de Soliaco.

MAVRICIVS PARISIENSIS EPISCOPVS cognomine de SOLIACO, qui ex paupere ſcholaſtico, ob egregias mentis opes, non ſine diuinæ vocationis præſenſione, ad tam nobilem Cathedram euectus, Pariſienſi Eccleſiæ innumera decora & commoda attulit. Nam ſanctæ Dei genitricis magnam Baſilicam, cuius fundamenta ſolùm poſita erant, ad Colophonem pene perduxit; domos Epiſcopales ab imo ad faſtigium inſtaurauit: vicum nouum beatæ Mariæ, ad eius conciliandum decorem ex conſpectu frontis aperuit. Monaſteria de Herivalle & de Hibernali, ſub titulo Deiparæ ipſius (cui deuotiſſimus erat) fundauit. Alia ampliauit. Sermones ad populum plurimos diebus Dominicis & feſtis habuit. Parœcos, à quorum ſpeculatione pendet publica ſalus, ſedulò de muneris Paſtoralis officiis edocuit. Ad quos librum, qui etiamnum extat (cum eiuſdem concionibus, anni integro curriculo accommodatis) de cura animarum ſcripſit & direxit. Theologiam publicè ante & poſt Epiſcopatum docuit. Clero Cathedratico multa beneficia contulit. Papam Alexandrum III. in Galliam profugientem, & vrbem Regiam Pariſiorum ingredientem omni cum honore ſuſcepit. atque in Clauſtro ſanctæ Mariæ degentem aliquandiu, coluit & procurauit: quo cum Turones profectus Concilio ibi ab eo habito in Octauis Pentecoſtes interfuit. Guilelmum Metropolitam ſuum Senonis conſecrauit. Philippum Galliarum Auguſtum baptizauit. Conſultus à Pontio Epiſcopo Aruernorum tamquam intelligentiæ Scripturarum peritiſſimus ſuper facto Patris cuiuſdam, qui infantulum ſuum baptizauerat dicens duntaxat, *In nomine Patris, & Fily, & Spiritus Sancti*; omiſſo antecedenti verbo, quo actio ſpecificatur: baptiſmum nullum fuiſſe reſpondit: *quia* (vt reſcripſit) *tanta eſt verborum* diuinorum, quibus forma baptiſmi præſcribitur *viuacitas, vt nihil immutari oporteat, nihil innouari*. Inſuper ſanæ fidei peruigil cuſtos, cùm ſuo tempore multi de Reſurrectione carnis dubitarent, exitiale ſemen tam infauſti erroris omni cura extirpauit. in cuius deteſtationem hoc reſponſorium: *Credo quod Redemptor meus viuit:* ex Scriptura ſacra elicitum (tanquam è potentis pharetra acutum iaculum) officio defunctorum inſeruit; quòd & ſuo pectori, exaratum in chartula poſt mortem imponendum, teſtamentario decreto mandauit. Quo exemplo pleroſque & maximè ſacerdores, vt ſimilem epigraphen pia æmulatione ambirent, ſibi defunctis aſſignari, excitauit. Tandem poſt tam mirabiles progreſſus, ad metam Chriſtianæ expectationis perueniens ſancto fine quieuit, & in Preſbyterio ſancti Victoris ſepultus, vbi ante obitum parandi ſibi pij exceſſus causâ ſeceſſerat, æterna in benedictione reliquit per ſuauem ſui nominis recordationem. Cæterùm de hoc pio Præſule antiquis in monimentis legitur. Cùm ad exitum vergeret, ex ſenio, oculorum lumine orbatum interni luminis, quo intus gaudebat mirabile argumentum præbuiſſe. Siquidem cùm ſentiret, optatum approximare ſui tranſitus diem, ab Abbate ſancti Victoris (ſub cuius diſciplina venerabilis ſenex abdicato præſulatu ſeſe ex affectu humilitatis commiſerat) diuinam Euchariſtiam ad viaticum poſtulaſſe. Sed quoniam frequenti vomitu ſtomachus eius deficiens pulſabatur Abbatem de aſſiſtentium quorundam ſecreta ſuggeſtione, ne cœleſti pignori quid incongruum accideret, iuſſiſſe clam Preſbytero, vt ſeni iacenti in lectulo panem non conſecratum & vſualem calicem in vicem ſacræ ſynaxis afferret. Quem Sacerdotem ficta ſymbola deferentem, vbi vix limen cubiculi attigiſſe percepit pius ſenex: mox ipſum diuino afflatu impulſum exclamaſſe. *Auferte, auferte, nec enim hoc eſt Deus meus. Cur ó amici ita vobis viſum eſt mihi illudere velut hoſtes? Peto non terrenum panem, ſed cæleſtem carnem; non mortis poſtulo pabulum, ſed pignus vitæ & animæ cibum, ſalutis hoſtiam, æternitatis viaticum. Appeto, paſſum ſub vera carne Deum*. Obſtupuerunt omnes circumſtantes. Túmque ex voto ſenis Abbas ipſemet diuina ei attulit munera. Quibus diuinè inſpiratus ille occurrit venerabundus, ſuppléxque & in genua affuſus, effuſúſque in lachrymas toto ſpiritu & corpore feruescit. Sacra in oſcula ruit, atque in has voces (alter

quaſi Simeon) præ gaudio erumpit. *Ecce Salus mundi, Verbum Patris, Hoſtia vera, viua caro, deitas integra, verus homo.* Quémque fide intuebatur, quin & re complectebatur, deuoté intra pectoris puri ſacrarium vbi excepiſſet pius ac reuerendus ſenex, totus ſolutus in diuinos actus & affectus, abſorprúſque intima ſpiritus lætitiâ, ex ſuauitate cibi cœleſtis defecit, carnéque excedens animam pignore immortalitatis munitam, è ſpe ad fruitionem diuini conſpectus, & gaudij ſempiterni vſuram tranſmiſit.

Die 17. Septembris.

Franciſcus le Picart. FRANCISCVS LE PICART Sacerdos piiſſimus, Pariſienſis Theologus ſua ætate præcellens, nobili ortus proſapia, at morum ſanctimoniâ & zelo fidei, ac indefeſſa Catholicæ veritatis prædicatione magis inſignis. Qui quòd hæreſis Lutheranæ enaſcentis ſemina extirparet, & exitialis ſectæ fautorum occultorum (quorum in regia plures erant) ſubdola molimina, viuaci mentis acumine deprehenderet, vocéque valida detegeret: lupos & vulpes ſimul à grege & vinea Domini depellens, ouéſque ab hircis propriis qualitatibus diſcriminans; quin & peſtifera impietatis refellens paradoxa, & Orthodoxa dogmata concionibus Apoſtolicis, lectionibus Theologicis, nec minus ſanctæ operationis exemplis, quàm publicæ priuatæque hortationis monitis, confirmans: hoſtium Eccleſiæ ſecretis machinationibus appetitus, ac in exilium per eorum technas & calumnias (quibus, laruati ſpecie officij, Regem Chriſtianiſſimum Franciſcum I. circumuenerunt, & in fidelem Chriſti præconem quaſi in ſeditioſum, alióſque ſtrenuos religionis veræ vindices, prouocârunt.) relegatus, Remis tandiu reſedit aſſiduis prædicationibus intentus, quouſque demum Deo volente agnitâ eius innocentiâ, & detectâ illorum calumniatorum perfidiâ regio iuſſu, in vrbem regiam eum publico intemeratæ virtutis præconio reuocatus, publicáque lætitiâ, quæ abſceſſus eius mœrorem adæquauit, receptus: cum aſſueto feruore maioríque, Eccleſiæ fidem ac vnitatem defenſaret, Catholicos roboraret, hæreticos perterreret, nonnullóſque horum abductos à perditionis ſequela, in viam veritatis, iuſtitiæ & pietatis reuocaret; ob ſplendidæ ſanctitatis & doctrinæ præſtantis inſignia, Decanus ſancti Germani, conſona electione renunciatus, boni Paſtoris omnia quæ ſunt munia adimpleuit. Diebus enim ſingulis pro credito populo hoſtiam incruentam immolauit: officiis Eccleſiaſticis omnibus diebus quin & horis à Canone ſtatis interfuit: ſingulis feſtorum, quæ agit Eccleſia, vigiliis ieiunium peculiari deuotione ſeruauit. Scriptis, concionibus, viſitationi infirmorum, reconciliationi diſſidentium, ſpeculationi ſuper Clerum & populum ſibi commiſſum, perenni curâ incubuit. Pauperum pater, egenos omni qua potuit ope iuuit, adeo in eorum ſolatium affectus, vt cùm die quadam ab Eccleſia rediens, inopem nudum obuium habuiſſet, illi clam euocato, interiorem veſtem (quâ ſe exuit) tradiderit, ſtipémque inſuper contulerit. Patres Societatis IESV, qui primo ſalutaris inſtituti flore vernabant, ſingulari beneuolentia (ob commoda quæ Eccleſiæ allaturos prænoſcebat) pius Doctor complexus eſt: quorum ordinem, integritatem, ſtudia ac opera, ſtrenuè, aduerſus hoſtes Catholicæ Eccleſiæ circumlatrantes propugnauit, eorumdémque dilatationem magno ſtudio procurauit. Purpuram Cardinalem ſuis meritis paratam & oblatam recuſauit. Ad extremum cùm prodeſſe vrbi, regno, Eccleſiæ non ceſſaret, omni pietatis officio perfunctus, carnis viâ exceſſit, atque candidatam immortalitatis beatæ animam emiſit ad gloriam. Sepultus fuit in auito Mauſoleo apud Guillelmiras Pariſienſes, funere honorificentiſſimo, cui interfuerunt pluſquam viginti mille ciues; Catholicorum Patrem, hæreticorum malleum, vrbiſque ſeruatæ tutelarem plangentes: qui certè Theologorum decus primariúmque Nauarrei Gymnaſij fuit, poſt vnicum Gerſonium, ornamentum.

Die ſecunda Octobris.

S. SERENVS. IN territorio Trecenſi ſancti SERENI Confeſſoris & Eremitæ. Hic ortu

ortu Metenſis, proſapia nobilis Patre Adriano, Matre Serena: ab ipſis infantiæ rudimentis pronum in Chriſti obſequium animum prodidit: actibus pietatis & miſericordiæ deditus: nam deuotione in Deum, charitate in pauperes ita iam enitebat, vt ſpecimina futuræ ſanctitatis admiranda exhiberet. Creſcente ætate, cùm ingenuæ educationis tincturam iam imbibiſſet: diuinarum literarum ſtudium adiecit, ſcientiæque Sanctorum candidatus, nihil prætermiſit, quo ad Dei placita ſe componeret. Interim Dagobertus Rex in Auſtraſiæ populos tumultuantes arma mouet: hoſtiliſque quaſi incurſu Metenſes aggreſſus, multos ex iis in acie interemit, multos in pugna captos ſeruituti mancipauit. Dux quidam Bozo, Serenum vili pretio, nempe quinque ſolidis emptum, ſuum in mancipium adduxit. At in eo neſcio quid ingenui conſpicatus, admodum benignè habuit. Paulò pòſt Sereni mater multa cura quæſitum filium tandem apud Bozonem repertum: læta, quouis oblato pretio libertati reſtituere voluit. At Serenus altiori conſilio, illum attendens qui cùm eſſet *Dominus omnium*, pro nobis *formam ſerui* induere dignatus eſt: ſeruili in ſorte ſtatuit permanere: matrem enixè deprecatus, vt grauatè non ferret, ſi filius Chriſti amore, deſpicabilem ſerui ſtatum anteferret præſentis vitæ gloriæ: cùm hæc vix momentanea ſit: at quæ ſperatur ex ſpontanea dimiſſione felicitas, æterno ſit cum honore perfectæ libertatis duratura. Malle ſiquidem pro Chriſto ſe fieri aduenam & exulem: quàm mundi cupiditate, euanidæ poteſtatis vel futilis oblectationis præſtigiis implicari. Non flexit iuuenem matris his afflictæ dictis lamenta & gemitus: quin potiùs filij mens fortis & religioſa hortatio, matrem eò adduxit, vt ipſius votis, pietatis intuitu cederet, omniáque ad Dei nutum & beneplacitum referens, ſeſe poſt chariſſimi nati ſuauia oſcula & teneros amplexus, domum demum reciperet. His nexibus expeditus Serenus, erexit ſe contra cuncta oblectamenta carnis, & magna ſpiritus alacritate ſeſe in officium diuini famulatus accinxit, fide feruens, ſpe patiens, charitate ſuccenſus, humilitate, abſtinentia, caſtitate, pietate, adeo inſignis, vt illius Dominus (cui ob Dei amorem ad præſcriptum Apoſtoli ſeruiebat) tot aduertens in eo dona gratiæ, & ſigna ſanctitatis, *iam non vt ſeruum, ſed amicum* ipſum habere voluerit, atque à ſe in omnibus ſecundum, ſua in domo conſtituere decreuerit. Sed vir Dei Serenus verè mitis & humilis corde, heri tantam in ſe beneuolentiam modeſtè ac gratanter recuſauit. Verùm enixè illum precatus eſt, vt gregis duntaxat ſibi curam committeret, quod munus ideo affectabat, vt procul ab hominum turba & vitiorum contagio, in puritate mentis & innocentia vitæ, Deo piè ſeruiret. Vltrò annuit ille Sereni petitioni: qui cùm cuſtodiæ & augmento pecudum Domini ſui ſedulo intenderet, animam nihilominus maiori curabat ſtudio, vt cultû virtutum, & placitorum diuinorum obſeruantiâ, Chriſto illam efficeret acceptiorem. Cùm autem vir beatus cœleſtium rerum meditationi totus eſſet defixus, ægrè ferre cœpit, quód literarum ignarus, quæ in Dei lege mirabilia erant, lectionis adminiculo non conſpiceret. Occaſionem igitur nactus, qua animaduer-

terat filium Comitis, ad vicinum monaſterium propter Chriſtianæ ſapientiæ ſtudia quotidiè pergere, clanculum ſeſe cœpit ei adiungere, relictis inter lucos luſtráque ſaltus creditis ſibi armentis, ſub ferarum agreſtium cuſtodiâ. Quò factum vt ſicut habet vaticinium Iſaiæ *bos & leo, lupus & agnus* vnà veſcerentur, pacificéque cohabitarent: interímque Serenus ſcientiæ fluenta copioſè delibabat, adeo vt omni literatura inſtructus, de diſcipulo Magiſter perfectus breui euaderet. Porro cùm reuertebatur ab exercitatione, pecudum greges ſolo buccinæ ſono ad ſe vndique reuocabat: rurſúſque pro nutu ad paſcua remittebat, comitantibus feris, quæ eius obſequiis (quia totus à Deo pendebat) penitus inſeruiebant. Tres ſupráque annos vbi ſic exegiſſet Serenus, non minùs virtutibus quàm admirandis factis radians; manſuetudine ſcilicet, miſericordia, innocentia, humilitate, caſtitate, abſtinentia, deuotione, charitate, & quibuſque gratiæ dotibus perornatus: non tulit diutiùs hoſtis Sanctorum micantem tanti ſideris ſplendorem. Tetra liuoris caligine, vt decorem eius offunderet, cœpit per inflammatos inuidiâ æmulos, ſeruum fidelem apud Dominum traducere, quaſi malæ artis operatorem, callidum præſtigiatorem, pecudúmque incurioſum cuſtodem. Verùm Serenus benè ſibi conſcius facilè calumniam hanc depulit: armenta ſiquidem non modò integra ſed aucta admodum, Domino ſuo exhibuit: ipſúmque adhuc nihilominus irarum, repentináque ſiti in agro ardenter incenſum, fonte diuina inuocatione excitato, & per taurum, cui terram fodere iuſſit, propalato, cùm mirabiliter recreâſſet; maiorem in ſui amorem ac reuerentiam inflexit: adeo vt ille in ſignum gratitudinis, mox ipſum omni ſeruitutis iugo ſolutum, proprio arbitrio reliquerit: vtque Deo ſoli deinceps liberè obſequeretur agellum eidem dederit, vbi cellulam conſtrueret, & quæque neceſſaria erant humano vſui, vt ibi perciperet, indulſit. Quo beneficio benè vſus Serenus, ſeſe Chriſti ſtrictiùs ſuaui iugo deuinxit, vitámque ea in ſolitudine inſtituit perfecta Angelicæ puritatis æmulatione admirandam. Verùm cùm tantæ ſanctitatis fulgoribus omnium in ſe oculos raperet, tum fugiendæ humanæ venerationis, tum exercendæ deuotionis causâ, Romam perrexit comite Angelo, quem familiarem toto itinere habere meruit. Incredibile eſt quantùm tota hac peregrinatione corpus ſuum attenuauerit, frigore, fame, ſiti vigiliarúmque excubiis: quantùm etiam animum piis affectibus, orationibus, meditationibus exercuerit. Septennium autem ampliúſque temporis impendit circuiendis locis ſacris, inueſtigandis deſcribendíſque Martyrum, Virginúmque geſtis; colligendis pretioſis eorumdem exuuiis, ediſcendis Eccleſiaſticis theoriis. Cùm autem demum repedare in patriam cogitaret, Angelus Domini Ioanni Papæ IV. in viſu, Dei ex iuſſione præcepit, vt Gallum Clericum nomine Serenum, Deo gratiſſimum, in patriam reuerti cogitantem, certíſque indiciis notatum, honore preſbyreratus inſigniret: eidémque capſulam impoſitam principali altari ſancti Petri, in qua erant conditæ Sanctorum Fabiani & Sebaſtiani reliquiæ, cum pretioſo car-

bunculo, eidem in munus traderet; ſimúlque de ſubſidio ad reditum neceſſario ipſi proſpiceret. Cuncta ad diuinæ voluntatis præſcriptum impleuit Præſul Apoſtolicus: ſícque Serenus magis de theſauro ſacrorum pignorum, quàm de honore ſuſcepto lætus, in Galliam repedauit. Obuium habuit ſub Alpium iugis ſanctum Eligium Nouiomenſem Epiſcopum, Romam ad Apoſtolorum limina proficiſcentem: qui cùm noſſet Serenum tam pretioſa lipſana ſuam in patriam deferre, zelo feruens ea vi abſtulit, ſibíque retinuit. At Deus, gemitus Sereni commiſeratus, qui ſpoliationem ſibi factam incredibili animi mœrore ferebat: Eligium cum ſacra ſarcina fluuium tranſire feſtinantem, compeſcuit. Nauicula enim adeo vndis hæſit immota, vt nec ante nec retro moueri poſſet. Intellexit illicò, vnde ſibi remora iniecta eſſet Eligius, euocatóque alta voce Sereno ſacra pignora reſtituit: quo facto, ſeruo Dei orante, ſoluta eſt ab inuiſibili nexu illicò ratis. Reuerſus eſt igitur cum gaudio tandem ad patrium ſolum optatúmque tugurium Serenus: magnáque omnium exceptus lætitia; venerandas reliquias in oratorio repoſuit, pone quod nocte diéque diuinis obſequiis intentus, virtutes tot nouas accumulauit, vt quotidianæ exercitationis proceſſu, vltra ſe ſemper aſcenderet: donec tandem proſtrato proteruo Sanctorum hoſte, qui ſingulari certamine eum quotidie impetebat; triumphóque plenæ victoriæ adornato, collectis copioſis iuſtitiæ manipulis, Chriſti pugil diuina imitatione nobilis, exutus carnis mole, in occurſum Domini properauit. Graui enim febre decoctus, at magis æſtuans feruidæ mentis charitate, cùm populum circumſtantem religioſiſſimis hortationibus admonuiſſet, & quæ futura erant poſt ſuum deceſſum ſuperno afflatu prædixiſſet, exitum ſuum Domino piiſſimis vocibus ac affectibus commendâſſet, ſomno æternæ pacis conſopitus, animam maturam gloriæ in Redemptoris manus tranſmiſit. Cuius gloriam diuina virtus, quæ circa eius tumulum deinde mirè refulſit, affatim teſtata eſt. Sepultus autem fuit vir beatus honorificentiſſimo funere in Eccleſia, quam ipſe pone cellam ſuam ædificauerat, & in qua Sanctorum Martyrum Fabiani & Sebaſtiani ſacratiſſima depoſuerat oſſa veneranda: at potiori cultu, præcipuum ſcilicet vt religionis pignus, caput S. Sebaſtiani, è quo profuſi deinde gloriæ ſplendores mirificè eruperunt. Cæterùm cùm crebris miraculis ſepulcrum viri Dei Sereni itidem coruſcaret, incitata hâc famâ Bertha Regina cum filiis ſuis Carlomanno & Pipino, ſupplex ad locum acceſſit, fuſíſque pro ſalute publica Galliæ flagitationibus, perceptis ſuffragiis, viſis diuinis operationibus, Deum in ſeruo digno glorificans, læta & deuota cum filiis rediit, qui voto deinde ad beatum Serenum facto, ancipitis prælij Francorum exercitui impendens diſcrimen propulsârunt, inſigníque victoria ſunt potiti. Nec modò Regum & Regni, enituit beatus hic Confeſſor potens in neceſſitatibus auxiliator, ſed priuatorum quorumq. clientum, qui ſua apud Deum patrocinia ambiunt congrua deuotione, hactenus perpetuus conſolator (Chriſto largiente ei gloriam, qui tantam indidit gratiam) per plurima beneficia emicuit.

Die 19. Octobris.

Thomas Helyas.

BEATÆ memoriæ THOMAS HELYAS, Rector Eccleſiæ parœcialis ſancti Mauricij in diœceſi Conſtantienſi, & communis inferioris Normaniæ apud Deum aduocatus, dictus ob edita in vita & poſt mortem, ac in hos vſque propagata dies innumera miracula, *glorioſus Normaniæ Thaumaturgus*, in parœcia natali de Biuilla eiuſdem diœceſis ſanctiſſimè expirat, feria ſexta poſt feſtum ſancti Lucæ Euangeliſtæ, quæ erat 19. Octobris, anno à redemptione noſtra 1257. ſicut iam in Martyrologio iſto eadem die obiter notatum eſt, inque operis commentariis (vbi lumina eius glorificationis ampliora apparebunt) fuſiùs commemorabitur.

Die 23. Octobris.

Iacobus Merlinus.

IACOBVS MERLINVS Canonicus Pariſienſis maiórque Pœnitentiarius, qui in Nauarræ Regio Lyceo, Pariſienſis Academiæ inſignis Theologus, quin &, vt à Ioanne Demochare laudatiſſimo præcone celebratur, *columna totius Theologiæ firmiſſima*; poſt toleratos, cauſâ ardentiſſimè propugnatæ Catholicæ veritatis & auitæ pietatis, carceres & exilia; triumphans de ſubdolis hæreticorum contra Eccleſiam machinationibus, ipsiſque ſuis perſecutoribus, cùm rediiſſet Lutetiam, magnâ receptus Capituli, Cleri & populi lætitiâ, factúſque ſanctæ Mariæ Magdalenes Archipreſbyter, quin & Franciſci Vrbici Pontificis generalis Vicarius, Pariſienſi populo magna ſubſidia ad ſalutem contuliſſet, multis exantlatis pro fide & religione tuenda, augendáque laboribus, placida defunctus morte, ad beatarum mentium cœleſtia contubernia, præmiáque emerita feliciter pertranſiuit.

Die 16. Nouembris.

S. ÆMILIANVS.

IN Burdigalenſi diœceſi ſancti ÆMILIANI Confeſſoris & Abbatis, viri tam miris quàm ſanctis operationibus glorioſi: cuius acta inſignia in antiquo diuinorum præconiorum libro, ſtylo nitido deſcripta ſunt, quæ ad vſum cœnobij ſeu capituli, eiuſdem inuocationis ad Dordoneam fluuium, dudum legebantur: quorum apographum in commentariis huius Martyrologij hac die exprometur fideliſſimè tranſumptum.

Sequens Notula referenda eſt ad diem 30. Auguſti.

Robertus de Abruſcell.

B. ROBERTVS DE ABRVSCELLIS Sacerdos, Theologus Pariſienſis inſignis, qui ob claras pietatis & doctrinæ dotes, reuocatus in patriam, à Silueſtro Rhedonenſi Epiſcopo, vices vt eius in ſpeculatione diœceſis impleret: inde canonicus regularis in Sanctorum omnium cœnobio factus: ſed poſtea exercitia auſteriora appetens, impellente Spiritu ſancto, in deſertum ſeceſſit cum quodam capellano: vbi cilicio indutus catena ferrea, & tunica interiori ferreis annulis contexta circumamictus, ieiuniis orationibúſque inſiſtens, vitam tantùm hominibus ſtupendam, quantùm Deo gratam inſtituit. Ad quem cùm ſicut olim ad B. Antonium, multi accederent, vt diſciplinæ cœleſtis ediſcerent theoriam, eos ſecum admiſit, & vt in deſerto loco ſibimet extruerent cellulas, perſuaſit: auctáque virorum & deuotarum mulierum multitudine, diuino afflatu geminum Monaſterium in loco ſolitario, cui FONTIS-EBRARDI nomen erat, alterum viris, alterum fœminis aſſignatum condidit, regulámque eam præſcripſit, quam ex verbis Chriſti crucifixi ad matrem & diſcipulum dilectum directis elicitam, Paſchalis II. PP. approbauit, demúmque in omni ſanctitate conſummatus apud Vrſonium Monaſterium feliciter expirauit, ſignis poſtea clarificatus diuinis, quibus etiamnum coruſcat.

APPENDIX
AD
MARTYROLOGIVM
GALLICANVM.

Compleċtens nonnullos Sanċtos ordine literarum, qui ipſo in Martyrologio non ſcripti ſunt, neque in eius Supplemento, aut Corollario, eò quòd dies illorum Natales, haċtenus incertos vel incompertos habeamus.

Quibus adiunċti ſunt aliquot inſignis notæ Beati, vel Pij, quorum etiam migrationis dies ignoratur.

A.

S. ADALRICVS puer, Monachus Bezuenſis Martyr, à Danis cæſus quando illi Burgundiam inuadentes, Bezuam odio pietatis ferro & igne vaſtauerunt anno 888.

Venerabilis ADAM DE SANCTO VICTORE, Canonicus regularis ad muros Pariſienſes, auċtor Sequentiarum plurimarum, quas in ſacris Miſſæ officiis, præcipuis in ſolemnitatibus & feſtis, Gallicana Eccleſia pio more vſurpauit: non modò myſticis his modulationibus clarus, at inſuper religioſiſſimæ conuerſationis aċtionibus illuſtris; maxima autem præcellens humilitate, ſæculi ſuique ipſius deſpicientiâ, abſtinentiâ, caſtitate, fide, charitate; in ſpe Chriſtiana tandem requieuit, ubique ſanċtitatis opinatiſſimam famam, prope beatum Hugonem honorificè ſepultus eſt. In cuius pij viri pruſudiis, ſpiritus ille mirificè ſe declarat, cuius afflatû tam ſublimia eloquitur, támque ſuauia modulatur.

B. ADAM diſcipulus S. Nortberti Abbas II. S. Iudoci in nemore.

S. AFFRICANVS Epiſcopus Metropolitanus Lugdunenſis, ac tutelaris Eccleſiæ Pontificiæ Vabrenſis ſub prima ſede Aquitaniæ.

S. ALANVS patronus Cathedralis Eccleſiæ Vaurenſis, ſub Metropoli Toloſana.

B. ALETHA recluſa Pariſiis, in turricula cœmeterij Sanċtorum Innocentium diuinis chariſmatibus plena, ibidem obiit, Regi Ludouico XI. admodum venerabilis.

S. ANDREAS diſcipulus ſanċti Amandi, ab eóque ſubſtitutus Abbas, ipſum in Baſilica Apoſtolorum recenter dedicata, honorificè ſepeliuit: duobúſque exinde luſtris in humanis agens, cùm monaſterium mirabili gratiæ decore illuſtrâſſet, coruſcus miraculis è carne exceſſit, atque ad beati Amandi veſtigia tumulatus eſt. Quo eum poſtea tranſlatus fuit ad grandiorem Eccleſiam ſanċti Stephani: vbi ad eius ſepulchrum, diuina clementia multa prodigia edidit.

S. ANSBERTVS diſcipulus ſanċti Ebrulphi Abbatis Vticenſis in pago Oximenſi, Lexouienſis diœceſis, eiuſdémque cœnobij Monachus: ibi cùm magnæ

ſanctitatis ſpecimina proderet, adhuc iuuenis ex graſſante lue ſine viatico defunctus eſt. quem cùm beatus Ebrulphus ad vitam fuſis precibus reuocâſſet, ſumptâ Euchariſtiâ, admirantibus cunctis, rurſus ſpiritum vitæ æternæ pignore munitum, exhalauit. Eius ad gloriam ingreſſum ſibi supernè reuelarum Ebrulphus aſcetis circunſtantibus notificauit, qui magno gaudio exultrantes, Deum pro tam glorioſo opere collaudârunt. Refulſit autem ſanctus Anſbertus poſt extremum deceſſum præclaris ſuæ beatitudinis indiciis. Quamobrem eleuatæ eius reliquiæ, inde micantem ob ſplendorem gloriæ, Rebaſeum, cum parte corporis beati ipſius Ebrulphi, ad locum ornandum & muniendum, tantorum cœlitum patrocinio tranſlatæ fuerunt, tempore Richardi primi Normanorum Comitis, ſeu Ducis.

B. Atfalovidis, ſeu Adfalovidis, cum B. Clara, quæ ambæ ſancti Romarici filiæ, in cœnobio virginali à patre ſuggeſtione ſancti Ameti ædificato, duo veri primaria ſidera, magnis diuinæ gratiæ ſplendoribus radiantes, choro illi puriſſimo ancillarum Dei, imò ſponſarum Chriſti, præluxerunt.

S. Ansbertus Abbas tertius Fontanellæ. At is idem eſt qui poſtea fuit Rotomagi Metropolites, Fontanellæ nihilominus ſepultus, vbi recolitur.

S. Ansigisus decimus ſextus poſt eum Abbas.

S. Antimundus Epiſcopus Tullenſis, qui circa annum Domini 550. Eccleſiæ præfuit, egregiæque ſanctitatis editis luminibus, æternam tranſiuit ad gloriam.

S. Antonius comes ſancti Mauri in peregrinatione ad Gallias, in Glanefolio obiit ſanctitate & miraculis inſignis. Quem Caliſtus II. Papa natione Gallus, Sanctorum albo inſcripſit.

S. Apollinaris Monachus Lerinenſis.

S. Ardemius Lerinenſis Abbas. Hi duo in tabulis inclyti monaſterij Lerinenſis ſignantur inter eos cœlites, quorum ibi explorata ſanctitas eſt, at geſtorum excidit memoria. Imò etſi illorum cultus ſit ibi perpetuus, exceſſus tamen dies, quo ex hac lachrymarum valle ad montem diuinæ exultationis tranſierunt, eſt omnino ignotus.

B. Archanous primus Abbas Monaſterij SS. Ferreoli & Ferrutionis Veſuntionenſis multis miraculis fulſit.

S. Argentarius Monachus Aurelianenſis, à ſancto Gregorio in dialogis ab eximia pietate & gloriæ præmio magnificè celebratus lib. 3. cap. 17. Hic ſingulis annis properabat è Gallia ad Sanctorum Apoſtolorum limina: eúmque poſtremo pergeret defunctus eſt. Cùm autem ad tumulum deportaretur, ad vitam regreſſus, gloriam vt fugeret humanam, vltra comparare noluit.

S. Austrulfus decimus tertius Abbas Fontanellæ in territorio Rotomagenſi.

S. Aymannus Monachus cœnobij Bezuenſis in diœceſi Lingonenſi, qui Martyrij titulo promeruit inter Sanctos numerari. Nam à Danis hoc monaſterium diripientibus (qui obſidionem inanem Pariſiorum ſoluentes, Burgundiam impetitam miſerandis ſtragibus repleuerunt) propter fidei conſtantem profeſſionem, & ipſum Chriſtianæ pietatis perſeuerans propoſitum, ab iis trucidatus barbaris, de cella ad cœlum feliciter euolauit cum beatis *Anſaino* & *Aſſer* Preſbyteris & Monachis, *Ayrmannóque* alumno eiuſdem cœnobij, ab iiſdem Danis eodem incurſu interemptis.

B.

S. Baltfridus in Gallia Eremita ad montem Falconis, miraculis tam in morte quàm in vita clarus.

Venerabilis Bartholomæus Texerius, Gallus è Prouincia Phocenſi, ordinis Prædicatorum viceſimus ſextus Magiſter generalis, abſens nec ſine peculiari Spiritus ſancti afflatu ad hoc munus vocatus, vir admodum pius & paupertatis amantiſſimus: lenitate autem ſingulari præcellens, quam tamen ob officij neceſſitatem ita ſeueritate temperabat,

vt meritò *ſeuera vitiorum lima, virtutúmque aſſertor maximus* audiret : poſtquam præfuiſſet Ordini annis tribus ſupra viginti, inſigni eum ſanctimonia & pietate (quâ eruditionem quæ in ſe erat eximiam tanquam gemmâ annuli valuulum exornabat) Lugduni curſum mortalitatis abſoluit, miraculis viuens & vita functus illuſtris.

S. BAYNVS quintus Abbas Fontanellæ, ſancti Hileberti ſucceſſor, eximius virtutum didaſcalus.

S. BENIGNVS ſextus Abbas Fontanellæ.

S. BERALDVS Monachus Bezuenſis à Danis impiis, cùm hoc monaſterium vaſtauerunt, odio pietatis Chriſtianæ occiſus, palmam ex ſuo agone collegit immarceſſibilem.

S. BERNARDVS, qui diſcipulus ſancti Bernardi Claræuallenſis Cœnobiarchæ, ab eo miſſus in Luſitaniam cum aliis, ibi erexit nouum Monaſterium ſancti Ioannis de Tarouca: cuius tamen noluit eſſe Abbas, ſed (vir humilis) ſub Boëmundo quem præfici fecit monaſterio Patrem, deinde & Aldeberto huius ſucceſſore, officio præpoſiti religioſiſſimè functus eſt : deinde finita ſanctiſſima conuerſatione ad Chriſtum lætanter tranſiuit: ad eius tumulum multa deinde miracula effulſerunt.

S. BILIVS Epiſcopus Venetenſis, ab illa Eccleſia matrice, inter proprios Præſules ſanctitate nobiles connumeratus, floruit ſub Alano regulo Armoricæ.

S. BLANCHA Francorum Regina piiſſima, Ludouici VIII. vxor, ſanctíque Ludouici nomine IX. Regum, quos ſol vſquam vidit, religioſiſſimi mater, ex cuius diſciplina, ipſe ad tam ſtupendæ ſanctitatis faſtigium proceſſit; poſt vitæ Chriſtianiſſimæ admirabilem excurſum, de terreno regno, Chriſti ſummi Regis legibus ſedulâ qua potuit curâ & operâ ſubiugato, ad cœleſtis aulæ palatia conſcendit, inque Parthenona ſanctæ Mariæ de Maloduno, quam prope Pontæſiam conſtruxerat, ſepulta magnos exercuit poſt mortem receptæ beatitudinis (ex præmio pietatis quam in terra tantopere coluit) ſplendores: SANCTISSIMÆQVE FOEMINÆ elogium, ex ſanctæ Romanæ Eccleſiæ oraculo (quod diuinis in officiis quotannis die 25 Auguſti recitatur) ſanctis ex actibus promeruit. Tanto peccati odio hæc beata Regina efferbuit, tantóque Dei amore exarſit, vt filio dilectiſſimo Ludouico, quem puerum ad omnem pietatem & iuſtitiam efformabat, aſſiduè hoc memorandum monitum legatur incuſſiſſe. *Fili, te libentiùs ferrem meo in conſpectu interimi, quàm videre vlla te graui culpa, in Deum peccare.* Huius Reginæ piiſſimæ, memoriam Reges poſteri magna in veneratione habuerunt: in cuius honorem nummos etiam aureos effigie eius & nomine inſignitos cudi & publico vſui exponi, curauerunt.

S. BLANCHARDVS, cuius corpus cum ſancti Boniti ſacris exuuiis, repoſitum quieſcit in Abbatia de Nigella ordinis ſancti Benedicti diœceſis Trecenſis.

S. BLITHILDIS, Sanctimonialis clara omni pietate & religione : quam ſanctus Præiectus Epiſcopus Claromontanus & Martyr, magna in veneratione habuit, in cuius actis honorificè memoratur, *dignáque Chriſti famula* appellatur.

S. BITHILDIS, aliàs BLITHILDIS Sanctimonialis ſub diſciplina ſanctæ Pharæ (quam Burgundo-Faram, ſeu Faram-Burgundam, Ionas in eius vita vocitat) copioſis donis gratiæ prædita enituit. Quæ natalibus nobiliſſima, in flore ætatis Pharoni filio Agnerici Comitis Burgundiæ, fratri ipſius ſanctæ Pharæ connubio coniuncta, illo piis ſuggeſtionibus ſanctæ ſororis à ſæculi affectibus abſtracto, mutuo conſenſu pium cum eo carnis diuortium iniit. Quo Pharo ex ſæculari ad ſacram militiam tranſiens, Clericus factus, poſtea ob lucida merita ſacerdos & Epiſcopus Meldenſis euaſit. Bithildis verò ad Brigenſe, quod & Eboriacenſe, monaſterium, cui Phara beatiſſima præerat in agro Meldenſi, ſe conferens, ſacro illic velamine amicta eſt: ipſiúſque Pharæ ſui coniugis germanæ, ſic præcepta coluit, ſic diuinos mores proximè æmulata eſt, vt eius in ſe viſa ſit ſpiritum tranſfudiſſe. *Cùmque* (vt ait Ionas) *diu ſub regularis diſciplina habenis exercitata, immobili deſiderio anhelaret*, euenit vt iuſtus arbiter, iuſtam animàm, iuſtitiæ copia plenam, ad iuſtitiæ coronam euocaret. Cùm igitur in extremis poſita eſſet ſancta

fœmina, ad virtutis eius indicandum gratiam & animæ puritatis candorem, oleum quo lucerna in eius cubiculo ea nocte accenſa fouebatur cum ſuffuſa aqua, in lac puriſſimum ſub eius & ſororum conſpectibus diuinitus mutatum eſt. Cùm autem animam egiſſet, eius corpus odorem exhalauit, balſamo quouis eximio ſuauiorem.

C.

S. CÆSARIVS IVNIOR Archiepiſcopus Arelatenſis: Porcharij Martyris, Cœnobiarchæ Lerinenſis, eo in celeberrimo monaſterio alumnus, deinde & Abbas eiuſdem loci (quo tempore ſancti Benedicti regula ibi ſuſcepta eſt:) Felici Metropolitano Arelatenſi ad laborum meſſem diuino nutu euocato, pro meritis ingentibus ſurrogatus, Pontificalem cathedram tantæ ſedis immenſis ſplendoribus doctrinæ & ſanctitatis, factiſque mirabilibus innumeris ampliùs colluſtrauit. *Homilias pleraſque* diuinæ ſapientiæ ſucco plenas, & pietatem ſpirantes ſingularem, (quas declamauerat præco inſignis ac ſedulus paſtor ad populum) literis conſignatas, (quæ ex parte ſuperſunt,) poſterorum documento reliquit: ſanctum Ægidium ad ſe è Græcia venientem, paterno affectu excepit, ſollicitè erudiuit, monaſticiſque diſciplinis egregiè informatum, ad perfectiſſimæ vitæ faſtigium prouexit. Saracenorum irruentium in Galliam, diras iras conſpexit, compreſſit; precibus namque ad Deum fuſis, tam exitioſum turbinem à ſua ciuitate, cui exeidium hinc impendebat, auertit: deinde ſancto fine quieſcens, in Chriſto obdormiuit, inque ſanctæ Crucis aſceterio à ſe extructo, cui ſanctum Florentium, Protoabbatem præfecerat, ſepultus eſt. Cuius merita grauiſſimi Scriptores, & dum in terra viueret, & poſtquam ad cœlum migrauit, dignis encomiis celebrârunt.

S. CADVODVS Eremita, vir Angelicæ puritatis, qui per meritorum progreſſus ad beatorum euectus cœleſte conſortium, eo in loco tumulatus fuit, vbi etiamnum quieſcit, ſcilicet in ſui nominis aſceteriolo ſeu Prioratu, diœceſis Venetênſis, inter cuius glorioſos tutelares numeratur.

S. CAIDOCVS ortu Hibernus, dignitate Sacerdos, tempore Sigiberti Auſtraſiæ Regis, mariti Brunechildis, cum ſocio *Adriano* etiam presbytero, traiecit in Galliam Belgicam, vt Deo in ſeceſſu ſeruiret. At ruſtici eum cum ſocio delectis ſedibus expulerunt. Quocirca ſancti viri venerunt ad Pagum Pontiuum, qui eſt in maritima Galliæ ora, vbi humaniter ſuſcepti fuerunt à ſancto Richario tum adhuc adoleſcente. Porro ſanctus Caidocus in hac regione verbum Dei Apoſtolico zelo prædicans, ipſum Richarium ira perculit, vt à ſæculi vanitate prorſus abduxerit, quo cum Romam profectus eſt. Solutis autem votis reuerſus, vitam monaſticam egit in Cœnobio Centullenſi, quod ſanctus ædificauerat. Vbi cùm defeciſſet ſepultus, à ſancto Angilberto ſuo diſcipulo, glorioſo epitaphio honoratus eſt: in quo ab aſſiduo præceptorum Euangelicorum ſtudio, opum paternarum contemptu, patriæ diſceſſu, & iuſtitiæ copioſa fruge, ac vberi meritorum in cœlis percepto præmio, prædicatur.

S. CALMINIVS ciuis Aruernenſis fundator monaſterij Calmelienſis in Vellaunorum finibus, vir præclaræ ſanctimoniæ. Cuius *ſynonymus* & conſanguineus Aruernenſis Senator, ſtudiis ac officiis pietatis eidem æqualis, Muſiacenſe monaſterium Ricomagenſi vrbi penè contiguum primitùs inſtituit & condidit, regnantibus filiis Clodouæi magni Galliarum Auguſti.

SS. CARIVLPHVS & DOMARDVS aſſeclæ religioſiſſimi ſancti Marculphi Abbatis, cum eo venerabiliter conditi quieſcunt, in regali Eccleſia Meduntenſi diœceſis Carnutenſis.

B. CATHARINA Louanienſis ſanctimonialis in parco Dominarum, iuſtitiæ operibus, & ſignis ſanctitatis illuſtris.

S. CEDONIVS, ſeu CHELIDONIVS, diſcipulus, cooperator & ſucceſſor ſancti Maximini Epiſcopi primi Aquenſis, viri Apoſtolicæ ætatis & gratiæ, cui in Gallias diuino nutu delato, continuo nexu adhæſit, diſſeminandóque Euange-

lio, ſubigendóque Chriſti legibus huius ciuitatis populo, ipſimet ingenti adiutorio fuit. Poſt quem ad Senatorum cœleſtium conſeſſum exaltatum, paſtoralis officij ſibi tranſmiſſum munus, vndequaque impleuit: ac tandem conſummatus in omni opere bono, *pretioſa coram Domino morte* quieuit, & iuxta Magiſtrum, patentia ob inſignia Apoſtolicæ gratiæ & virtutis, ſepultus eſt. Fertur hic fuiſſe cæcigenus ille, quem Chriſtus lux vera gratiæ & ſol iuſtitiæ, illuminauit.

S. Cæcilia quæ & Clara, olim dicta Gegoberga, fuit filia ſancti Romarici, Sanctimonialíſque & Abbatiſſa ſecunda montis Romarici in Lotharingia, virgo præcellentiſſimæ ſanctitatis: adeo orationi & contemplationi dedita, vt in oratorio ſanctæ Crucis noctes quoque tranſigeret piis precibus defixa, tantáque animi deuotione & cordis teneritudine, vt lachrymas copioſo fluxu effunderet, quarum nimio profluuio oculorum lumine excidit, hócque orbatâ annos permanſit triginta, nihil interim ex iis quæ ſui muneris erant prætermittens, quouſque à ſponſo cœleſti vocata ad deſideratas nuptias, in æternæ gloriæ & exultationis tabernacula feliciter ſuſcepta eſt. Corpus eius tumulatum fuit in vno ex duodecim ſacellis quæ erant olim in eodem monte, vbi eius ſepulchrum viſitur, ac proinde hæc ædicula, *ſacellum ſanctæ Cæciliæ* appellatur, eius reliquiis in Priotatum Monachorum tranſlatis. Colitur Pariſiis in Eccleſia ſancti Nicolai Campeſtris *caput ſanctæ Cæciliæ* Virginis: quod cùm Martyris illius celeberrimæ, quæ ſeruatur Romæ in ſuo titulo, corpore integra (quemadmodum ſub Clemente VIII. reperta eſt:) omnino eſſe nequeat, non abs re eſſe huius cœlitis, eiuſdem nominis cum illa Martyre, & gloriæ virginalis participis, exiſtimari poteſt.

S. Chromeanus Epiſcopus Venetenſis, *bonus omnibus, Venetenſibus melior, optimus ſibi*, vulgari encomio celebratus.

S. Clara Virgo, antiqua veneratione colitur Claromonte Aruernorum in Eccleſia ſancti Venerandi, vbi ſepulta eſt ante altare ſanctæ Mariæ. Quo etiam loco conditi ſunt ipſe ſanctus Venerandus, necnon ſancti Linguinus, Nepotianus *Nota.*
& Auitus, *cum aliis beatis ſex mille ducentis, quorum nomina Deus ſcit:* ſicut in diptychis illius Eccleſiæ notatum eſt.

S. Clarus, cuius caput adſeruatur condigno cultu in ſacello iuxta parœcialem Eccleſiam de Reguiny Venetenſis diœceſis: vbi creditur Clarus eſſe Nannetenſis.

S. Concordius Archiepiſcopus Arelatenſis, qui à puero ſuaue Chriſti iugum complexus, monachum in Lerinenſi cœnobio profeſſus eſt. Vnde erumpente meritorum eius gloriâ, cùm eximia carnis puritate & mentis pietate polleret, ad gubernacula primatialis tum Eccleſiæ Arelatenſis, poſt Auxanij obitum euocatus, breui quidem Pontificatu, at magno religionis & ſapientiæ decore, ſedem illam repleuit. Vix autem adhuc annum ætatis triceſimum ſecundum exegerat, cùm in cœlum ob præmaturæ ſanctitatis abundantia merita, coronandus raptus eſt. Conditus fuit in Eccleſia ſancti Honorati, in ſarcophago marmoreo, cui inſculptæ dignæ eius laudes, cum Chriſti figura, myſticos hos inter characteres A & Ω, conſpicua; duarúmque columbarum ſimulachris, ramos oliuæ in ore geſtantium; quibus, vtraque qua Deo placuit corporis ac ſpiritus excellentiſſima puritas, adumbrata ſignatur.

Piæ memoriæ Clavdivs Sanctævs, à pueritie ordinem ſancti Auguſtini Canonicorum regulerium in Monaſterio ſencti Cerenni Epiſcopatus Catontenſis, profeſſns, poſtea religione pollens & melioris litterertæ pennplia excultus, Luteriæ Pariſiorum inſignis Thenlogus eueſit: Catholicæ Eccleſiæ acerrimus propugnator, hæreſeon ſtrenuus profligetnr. Quo oomine inter ſapieotiæ Chriſtianæ oracula, fidei lumina, facnlteris Theologicæ Pariſienſis columina, Tridentino œcumenico Concilio (ad quod cnm præſtantiſſimis eiuſdem facultatis Dnctoribus publico voto miſſus fuit) magne cum nominis glnrie, at meiori Chriſtianæ Reipublicæ vtilitate interfuit. Deinde redux, ob clara in Eccleſiam & regnnm Chriſtianiſſimum merita ed Pontificalem Cathedram Ebrnicenſem, ſub ſecunda Metropnli Lugdnnenſi, euectns, Prouincialis Concilij Rotomagenſis, conuoceti à Carolo Cardinale Borbooio Archipræſnle, acta & decreta, quæ cum cnllegis præſens ſenxeret, deſcripſit; ſtatnta diœceſana ſacerdotibns ſuæ ſpeculationis dedit ac edidit. *Magnum pietatis ſacramentum*, Euchariſtiæ ſcilicet myſterinm adorandum, cœleſti ſapientia elucidauit, zelóqne proxſus di-

uino ac virtute, contra ſactamentatios hæreticos editis lucalentis ſcriptis, defendit. Ad extremum cùm antiquæ ptobitatis, ac auitæ pietatis ac Epiſcopalis vigilantiæ viuum in ſeipſo ſimulachrum exptesſiſſet; ſanctitatis, etuditionis, & eloquentiæ gloria celebris, incottuptæ fidei monimentis ac vitæ itteptehenſibilis actibus clarus, & omnium virtutum laudibus abundans obdotmiuit in Domino: à quo in extremis per patientiam ptobatus, perfecti operis peteepit emetitam coronidem.

D.

B. DANIEL PICART ordinis Præmonſtratenſis Abbas S. Mariæ in nemore in Lothatingia, vir extaticus & ſanctæ vitæ teſtimoniis clarus.

Venetabilis frater DAVID cognominatus COBOV, Monachus ordinis Cœleſtinotum in cœnobio de Tetnes: in quo, cùm eſſet filius Regis Scotiæ temanſit incognitus, vſque ad mortem, in qua inuentum eſt, eius lumbos ad nudam carnem, citeulo ferreo conſtringi.

S. DEPPA Martyr: cuius corpus ſeruatur honorificè Tornaci Neruiorum, cum exuuiis ſacris beati *Socij* itidem Martyris.

SS. DESIDERIVS, GOMARDVS & LAMBERTVS, coluntur in Eccleſia Abbatiali de Cheminon ordinis Ciſtercienſis, Catalaunenſis diœceſis, in cuius Martyrologio hæc ad verbum de iis leguntur. *Notum ſit omnibus quòd tres Sancti iacent hic. Sanctus Lambertus Heremita, & ipſe iacet iuxta murum. Poſt eum verò ſanctus Deſiderius incluſus. Sanctus Gomardus iacet extremus. Hi Sancti fecerunt mirabilia in vita ſua. Sanctus verò Lambertus mortuum ſuſcitauit, claudis reddidit greſſum, cæcis viſum, mutis loquelam.* Hæc ibi.

S. DOMARDVS diſcipulus ſancti Marculphi. de quo ſuprà cum ſancto Cariulpſo eius condiſcipulo.

SS. DIGNVS, BODAGISLVS & VNDO, Confeſſores, qui (vt habet Martyrologium S. Naboris 15. Kalend. Ianuarij quo non mortui, ſed beati, ſimul recoluntur) *ſub mundano dignitatis habitu conſpicui Christi milites, in eius ſeruitute deuoti, & magnis vitæ virtutibus clari, omníque ſanctitate pollentes, in pace quieuerunt.* Conditi ſunt in Monaſterio Glanderienſi, ſeu ſancti Martini in Glandauis D. Metenſis.

E.

B. EADGATHA: cuius vitam ſanctiſſimam deſcripſit Gotzelinus Epiſcopus Morinenſis, Milonis deceſſor.

S. EBERTRAMVS origine Conſtantienſis, profeſſione Monachus Luxouienſis in Burgundia, cùm Spiritus ſancti donis affluerer, à ſancto Mummolino, ſub quo pietatis mores imbiberat, Abbas ſancti Quintini conſtitutus eſt, zelóque religionis plenus conſenuit, & carne deficiens, ſpiritu coram Deo refloruit *in cuius domo ſicut oliua fructifera plantatus*, ſpecioſè ac copioſè germinauit.

SS. EBIBODIVS & EVODIVS, Abbates famoſi cœnobij Letinenſis, ibi religioſo cultu antiqua ex traditione obſeruantur.

S. ETHERIVS Lugdunenſis Metropolitanus Epiſcopus, coæuus & compar ſanctiſſimis Epiſcopis Deſiderio Viennenſi, Siagrio Auguſtodunenſi, Aunario Autiſſiodorenſi, Auſtrerio Aurelianenſi, ac Lupo Senonenſi (qui diuina gratia irradiati, Gallias vti luminaria magna vndequaque ſuo ſæculo colluſtrârunt:) ſanctum Auſtregeſilum poſtea Patriarcham Bituricenſem in Abbatem ptomouit Monaſterij ſancti Nicetij: tantóque virtutis Epiſcopalis emicuit ſplendore, vt ſanctum Gregorium magnum ſuæ laudis meruerit habere præconem. A quo commendatur epiſt. 50. lib. 9. potiſſimum *ab Eccleſiaſtici ordinis amore, dilectione diſciplinæ, ſtudio obſeruantia ſalubrium decretorum & prompto ad ſummi Pontificis monita exequenda animo, ac humili obſequio.* Ex quibus aliíſque egregiis Deo plenæ mentis inſigniis, poſt mortem, ſanctitatis meritis ac titulo clarificatus, Sanctos inter primatialis illius Eccleſiæ Pontifices, cœpit cultu ſacro honorari: in cuius litaniis antiquis inuocatur, tametſi ex ciuium memoria exciderit, quo die ad æterna tabernacula progreſſus eſt. Annus tamen felicis eius tranſitus eſt benè compertus, qui ab Aymoino ſignatur ſeptimus Regis Theodorici. Sedit in hac nobi-

liſſima cathedra *ſanctiſſimus & beatiſſimus*, (vt in priſcis Codd. nuncupatur) ordine triceſimus tertius.

S. Ennivs Epiſcopus ſecundus Nannetenſis, Clari viri Apoſtolici eò à ſancto Petro miſſi, aſſecla & ſucceſſor.

S. Evtichivs fundator Monaſterij Balmenſis, ibidémque primus Cœnobiarcha, & beati Bernonis primi Cluniacenſis Abbatis in monaſticis diſciplinis eruditor. De quo illud legitur omnino memorabile, quòd decurſo vitæ ſtadio, circunſtantibus ad eius agonem fratribus ſubitò ſpiritum emiſit: & cùm ab eius diſcipulis exequiæ pararentur, viuus rediit, illiſque videntibus & admirantibus ait: *Deo gratias. ſciatis quia in quadrageſima annis, vnum tantùm diem non memini, me cibum ſumpſiſſe, niſi priùs fleuiſſem. Hodie autem ſublato mœrore conſolatus eſt me Dominus, & inter Sanctorum Angelorum choros tribuit mihi requietionis locum.* Hæcque cùm dixiſſet, perpetua in pace quieuit. Auctor fuit hic vir Deo dilectus conſuetudinum ac conſtitutionum, quæ à Monachis, Cluniacenſis ipſo ab exordio ordinis, obſeruabantur.

B. Evphrasia virgo regia Deo ſacra, primáque Abbatiſſa Parthenonæ ſancti Laurentij, quam in vrbe Bituricenſi, in eius gratiam fundauit pius eius genitor Carolus Magnus; auxit verò Ludouicus pius.

F.

S. Ferriolvs Monachus Lerinenſis, in cuius Monaſterij ſacris tabulis inter Sanctos cœnobij huius veteres incolas, ac nunc glorioſos protectores conſignatur.

S. Florida virgo Diuionenſis, ſolum hoc vri lilium odoriferum, multâ caſtitatis ac pietatis ſuaueolentia perfudit; cúmque virginitatis propoſitum & habitum eximiæ religionis decore exornaſſet, candore niueo puritatis inſignis, argentóque probato fidei in palore auri charitatis conſpicua, ad hortorum cœleſtium amœnitates euocata, inter lilia immarceſſibilia, quæ ſponſus ſupernus, pro ſerto gloriæ ſibi legit & coaptat, meruit connumerari. Huius beatiſſimæ Virginis ſanctus Gregorius Turonenſis in libro de gloria Confeſſorum, non ſine laude meminit: irémque ſanctæ Paſchaſiæ Virginis purpuratæ, cuius tamen martyrium, vt ex dictis eius apparet, non videtur notitiâ aſſecutus.

S. Fremerivs Patronus Abbatiæ ſui nominis in Præſulatu Vaſarenſi.

S. Fvlco viceſimus primus Abbas Fontanellæ in agro Rotomagenſi, claruit perfecta religione, temporibus Ludouici pij Chriſtianiſſimi Francorum Regis, ac Romanorum Auguſti. Sub quo fine beato etiam conſummatus eſt, anno ſcilicet redemptionis 833.

S. Fvlchranni Epiſcopi Lodeuenſis (qui abiit in cœlum 13. Februarij:) corporis diuina operatione coruſcantis, ſacrilega crematio, facta per hæreticos Caluiniſtas, non ſine diuina in eos vltione: nomen illius glorioſum nouæ ampliorique venerationi, quæ Martyri conuenit, iuſto titulo conſecrauit. Hanc ne excideret à memoria, edito iam Martyrologio, placuit hîc conſignari: quam miſſæ nuper tabulæ ſignant 4. Iulij recolendam.

G.

SS. Galthervs triceſimus quartus Abbas Fontanellæ, necnon *Gardulphus*, ceu *Gradulfus*, eiuſdem loci Abbas viceſimus ſeptimus.

S. Genesivs Monachus, impiè occiſus à Danis, cùm Bezuenſe monaſterium, quatuor leucis à Diuione diſtans, ab iis euerſum fuit, anno ſalutis 888.

S. Geraldvs, Petri venerabilis in Cluniaco alumnus, deinde Prior de alto Iugo, ſimplicitate & vitæ puritate ſuſpiciendus, cuius miracula ipſe Petrus recitat lib. 1. epiſt. 7.

B. Gerardvs diſcipulus ſancti Norberti, Abbas primus Monaſterij ſancti Nicolai Clarifontis d. Laudun.

S. Gerbertvs Comes indiuiduus ſancti Maurilij Archiepiſcopi Rotomagenſis (cuius præconia in iſto Martyrologio 5. Idus Auguſti expreſſa habentur:) Anachoreta fuit ſanctiſſimus, deinde Abbas triceſimus Fontanellæ, laxatámque diſciplinam ſuperiori ætate, ad diſtrictæ obſeruantiæ tenorem, ſedulâ pietatis inſtantiâ reuocauit. Obiit autem teſtimoniis diuinæ gratiæ illuſtris, anno Domini 1089. Cognominatus eſt *de Alemania*, quòd Germanus origine, in Gallias adductus fuiſſet, ad Normaniæ ſpirituale ſubſidium, per ſanctum Maurilium ex Italia redeuntem.

S. Germanvs Epiſcopus Leonienſis in Armorica, ſucceſſor ſancti Pauli primi Antiſtitis & Patroni huius Eccleſiæ: vir Angelicus (quem *Goluuenum* nonnulli vocitant) obiit Redonis, vbi in Abbatiali Eccleſia ſancti Melani eius reliquiæ ſeruantur.

S. Gerivaldvs, aliàs Carivaldvs Epiſcopus Aruernenſis: qui cùm ſolutioris vitæ fuiſſet, Epiſcopatúſque infauſta habuiſſet primordia, à Deo tactus, animitus reſpuit, tantæque pœnitentiæ ſignificatione Eccleſiam ſuam in extremis ædificauit, vt non modò à Clero & populo fuerit in ſancti Galli baſilica (in qua ſanctus ipſe Gallus, ſanctique Vrbicus, & Antolianus requieſcunt) ante altare ſanctæ Mariæ, cum magno honore ſepultus: ſed & deinde ob manifeſta glorificationis ſigna, inter Sanctos Claromontanos annumeratus, ſicut libellus fermè ante annos 700. conſcriptus *de Sanctis, Eccleſiis & Monaſteriis Claromonty*, non ita diu ex ſcriniis Illidianæ baſilicæ & ſanctæ Mariæ Portuenſis in lucem editus, copioſè demonſtrat, lib. 1. num. 8.

S. Gibertvs Abbas Luxouienſis, deuotione & religione ſua ætate præcipuus, à Danis occiſus Martyr occubuit.

S. Girardvs Abbas viceſimus ſeptimus Fontanellæ, inſigni ſanctimonia florens ſub Roberto Rege piiſſimo & eruditiſſimo, ſub quo etiam cumulatus meritis, in cœlum migrauit, anno Chriſti 1008.

S. Gobrianvs ex Canonico Venetenſi, factus Epiſcopus eiuſdem Eccleſiæ. Eius corpus aſſeruatur in ſacello ſui nominis, vbi multa fiunt diuinæ virtutis opera.

S. Gobricivs inter patronos cenſetur Venetenſis diœceſis: at magis ſpectata ſanctitate; quàm memoria geſtorum illuſtris.

S. Godvinvs primus Abbas Lætienſis ad Elpiam fluuium, in tractu Cameracenſi, filius Vvilberti Comitis, & ſanctæ Virginis Hiltrudis frater, eximiæ vir extitit pietatis.

S. Godvinvs ſextus Abbas Stabulenſis in diœceſi Leodienſi, ſanctitate clarus in Chriſto quieuit.

S. Gothefredvs Monachus Cluniacenſis, ſancti Odonis diſcipulus, religioſi ſilentij tenaciſſimus.

S. Gavverivs Eremita ab Eccleſia Venetenſi celebratus.

S. Gregorivs Monachus Cluniacenſis, & Petri Venerabilis diſcipulus, natalibus illuſtris, at doctrina, & quod magis eſt, ſanctimonia clariſſimus, cuius decora idem Petrus ſuis in Epiſtolis non rarò commendat.

S. Gvenaelvs Abbas de Laudeuenece, ordinis ſancti Benedicti paulò poſt ſancti Paterni præſulatum hoc in ſolo claruit, multiformis gratiæ dotibus nobilis. Corpus eius honorificè ſeruatur in ipſa matrice Eccleſia Venetenſi.

S. Gveninvs Epiſcopus Venetenſis, eo titulo & ſpectatæ ſanctitatis memoriâ honoratus, ab ipſa cathedrali Eccleſia: quamuis in Epiſcopalibus eius tabulis editis, ſignatus non appareat; niſi fortè is ſit qui *Guinninus* inſcribitur.

S. Gvinerivs Martyr: cuius reliquiæ coluntur in parœciali Eccleſia de Pleuignet agri Venetenſis.

S. Gvndrada Virgo Chriſtó ſacrata in Monaſterio ſanctæ Crucis Pictauienſis, orta erat ex nobiliſſimo Francorum genere, ſoror Sanctorum Adelardi & Vvalæ ſucceſſiuè Abbatum Corbeiæ Gallicæ in Ambianis; at ſanguinis claritatem, ſanctiſſimæ conuerſationis luce inumbrauit. Cuius, ſanctus Paſchaſius in geſtis ſancti Adelardi meminit, multa cum nominis ſancti commendatione.

H. S. He-

H.

S. HELIBERTVS Monachus, diſcipulus Marculphi Abbatis, eiúſque in Inſula *Agnus Dei* dicta, eremitica in conuerſatione ſodalis.

S. HELIVS FAVSTINVS, qui poſt ſanctum Zachariam ſancti Irenæi Lugdunenſis Hierarchæ ſucceſſorem, in magnis Eccleſiæ perturbationibus hanc Cathedram gubernauit, Apoſtolicis dotibus ornatus. Tandem in pace quieuit, furentibúſque licèt ethnicis à fidelibus, quos ſanctiſſimè rexerat, piè ſepultus fuit, in crypta, quam ob famam eius ſanctitatis & gloriæ, religioſo affectu inuiſit ſanctus Gregorius Turonenſis. Hic ſanctus Antiſtes exiſtimatur ille eſſe Fauſtinus, ad quem ſcripſit ſanctus Cyprianus epiſt. 67. eum collaudans, quòd *ſteterit contra Martianum Arelatenſem Epiſcopum, qui ſe Nouatiano, perfidiæ auctori, adiunxerat*.

S. HEZELO Monachus Cluniacenſis, Petri Venerabilis diſcipulus: vir religioſiſſimus, Deique verbi inſignis Prædicator.

S. HEMARDVS decimus octauus Abbas Fontanellæ, ſancti *Traſari*, qui anno 805. obiit, ſucceſſor.

B. HERLVINVS Abbas Monaſterij Beccenſis, beati Lanfranci, quin & ſancti Anſelmi præceptor & informator, ipſe viuum exemplar totius religionis.

B. HERMANNVS ex Canonico Bononienſi Monachus Hemenrodenſis, deinde primus Abbas ſancti Petri ad Coloniam, ſuper cuius caput cùm eſſet in choro columba candida ſæpè apparuit.

Venerabilis HERVÆVS DE VILLA PIROSA Abbas Maioris Monaſterij XIV. deinde reclusus ad ſeptem Dormientes, mira in abſtinentia, & religione Angelicáque prorſus conuerſatione, dies conſummauit.

S. HILDVTVS diſcipulus ſancti Germani Autiſſiodorenſis, dum prædicaret apud Britannos: ipſe verò inſtitutor ſancti Samſonis, & aliorum pietate illuſtrium aſcetarum ac myſtarum: ſpiritu prophetiæ, magníſque virtutibus emicuit.

S. HILEBERTVS Abbas Fontanellæ, qui poſt vitam ad Dei placita conformatam migrauit in cœlum, anno 694.

S. HVGO ſeptimus Abbas Fontanellæ. Is videtur ille eſſe Hugo, qui ex cœnobitica clauſura ad regimen Eccleſiaſticum, ob magna ſanctitatis lumina quæ edebat, factus eſt primùm Baiocenſis, deinde Pariſienſis, demum Metropolita Rotomagenſis. Miraculorum gloria in vita & poſt obitum conſpicuus. Cuius corpus in Belgium tranſlatum, & hactenus miraculis fulgens, in Haſprenſi ſancti Vedaſti præpoſitura diœceſis Cameracenſis, magna cum reuerentia ſeruatur. Concordant enim tempora, & pleraque morum inſignia. Porro Hugo, qui ex aſceta factus eſt Pontifex, fuit primùm Monachus Gemeticenſis. At potuit ex hoc cœnobio ad Fontanellæ regimen eodem in ſolo, euocari. Dehinc ad Præfecturas Epiſcopales præſignatas, ſucceſſiuè promoueri. Habet autem (ſi idem eſt) diem natalem fixum die 9. Aprilis.

I.

B. IACOBVS GVIARTVS ordinis Minorum de Obſeruantia, Cœnobij ſancti Bonauenturæ in Lugdunenſi vrbe Præfectus, eâdem anno 1562. à Caluinianis prædonibus interceptâ, poſt diuturnam famem & concluſionem, vt vaſa ſacra & ſancti Bonauenturæ lipſanothecam proderet, cùm nihil ab eo impetraretur, & à Petro Vireto vili apoſtata, & fœdæ hæreſis buccinatore, ad defectionem prouocatus, conſtanter fidem Catholicam & religioſum propoſitum retineret, ſpecie abductionis in publicam cuſtodiam, extractus è Cœnobio, cum milite Catholico, qui ei domeſtici carceris ſocius adiunctus fuerat: cùm ad medium Araris Pontem perueniſſet, miles (quem afflatu diuino de inſtanti morte vir beatus præmonuerat) ſubitò confoſſus eſt, & abiectus in profluentem. Iacobus verò impetratâ ad breuem orationem, exiguâ morulâ, gratis Deo actis, quòd tàm felici agone ſuam confeſſionem obſignare concederet: haſtâ ſecuriclata quinquies impactâ, crùdeliſſimè cæſus eſt. Corpus in Ararim proiectum, à nauiculariis exacto iam anno, quatuor ab vrbe milliaribus ſecundo flumine repertum, quale morientis fuerat, in vicinam parœciam illatum eſt, honorificóque funere conditum. Nec enim ab oppidanis impetrari vnquam potuit, vt ſe ſacro illo pignore, quaſi cælitus allato, ſpoliari ſuſtinerent.

Venerabilis IACOBVS CALLIPSTVS ordinis Cæleſtinorum, Prior Viciacenſis, vir admirabilis ſanctitatis & patientiæ, cui rem diuinam facienti beata Virgo Maria apparuit, cum multitudine Sanctorum, & coronam variis floribus contextam impoſuit.

S. IGNOROCVS Epiſcopus Venetenſis.

B. ANADANOCVS Bertinianns in Arteſia Monachus: deinde auctns fœnore gratiæ Anachoreta.

Venerabilis IOANNES BVRGENSIS, ordinis Minornm Caroli VIII. Regis Chriſtianiſſimi à ſacris Confeſſionibns, eiuſdémque Concionator, Apoſtolicis moribus, ſpiritn prophetico clarus (qno nominatim cœnobij ſui euerſionem, & templornm per Galliam excidium, furore ſatanico ſpecie reſormatæ religionis obducto, conſecnturnm, prænunciauit) & martyrio poſt mortem honoratus, cùm in perſecutione Caluiniſtica à diaboli emiſſariis corpus eius de aſylo ſepnltnræ immaniter erutum, moltiſque contumeliis indigniſſimè affectum, in profluentem Ararim deiectnm eſt. Dininæ virtutis prodigiis tam in vita quàm poſt mortem illuxit. De hoc ſcriptis proditum eſt, conſtitiſſe apud omnes, cùm Ligerim tranſgredi vellet aditurus Mōtembriſonem, negante nauiculario vſum raticulæ, qnod naulo careret, expaſſo ſuper aquas pallio, ſuper quod manus in crucem duxerat, inſediſſe cum ſocio, ſicque fluuium feliciter traieciſſe.

B. IOANNES BAYARDVS, ordinis Cæleſtinorum, Prior cœnobij de Columbiers in agro Meldenſi, ipſo die obitus, Propriori, inſtar ſolis rutilans apparuit.

B. IOANNES COLINVS, ordinis Cæleſtinornm, Prior cœnobij Anecionenſis, Prouincialis munere bis ſanctiſſimè perfunctns, Viennæ obiit cum magna beatitudinis oſtenſione, ad cuins tumulnm multa miracula coruſcârunt.

*Obiiſſe, (edidit tam Martyrologio noſtro) accepimus ex MSS. eius Actis, 3. Idus Septembris.

B. IOANNES MICHAEL* Epiſcopns Andegauenſis vir incorrnptæ probitatis, ſummæ humilitatis, perfectæ religionis & magnæ apnd Deum & homines gloriæ.

S. IOANNES, *Scotus* patriâ, Martyr gratiâ, interpres Eccleſiaſticæ ſancti Dionyſij hierarchiæ, quam Carolo Caluo è Græco Latinam dedicauit. Hunc Molanus, ex Deidonato in hiſtoria Scotorum, ſacra Pontificum auctoritate, aſſeuerat, inter Chriſti Martyres connumeratum.

Piæ memoriæ IOANNES ENGOLISMANSIS Comes Pater Caroli, Franciſci magni Regis Francornm genitoris vitæ in ſublimitate humilis, in carne ſpiritnalis, in aulica libertate Chriſtianæ; in omni actu virtutis, in omni religionis cultn ac exemplo admirabilis, ſarcinâ mortis exutâ ad præmia perennis beatitudinis (quam caducæ ſemper illecebris prætulit) ſua piiſſimo defunctus, emigrauit: póſtque felicem deceſſum reſplenduit in tumulo diuinæ clarificationis radiis. At à filiis tenebrarum, qni diabolico æſtu incenſi, gloriæ Dei ſplendores extinguere ſatagebant, oſſa illius radiantia diuinis virtutibus, & hactenus à fideli populo piè honorata; eruta è tumulo, atque ludibriosè raptata, ſacrilegis iniecta ſocis, & in auras leues demum exſufflata: in ſemina tamen æternæ gloriæ, collecta Dei manu, qni *Sanctorum oſſa cuſtodit* pro ſeminario immortalitatis reciderunt.

S. ISACIVS diſcipulus ſancti Hilduti Abbas, & Monachus, *velut ſtella in medio nebula refulſit.*

S. IVLIA tertia Abbatiſſa Horrei Treuerenſis, miraculis claruit anno Domini 732.

S. IVSTVS Confeſſor Aruernus, qui in Eccleſia ſancti Cyrici ante altare quieſcit: vbi ſanctus *Abraham* anachoreta. & ſanctus *Siluinus* etiam ſepulti, requieſcunt.

S. IVSTVS Epiſcopus Venetenſis, qui titularis colitur Eccleſiæ ſui nominis ſitæ prope Redonum. Is idem eſt qui *Iuſtocus* vulgatis in Epiſcopalibus tabulis huius Eccleſiæ nuncupatur.

L.

S. LAMBERTVS, de quo ſuprà cum ſancto Deſiderio.

S. LAVDO octauus Abbas Fontanellæ.

S. LEODEBAVDVS, fundator Monaſterij Floriacenſis in agro Aurelianenſi, Abbas verò ſancti Aniani Aureliis: Sanctis Audoëno Rotomagenſi, & Eligio Nouiomenſi, qui eius teſtamento pro Floriaci fundatione ſubſcripſerunt, coætaneus & amicus: ſcientiæ & ſanctitatis laudibus perilluſtris: opes quas copioſas in ſæculo poſſidebat, Chriſti cultui dedicans, ſuo ex gazophylacio ſacra loca ditauit. Suo in fundo Floriacenſem Eccleſiam cum cœnobio excitauit & dotauit: Dei ſeruis & egenis quæque ſua impertiit, & ſic conſummato bonæ voluntatis holocauſto, æterna ad præmia vocatus eſt.

S. Leogontia Virgo Aruernenſis, quæ clarificata diuinæ gratiæ & gloriæ indiciis, in Eccleſia ſancti Caſſij quieſcit.

S. Leonardvs Confeſſor, Aruernenſis indigena, ſancti Gregorij Turonenſis coætaneus, recluſus in cellula Maiori Monaſterio propinqua: vbi in ſumma vitæ auſteritate vitam traduxit, curſúque mortalitatis eius feliciter confecto, in ſepulchro, quod ſæculo in cellula ſua foderat, ſepultus eſt. Quem Aruerni poſtea ſuum vt municipem vindicantes, in Eccleſia ſancti Pauli cum honore ſanctitatis ſpectatiſſimæ collocarunt. De eo in vita Patrum ſcribit cum debita laude præfatus Gregorius.

S. Lvcia Virgo Deo gratiſſima, ſeptima Abbatiſſa de Horreo apud Treuiros, ſupernæ virtutis operationibus tam ſanctis quàm admirandis claruit.

S. Lvcia Virgo, quæ Regia ſtirpe edita, è Scotia in Galliam peregrina ob Chriſti amorem aduenit: atque in Virdunenſi ſolo ſanctæ Trinitatis Eccleſiam extrui procurauit: prope quam diuinis obſequiis inſiſtens, puræ vitæ conſummato decurſu, ad æternam migrauit beatitudinem. Quieſcit ibidem, magnis gloriæ ſignis illuſtris.

M.

S. Magvntivs, Epiſcopus Metropolis Viennenſis ex Monacho Lerinenſi, vbi colitur inter Sanctos domeſticos, quorum geſta & natalitia ignota ſunt, quamuis glorificatio eorum non ſit dubia.

S. Mallosvs Martyr, apud Bertunenſe oppidum agonem conſummauit. Corpus eius poſt paſſionem ne à Gentibus deturparetur, ita ſecretè à fidelibus conditum fuit, vt diu incompertum fuerit poſteris, quo loco quieſceret. At diuinitus reuelatus fuit eius ſitus, cuidam Diacono Metenſi: à quo, beato Ebregeſilo Agrippinenſi Epiſcopo cùm fuiſſet reſeratus: ſacra oſſa beati athletæ inuenta coruſcantibus diuinæ Maieſtatis prodigiis, nouam in baſilicam eum magno honore illata ſunt, ſicut legitur apud Gregorium Turonenſem lib. 1. de glor. Martyr. cap. 63. Vbi *Victorem* commemorat ibidem *Martyrem* coronatum, ſed adhuc minimè reuelatum.

S. Margarita Virgo & Martyr: cuius & duarum ſodalium ex ſanctæ Vrſulæ agmine triumphali, capita, Lutetiæ Pariſiorum aſſeruantur religioſo cultu; in Virginum de *Aue Maria* ordinis ſanctæ Claræ, ſeu ſancti Franciſci Monaſterio.

S. Mariæ Virginis Deiferæ *ſuſceptio mirifica Imaginis, apud Bolonienſe*. Eiuſdem Beatiſſimæ Deigenitricis alterius imaginis miraculum, quando S. Bernardum ſalutauit orantem apud Affligemium Monaſterium in Belgio. *Recolitur res diuinitus acta, Affligenu die 18. Octobr. vbi ipſa Imago honorifice aſſeruatur.*

S. Martinvs decimus quintus Antiſtes primæ ſedis Lugdunenſis, circa annum 400. Epiſcopali ſanctimonia perornatus enituit.

Venerabilis Pater Martinvs Rogerivs Cæleſtinus Pariſienſis, vir ſanctus. Hic animam cùm ageret, cubiculum eius vnius horæ ſpatio, ingenti lumine reſplenduit.

S. Mavrvs diſcipulus ſancti Pirmini Epiſcopi Metenſis, & poſtea Abbas illius Monaſterij, quod de eius nomine Mauri-monaſterium vocitatur.

S. Mavrvs Martyr Africanus, cuius corpus conditum Floriaci ad Ligerim.

SS. Meddeocvs & Meriadocvs, Epiſcopi Venetenſes in Armorica.

S. Michael Monachus Cluniacenſis, ſpiritu compunctionis repletus, ſanctiſſimè obiit.

SS. Monachi nongenti combuſti à Danis ethnicis, in Monaſterio Gemeticenſi in Rotomagenſi territorio.

SS. Monachi qvinqvaginta cœnobij ſanctæ Mariæ de Firmitate ordinis Ciſtercienſis, occiſi cum ſuo Abbate ab hæreticis anno 1300.

SS. Monachi sexaginta, cæſi à Paganis in aſceterio Floriacenſi.

N.

Venerabilis NATALIS MARTIVS patria Aurelianenſis, Monachus maioris Monaſterij, vir admirabilis humilitatis, zelóque religionis feruentiſſimus, ſocietatis Britannicæ auctor, ex qua ſancti Mauri congregatio coaluit: cuius verba nihil niſi Deum ſonabant. Moritur in Prioratu ſancti Maglorij de Laooio, vbi miraculis fulget.

S. NAZARIVS, Archiepiſcopus Arelatenſis ex Monacho Lerinenſi, ſedit poſt ſanctum Concordium alumnum eiuſdem Monaſterij; ſolíumque Epiſcopale repleuit radiis perfectæ gratiæ, & paſtoralis vigilantiæ gregem ſuum impinguauit officiis.

S. NEPOTIANVS Epiſcopus Aruernenſis: quem S. Gregor. Turon. ſcribit l. 1. de glor. Conf. c. 37. virum fuiſſe in ſæculo *ſummæ ſanctitatis*: in Baſilica S. Venerandi requieſcit. Eius tranſlatio colitur 22. die Octobris. At incertus Natalis.

Venerabilis Pater NICOLAVS A PRATO, Pariſienſis Cæleſtinus, Virgini Deiparæ deuotiſſimus, qui cùm ante eiuſdem imaginem ſertum floribus contextum poſuiſſet, reuoluto vnius anni curriculo, ita virens inuentum eſt, ac ſi recens confectum fuiſſet. Tempus mortis ei reuelatum eſt diuinitus, quod cùm aduenisſet, lectulo decubuit, ſtatímque animam tranſmiſit.

S. NOYOLA, Virgo & Martyr, honoratur in Eccleſia oppidi de Pontiny Venetenſis diœceſis, vbi pretioſum eius corpus condigna veneratione habetur.

O.

S. ODO diſcipulus S. Norberti origine Laudunenſis, Abbas deinde primus Bonæ-ſpei. Cuius (antequam ſæculo renunciaret) præcipuâ curâ, Eccleſia Laudunenſis, quam incendium conſumpſerat, reædificata fuit: diuenditis deinde omnibus ſuis facultatibus, & in inopes ac vſus pios erogatis, ſolitariam primùm vitam coluit. Deinde adiunctus ſancto Norberto, ſe religionis iugo mancipauit, euaſítque abſtinentiâ, obedientia & humilitate inter huius ordinis Neophytos præcipuus, victoriis de pugna frequenti contra diabolum inſignis. Quapropter à S. Norberto Bonæ-ſpei nouo cœnobio primus Abbas eſt præfectus, vbi ad miraculum vſque boni paſtoris munia exorſus, erga fratres ſuos eluxit mirè affabilis, in pauperes miſericors, erga omnes beneficus & humilis. Demum poſtquam annis viginti tribus huic Monaſterio ſanctiſſimè præfuiſſet, multas tribulationes ſuperâſſet, incomparabili patientia, charitate & pietate plenus, regimine abdicato, ſuffectóque in ſuum locum *Philippo* illo qui cœnobij nomen illuſtrauit raræ ſuæ ſapientiæ & doctrinæ ſplendore, præſignato quam diuinitus prænouerat ſui tranſitus die, poſitis genibus & oculis in cœlum fixis, in oratione deuota & contemplatione diuina, fœtum muneribus gratiæ ſpiritum in Redemptoris manus feliciter efflauit, anno ſpei Chriſtianæ æterno beneficio obſignatæ, 1156.

P.

S. PARDVLPHVS, qui virtute & moribus præclarus, Deum quærens, mundum fugiens, eremum coluit, ægris medicinam fecit, energumenos ſanauit, & à natiuitate contractos diſſoluit. Tandem à Lauterio Comite Lemouicenſi, Garactum euocatus, Abbatiæ quam is in honorem Apoſtolorum Petri & Pauli conſtruxerat, præfectus eſt; quam ſanctè & prudenter adminiſtrauit. Idem Saracenos à Carolo Martello profligatos, à ſuo oratorio vi diuina effugauit, & octogenarius non abque viatico deceſſit. Cuius eſt memoria his in regionibus celebris. Garacti reliquiæ eius coluntur. Plurimæ verò Eccleſiæ ei inſcriptæ ſunt, maximè in territorio Aruernenſi, vbi vicorum Cyriaci, Blanſaci & Turris ipſimet patrocinia concredita ſunt.

B. PATERNA Matrona nobilis & religioſa cum pietatis elogio commemorata in actis ſancti Auſtregeſilli Epiſcopi Bituricenſis.

S. PATHASIVS Epiſcopus Meldenſis, Deo charus, vita priuatus memoratur ipſo electionis ſuæ die: imò morte ſubductus, & ad beatam ſubuectus immortalitatem. Habet ſui nominis Eccleſiam in illa diœceſi.

B. Petrvs Baativs Monachus Cœleſtinus Pariſienſis, huiúſque aſceterij quinquies Prior, ordinis ſemel Prouincialis. Hic diuinas & humanas ſcientias apptimè doctus, ſed ſcientia Sanctorum præcellens, multa à dæmone dira perpeſſus eſt, quæ omnia inſigni fide ſuperauit, iámque adhuc tyro, ieiuniis & orationibus ac vigiliis, eius fregit impetus. At victorias in progreſſu religionis plurimùm auxit. Tantæ hic ſuæ humilitatis, vt oblatum Epiſcopatum fauore Ludouici XII. Regis (cuius confeſſiones audiebat) ſeriò recuſauerit. Eximiæ fuit contemplationis, in qua diuina plerumque patiebatur: ſemélque in ſpiritu raptus, à quodam fratre viſus eſt, facie admodum ſplendidâ. Nec modò diuina luce, ſed & virtute emicuit, qua duos infirmos miraculosè ſanitati reſtituit. Cùm tantus eſſet Petrus, Monaſteriorum ab vrbico Antiſtite conſtitutus eſt viſitator, nouus ſua ætate (ſicut quondam Odilo ille Cluniacenſis à beato Fulberto dicebatur) *Monachorum Archangelus*: at demum Angelorum Socius, ad quorum feliciter tranſiuit conſortium Pariſiis anno 1535. Sepultus eſt in Capitulo: ínque libro de viris Sanctorum huius Ordinis, ob teſtimonia claræ ſanctimoniæ inſcriptus.

S. Pientivs Pictauienſis Epiſcopus, plenus diebus & meritis Pariſiis obiit: iuſſúque Regis Chariberti, ei ſuffectus fuit *Paſcentius* tum Abbas ſancti Hilarij. Pia deſideria & ſanctos conatus ſanctæ Radegundis Reginæ admodum fouit ac prouexit ſanctus hic Epiſcopus, cuius tempore illa monaſterium & Baſilicam ſanctæ Crucis Pictauiæ ædificauit.

S. Pollina Monialis cœnobij ſancti Petri in villa Hunulcurtia in Belgio, ſub *Aureana* prima Abbatiſſa: monilibus Deo dignæ ſponſæ ornata, ad cœleſtes nuptias euolauit.

S. Polemivs Abbas Lerinienſis, ibi clarus non tam geſtorum hiſtoriâ, quàm memoriâ exploratæ ſanctitatis.

S. Portianvs Eremita Confeſſor Aruernus, *acerrimum teſtimonij* ſuæ ſanctitatis ibidem habet, Patronus prioratus ſui nominis ad Elaucrim Claromont. d.

S. Protasivs reclusus apud Candilobrenſe Monaſterium, Spiritu propheticæ ornatus, quo quæ parabat liuidus dæmon ſancto Portiano terriculamenta, diſſitus loco cognouit, cúmque per Monachum miſſum hortatus eſt, vt intrepidus fortiſque in pugna perſiſteret: de qua, oratione aſſiduâ & triumphali Crucis ſigno eſſet victor exceſſurus, & præmium ſecum reuectutus, quòd ſeruis ſtrenuè certantibus Dominus præparauit.

Presbyteri dvo ſanctiſſimæ conuerſationis prope Blauiam in Aquitania ſecunda, ſepulti in vico Vodolacenſi, poſt mortem ſe Deo viuere prodiderunt, patenti gloriæ oſtenſione, quam meritis egregiæ ſanctitatis conſecuti ſunt à Domino, vt narrat ſanctus Gregorius Turonenſis de gloria Confeſſor. cap. 47.

Presbyteri, potiſſimum *parochi, & religioſi diuerſorum ordinum*, in vniuerſa Gallia per ſegreges auitæ fidei deſertores, & nefandæ Caluini hæreſis ſectarios, hagiomachos, ſacramentarios, libertinos; in odium ſacerdotij Chriſtiani, & Catholicæ, Apoſtolicæ & Romanæ fidei, quam ſacri homines illi, cuſtodes Dominici gregis, & luporum rabidorum circumcurſantium impugnatores, ſacerdotali vigore tuebantur; per pœnas atrociſſimas excruciati, trucidati, & ad internecionem deleti: euerſis templis & aris, incenſis Monaſteriis, cum libris & ſacris Reliquiis; direptis myſticis vaſis & ornamentis; omnibúſque orthodoxæ religionis ferè ſublatis monumentis; nec in Martyrologio, nec in eius Supplemento, neque hac in Appendice potuerunt ſigillatim (præ immenſa multitudine) recenſeri. Sat ſit hîc monere, non ideo prorſus à nobis eoſdē prætermitti, quos inter alios Galliæ Martyres, qui impiorum furores quondam in ſe incenſos, ignito cœleſti flamma pectore exceperunt, & fortiſſimis agonibus ſuperârunt, non dubitamus, in cœlum pari triumphi gloria cooptatos. Horum certè Deus *qui numerat multitudinem ſtellarum, qui Sanctorum omnia oſſa cuſtodit*, vt numerum ſic *nomina nouit*: in extremo die, quo manifeſtabuntur, quæ nunc nobis occulta ſunt, *è libro vitæ* per Agnum rediuiuum reſerato, magna cum eorum glorificatione, reuelanda.

S. Pvdentianæ, Virginis Romanæ corpus in Galliam tranſlatum: religiosè ſeruatur Caſtellione in Vaſtinio, in collegiata Canonicorum Eccleſia: cum diuinæ virtutis perpeti coruſcatione.

R.

S. Radeo Monachus Bezuenſis, cæſus à Danis cum ſodalibus pleriſque, ob ſanctæ religionis profeſſionem, Martyr occubuit anno gratiæ 888. quo barbari illi totam Burgundiam, ſeruorum Dei fuſo cruore, & miſerandis fidelis populi ſtragibus repleuerunt.

S. Rado frater ſancti Audoëni Metropolitæ Rotomagenſis fundator Radolij Monaſterij ad Matronam fluuium, multarúmque virtutum operator. Ad cuius ſanctitatis teſtimonium Altiſſimus, magna in ſolarium infirmorum ad eius tumulum confluentium, ſub ipſius inuocatione operatus eſt.

Piæ recordationis Raymvndvs da Pooio Delphinas, tertius Hoſpitalis ſancti Ioannis Hieroſolymis Magiſter, at potiùs ordinis huius militaris (quem perfectam ad formam perduxit) inſtitutor & parens: qui ſub Godefrido Bulionio primo Hieroſolymorum Rege, vindicéque Chriſti ſepulchri & gloriæ, in Orientem cum Francorum exercitu profectus, mira fortitudinis in prælijs, zeli in religione, prudentiæ in regimine, iudicia præſtitit. Poſtquam è prima nobilitate innumeros ad hanc regularem militiam pro tuendo in illis partibus Chriſtianorum imperio euocatos, ſuam in matriculam adſcripſiſſet; ordinem in tres claſſes, equitum, ſacerdotum & famulantium diſtinxiſſet; hoſpitalitatem eidem ordini ad cumulum pietatis adiunxiſſet; ſuóque prudenti conſilio & bellica virtute potentiſſimas duas Syriæ ciuitates Aſcalonem & Tyrum de infidelium ferali iugo, infauſtáque poteſtate eripuiſſet, atque ad ius Hieroſolymitani regni vendicâſſet, nouus Chriſtianorum Machabæus, in Chriſtiana ſpe quieſcens, ad perennem cœleſtis regni migrauit onationem.

S. Remigervs, antiquus Patronus Abbatiæ oppidi Maleaci ad fluuium Separim in tractu Pictauienſi: quæ demum erecta in Epiſcopalem ſedem à Ioanne XXII. Pontifice Maximo, nihilominus Remigerum beatiſſimum adhuc tutelarem agnoſcit & colit. Cuius memoriam delere nequiuerunt ſegreges, fidei & cultus Sanctorum iurati hoſtes. Euerſa enim licèt ab iis fuerit funditus Eccleſia pontificia Maleacenſis, perdurat tamen ibidem tanti cœlitis (ſub cuius auſpiciis Chriſtianis myſteriis ab initio conſecrata fuit Deo altiſſimo) recordatio veneranda. Sed & illius erga afflictum gregem opitulatio ſatis emicuit, ex ipſius hæreſis illa in ciuitate depreſſione, & Catholicæ fidei exaltatione, quæ ſingulari Dei beneficio, & magnanimi Regis Lvdovici Ivsti virtute ac pietate, toto eo tractu iamiam glorioſè refloreſcit, & de proſtrata perfidia triumphat.

S. Richardvs Abbas Virdunenſis, qui non minùs doctrina quàm ſanctitate claruit, ſedente Benedicto VIII. ſummo Pontifice, regnante Roberto Rege Chriſtianiſſimo.

S. Ricaldvs, ſeu Rigaldvs Patronus Abbatiæ ſuæ nuncupationis, ordinis ſancti Benedicti, in diœceſi Matiſconenſi.

Venerabilis Richardvs a sancto Victore, vir religioſiſſimus, natione Scotus, profeſſione Clericus ſeu Canonicus regularis cœnobij ſancti Victoris ad muros Pariſienſes: quò à puero fontem veræ ſapientiæ quærens, ex patria profectus ſeceſſerat, præſtantiſſimus ſuo æuo extitit Theologus. Qui honeſtate conuerſationis & eruditionis excellentia conſpicuus, medius incedens inter ſancti Auguſtini argutiam, & ſancti Bernardi (cuius ſynchronus fuit) dulcedinem, editis ad illuſtrationem Eccleſiæ & augmentum pietatis numquam perituris ſapientiæ cœleſtis, qua affluenter dotatus erat, monimentis, Angelicæque puritatis exemplis, ſpiritum diuinæ fruitionis cupidum placido efflatu, ad Chriſtum vitæ fontem remiſit. Quieſcit autem in prænominato Monaſterio, cuius Prior fuit, prope Hugonem itidem Victorinum ſibi comparem & coætaneum, quo cum è veteri clauſtro in ſacellum ſancti Dionyſij, ſitus honorificentioris causâ tranſlatus eſt.

Venerabilis Richardvs Preſbyter, primus Prior & Fundator aſceterij Canonicorum regularium beatæ Mariæ de Salicoſa d. Rotomag. antea parœcus ſancti Martini de Tilliaco, eiuſdem terminationis, vir animarum zelo feruentiſſimus & diuinæ gratiæ teſtimoniis conſpicuus: Hugonis Victorini Richardíque prædicti coætaneus, ipsiſque admodum, ob præcellentem pietatem, charus.

Obiiſſe fertur 22. Sept. anno 1162.

B. Richmara Sanctimonialis Præmonſtratenſis, ibidem cum titulo gloriæ condita.

S. Romana Virgo, cuius corpus Bellouaci ſeruatur in Monaſterio ſancti Quintini, iampridem miraculis à Deo clarificatum, & à fideli populo deuotè honoratum.

S. Rosa, cuius ſacratiſſimum corpus Romano è ſacrario aduectum, Gandaui repoſitum eſt cum plerìſque aliorum cœlitum venerandis exuuiis, in Collegij Societatis Iesv Eccleſia.

S. Rothildis Abbatiſſa octaua Monaſterij ſanctæ Mariæ Horrei Treuirenſis, quæ myſticæ ornata pennis columbæ, puræ & ſpecioſæ, è riuulis gratiæ

aquarum, imò è valle hac lachrymarum ad ſupernos paradiſi axes & fluenta æternæ voluptatis, alis caſtimoniæ & charitatis euecta, cœli volucribus (quorum ad conſortium tota vita anhelauerat) demum fuit pro votis & meritis feliciter aggregata.

S.

Venerabilis Pater SANCTES PAGNINVS Lucenſis ordinis Prædicatorum, Concionator Apoſtolicus, vir in diuinis Scripturis apprimè eruditus, & trium linguarum, ſed Hebraïcæ potiſſimum peritiſſimus: veteris Teſtamenti verſionis ex Hebraïca veritate in Latinam phraſim feliciſſimus inſtaurator, cuius editionem peritiſſimi quique Hebræorum Rabbini miris laudibus attollentes, omnibus quæ nunc extant tranſlationibus anteferunt. Quin & non minori laude nouum omne Teſtamentum iuxta Græcam fidem, Latinè vertit. At non minùs colendæ virtuti ſed pietati præſertim intentus; fidei orthodoxæ acerrimus propugnator, verbique diuini pro concione tractator fideliſſimus, in qua non fucum inanis ſcientiæ & dicacitatis, ſed fructum veritatis ex ſalute auditorum quærebat: Lugduni tandem mortalis vitæ clauſuram abſoluit. Huius pij viri hortatu, *Thomas Guandagnus* ciuis copioſus & locuples, ad cæteras impenſas in Dei honorem & publicum bonum, quibus Lugduni, Auenione, & Florentiæ clarus erat, ædificationem adiecit Noſochomij Lugdunenſis, ſub titulo ſancti Laurentij, ad excipiendos peſte contactos, quæ religioſa ſuggeſtio, quanta charitate flagrauerit venerabilis hic Pater, præclarè oſtendit.

S. SACRA, cuius venerabile corpus conditum quieſcit in Eccleſia Monaſterij Rubiacenſis, Claromonte Aruernorum, ante altare ſanctæ Genouefæ.

SANCTIMONIALES MVLTÆ Monaſterij Fiſcanenſis tum puellaris, à Danis ſeu Normanis, ob aſſertionem pietatis & pudicitiæ conſtantiam cæſæ.

S. SATVRNVS diſcipulus ſancti Germani Epiſcopi Autiſſiodorenſis, Preſbytérque probariſſimus ab eo ordinatus eſt ad titulum Sanctorum Martyrum Agaunenſium, Mauricij & ſociorum eius: vt in baſilica (quam ſanctus ipſe Pontifex horum in Martyrum honorem conſtruxerat) *ſub profeſſione ſacerdotalis tituli*, eorumdem memoriis inibi deſeruiret.

S. SATYRVS Patronus ſui nominis Monaſterij, ordinis ſancti Auguſtini diœceſis Bituricenſis.

S. SAVINVS titularis Abbatiæ in diœceſi Podienſi.

S. SAXO, aliàs SARO Abbas ſancti Benigni Diuionenſis, qui viuenti Bertiloni clara ob merita datus coadiutor: ipſo defuncto, gregem ſibi commiſſum in omni ſanctitate & prudentia gubernauit, mortuúſque in pace Chriſti Pulteriis ſepultus eſt.

S. SEDASTVS Epiſcopus Metropolitanus Viennenſis, ex cœnobita Lerinenſi, quo in Monaſterio colitur, ibi magis quàm Viennæ notus.

S. SEGOLENA colitur Claromonte Aruernorum in Eccleſia monaſtica Rubiacenſi, vbi altare habet ſuæ commemorationi ſacrum.

S. SEVERA Abbatiſſa nona Parthenonæ de Horreo diœceſis Treuirenſis, meritis perfectæ religionis celebris.

S. SEX MILLE DVCENTI, MARTYRES NESCITVR AN CONFESSORES Aruernis ſepulti ſunt in Eccleſia ſancti Venerandi, quorum nomina ignota incolis, *ſcripta tamen vt credimus* (ait Gregorius Turonicus) *retinentur in cælis*. Hi beati numerantur inter patronos Eccleſiæ Claromontanæ, in cenſuali libro ante annos ferè 700. conſcriptio *de Sanctis & Eccleſiis Claromontij*.

S. SIGILINVS Symmyſta ſancti Remacli, quattúſque Stabulenſis Archimandrita in diœceſi Leodienſi.

SS. SILVANVS & SILVIANVS, cum honore ſanctitatis conditi in Eccleſia antiquiſſima Sanctorum Martyrum Timothei & Apollinaris Remis, vbi poſiti ſunt in dextera ſacræ ædis parte: in ſiniſtra verò ſancti Tonantius & Iouinus ſepulti requieſcunt.

S. SISINIVS Monachus genere Capadox, diſcipulus ſancti Ægidij Attici Confeſſoris, eiuſdémque poſtquam in Galliis conſedit alumnus in Nemauſenſi aſcerterio.

S. SOLINA Virgo Aquitanica, cuius ſacrum corpus honoratur in Eccleſia ſancti Petri de valle Carnutenſi.

S. Spinulus charus ſancto Hildulpho Metropolitæ Treuirenſi, & primus Abbas Monaſterij ſanctæ Crucis de Beggonis cella.

Venerabilis Stephanus Morinenſis, ſeu Bolonienſis Epiſcopus: qui miraculoſam beatiſſimæ Virginis Mariæ imaginem ſuſcepit.

T.

S. Tezelinus Monachus Cluniacenſis, ſanctitate clarus, ſub beato Petro cognomine Venerabili.

S. Theodorius Monachus & Martyr, celebratur inter Sanctos alumnos & protectores Monaſterij Lerinenſis.

S. Theodoricus Abbas Sithiuenſis in Morinis, charus ſancto Poponi, in cuius actis cum præconio pietatis eximiæ memoratur.

S. Theodrada Abbatiſſa Monaſterij ſanctæ Virginis Deiparæ Sueſſionenſis, ſoror ſancti Adalardi: commemorata honorificè à ſancto Paſchaſio in vita ipſius Confeſſoris.

S. Titilmus Monachus Luxouienſis, à Paganis cum ſancto Giberto Abbate occiſus, martyrij palmam promeruit.

SS. Tonantius & Iouinus, Remis quieſcunt in baſilica Sanctorum Timothei & Apollinaris, cum ſanctis Siluano & Siluiano, de quibus ſuprà.

S. Trasarus decimus ſextus Abbas Fontanellæ, in omni ſanctitate defunctus, anno 805. relicto ſancto Hildeberto ſucceſſore.

B. Turpinus Epiſcopus Lemouicenſis XLI. patrator diuinorum operum: quieſcit cum honore exploratæ beatitudinis Albuconi vbi obiit, in Eccleſia ſancti Valerici.

V.

S. Vauno duodecimus Abbas Monaſterij Fontanellæ, clarebat religionis laude regnante Theodoro Cala, Dagoberti ſecundo filio.

S. Vendemius Monachus, diſcipulus ſancti Bernardi, miraculis multis tam in vita quàm poſt mortem fulſit.

S. Veredemus Epiſcopus Auenionenſis ſucceſſor ſancti Agricolæ, à quo ob clara inſignia Euangelicæ ſapientiæ & virtutis, deſignatus ſacri muneris hæres, miniſterium ſibi creditum cumulis omnis vigilantiæ paſtoralis impleuit.

S. Verulus Patronus Eccleſiæ de Caſtellione ſuper Sequanam Lingonenſis diœceſis: in qua Eccleſia imago dudum extitit ſanctæ Deigenitricis Mariæ, quæ filium ſuum ſancto Bernardo oranti in hac Æde ſacra obtulit, dicens. *Bernarde ſuſcipe filium meum, totius mundi Redemptorem.* Treſque mox guttas, ſuis ex vberibus in os ipſius ſancti Abbatis inſtillauit, ex quo ſuperno munere, ipſe creditur illam cœleſtem facundiam conſecutus, ex cuius ſuauitate *mellifluus* deinceps meritò cognominatus eſt.

Venerabilis Pater Umbertus Burgundus, qui diuino impellente ſpiritu ordinem Prædicatorum ingreſſus, in eo ſtadio tantùm in pietate ac ſanctitate progreſſus eſt, vt omnibus eſſet innocentiæ & obſeruantiæ regularis exemplar. Litteras ſacras quas poſt humaniores diſciplinas iu vernanti ætate Lutetiæ Pariſiorum didicit, cùm alibi variis locis, tùm præcipuæ Lugduni, magna celebritate docuit. Deinde electus *quintus Magiſter ſui Ordinis generalis*, ad omnem religioſæ perfectionis harmoniam facta, dicta & ſcripta (quæ luculenta ſuppetunt) ſua compoſuit. Ita religioſa humilitate ſublimis, vt Patriarcharum Hieroſolymitanum, qui nunc nudum titulum non ſonabat, à Nicolao III. Papa oblatum tanta modeſtia quanta conſtantia reſpuerit. Quin & ſummum Pontificatum à Cardinalibus poſt Cœleſtini IV. mortem, communibus ſuffragiis ad ſe delatum, incomparabili exemplo recuſauerit. Quo propriæ abiectionis affectu, ſæculo obſoleſcere cupiens, Generalis Magiſtri præfecturam, quam vndeviginti annis ſanctiſſimè obierat, in plenis ordinis comitiis, præſente ſancto Thoma, tantámque virtutem admirante, abdicauit. Ad extremum cùm in religioſa familia, annos duos ſupra quinquaginta ſanctè & magna cum laude (quam perpetuo conatu nihilominus à ſe repellebat) egiſſet, Lugduni religioſiſſimè obiit, & in maiore ſacello ibidem apud ſuos conditus eſt, anno milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo ſexto.

S. Vvaldaricvs, aliàs Vvaldericvs Abbas ſancti Mariani Autiſſiodorenſis, ſub quo ſanctus Valericus tyrocinium monaſticum iniit. A quo tamen Luxouium migrante ad ſancti Columbani (celebris tum nominis cœnobiarchæ) pædagogium: ibidem cum ipſo alumno ſuo factus diſcipulus, vir humilis, confecto in magno religionis feruore mortalitatis curſu, æternam ad felicitatem quam in Dei conſpectu ſemper quæſierat, demum pro votis ſupremis euectus eſt.

S. Victorina Martyr Romana. Cuius ſacra lipſana ex cœmeterio Vrbico ſanctæ Priſcillæ, Machliniam conceſſu Pontificali delata, à Patribus Societatis Iesv poſſidentur.

Y.

B. Yvo Monachus conuerſus Præmonſtratenſis: fuit ſancti Norberti humilis & ſynceerus diſcipulus.

CATALOGVS SANCTORVM, BEATORVM, ET PIORVM,

Qui proprias hiſtorias vel natales non habent: ſed in geſtis Sanctorum hoc in Martyrologio eiúſque Supplemento conſcriptorum, diebúſque eorum propriis cum laude pietatis, commemorantur.

A.

Aron Anachoreta, Angelicæ puritatis æmulus: ſub quo ſanctus Maclouius, ſeu Machutus vitam ſolitariam aliquando coluit. *In Maclouio 15. Nouembris.*

Abobinus & Pientia nobiliſſimi parentes ſancti Ebregeſilli Epiſcopi Meldenſis: iuſtitiæ ac religionis operibus perornati. *In nat. S. Ebreg. 31. Augusti.*

B. Adalbaldus Martyr Dux Duacenſis, maritus ſanctæ Rictrudis, & ſancti Mauronti pater, de quo *5. & 12. Maij*

SS. Aualgisvs, Bortivs, Colvmbanvs, Eloqvsvs, ſodales ſancti Momboli Abbatis Latiniacenſis, *In eius nat. 17. Nouembris.*

Adaltrudis pia vidua, quæ ſancti Adoratoris Martyris filij ſui conſilio, facultates omnes ſuas, in pauperes diſperſit. *In Adoratore 14. Nouembris.*

S. Adelinvs Sagiorum Epiſcopus, qui ſanctam Oportunam ægrotantem viſitauit, diuinóque corporis Domini refocillauit, Sacramento. Is ipſe geſta ſanctæ illius Virginis inſigni monimento poſteris conſignauit. *Adelelinus* à nonnullis vocitatur, ante Epiſcopatum, ſancti Carileſi, ſeu Aniſolæ in diœceſi Cenomanenſi, Monachus.

S. Adeltrvdis Abbatiſſa Malbodienſis cœnobij in Hannonia: in natali ſanctæ *Madelbertæ* eius ſororis, & poſt illam matris eiuſdem Parthenonæ. *7. Septembris.*

SS. Adivtor, qui & Maxentivs, Confeſſor, honoratus Claromonte Aruernorum. *26. Iunij.*

Æmilius Lauduuenſis Comes, Pater ſancti Remigij Remenſis Archiepiſcopi. *13. Ianuarij.*

S. Agia vxor Bettonis viri illuſtris, ex proceribus Palatinis, vti ipſe, oriunda, genúſque ſuum ad regiam ſtirpem referens: Mater verò ſancti Lupi Senonenſis Archiepiſcopi, & duorum ſanctiſſimorum Epiſcoporum Auſtreni Aurelianenſis & Aunarij Autiſſiodorenſis germana: quibus meritis vti natalibus nequaquam impar, tanti nati, ea diuina promiſſione, meruit eſſe genitrix. Hæc poſt vitæ piiſſimæ decurſum, Aurelijs, vbi ſacra eius lipſana religioſis honoribus (cum beata eiuſdem memoria) abhinc obſeruari cœperunt, feliciſſimo fine in Chriſto obdormiuit. de ea in natali ſancti Lupi *Die 1. Septembris, & in hac nomenclatura, vbi de ſanctis Auſtreno & Aunario.* dicta eſt etiam *Auſtregildis.*

B. Albanus vir nobilis & prædiues, cum filio ſancto Siffredo, factus in Lerinenſi aſceterio Monachus, ſanctè ibi quieuit in natali ſancti Siffredi. *29. Nouembris.*

S. Agrippinvs Epiſcopus Auguſtodunenſis: quem ſanctus Racho ad Baſilienſem ſedem tranſitutus, ſibimet ſubrogauit: beatus verò Germanus præſidem ſuæ vitæ habuit, à quo Preſbyter ordinatus eſt, ipſe poſtea ſancti Symphoriani Abbas, demúmque Pariſienſis celebertimus Antiſtes. In natali ſancti Rachonis, *25. Decembris.*

B. Aldebertus Comes Auſtrouandiæ, maritus ſanctæ Reginæ neptis Pipini Regis, ex eáque genitor Sanctarum Ragenfredis & Auæ: in Dononij Monaſterio quieſcit, in ſummo altari ſublenatus, ſunt enim ibi tria argentea ſcrinia: medium ſcilicet ſanctæ Ragenfredis, dextrum beati Aldeberti, ſiniſtrum ſanctæ Reginæ.

Albertus vnicus aſſecla ſancti Guilielmi ex Duce Aquitaniæ Eremitæ: in eius natali. *3. Iulij.*

Alfridus Archipreſbyter vir religioſus, hoſpes ſancti Gregorij Nicopolitani Epiſcopi, Pithiueris, in eius natali. *26. Martij.*

Almabertus filius ſancti *Geremari* & ſanctæ *Domanæ*, virtute ſuprà ætatem ditatus: in Aquitania diem extremum egit. Vide *24. Septembris.*

Vide vitam S. Lutrudis apud Sur. 22. Sept. c. 1.

S. ALPINVS octauus Epiſcopus Catalaunenſis ex diſcipulo ſancti Lupi Trecenſis: velator & conſecrator ſanctæ Lutrudis Virginis Sanctimonialis. *22. Septembris.*

Idem memoratur in natali ſancti Lupi. *29. Iulij.*

B. Amanus coadiutor ſancti Frontonis, in Petracoricenſium conuerſione. In Frontone *9. Nouembris.*

Anna vxor Ebroini (Regiæ domus Maioris) mulier meliori viro digna: quantum enim ille impius & crudelis: tantum iſta extitit miſericors & deuota. Quæ pura mente diuinis myſteriis aſſiſtens * *Libanium* Pariſienſem Epiſcopum ſacra facientem, facie radioſa coruſcantem conſpicere meruit. Vide *28. Maij.*

* Demochar. Tom. 2. de Sacrif. c. 38 num. 18. vbi citat Sanctorum Catalog lib. 5. cap 59 at his quæ de Libanio prodit: de ſancto referuntur Germano. vt et tribuit Fortunatus in eius vita p. 7. Verùm repugnat Ebroini Maioris ætas, qui & Libanio & Germano plus quàm 60 ann. poſterior fuit. Igitur Ebroinus, vel Ebroinus iſte alius eſt. cuius hæc Anna fuit vxor. Niſi Libanius ſit malè collocatus. nam aliòqui viſio vt à Demochare refertur, ſancto Germano non congruit, qui ingrediens domum Ebroini coruſca facie viſus eſt. Etenim Libanius dicitur Miſſam dùm celebraret apparuiſſe facie coruſcante. Et re vera ſeries Epiſcoporum Pariſienſium vulgata non eſt ſyncera. Nec enim ſanctus Germanus ſucceſſit Libanio, at Saffarace depoſito in 2. Concil. Pariſ. anno 555. vt in noſtro Chronico Eccleſiaſtico Pariſ. nondum edito obſeruauimus. Attamen in textu Martyrologij noſtri, cùm nondum rem ita accuratè diſcuſſiſſemus, vulgatam vrbanorum Epiſcoporum ordinem ſumus ſecuti.

Anſaricus Epiſcopus ſanctiſſimus Sueſſionenſis in natali ſancti Drauſij eius ſucceſſoris. *5. Martij.*

S. APOLLINARIS frater Placidinæ, Arcadij Comitis vxoris: vir eximiæ pietatis, factus Aruernenſis Antiſtes *, in ſancto Quintiano. *10. Nouembris.*

* Ado eum ſignat defunctum 6. Kal. Octobris.

Aquilina Mater Victoris Leuitæ & Martyris Ebredunenſis, in natali eius. *22. Ianuarij.*

Archarius vir famoſæ religionis, Abbas ſancti Petri, à ſancto Germano fundatore præfectus. *24. Septembris.*

S. ANTONIVS ſocius ſancti Mameti: quocum miſſus à ſancto Auſtremonio ad Aruerniæ montes fidei, ſemina felici manu illic diſperſit. Vide in natal. ſancti Auſtremonij. *1. Nouembris.*

S. AVA Virgo Abbatiſſa II. Dononienſis, filia beati Aldeberti Comitis Auſtrouandiæ, & ſanctæ Reginæ neptis Pipini Regis: Soror verò ſanctæ Ragenfredis, in ſuo Monaſterio vt ſancta colitur: eiuus factis faſtis erat dudum aſcripta.

Auguſtus venerabilis Abbas Bituricenſis: cui ſanctus Vrſinus, monens de corporis ſui repoſitione, ſæpè ſæpiùs apparuit. In Vrſino *9. Nouembris.*

S. AVNARIVS Epiſcopus Autiſſiodorenſis: frater verò ſancti Auſtreni Aurelianenſis Epiſcopi: in cuius ſequenti elogio de ipſo quoque meminimus, quem Romana diptycha, *Anacharium* inſcribunt. *Die 25. Septembris.*

S. AVSTRENVS Epiſcopus Aurelianenſis, frater ſanctæ Agiæ Matris ſancti Lupi Archiepiſcopi Senonenſis: cuius piè formandæ iuuentutis religioſus curator & prouector fuit, cum ſuo germano ſancto Aunario Epiſcopo Autiſſiodorenſi, quem ob clara ſanctitatis teſtimonia Romana Eccleſia die 25. Septembris faſtis ſuis ſacris adſcripſit. At tametſi is Auſtrenus, illis in tabulis non conſignetur, haud credendus eſt tamen inferioris fuiſſe meriti: quem vita ſanctitate inter alias ſua ætate claruiſſe, diptycha antiquiſſima perhibent Eccleſiæ *Æduenſis.*

Azelina Monialis neptis ſancti Bernardi; ac beatæ Mariæ Sanctimonialis ordinis Ciſtercienſis, (quæ ipſi poſt obitum glorioſa apparuit) perchara: in elogio beatæ Mariæ Monialis. *10. Iunij.*

B.

S. BARBARINVS Epiſcopus Lugdunenſis. In Verano. *11. Nouembris.*

B. Bartholomæus religioſus cœnobij Nazareth prope Lyram in Brabantia, cœleſti lumine irradiatus. In commemoratione beati Stephani Abbatis Obazinæ. *10. Martij.*

Benignus Aruernorum Epiſcopus ſanctitatis nomine celebris: ad quem ideo ſanctus Gonſaldus Anachoreta accedens, multum pietatis lucrum ſub eius diſciplina collegit. *5. Nouembris.*

B. Benedictus diſcipulus Petri Venerabilis: in cuius natali laudatur. *Die 23. Decembris.*

Berengarius Archiepiſcopus Veſuntionenſis ab hæreticis excæcatus, diuinè illuminatus. In natali ſancti Maioboldi Martyris. *25. Ianuarij.*

Bernardus Anachoreta non fictæ ſanctitatis, in ſaltu Vicenarum prope Pariſios, fuit Philippo Auguſto ſummoperè Venerabilis: in natali ſancti Richardi pueri Martyris. *25. Martij.*

Beor & Lucianus ſancti Epiſcopi, qui *Paterno* Abrincenſi poſtea Epiſcopo apparantes: ſeptuagenarium iam ſenem ordinare viſi ſunt, in natali eius. *16. Aprilis.*

Bertigrannus Epiſcopus Cenomanenſis, in natali ſancti Mauri Abbatis. *15. Ianuarij.*

Bertramnius & Mommolenus aſcetæ Luxouienſes, & ſancti Bertini in Apoſtolico munere prædicationis in agro Morinorum, ſub ſancti Audomati præſidio Suffragantes: collecta multa animarum meſſe cum iuſtitiæ manipulis, ouantes in cœlum euolârunt: de quibus obiter in natali Bertini. *5. Septembris.*

Bertrana Abbatiſſa Virgo ſanctiſſimæ conuerſationis, in natali ſancti Vulmari. *20. Iulij.*

Brado cœleſtis ſanctimoniæ Abbas, qui ſanctum Maelnutum Alethenſem Antiſtitem baptizauit, in filium adoptauit, & regulariter in Benehorenſi cœnobio educauit. *19. Nouembris.*

Brandanus Abbas ſanctiſſimus, in Natali ſancti Pſalmodij Eremitæ. *13. Iunij.*

C.

S. CANVTVS Daniæ Rex, Martyr, in natali Caroli Flandriæ Comitis & Martyris. *2. Martij.*

B. Candelobecus Presbyter, ſodalis ſancti Conoeonis Abbatis in Armorica: vir fuit præcipuæ ſanctitatis. De quo vbi de ſancto Connoonne, *28. Decembris.*

Caſtulus vir pius & præcipui nominis, qui Viennæ baſilicam in honorem Sanctorum Ferreoli & Iuliani Martyrum, adhuc Catechumenus ædificauit.

S. CICARTVS Epiſcopus Lugdunenſis in Verano. *11. Nouembris.*

Clodoueus Rex Francorum Protochriſtianus, piiſſimus Sanctorum viatorum venerator, & beatorum cultor. In apparatu cap. 10. & in Martyrologio paſſim. Vide Indicem rerum voce, *Clodoueus magnus.* De quo ſic Gregorius Turonenſis lib. 2. cap. 49. *Proſternebat enim quotidie Deus hoſtes eius ſub manu ipſius & augebat regnum eius, eo quòd ambularet recto corde coram eo, vt faceret quæ placita erant in oculis eius.* Ita in hiſtoria de vita ſancti Arnulphi Turonenſis: memoratur Clodoueus omnibus venerabilis, *quia Deo charus & verè Rex Chriſtianiſſimus.* quem ad ſuperna migraſſe paſſim creditum inſinuat Adrenaldus lib. 1. de miraculis ſancti Benedicti. *Sanctum* eundè appellat Iacobus Almainus Theologus Pariſienſis, de poteſtate Eccleſiaſtica & Laica part 1. quæſt 4. Et Paulus Æmil. de rebus geſtis Francorum, in Clodoueo. Nec aliter ſenſit de eo Baronius: ſic de eius feliciſſimo tranſitu ſcribit anno Chriſti 514. num. 2. *Nullum relinquitur dubium hoc ipſo Clodoueum eſſe defunctum, ipſáſque Chriſtianiſſimorum Regum Francorum Primitias Deo oblatas, in cœlum receptas.* Cui conſonat antiquus Hymnus de eodem ſancto Rege rythmica ſerie contextus ab anonymo in Chronico Manuſcripto, quod ſua habuiſſe in Bibliotheca Ioannes Sauaro Proprætor Claromontanus teſtatus eſt, ea in erudita epiſtola Ludouico XIII. inſcripta, quæ extat edita in fine Chronicorum & annalium Francorum, Pariſiis anno 1621. excuſorum: Ita enim legitur ad otam

Per hunc Chriſtus colitur,
Et multum diligitur,
In mente ſerenus.
Bene regnum regitur,
Et ſatis protenditur.
Nam nunc ceſſat Venus.
Sic ad cœlos vehitur,
Vbi bonis fruitur,
Et recipit fœnus.

D.

DANO & *Rado* fratres ſancti Audoëni Archiepiſcopi Rotomagenſis, vt generoſis natalibus, ſic ſanctis operibus clari. Rado regalibus gazis Præfectus, Radolium monaſterium fundauit, olim Abbatiali titulo præditum, poſtea congregationi Cluniacenſi coniunctum, cui nunc vſque deuinctum, Prioratus duntaxat cenſetur nuncupatione. *24. Auguſti.*

Daumuerus germanus ſancti Carileſi, eiúſque in Eremo cum Gallo eiuſdem voti ſectatore ſocius, in cuius natali memoratur. *1. Iulij.*

Dangulfus vir illuſtris & venerabilis, in natali ſanctæ Mariæ Martyris Remenſis, & eius repoſitione. *2. Ianuarij & 29. Maij.*

S. DAONATVS Monachus & Martyr, frater ſancti Deſiderij Epiſcopi Biturigenſis, de quo *8. Maij.*

S. DEONATVS Eremita in agro Treuirenſi: cuius fuit alumnus ſanctus Spunilus, de quo in Supplemento. *11. Maij.*

S. DESIDERIVS Epiſcopus Lugdunenſis in Varano. *11. Nouembris.*

S. DOMARDVS aſſecla ſancti Marculphi, *1. Maij.*

Venerabilis *Durandus* Epiſcopus Claromontanus, diſcipulus ſancti Roberti Abbatis Caſæ Dei: ob præcellentem ſcientiam & religionem, hanc ad ſedem aſſumptus: ac denique poſt pium exitum, ab Vrbano II. trecentis Præſulibus ferme proſequentibus, ob meritorum clari-

tudinem, in Eccleſia ſancti Nicolai bonorum Epiſcoporum exemplaris, tumulatus. *Vide ſuprà 24. Aprilis.*

E.

B. EARTHONGOTHA, Earcomberti Cantiæ in Anglia Regis filia: Sanctimonialis in Eboriacenſi Monaſterio diœceſis Meldenſis. Ibi in omni puritate quiauit. Commemoratur in natali ſanctæ Pharæ. *7. Decembris.*

Ebane & Saretrudis Virgines Abbatiſſæ, filiæ ſanctæ Salabergæ: ſorores autem ſanctæ Auſtrudis Virginis itidem & Abbatiſſæ: matris veſtigia ſecutæ, ad gloriam perraxerunt, in natali ſanctæ Auſtrudis. *17. Octobris.*

S. EOSLEBERGA, Annæ Regis Anglorum Orientalium filia: Monialis ſub ſancta Phara Monaſterij Brigenſis in agro Meldenſi; deinde Abbatiſſa, diuinæ vitæ ſerie, ſanctis annumerari promeruit glorioſis, in natali ſanctæ Pharæ. *7. Decembris.*

B. Edictus Epiſcopus Viannenſis, in natali ſancti Caldeodi eius ſucceſſoris. *14. Januarij.*

S. EONIVS Epiſcopus Metropolita Arelatenſis, qui ſanctum Cæſarium ſucceſſorem ſuum Preſbyterum ordinauit: Gelaſióque Papæ magni nominis charus fuit, ob clara inſignia Chriſtianæ ſapientiæ, & diuinæ religionis: à quo etiam Apoſtolicis literis honoratus, curam ſacræ commiſſerationis ſedulo conſeruandæ, Epiſcoporum Gallicanorum cum ſede Apoſtolica, accepit demandatam: expleto ſanctiſſimæ adminiſtrationis offic[io] beato fine quieuit, & ad ſanctum Honoratum ſepultus eſt: ſanctitatis ſuæ perpetua relicta celebritate.

Obiit 3. Auguſti, colitur autē annua memoria die 17. eiuſdē menſis, quibus tamen diebus ex ſtatuto neſcio quo caſu, eius nomen à ueſt.. u tabulis.

B. Emmuara ſocia ſanctæ Viuioæ Virginis in eius natali. *17. Decembris.*

S. EPARCHIVS Epiſcopus Aruernenſis, vir iuſtus & ſanctus, * cuius laudes Gregorius Turonenſis & ipſe Aruernus commendauit. Cuique ſanctus Apollinaris Sidonius, celebris ille Antiſtes, digna vice ſucceſſit: in natali ipſius Sidonij. *23. Auguſti.*

** *Eugenius* ſanctus Sacerdos in pago Partenſi; qui edocuit in lege Domini ſanctam Lutrudem Virginem poſtea Sanctimonialem, cum ſex eius ſororibus.

** Signatur in quibuſdam tabulis 30 Septembris: & in cœnobio omnium Sanctorum ſepultus quieſcit.*

*** Apud Surium 22. Sept. in vita S. Lutrudis c. 2.*

S. EVLOGIVS Epiſcopus Ambianenſis, Confeſſor: cuius memoriæ venerandæ ſacrata eſt ibidem Eccleſia. Numeratur ſecundus huius Eccleſiæ Epiſcopus. At ſi ipſe inter Firminum Martyrem & Firminum Confeſſorem medius eſt: certè vel Martyri non immediatè ſucceſſit, vel diutinum Pontificum interceſſit.

Euloſia Virgo ſanctiſſima, quam paterno amore ob Angelicæ mentis indolem & caſtimoniam præcellentem, dilexit ſanctus Lupus Archiepiſcopus Senonenſis. *1. Septembris.*

Eumorphius & Caſsius fratres ſancti Euurtij Epiſcopi Aurelianenſis, in eius natali. *6. Septembris.*

BB. Euphroſina & Theodora Virgines, quæ ſanctæ Flauiæ Domitillæ Virginis & Martyris nobiliſſimæ, ancillæ ſuæ Dominæ fidei ac patientiæ fuerunt teſtes & comites, atque participes eiuſdem victoriæ & coronæ in eius ſuſceptione apud Lemouicas, in Supplem. *7. Maij.*

Euſebia Matrona Romana nobiliſſima, quæ cùm cæca eſſet: diuino monitu in Galliam ad tumulum ſancti Quintini incognitum veniens, & illum reperit, & luminis vſum ex eius oſculo recuperauit. In natali ipſius Martyris. *31. Octobris.*

Euſebius Archipreſbyter, & *Liberius* Leuita Trecenſes, In natali ſancti Patrocli Martyris. *21. Januarij.*

Euſebius Caturcenſis Epiſcopus, impiè à ciuibus ſuis interemptus, in natali ſancti Deſiderij. *15. Nouembris.*

Euſtorgia ſancti Fulchranni Lodeuenſis Epiſcopi mater, in eius natali. *13. Februarij.*

Eutropius frater ſanctæ Mauræ Virginis, in natali eius. *22. Septembris.*

F.

B. FAVSTVS Prætorianis faſcibus illuſtris, Auguſtoduni, Chriſti nuntios Benignum, Andochium & Thyrſum ſuſcepit, atque fidei in Burgundiam propagandæ ſedulus apud eos inſtigator, primordia religionis, tam verbo quàm copiis, officiiſque prouexit innumeris. Fuit Pater ſancti Symphoriani Martyris, in natali ſancti Benigni. *1. Nouembris.*

Felix Narbonenſis celebri ſanctimonia Epiſcopus, ſancti Deſiderij Epiſcopi Caturcenſis coæuus & familiaris amicus: in ipſo Deſiderio. *15. Nouembris.*

S. FIDENTIVS * Confeſſor honoratus in Monaſterio Glanderienſi Metenſis diœceſis, vbi eius cum aliorum multorum cœlitum ſacris pignoribus conſeruantur. Nominatur in natali ſancti Digni & ſociorum. *18. Decembris.*

** Dubium videtur ſi Fidentius iſte ſit ille qui fuit tertius Epiſcopus Paduanus, cuius feſtum ſignat Molanus 16. Nouembris.*

Filius vnicus ſancti Vvaningi Confeſſoris, Monachus ab eo factus, Fiſcani: in eius natali. *9. Ianuarij.*

Filia gemina ſancti Geremari & ſancta Domana, puſſimis moribus, ſanctitatis decus promeruerunt: in natali ſancti Geremari. *24. Septembris.*

Firmus Senator Pampilonenſis, & *Eugenia* eius vxor, parentes ſancti Firmini Epiſcopi Ambianenſis & Martyris (quos ſanctus Saturninus, cooperante ſancto Honeſto Preſbytero, ad Chriſtum conuerſos, diuinóque tinctos lauacro, primitias vri illius nouallis, Redemptori hominum conſecrauit:) prouecto ad diuinorum arcanorum ac præceptorum theoriam

præfato

præfato ſuo filio, multiſque in ciuitate prædicta ad fidei cultum per pia ſtudia & opera perductis, fœliciſſimo occaſu, ad Solis perenniter orientis beatum conſpectum peruenerunt. De iis in natali ſancti Firmini. *25. Septembris.*

S. FLAVITVS Preſbyter, à ſancto Lupo Trecenſi ordinatus, fit de eo mentio pag. 1067. ſub diem *31. Decembris.*

Florentius Dauentrienſis religioſiſſimus Preſbyter, in elogio Ioannis Brinkerink Sacerdotis. *26. Martij.*

Florus dynaſta, in natali ſancti Mauri Abbatis. *15. Ianuarij.*

Fredericus, venerabilis Epiſcopus Vltraiectenſis, eximius religionis cultor, piorum fautor præcipuus. *26. Martij.*

Frigio ſanctiſſimus Preſbyter, in natali ſancti Boniti Epiſcopi Aruernenſis. *15. Ianuarij.*

Fronomius Abbas, factus ſancti Sabini ſui alumni diſcipulus, atque in eremo ſocius, in eius natali. *9. Octobris.*

B. Frontaſius ſymmyſta ſancti Frontonis, Petracoricorum Apoſtoli, in eius natali. *9. Nouembris.*

G.

GARINVS Abbas religioſiſſimus, in natali ſancti Petri Vrſeoli. *11. Ianuarij.*

B. Gaufredus nepos ſancti Hugonis Cluniacenſis, & *beati Raynaldi* ibidem aſcetæ deinde Archiepſcopi Lugdunenſis: ex Sinemuri Toparcha, factus humilis Cluniaci Monachus, ibidem in magna ſanctitate quieuit. Vide in Petro Venerab. *25. Decembris.*

Geldwinus vir Gallus nobilis, Chriſto diu militauit, & digitum ſancti Stephani Protomartyris acceptum ab Edeſſeno Archiepiſcopo, Frontmundo Cluniacenſi Monacho Antiochiæ dedit. *3. Auguſti.*

Geneſius Sanator Aruernus, in natali ſancti Preiecti Martyris. *25. Ianuarij.*

S. GENGVLPHVS collegiatam habet Eccleſiam apud Tullum Leucorum: cuius canoniam dotauit ſanctus Gerardus eiuſdem ciuitatis Antiſtes, ſolemniter à ſancto Leone IX. Papa (qui quartus poſt eum Tullenſi Eccleſiæ præfuit,) in Sanctorum catalogum relatus. Vide *23. Aprilis.*

Gerardus magnus Leuita Euangelicus, qui Belgicam Galliam Apoſtolicis fulgoribus repleuit. In elogio Ioannis Brinkerinck Sacerdotis. *26. Martij.*

Gerardus dictus *Armannus*, Monachus Cluniacenſis, ac alumnus Petri Venerabilis, in eius natali laudatur. *25. Decembris.*

Gerbertus Monachus ſapiens & religioſus, in natali ſancti Maurilij. *9. Auguſti.*

Germanus & *Germanio* eius nepos: viri ambo ſanctiſſimi, qui ſancti Patricij Eremitæ deſertum petentis in finibus Æduorum ſocij extiterunt. An ſit hic patricius idem, qui Epiſcopus Niuernenſis, inter ſanctos huius Eccleſiæ Pontifices honoratur, ſecundúſque ordine cenſetur: non ita eſt exploratum. *24. Auguſti.*

Goduinus Bretolij Comes, & Carnuti Vicedominus, pius, Bretolienſis cœnobij in ſolo Bellouacenſi fundator, & cultor deuotus memoriæ ſancti Conſtancij Confeſſoris, cuius ſacra lipſana ex vico Cenomanorum Gabronico, reuerenter ad præfatum ſuum Monaſterium tranſuexit: Ibidem quieſcit vir deuotus, de quo in natali ſancti Conſtancij. *2. Decembris.*

S. GRATIANVS diſcipulus ſancti Cleti Papæ & Martyris, ab eo miſſus in Galliam præco Euangelicus, prædicatâ fide, collectâ plebe, erectâ ſede Epiſcopali apud Telonem Martium in Prouincia, primus ibi Pontifex quieuit. De eo obiter fit mentio pag. 1039. ſub diem *26. Decembris.*

B. Gregorius Monachus Cluniacenſis diſcipulus Petri Venerabilis, qui eum vitæ immaculatæ virum celebrauit. In natali ipſius beati Petri. *25. Decembris.*

B. Guigo, magnus Cartuſiani cœnobij ordiniſque Præfectus, vir doctrina & vitæ integritate conſpicuus, in natali ſancti Godefridi Ambianenſis Epiſcopi. *8. Nouembris.*

Guingalocus & *Tudinus*, viri ſanctæ exiſtimationis: præſentati, cum ſancto Corentino, beato Martino Metropolitano Turonenſi, vt quem vellet horum trium, ad Coriſopitenſem Epiſcopatum promoueret. In natali ſancti Corentini. *12. Decembris.*

H.

B. HELISBATVS ſanctiſſimus Anachoreta, quem ob celebritatem vitæ puriſſimæ, in ſolitudine ſua (quæ erat in inſula Britanniæ minoris) ſanctus Marculphus Preſbyter & Abbas inuiſit, vt in natali inſinuatum eſt ipſius ſancti Marculphi, die *1. Maij.*

Heloyſia Dynaſta Pithinerenſis, matrona nobilis & pia: in natali ſancti Gregorij Nicopolitani Epiſcopi. *26. Martij.*

Helias Præcentor Lemouicenſis, vir ſanctitatis eximiæ: in tranſlatione ſancti Iuſti cuius auctor fuit. *27. Iulij.*

S. Hslias Apoſtolicæ vitæ ſectator, ſodalis ſancti Liuini Epiſcopi & Martyris, einſdémque cum Foilano & Kiliano adiutor io Flandrornm conuerſione: in natali ſancti Liuini. *12. Nouembris.*

S. Halynvs Confeſſor, cuius reliquiæ conditæ ſunt in ſacrario matricis Eccleſiæ Trecenſis. *5. May.*

Hemalaidis ſoror ſancta Rayneldis, in eius natali. *16. Iulij.*

Henricus Canonicus Tornacenſis, cui ſanctus Aichartus poſt felicem migrationem apparens cum ſanctis Eleutherio & Eligio, reſtitutionem Epiſcopalis Sedis Tornacenſis prædixit: epigraphéque in fronte radioſa patefecit, quomodo in Chriſti nomine vitam defuncto reſtituerat. In ipſo Aichario. *27. Nouembris.*

Henricus Vltraiectenſis ciuis: vir iuſtus & timoratus, deuotus ſanctæ Barbaræ, eius ope viuus ereptus ab immani incendio, ſanctiſſimè moritur, ſacris munitus & ſpe felicitatis æternæ lætificatus. *4. Decembris.*

Hercoldus vir Primarius, ſancto Dionyſio ſibi infirmo apparente & mouente, corpus ſancti Eugenij ex aquarum vorticibus euexit, & in extructa à ſe Baſilica honorificè condidit. In Eugenio. *15. Nouembris.*

Herimanus venerabilis Epiſcopus Metenſis (ſchiſmatis contra Gregorium VII. conflati, acerrimus impugnator: & vnitatis Eccleſiæ pro qua exilia paſſus eſt, inuictus aſſertor) qui corpus ſancti Clementis primi Epiſcopi Metenſis, ſolemniter tranſtulit. *2. May.*

S. Hethsrivs, vel Evthsrivs Carnotenſis magnæ religionis Pontifex: deceſſor ſancti Leobini, in eius natali. *15. Septembris.*

B. Hildegardis Virgo & Abbatiſſa Bingenſis, quæ ſancti Diſiobodi Epiſcopi res geſtas deſcripſit. In eius natali, in Supplemento. *8. Iunij.*

Hildeuaris nobilis & pia matrona, ſanctæ Odæ tumulum magnificauit. In natali ſanctæ Odæ. *27. Nouembris.*

BB. Hilduardus & Bodo Epiſcopi Tullenſes: quorum ſanctus Iacob eiuſdem ſedis Antiſtes, ſancta exempla imitabatur, in eius natali. *23. Iunij.*

Hugo Burgundiæ Dux, qui cœleſti amore mundum relinquens, reſignatâ fratri Dynaſtiâ, habitum religioſæ paupertatis induit Ciſtercij.

SS. Hyspansvs, Vrsicinvs, Aldagvndvs, Ioannes, Victor, Iober & Garvntivs commemorari debuerant in natali SS. Virginum Mauræ & Brigittæ Martyrum, quarum fuerunt conſortes.

I.

Iffridvs Epiſcopus Raceburgenſis, diſcipulus & ſucceſſor ſancti Euermodi, in eius natali. *7. Februarij.*

B. Ingenocus frater ſancti Vinoci Abbatis, eiúſque egregius imitator. In eius natali. *6. Nouembris.*

S. Innocentivs* Epiſcopus Cenomanenſis, cuius ſanctitatis celebritas, ſanctum Herueum poſtea Abbatem, cum ſociis ad ipſum attraxit. *9. Auguſti.*

* *Signatur eius natalis in tab. Eccleſiæ Cenoman. 19. Iunij.*

Irenæus primus fidelis Veſuntione: qui fundum ad ſacræ ædiculæ ædificium ſancto Piatoni Neruiorum Apoſtolo dedit. In eius natali. *1. Octobris.*

K.

B. Kadenocus frater ſancti Vvinoci Abbatis, eiúſque in deſpectu auiti Principatus, patriæque diſceſſu, ac amplexu religioſæ vitæ ſodalis, in natali ſancti Vvinoci. *6. Nouembris.*

L.

Lationvs ciuis Cabilonenſis, cum tota familia, à ſancto Marcello huius ciuitatis Apoſtolo ac Protomartyre, ab idolomania, ad purum veri numinis cultum Chriſti ſcilicet agnitionem & profeſſionem conuerſus, fidei primitias ex hac ciuitate primus piè moriens cœlo feliciter intulit.

S. Latro nomine, re vera autem non Latro, ſed lator potiùs gratiæ & iuſtitiæ, omniſque ferax homo virtutis, filius fuit ſancti Genebaldi Epiſcopi Lauduneſis, ex furtiuo complexu, coniugis ante ſacerdotium ductæ, herέſque Pontificiæ dignitatis, non iure ſanguinis, ſed præcellentis fidei & pietatis merito. *5. Septembris.*

B. Leodebodus Abbas ſancti Aniani Aurelianenſis, vir multæ pietatis, in natali ſancti Mummoli. *8. Auguſti.*

S. Lagoncivs, ſeu Legontivs tertius Epiſcopus Aruernenſis, quieſcit in propria ſui nominis Eccleſia, in qua tria ſunt altaria: nempe primum ſanctæ Mariæ, ſecun-

dum ſancti Michaëlis, tertium ſancti Iuliani: memoratur in natali ſancti Illidij.

9. Iulij.

Leodegonta vxor Agnerici Comitis Burgundiæ, Sanctorúmque Valberti ac Pharonis, Epiſcoporum Meldenſium: & ſanctæ Pharæ Virginis Abbatiſſæ Eboriscenſis in agro Meldenſi, mater; fœmina fuit non modò perilluſtris, ſed & piiſſima. In natali ſancti Pharonis:

28. Octobris.

Leubella matrona deuota, cui diabolus fictitiè apparens, ſanctum Martinum ſe eſſe mentitus eſt, ſed fides dolum eluſit. In Patroclo, *19. Nouembris.*

B. Leucadius, ſeu *Leocadius* Senator, pater beati pueri Luſoris, ſanctíque Vrſini Bituricenſis primi Epiſcopi, ſpiritualis filius ac egregius cultor: primus fuit in eo tractu Chriſtianæ pietatis fautor, ac propagator feruentiſſimus: qui ſepultus in pago Dolenſi, cum filio beatiſſimo, multam ſuſcepit diuinitus ad tumulum ſuum clarificationem. De quo in Luſore.

4. & 9. Nouembris.

Leucianus & Beor ſancti Epiſcopi, qui ſancto Paterno Abrincenſi poſtea Epiſcopo apparentes: ſeptuagenarium iam ſenem ordinare viſi ſunt, in natali eiuſdem. *19. Aprilis.*

Deudomarus & Rachildis pij & illuſtres parentes ſancti Drauſij Epiſcopi Sueſſionenſis. In eius natali. *5. Martij.*

Leutrudes vxor Ebroini Maioris domus, pia fœmina, in natali ſancti Drauſij Epiſcopi Sueſſionenſis. *Ibidem.*

Libanius Pariſienſis Epiſcopus, quem diuina celebrantem, Anna Ebroini * vxor, fulgida facie nitere conſpexit. *28. Maij.*

* *vel Ebronij, aut Ebronij.*

Liliola Abbatiſſa religioſiſſima, informatrix ſanctæ Cæſariæ Virginis & Abbatiſſæ Arelatenſis, quæ ei ſucceſſit. *16. Auguſti.*

B. Lobemellus in ſolitudine Rorbenenſi in Armorica, ſancti Conuoionis ſocius. Vide

28. Decembris.

Lucina Matrona religioſiſſima, in natali ſancti Sebaſtiani Martyris. *20. Ianuarij.*

S. LVDOMERVS condignus germanus ſancti Elaphij Epiſcopi Catalaunenſis, eiúſque ſucceſſor, quem adhuc mortalem Sigebertus Rex vt ſanctum veneratus eſt. *19. Auguſti.*

Ludouicus Pius * Francorum Rex Imperatórque, in natali ſancti Anſcharij Epiſcopi.

3. Februarij.

Hic PII cognomen poſt mortem à Patribus Pariſienſis Synodi, necnon Meldenſis recepit: CHRISTIANISSIMI à Patribus Aquiſgranenſis Concilij: & Mitiſſimi, ab Agelomo in libros Regum.

* *Sepultus Metis 20. Iunij anno 840. ad ſanctum Arnulphum.*

B. Luitwinus Archiepiſcopus Treuirenſis, in natali ſancti Clodulphi Epiſcopi. *8. Iunij.*

Lupentius Presbyter ſancti Maximini Treuirenſis Epiſcopi ſpiritualis filius, à quo edoctus, ordinatus, & rurali Eccleſiæ præfectus eſt. *29. Maij.*

Lupus hoſpes ſancti Iuſtini Martyris, vir pius, in illius Martyris natali. *1. Auguſti.*

M.

S. MAGNVS Epiſcopus Auenionenſis, pater deceſſórque ſancti Agricoli: quo cum ſacris honoribus celebratur: vtriuſque oſſibus pretioſis, in argenteis vrnis ſub maiori ara reconditis, & omni cum veneratione obſeruatis, in baſilica ſanctæ Mariæ. Vide

3. Septembris.

Maiolus celebris ſanctimoniæ Abbas cœnobij ſanctæ Crucis in ciuitate Meldenſi: auctor eleuationis corporis ſanctæ Pharæ Virginis, in cuius natali nominatur.

9. Decembris.

B. Malardus Epiſcopus Carnutenſis, in natali ſancti Launomari Abbatis Bleſenſis.

19. Ianuarij.

B. Malo ſecundus Epiſcopus Pariſienſis ex ſancti Dionyſij diſcipulo: poſt eius & ſociorum paſſionem & fidelium diſperſionem, ad gregem colligendum, & afflictam nouellam Eccleſiam (quòd Apoſtolica virtute & gratia præcelleret) fouendam & erigendam, à ſancto Regulo conſtitutus, nouus paſtor credito munere ſtrenuè perfunctus, commendata *Maſſo* ſucceſſori benè culta Domini hæreditate, ad præmium euolauit. *30. Martij. & 9. Octobris.*

S. MAMETVS aſſecla ſancti Auſtremonij, à quo cum ſancto Antonio miſſus ad Aruerniæ montes, incolas diuinis prædicationibus Chriſto conciliauit. *In Supplemento.*

S. MARCELLINVS diſcipulus ſancti Iacobi primi Epiſcopi Tarentaſiæ, in Gallia Narbonenſi; eiuſdémque in ſacro munere hæres: vir probatæ virtutis & gratiæ, qui etiam Auguſtæ Prætoriæ Salaſſorum Eccleſiam, fide, verbo, vitáque ſanctiſſimâ peperit. In Supplemento,

16. Ianuarij.

Margarita Comitis Prouinciæ filia, ſancti Ludouici Regis Chriſtianiſſimi digna coniux; poſt cuius ad ſupernas ſedes tranſitum, cœnobio Clariſſarum Monialium (quod fundauit in ſuburbio ſancti Marcelli Pariſiis) diuini famulatus affectu, & cœleſtium meditationum ſtudio ſe adiungens, ibidem in omni pietate conſummata quieuit: Maritíque cuius ſanctiſſima facta per Ioannem Ianuillæ dominum alióſque fideles eius vitæ teſtes, non ſolùm deſcribi curauerat; ſed propriis

actibus imitari ſemper ſtuduerat : optatum in cœleſti regno (quod terreſtri, cum eo iugiter prætulit) conſortium magnis pro meritis conſecuta eſt. De ea fit mentio in natalibus ſancti Theobaldi, & 8. Iulij, & 25. Auguſti.

S. MARSVS Presbyter, ſancti Peregrini Româ miſſi in Galliam ſocios, inque nouali Autiſſiodorenſis agri proſcindendo præcipuus cooperator, cum Corcodemo Diacono, Alexandro & Iouiniano Subdiaconis, ac Iouiano Lectore. 16. Maij.

Martinus Sedaciaci Abbas ſanctitatis fama celebris, in natali ſancti Eparchij. 1. Iulij.

Maſſus tertius Pariſiorum Antiſtes, * qui Viſbium, Liſbij & Larciæ Martyrum filium baptizauit : & Eccleſiam in tantis preſſuris adoleſcentem, ſedulò curauit & prouexit.

* Hilduinus in paſſio. ſancti Dionyſij c. 33.

Mater ſancti Clari Abbatis Vienenſis, pia vidua, in eius natali laude digna memoratur. 1. Ianuarij.

Mathildis piiſſima Anglorum Regina, voto obſtricta : ſcriniolum pretioſiſſimum, ad recondendum Dominicam Sindonem, religioſo munere obtulit, Abbati Baſilicæ Sanctorum Cornelij & Cypriani apud Compendium. Vide annotationem ſubiunctam elogiis Sanctorum. 21. Octobris.

Matthæus Pater ſancti Iuſtini Martyris : Chriſtianæ pietatis eximius cultor. In natali ipſius Iuſtini. 1. Auguſti.

B. Maurontus Dux : qui poſtea Broyli Abbas, commemoratur in natali ſancti Amati. 13. Septembris.

Maximus Geneuenſis Antiſtes, exploratæ ſanctitatis, in natali ſancti Theoduli. 16. Auguſti.

B. Modocus, ſancti Vuinoci Abbatis frater, cum quo deſertâ patriâ, paternóq. deſpecto principatu, crucem poſt Chriſtum ferendam ſuſcipiens, in palæſtra religionis agonem glorioſum peregit. In natali ſancti Vvinoci. 6. Nouembris.

S. MODOALDVS Epiſcopus Treuirenſis, ſanctimonia conſpicuus : ſancto Deſiderio Cadurcenſi Epiſcopo, piarum literarum commercio coniunctus : memoratur in ſancto Deſiderio. 15. Nouembris.

SS. MOMMOLENVS & BERTRAMNVS, aſcetæ Luxouienſes, & ſancti Bertini in Apoſtolico munere prædicationis, in agro Morinorum (ſub ſancti Audomari præſidio) ſuffragatores, collectâ multa animarum meſſe, cum iuſtitiæ manipulis, ouantes in cœlum euolârunt. De quibus obiter in natali ſancti Bertini. 5. Septembris.

O.

ODOBERTVS ſanctæ vitæ Abbas Moduinienſis, ad quem ſanctos Clarus Eremita deinde & Martyr ſe conferens, ſtrictioris obſeruantiæ monaſticæ didicit theoriam. In natali ſancti Clari. 4. Nouembris.

Oſbertus venerabilis Abbas Augæ in Normania, vbi ſanctum Laurentium Dublinienſem Epiſcopum Hiberniæ Primatem, viatico cœleſti, properantem ad exitum muniuit. In natali ſancti Laurentij Dublinienſis. 14. Nouembris.

P.

Papianilla Auiti Imperatoris filia, coniux piiſſima Apollinaris Sidonij Senatoris & Patricij, poſtea Epiſcopi Aruernenſis : miſericordiæ eius conſcia in pauperes, & prouectrix eiuſdem pietatis eximia, ac ſanctorum prorſus officiorum ſtudioſa operatrix : viriſque ſanctiſſimi ex coniuge ſoror germaniſſima, imò filia pij Patris chariſſima : & quod magis eſt præcordialis Chriſti ancilla, & pauperum aſſidua conſolatrix. 23. Auguſti.

S. PASCHARIVS * Epiſcopus Nannetenſis, prædicator verbi Dei feruentiſſimus. In natali ſancti Hermelandi Abbatis. 25. Martij.

* Paſchaſius, vel etiam Paſcharius à nonnullis inſcribitur. Colitur autem Nannetis 10. Iulij. vide Supplementum.

Pater ſancti Stephani de Mureto Grandiſmontenſis ordinis, auctoris, vir religioſiſſimus, in illius natali. 13. Februarij.

S. PATRICIVS vir Apoſtolicæ virtutis, ſecundus fuit Niuernorum Epiſcopus, quem ſui abſcedentis loco, ſanctus Auſtremonius cùm rediret ad Aruernos, Epiſcopum conſtituit. In eius natali. 1. Nouembris.

S. PATRICIVS Epiſcopus Baiucenſis, cui ſanctus Vigor compar meritis ſucceſſit. In huius natali. 1. Nouembris.

S. PATROCLVS Abbas, quem ad Diaconatus honorem, ſanctus Arcadius Epiſcopus Bituricenſis prouexit. 1. Auguſti.

S. PAVLINVS Confeſſor, qui Aruernis in Eccleſia ſancti Marcelli, cum ſancto Marcello, ſub titulo exploratæ ſanctitatis, conditus requieſcit.

Pelagia pia Mater ſancti Aredij Abbatis, qui eius aſſenſu ſectator Crucifixi factus, copioſum patrimonium in pauperes diſtraxit. *26. Auguſti.*

Perpetua mater ſancti Nazarij Martyris, Chriſtianis ſacris à ſancto Petro initiata, cum viro ethnico de religione pio æſtu conflictabatur. In Nazarij natali. *28. Iulij.*

Pompeius beatæ memoriæ Sacerdos, ſanctæ Odæ coniugis Boggi Duci Aquitanorum Sacellanus: in eius natali. *23. Octobris.*

Pomponia matrona prædiues, à ſancto Patricio Eremita, cœleſti amore inflammata: cui & ſodalibus, ipſa cœnobium in agro Niuernenſi conſtruxit. *24. Auguſti.*

S. PONTIVS, Patronus Monaſterij ſuburbani Nicienſis, in cuius Eccleſia ſanctus Siacrius Epiſcopus Confeſſor requieſcit, de quo in Supplemento. *23. Maij.*

Porcharius Abbas Lerinenſis ſanctiſſimus, in natali ſancti Cæſarij. *27. Auguſti.*

S. POSSESSOR Epiſcopus Conſtantienſis, Leontij, ſeu Leonati, ſucceſſor; anteceſſor autem ſancti Laudi: in eius natali. *21. Septembris.*

Precia & Victorina, quæ filiæ ſancti Goërici, pietatis ſtudiis & virginitatis illibato decore, venuſtatem corporis & eximiam mentis indolem admodum colluſtrauerunt. In natali ſancti Goërici. *19. Nouembris.*

S. PROBATIANVS, aliàs PROBIANVS Epiſcopus Metropolitanus Bituricenſis, ſancto Germano Pariſienſi ſynchronus, quo cum ſancti Vrſini tranſlationem, ex diuina reuelatione peregit, Romæ mortuus, in Laurentiana Æde via Tiburtina ſepultus eſt. De quo vide in Vrſino. *9. Nouembris.*

Q. Nihil.

R.

RACO Aruernorum Antiſtes, qui Aſſumptionem ſanctæ Mariæ Virginis ſolemnem in ſua Eccleſia inſtituit: & ſanctum Robertum primum Abbatem Casæ Dei cœnobij (quod ſolemniter dedicauit) conſtituit. vide *24. Aprilis.*

B. Radulphus Monachus Cluniacenſis ſub regimine ſancti Petri Venerabilis: magna illic pietate claruit. Nominatur in natali ipſius ſancti Petri. *25. Decembris.*

B. Raynaldus nepos ſancti Hugonis Cluniacenſis: diſcipulúſque Petri Venerabilis, qui eiuſdem, facti deinde Archiepiſcopi Lugdunenſis, fatiſque functi, epitaphium laudibus plenum eximiæ pietatis, exarauit. Vide in Petro V. *25. Decembris.*

Reginotrudis Theodoberti Regis Francorum filia, coniux piiſſima Theodonis Boiorum Principis: ſeduláque eiuſdémque ac illius gentis conuerſionis procuratrix; ac felix tandem (Deo iuuante) operatrix. In natali ſancti Ruperti Epiſcopi. *27. Martij.*

Regulus diſcipulus & ſucceſſor ſancti Lutuini primi Epiſcopi Sagienſis. In eius natali. *20. Iunij.*

Remilla Eugenia, Anſelmundi Ducis filia, Virgo ſacra. In natali ſancti Philippi Epiſcopi Vienenſis. *3. Februarij.*

Robertus de Sorbona Canonicus ac Theologus Pariſienſis, ſancto Ludouico Regi chariſſimus, ôbque eximiam doctrinæ & pietatis lucem admodum venerabilis. Qui Collegium Sorbonæ toto orbe celeberrimum, maximo Chriſtianiſſimi regni ornamento, vniuerſæque Chriſti Eccleſiæ commodo, Pariſiis inſtituit: opuſcula nonnulla quæ in Bibliotheca Patrum leguntur, *de conſcientia, de confeſſione, de itinere Paradiſi*, ſuæ piæ & eruditæ mentis monimenta, edidit, & tandem finitâ meſſe ſanctæ operationis, ad præmium æternæ quietis & gloriæ euocatus, feliciter in Chriſto obdormiuit. In natali S. Ludouici. *25. Auguſti.*

S. RODOALDVS Treuirorum Antiſtes, (quem alij Modoaldum eſſe volunt) nominatur in natali Sanctarum Virginum Irminæ & Adelæ. *24. Decembris.*

B. Roricus Epiſcopus Vceticenſis in Gallia Narbonenſi: Præſul notæ ſanctitatis, ad quem ob hanc celebritatem ſanctus Firminus qui ſucceſſor eius demum fuit, acceſſit, vt pleniùs edoceretur, & ſanctis informaretur exemplis. In Firmini natali. *11. Octobris.*

S. ROSAMVNDA, coniux Ioannis Dyoaſtæ Vernonenſis ad Sequanam, viri tam religioſi quàm fortis & illuſtris: ipſa verò fœmina ſingulari pudicitia, eximiáque pietate, deuotione & charitate conſpicua; quæ miſericordiæ officiis, meruit eſſe mater ſancti Adiutoris, ex ſtrenuo milite, religioſiſſimi Eremitæ & Confeſſoris, (quo cum honoribus ſacris etiamnum, eo in loco, coli aſſeueratur) etiamſi feſtum diem proprium non habeat, nec alia ſuperſint vitæ eius monimenta, quibus vberiùs merita eius pateant, quam ex geſtis ſancti ipſius Adiutoris Vernonenſium olim Domini, at glorioſi iam apud Deum aduocati ac protectoris. De quo fusè dictum die ipſi propria, quæ ſignatur hoc in Martyrologio, pridie Kalendas Maij. Hoc eſt *die poſtrema Aprilis.*

S. RVFINIANVS Epiſcopus Baiocenſis: qui diuino nutu, deſignatum ſanctum Lupum poſt ſe Epiſcopum, Sacerdotem ordinauit. Commemoratur in eius natali. *25. Octobris.*

S.

SANCTIMONIALES *centum & ſexaginta*, ad præmium cum ſancta Aurea eorum Abbatiſſa diuinitus vocatæ. In natali ſanctæ Aureæ. *4. Octobris.*

Sarabertus Preſbyter Deo charus, cui facta eſt reuelatio corporum Sanctorum Landoaldi & Landradæ, Iuliani & Adriani. *17. Iunij.*

B. Scariberga Virgo Remenſis, nobilis & deuota; ſponſa ſancti Arnulphi, poſtea Epiſcopi Turonenſis & Martyris: quo cum virginitatis æternum fœdus pepigit, à quo etiam conſecrata & velamine ſacro amicta eſt poſt cuius necem, vitam religioſam ac ſolitariam complexa, in agello ſyluæ Aquilinæ tractus Carnutenſis, ad obitum vſque ſtrenuè in omni perfectione ſanctitatis perſeuerauit. In ſancti Arnulphi natali. *18. Iulij.*

Sedula piiſſima mater ſanctæ Mauræ Virginis Trecenſis. In eius natali. *22. Septembris.*

B. Segerus, ſeu Sigerus, Inſulenſis, ordinis Prædicatorum director *beatæ Margaritæ* Iprenſis: ſanctitatis opinione clarus, ſuo in ordine habetur, & in elogio prædictæ beatæ commemoratur. *20. Iunij.*

Serenus & Blanda coniuges, pro fide Chriſtiana exules parentes ſancti Eleutherij Epiſcopi Tornacenſis. In eius natali. *20. Februarij.*

B. Seuerinus qui ſancto Frontoni ad Petracorienſes Chriſto ſubigendos ſtrenuè collaborauit. In eiuſdem Frontonis natali. *9. Nouembris.*

S. SVLPITIANVS ſecundus Epiſcopus Bituricenſis, fundator Eccleſiæ ſanctæ Crucis, vbi quieſcit. Memoratur in natali ſancti Itherij Epiſcopi. *25. Iunij.*

Sex filij & filia vnica ſancta Adeleydis, ſeu Alethæ, genitricis ſancti Bernardi, ſub ſacra profeſſione, æterna præmia promeruerunt. In eiuſdem Alethæ natali. *4. Aprilis.*

B. Sidonius magnæ ſanctitatis Abbas Rotomagenſis, qui ſanctum Leufredum inſtituit: in eius natali. *21. Iunij.*

B. Siluanus, ſancti Frontonis ſodalis. *9. Nouembris.*

** Notatur tamen è ſladio egreſſus in quibuſdam tabulis, 5. Februarij.*

S. SIMPLIDAS, vel Simplidas * Epiſcopus Viennenſis Martyr. In ſancti Paſchaſij ſui ſucceſſoris natali. *22. Februarij.*

S. SIRENATVS diſcipulus ſancti Auſtremonij, eiúſque, in conuerſione Aruernorum cooperator, colitur ad Thery pagum, vbi auctor extitit ſuſceptæ religionis. In natali ſancti Auſtremonij. *1. Nouembris.*

Siniardus filius ſancti Sigiranni, omni ſanctitate imbutus, perfectæ vitæ viuum extitit ſimulachrum. *4. Decembris.*

Sodales ſancti Deodati, ex Epiſcopo Niuernenſi, Eremitæ: pij voti ſtudioſi, in eius natali. *19. Iunij.*

Spinulus, Ioannes & Benignus, ſodales in monte Vogeſo ſancti Hidulphi Epiſcopi Treuirenſis, & poſt abdicatum Præſulatum anachoretæ. In eius natali. *11. Iulij.*

Squirius Præſes Petracoricenſis, ex perſecutore ſancti Frontonis, & Chriſti fidelium hoſte, diuinâ gratiâ factus eſt (ſuſceptô fidei ſignaculô) ſyncerus Chriſti ſeruus, ſancti illius Pontificis humilis venerator, Chriſtianorúmque amator, ac auxiliator præcipuus. Horum enim inopiam copioſa munificentia ſubleuauit: & ædificandæ primæ Eccleſiæ ſub titulo ſancti Stephani, ipſimet Frontoni locum & opem præbuit. In natali ſancti Frontonis. *25. Octobris.*

Stephanus Preſbyter, qui diuinè afflatus, futurum Epiſcopum, ſanctum Lupum (quem conſecrabat ſanctus Rufinianus) Sacerdotem, publicè prædicauit. In ſancti Lupi natali. *25. Octobris.*

** Molan. in Belgico indic. notat hunc obiiſſe Kalend. Martij.*

Stoëbelus Magalonenſis Epiſcopus, cui facta eſt diuinitus reuelatio felicis migrationis ſancti Benedicti Anianæ Abbatis in Septimania. In natali ipſius ſancti Abbatis. *11. Februarij.*

S. SVVITBERTVS * Friſonum & Batauorum Apoſtolus. In natali ſancti Vvileici Preſbyteri. *2 Martij.*

T.

TARSIA Virgo ſacra, ſanctæ Marcianæ itidem Virginis ſodalis. In ſupplemento. *2. Nouembris.*

Theocrita vidua religioſiſſima: quæ Arelate ſanctum Ægidium Confeſſorem, ſuo hoſpitio, non ſine fœnore miſericordiæ, excepit. Nam beatus ille hoſpes (ſicut quondam Elias, atque Eliſeus) hoſpitalitatis vicem ipſimet viduæ rependit, ſanatáque eius filia, quæ trienni febre æſtuabat: veriſſimum illud oraculum diuinæ vocis, oſtendit. *Qui recipit Prophetam, mercedem Prophetæ recipiet.* memoratur autem Theocrita, in natali ipſius ſancti Ægidij. *1. Septembris.*

Theodomirus Abbas Miciacenſis, cuius animam ſanctus Liephardus ſupernè inter Angelorum agmina efferri conſpexit. *3 Iunij.*

Quieſcit Atrebatii in ſancti Vedaſti baſilica, cuius fundator.

Theodoricus Rex Francorum pius, munificus: Sanctorum Auſberti & Vindiciani, ſanctuaria cauſâ amicus: fuerat Monachus in ſancti Dionyſij cœnobio. *6. Februarij, & 11. Martij,*

BB. Theodorus & Sindinus, ſeu *Siclinius*, continuâ ſerie Metropolitæ Senonenſes, cum ſancto Ambroſio proximo poſterioris ſucceſſore: ob radiantia merita ſanctitatis, ſepulti ſunt hono-

rificè in Eccleſia Sanctorum Martyrum Geruaſij & Protaſij apud Senonas, de iis in natali ſancti Ambroſij. *4. Septembris.*

B. Thetberga Virgo, filia ſancti Bodonis, ante ſacerdotium vxorati; poſtea verò Epiſcopi Tullenſis: à quo, Monaſterio Sanctimonialium præfecta, oleo & igne inſtructam lampadem geſtans, eius præluxit, & in occurſum cæleſtis ſponſi properauit. In natali ſancti Bodonis. *11. Septembris.*

Treiecius notæ ſanctimoniæ Abbas: qui ſanctum Lætum induit ſchemmate religionis, & omni etiam pietate informauit. In natali ſancti Læti. *6. Nouembris.*

V.

VERDAMVS anachoreta religioſiſſimus: ad quem ſolitariè degentem ad Guardani ripam fluminis, tranſmiſſo Rodano, ſanctus Ægidius vt tanti magiſtri diſcipulus fieret, non ignaui acceſſu, nec receſſu, ſe contulit.

B. Viator ſocius in deſerto ſancti Auiti, de quo *17. Iunij.*

Victor Gratianopolitanus Præſul exploratæ ſanctitatis. In natali ſancti Theoduli. *17. Auguſti.*

Vila mulier deuota: cui ægrotæ beatiſſima Deiparens apparens, montem in quo apud Vellanos Eccleſia ſui nominis ædificaretur celebris deſignauit: & ex obedientiæ merito plenam contulit, Chriſto largiente, ſoſpitatem. In ſancto Georgio Anicienſi. *9. Nouembris.*

B. Vincatonus, ſancti Conuoionis Abbatis diſcipulus, in eius natali nominatur. *28. Decembris.*

Vir Pius anonymus, qui diuina iuſſione compulſus reuelatum ſibi ſanctæ Auſtrebertæ corpus, vt eleuaretur ad cultum, beato Hugoni Rotomagenſi Epiſcopo ſignificauit. In tranſlatione ſanctæ Auſtrebertæ. *19. Octobris.*

S. VITO, * ſeu VVINTO, in cuius honorem inſignis Abbatia Virduni ſacrata eſt: eo loco vbi dudum beatus Sanctinus primus Epiſcopus primum, altare ritu Chriſtiano conſtruxit: cuius cœnobij Abbas fuit *beatus Richardus*, de quo inter Pios. *14. Iunij.*

* *Videtur is eſſe, Sanctus ille Epiſcopus Virdunēſ. qui ab aliis Scriptoribus Vidonus, ab aliis Vitonus appellatur.*

S. VRBICVS Claromonij ciuium ſalutis ſecundarius curator: proficiſcente ad Niuernenſes ſancto Auſtremonio, demandatam ab ipſo geſſit pro tempore eius abſentiæ, nouelli gregis tutelam.

Vrbitius ſocius ſancti Liephardi in ſolitudine. *3. Iunij.*

B. Vvalbertus Abbas Luxouienſis, ſub quo ſanctus Frodobertus, mira gratiæ ſibi datæ lumina prodidit. Nominatur in eius natali. *31. Decembris.*

Vvalterus diſcipulus ſancti *Teuteny* Abbatis Foſatenſis, eiúſque in Remenſi ſolitudine ſocius, in natali eiuſdem. *13. Septembris.*

Vvaribarius religioſiſſimus aſceta: qui ſancto Cerannio Pariſienſi Epiſcopo, Martyrologium adornanti, Tergeminorum Martyrum acta pura inſcripſit ac tranſmiſit. *27. Septembris.*

Vvidmarus Eremita, inſtitutor ſancti Benedicti Anianæ Abbatis. In eius natali. *12. Februarij.*

Vvitgerus, Pater ſanctæ Rayneldis Virginis, & maritus ſanctæ Amalbergæ, æquè piiſſimus ac nobiliſſimus. *16. Iulij.*

S. VVLBIANVS Epiſcopus Confeſſor, cuius reliquiæ coluntur Trecis. *5. Maij.*

B. Vvlfredus vir egregiæ pietatis, ſodalis ſancti Heruæi anachoretæ in eremo. De quo in natali eiuſdem Heruæi. *17. Iunij.*

Vvonedulphus venerabilis Sacerdos, qui Decanus Anderlacenſis Eccleſiæ, cum ſancto Guidone Confeſſore peregrinus, Romam, Hieroſolymam, aliáque loca ſacra religioſis votis viſitauit.

Y.

YGOARA & Letheria Virgines, charitate in pauperes ſuccenſæ. In natali ſancti Ebbonis eorum fratris. *27. Auguſti.*

SANCTORVM GALLIÆ MEDICORVM, QVI DONA OPITVLATIONVM HABENT, & contra diuerſos morbos, aduerſóſque caſus patrocinantur,

NOMENCLATVRA,

Ex contextu huius hagiologij, ſecundum ſeriem paginarum concinnata.

Benedictus Deus qui dedit poteſtatem talem hominibus. Matth. 9. 8.

SANCTI.

1. Genouefa Virgo, Pariſiorum Tutelaris, inuocata, diuino ex munere ſuccurrit contra febres, & exitioſos ignes: vrbémque regiam & regnum, perpetuo patrocinio tuetur.
2. Pontius Abbas ſancti Andreæ Auenione, adiuuat ſuis ſuffragiis contra procellas & aëris intemperiem, ac ſanat terræ ſiccitatem. 574
3. Hugo Abbas Bonæuallis, aduerſus pœnas Purgatorij ſuffragatur: à quibus cùm adhuc mortalis eſſet, animas ſuis orationibus liberabat. 185
4. Macarius Patriarcha Antiochenus, quieſcens Gandaui auxiliatur contra peſtem. 200
5. Maria Magdalena captiuos ſoluit à vinculis. 245
6. Bernardus Abbas Tyronenſis idem præſtat. *Ibidem.*
7. Adiutor Vernonenſis anachoreta, liberat ab aquarum vorticibus.
8. Marculphus Abbas Confeſſor, à morbo ſtrumæ. 252
9. Antonius Magnus ab igne ſacro. 275
10. Hippolytus Martyr à peſtilentia. 276
11. Gerebrenus Preſbyter Martyr, à chiragra & febribus. 279
12. Dympna Virgo Martyr à dæmonibus. *Ibidem.*
13. Morandus Monachus Clnniacenſis diabolicam etiam infeſtationem profligat. 332
14. Marcellinus Podienſis Epiſcopus Confeſſor infantes mortuos ſine baptiſmo, ad vitam reuocari impetrat: atque gratiam confitendi peccata, poſitis in extremis conciliat. 340
15. Syria Virgo Trecenſis calculum diſſoluit. 345
16. Landericus Pariſienſis Epiſcopus Confeſſor, ab incendio eripit, deſperatóſque infirmos ſanitati reſtituit. 348
17. Abraham Eremita Aruernenſis, medelam affert contra febres, infantéſque à brama, ſeu quiritatu liberat. 355
18. Gebuinus Archiepiſcopus Lugdunenſis Confeſſor, recreat è podagra. 367
19. Theobaldus Confeſſor Pariſienſis quieſcens in vallibus Cernaij, liberat à ſterilitate coniuges. 423
20. Arbogaſtus Epiſcopus Argentoratenſis Confeſſor, ſolatur animo mœrentes. 451
21. Serenedus Confeſſor Cenomanicus contra ſiccitatem auxiliatur. 452
22. Rochus Confeſſor Monſpeſſulanus iuuat contra peſtem. 518. 519
23. Fiacrius Eremita Meldenſis contra ficus & cancros. 567
24. Lupus Senonenſis Antiſtes Confeſſor ſuccurrit epilepticis: infantéſque à viſcerum torminibus, aliiſque incommodis liberat. 574
25. Suuitbertus Epiſcopus Verden. patrocinatur contra luem dictam ſquinantiam. 589
26. Hugo Monachus Curiæ Dei, medetur febricitantibus. 635
27. Iſarnus Abbas ſancti Victoris Maſſiliæ præualet contra fulgura. 656
28. Eunemundus Epiſcopus Lugdunenſis, Martyr, eruit à comitiali morbo. 667
29. Donatianus Remenſis Epiſcopus, ab anguſtia ſubleuat cordis & corporis. 736
30. Dulciſſimus Aginnenſis Epiſcopus à Cardiaca infirmitate. 750
31. Amabilis Preſbyter Ricomagenſis, Confeſſor, opitulatur aduerſus ſerpentium morſus. 813
32. Maturinus Preſbyter Confeſſor Senonenſis, ſanat epilepticos, lunaticos, energumenos. 814

33. Pitminius Metenſis Epiſcopus Confeſſor, mulieres adiuuat contra partus dolores. 822
34. Hubertus Leodienſis Epiſcopus Confeſſor, curat à morſu canum rabidorum. 824
35. Giraldus Presbyter Monachus ſancti Albini Andegauenſis animas à pœnis purgatorij ſuis interceſſionibus eruit. 832
36. Leonardus Eremita in agro Lemouicenſi, à captiuitate vinctos educit. 836.837
37. Clarus Martyr Vulcaſſinus oculorum morbis medetur. 828
38. Quintianus Aruernorum Epiſcopus febriles mitigat ardores. 854
39. Conſortia Virgo quæ Cluniaci quieſcit, ſanat fluxum ſanguinis. 892
40. Silueſter Epiſcopus Cabilon. Confeſſor, extinguit febres. 913
41. Namphaſius Confeſſor, Caturcenſis, morbum comitialem pellit. 918
42. Phaletrus Presbyter Confeſſor, conditus Calobriæ in Bituricis, liberat à languoribus Infantulos. 925
43. Romanus Blauienſis Presbyter ſuccurrit contra terræ clades, & rapidos fluuiorum curſus: vnde à nauigantibus inuocatur. 927
44. Barbara Virgo Martyr, vbique in Gallia inuocata, pœnitentiæ donum ſuis clientibus diuino beneficio impertit, eiſque ne excedant è corpore ſine ſacramentali confeſſione, gratiam ſæpè impetrat. 972
45. Petrus Apoſtolus, Virgines, integritatem cœlo dedicantes adiuuat: protegitque eas, contra impugnantes: at maximè à parentum ira & perſecutione eaſdem liberat. 979
46. Phara Virgo Meldenſis, obſcurata lumina reſtituit, viſúmque cæcis refundit. 981
47. Cæſaria Auenionenſis Virgo liberat à doloribus capitis. 986
48. Ida Virgo Sanctimonialis Niuellenſis, defunctos eripit à Purgatorij nexibus; viuentes autem contra tentationes adiuuat. 994
49. Maximinus Abbas Miciacenſis ſeruat à naufragio & procellis. 1007
50. Gobrianus Epiſcopus Venetenſis curat à podagra. 1124
51. Syrenus Martyr quieſcens in Vico Billonenſi apud Aruernos, opem præſtat in neceſſitate ſerenitatis vel pluuiæ. 1093
52. Leo Epiſcopus Martyr, Apoſtolus Baionenſium, iuuat mulieres in puerperio. 1095
Idem protegit armenta à ferarum incurſu, & nauigantes à naufragio ſaluat. *Ibidem.*
53. Raymundus Abbas Fiterienſis in regno Nauarræ, patrocinatur contra fulgura & tempeſtates. 1097
54. Clarus Martyr Lectorenſis, ſanat oculorum morbos. 1124
55. Bertrandus Aquitanus, Patriarcha Aquileienſis, Martyr, contra morbos inſanabiles ſuffragatur. 1126
56. Mainus Abbas Confeſſor, Armoricus ſanat à pſora & furfure. 1134
60. Alexander, Amandus, Lucius & Audaldus Martyres, protegunt contra fulgura. 1126.1142
61. Syluanus ſancti Petri diſcipulus, in Bituricis ſepultus, ægris morbido igne refrigeria præſtat. 1172
62. Leothadius Auſciorum Antiſtes auxiliatur contra anguſtias mentis, & à repentina morte præſeruat. 1185
63. Chriſtophorus diſcipulus ſancti Franciſci Caturci quieſcens, remedia impetrat aduerſus febres, tabem, epilepſiam. 1188
64. Eadmundus Rex Marty , conditus Toloſæ dat ſubſidia contra peſtilitatem. 1197
65. Aſclepius Lemouicenſi Epiſcopus ſubuenit contra hæmorrhagiam.

APOCAL. 2. 27.

Qui viceris, & cuſtodieris vſque ad finem opera mea, dabo illi poteſtatem ſuper Gentes.

MONITVM AD LECTOREM.

SANCTI *ſunt alij longè plures gratias habentes curationum, quorum hîc non fit ſingularis recenſio, eò quod morbi à quibus ſuis ſuffragationibus afflictos ſubleuant, non ſint hoc in codice peculiari indictione notati. Vel quòd Patrij non ſint, Galliæque indigenæ illi cælites, vt ſanctus Laurentius, & ſancta Apollonia, qui contra dolores dentium; S. Agatha, quæ aduerſus morbos mammillarum, & cæteri qui contra alias infirmitates non in Gallia ſolùm, ſed vniuerſo in orbe implorantur. Sicut Iob ad patientiam, Ioſeph aut Ioannes ad caſtitatem impetrandam. Vel quia texturam operis contrahere oportuit niſi ſigillatim cuncta proſequeremur, volumen in immenſum excreſceret. Itaque noſtratium tutelarium indigetum, cæteras opitulationes exprimere, nonniſi generatim operapre-*

cium cenſuimus. At Sanctos Thaumaturgos, qui contra omnia aduerſa, abundantiori gratiæ dono, ſubuenire, vel dudum (cùm fides nondum imminuta eſſet,) conſueuerant, vel etiamnum ſolent: puta Dionyſium, Martialem, Hilarium, Remigium; Claudium, antiquos illos Galliarum patronos ac opitulatores; nuperóſque, Edmundum Pontiniacenſem nuncupatum, & Petrum Luxemburgicum, cæleſtes in terris medicós, hoc ex albo non patimur abire ſine debita commemorationis honore. Quibus cum omnis veneratione nominis anteferenda venit ſanctiſſima Deigenitrix Virgo M A R I A *communis & præcipua Galliæ aduocata. Quæ vt dignitate his omnibus præeminet, ita & poteſtate cunctis antecellens Beatis, ex gratia quam inuenit apud Deum plenitudine, gloriaque quam poſſidet excellentia, longè vberiora valet ſolétque opem ſuam apud filium* I E S V M *benedictum, piè flagitantibus, auxilia ſolatiáque impertire: præſtante id eius gratiſſimis interceſſionibus ipſo Domino noſtro* I E S V *Chriſto, omnis gratiæ & gloriæ largitore: de cuius fonte bonitatis & virtutis haurit ipſa Virgo beatiſſima quæcumque in nos beneficiorum fluenta refundit, & poſt eam omnes cæteri noſtri adiutores, qui de ipſius auctoris gratia & Regis gloria plenitudine omnia quæque habent & impendunt, nobis bona acceperunt, & vt erogent mutuantur.* Hæ *ſunt enim (vt ait Apoſtolus Epheſ. 1. 18. 19.)* diuitiæ gloriæ heteditatis eius in S A N C T I S, ſecundum operationem potentiæ virtutis eius, qui in omnibus ptimatum tenet, & ſedet ad dextram Patris in cœleſtibus, ſupet omnem principatum & poteſtatem & virtutem & dominationem & omne nomen quod nominatur non ſolùm in hoc ſæculo, ſed etiam in futuro. Ipſi *igitur, qui cum ipſo Patre & Spiritu ſancto*, eſt ſupet omnia D E V S benedictus in ſæcula, *Roman. 9. 5. 1. Timoth. 6. 16.* ſit honot & impetium ſempiternum. *Amen.*

ALIQVORVM SANCTORVM
AD GALLIAS SPECTANTIVM
NON ITA COGNITORVM
NOMINA,

Ex vetuſtiſſimo Monaſterij Patrum Benedictinorum ſancti Sabini, ſeu Sauini de Leuitania in Montibus Pyrenæis in agro Tarbienſi, Martyrologio manuſcripto, ab hinc circiter CCCCC. annis exarato in pergameno,

Verbatim fideliſſiméque * *ſumpta. Pro Clariſſimo Eruditiſſimóque Domino* ANDREA DV SAVSSAY *S. T. D. Pariſ.* &c.

* *Scatet tamen mēdis: ſed quæ in Autographo inuita ſunt.*

IANVARII.

Die 2. Petrsgorgis ciuitate Paſſio ſaocti Silaoi Martyris.

Die 3. Petragorgis ciuitate depoſirio ſancti Almachij Preſbyteri & Confeſſoris.

Die 7. Eodem die ſancti Tillonis Mooachi.

Die 17. Eodem die apud Lingooes natale geminorum Speoſippi, & Meleoſipi, qui cùm eſſent xxx. annorum eom auia ſua Leonilla, & Zonilla, & Neone martyrio corooati ſuot tempore Aureliani Imperatoris. Gemini quidem in vna atbore ſuſpenſi ligatis manibus furſum; pedibns deorſum ita exrenti, vt penè putarenrur ab ipſa membrorom compage ſeparari; & poſt hæc io ignem præcipitati, oec tameo flammis læſi, ioter verba oratiooıs ſimul migrabsnt ad Cbriſtum. Lecoilla hæc videns confeſſa eſſe Chriſtianam: & poſt comptehenſa à turbis capillis ſuſpenſa, ac multis afflicta ſuppliciis, cùm Chriſtom negare noluiſſer, com Zooilla ſimul eſt gladio petempta. Neon exceptor geſtorum, & ipſe nom: Chriſti confeſſus martyrio coronatus eſt. Doeuit autem & baptizauit Gemioos hos Benignus Preſbyter, quem miſit ab Oriente beatus Polycarpos Ioanois Apoſtoli diſcipulus in Galliam, cum Andochiocho Preſbytero, & Tyrſo Diacooo. Sepulti ſunt autem iidem Gemini in ſecundo miliario ab vrbe Liogooum.

Die 22. Eodem die in Ebtidono natale Sanctorum Vincentij, & Victoris Msrtytum, qui in Grannopoli caſtro territorio Gerundenſ. paſſi, ſed Ebriduno conditi ſunt.

Eodem die dedicatio Baſilicæ beati Sauini & ſancti Felicis.

Die 25. Eodem die in pago Arueoico oatale ſancti Proiecti Epiſcopi & Martyris, qoi more Prophetico electus, ab vtero, porpuraotem ſtolam ſeruauit in triumpho.

Die 27. Todotenſis Monaſterij, oatale ſaocti Msrij Abbatis, cuius vitam plenam virturibus vir illuſtris ac Patricius Dinamios ſcribit.

Die 29. Eodem die Treoeris depoſitio beati Valerij Epiſcopi diſcipuli ſancti Petri Apoſtoli: In Britannia depoſitio ſaocti Gildaſij Preſbyteri & Confeſſoris. Eodem die dedicatio altatis ſanctæ Matiæ matris Domini, & beatæ Matiæ Magdalenæ.

FEBRVARII.

Die 1. In oppido Trichaſtrioo depoſitio ſancti Pauli Epiſcopi, cuius & vita virtutibos claruit, & mors pretioſa commeodatur. Io Auguſta ciuitate ſancti Vrci Epiſcopi & Cooſeſſoris.

Die 3. In territorio Lugdonenſi depoſitio beati Lupicini Eremitæ.

Die 12. Io Inſula Ratenſi ſancti Bsſilij Monachi.

Die 15. Bituricas depoſitio ſancti Auſtrigilli Epiſcopi & Confeſſoris, qui in Dei rebos magnificus atque inſigois fuit.

APRILIS.

ſenſus eſt imperfectus. *Die 5.* Romæ ſancti Sixti Papæ & Martyris, qui cùm Epiſcopus Conuenarum* Cathedræ ſancti Petri Romæ x. annis præſediſſet, conſtituit vt intra actionem Sacerdos incipiens, populo hymnum decantaret, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth, & cætera, martyrióque coronatur tempore Veri & Annicti.

Die 6. Eodem die ſancti Sixti Papæ & Martyris, qui temporibus Adriani paſſus eſt.

Die 13. Eodem die natale ſancti Secutoris.

Die 16. Eodem die natale ſancti Fanſti.

Die 20. In Autiſſiodoro ciuitate ſancti Marci Epiſcopi.

Eodem die depoſitio ſancti Victoris Epiſcopi, & paſſio ſancti Donati Martyris.

Die 24. Sancti Ceraci Epiſcopi & Confeſſoris.

Die 27. Dedicatio altaris ſancti Petri, & ſancti Nicolai, & omnium Apoſtolorum atque Euangeliſtarum.

Die 28. Eodiem die Bituricas ciuitate ſancti Euci Epiſcopi & Confeſſoris, qui lucens aurum atque diuitias mundi huius, tanquam ſtercora exhorruit.

MAII.

Die 1. Eodem die Paſſio ſancti Sigiſmundi filij Gundobaldi Regis Burgundiorum, qui cùm ſo cerneret non poſſe Francis reſiſtere, ſolus fugiens, comâ depoſitá habitum Religionis ſuſcepit, & ieiuniis, & vigiliis, atque orationibus vacans, captus à Francis cum vxore, & filiis demerſus in puteum occubuit. Poſtea verò Abbas cuidam reuelatus, & ab eo reuerenter ſepultus, etiam miraculis claruit. Et in territorio Viuarienſi in loco vocatus eſt antiquitus gentibus, ſancti Andeoli Subdiaconi, quem miſit ab Oriente ſanctus Polycarpus cum beato Benigno, & Andoſio Preſbytero, & Tyrſo Diacono, ad prædicandum verbum Dei in Gallia. Cuius prædicatione Cæſar Seuerus comperta
* meliùs trudi. ſpinoſis fuſtibus crudeliſſimè flagellatum in carcerem *tradi præcepit; & alia die productum cùm videret ſuperari non poſſe, iuſſit ad ſimilitudinem gladij de ligno duriſſimo enſem fieri, & in crucis modum caput eius ſcindi, quod cùm factum fuiſſet, eliſo in terram cerebro, glorioſa morte tranſlatus eſt.

Die 5. In Galliis Vico Iulij depoſitio ſancti Neronti Confeſſoris & Euentij.

Die 6. Auguſtuduno depoſitio ſancti Placidi Epiſcopi.

Eodem die ſancti Pallachij Epiſcopi, Eurici, & Marciæ, Saturnini.

Die 7. In Sanctonico depoſitio ſancti Martini.

Die 8. In Auxiopoli natale Sanctorum Cyrilli, Quidei, & Zenonis, Afrodiſij & ſancti Benedicti Confeſſoris.

* *clara.* In pago Foroinlienſe vico, qui dicitur Calidianus, ſanctæ Maximæ Virginis, quæ multis *claruit virtutibus, in pace quieuit. In vico qui dicitur Dux territorio Toloſenſe, ſancti Geremaris.

IVNII.

Die 3. Eodem die iuxta Baſilicam ſancti Quintini, Dedicatio Eccleſiæ ſanctæ Dei genitricis Mariæ, & paſſio ſanctæ Iulianæ.

Die 4. Niuiduno natale ſancti Saturnini, Zotici, & Eutici.

Die 5. Feſtum beati Elſiarij.

Die 6. Niuiduno natale Sanctorum Amantij, Luci, & Alexandri.

*aptiùs *Biſuntio.* *Die 7.* In* Byzantium natale Sanctorum Fortunati, & Achaici Monachi.

Die 8. In Gallia Suaſionis ciuitate ſancti Medardi Confeſſoris, de cuius ore columba exiuit cùm præſentem terminaret vitam.

redundat hæc *vocula.* * fortè *corpus.* *Die 9.* Aginno Pompeiaco, paſſio ſancti Vincentij Martyris, qui Leuitæ ſtolæ candore, ** *miſericordias* pro amore Chriſti martyrium adeptus, magnis ſæpiſſimè virtutibus fulget, *** cuius poſt longo tempore in . . . . tranſlatum.

Die 13. In territorio ciuitatis Lugdunenſis natale ſancti Regnaberti, cuius mortem in conſpectu Domini pretioſam miracula crebra teſtantur.

Die 19. Eodem die ſanctæ Margaritæ Virginis.

Die 28. Sancti Theodoli.

Die 30. In Gallia ciuitate Lemoulcas depoſitio Martialis Epiſcopi & Confeſſoris, qui à beato Petro Apoſtolo Epiſcopus ordinatus eſt, ab ipſo etiam miſſus prædicare verbum Dei, euerſíſque ſimulacris migrauit à ſæculo.

IVLII.

Die 1. Andegauis ciuitate tranſlatio corporis ſancti Albini Epiſcopi & Confeſſoris.

Eodem die ſancti Arlef. qui bonis actibus ac miraculorum ſignis effulſit.

Die 2. Turonis ſanctæ Mongundæ, quæ duabus filiis orbata, ſpreto virili conſortio ad Chri-

ſtum

ſtum conſolauit. Cuius amore in parua cellula ſe recludens, ibidem magna enituit abſtinentia. Et ante & poſt tranſitum multitudine miraculorum.

Die 7. Auguſtoduno depoſitio ſancti Leontij Epiſcopi & Confeſſoris.

Die 11. Tranſlatio S. Benedicti Abbatis, cuius corpus cuidam Monacho in hoc ipſum directo à Galliis luce deſuper veniente diuinitus oſtenſum, in Monaſterium Floriacenſe cum corpore ſanctæ Scolaſticæ ſororis eius tranſlatum eſt. Monaſterium enim indetenus apud Caſſinum caſtrum quieuerat. Iam enim eo tempore, ſicut ipſe prædixerat, à gentibus deſolatum erat.

Die 17. Eodem die aduentus corporis ſancti Caſſiani Epiſcopi, in Baſilica beati Quintini Martyris, ſignis & miraculorum virtutibus glorioſè coruſcans. XVII. Cal. Aug.

Die 21. Eodem die in Galliis ciuitate Maſſiliæ, natale ſancti Victoris, qui tempore Diocletiani & Maximiani, cùm eſſet miles, & nec militare, nec idolis ſacrificare vellet, primùm à Tribuno ſuo Aſterio in carcerem truſus, & omni nocte ad viſitandos, & conſolandos infirmos ab Angelo eductus eſt. Deinde iuſſu Eutieij præfecti retortis brachiis loris ſubtilibus, ligatis pedibus, fune conſtrictus, per mediam tractus eſt ciuitatem. Poſt hæc crudeliſſimè fuſtibus cæſus, ac ſuſpenſus, & taureis cruciatus, cùm exhibuiſſent aram quâ ſacrificaret, & eam nec reſpicere ſuſtinens, de manu Sacerdotis calce excuſſiſſet, pedem Præſes iuſſit abſcindi. Ad vltimum in confeſſione perſiſtens, miſſus eſt in molam piſtoriam in qua *ſparſum vertiginem animal macerari ſolet, atque contritus martyrium conſummauit. * deficit ſenſus.

Die 23. Apud Maſſiliam ciuitatem natale ſancti Caſſiani Abbatis.

A V G V S T I.

Die 1. Eodem die ſancti Seueri Confeſſoris.

Die 4. Lugduno Galliæ aduentus corporis ſancti Iuſti in eremo. Et ſanctæ Cryſantiæ.

Die 5. Eodem die depoſitio ſancti Caſſiani Epiſcopi & Confeſſoris, qui ardore martyrij & diſciplinis inſtructus cœleſtibus, in ciuitate Ægyptiorum vocabulo Orenſi Epiſcopus eſt ordinatus. In qua cùm Eccleſiam conſtrueret, beatus Martyr Laurentius ei apparuit, & vt eandem ſuo nomine dedicaret admonuit. Deinde diuina reuelatione Gallias penetrans, Auguſtidunenſem vrbem adgreſſus, à ſancto Simplicio eiuſdem vrbis honorificè ſuſceptus eſt. Miniſtratóque ſancto Simplicio ſacerdotio, & defuncto, in eius locum ſanctus Caſſianus ſubrogatus eſt Epiſcopus. Vbi & multis coruſcauit virtutibus, & requieuit in pace. Ad cuius ſepulcrum beatus Germanus Autiſiodorenſis Epiſcopus veniens, & ex more Chriſtiano preces fundens, fertur alloq. Quid (inquit) frater Caſſiane agis? reſpondit beatus Caſſianus: Dulci quiete in pace potior, & aduentum Redemptoris expecto. Cuius corpus poſtea multitudine miraculorum * in municipium, quod Augoſta Vermanduorum nuncupatur, eſt tranſlatum, & infrà baſilicam beati Quintini Martyris ſepultum. *Supple. *coruſcans.*

Eodem die Tranſlatio ſancti Sauli. *12. lect. 11. capp.*

Die 11. Eodem die in Galliis ciuitate Chamatachi depoſitio ſancti Gangerici Epiſcopi, qui & magnæ abſtinentiæ, magnæque religionis, & eleemoſynarum largitor, & miraculorum patrator fuit.

Die 19. Eodem die ſancti Mariani *cum duobus millibus quingentis nonaginta & octo. * Nota, ingentem Sanctorum turbam.

Die 20. Acte Inſula depoſitio ſancti Philiberti Abbatis, qui diuerſas hominum infirmitates curans per Spiritum ſanctum futura præuidit.

Die 25. Eodem die tranſitus ſanctæ Aluetæ Virginis.

Die 30. Eodem die paſſio ſancti Fermerij Martyris.

S E P T E M B R I S.

Die 2. Eodem die apud Apamiam ciuitatem paſſio ſancti Antonini Martyris, & paſſio Sanctorum Aniceti & Formi fratris eius, tempore Diocletiani Imperatoris, qui poſt multa ſupplicia igni traditi ſunt. Auguſtiduno depoſitio ſancti Siagri Epiſcopi & Confeſſoris, qui pro quodam fugitiuo eius, Eccleſiæ petenti primatiæ charitatis reddit *ſuppliciũ. Gregem commiſſum, quem magna puritate & modeſtia, ac patientia multis rexerat annis, derelinquens, ſe eremo dedit Domino, adhærens cultoribus eius, videlicet ſancto Machario, ſanctóque Paphnutio, quorum vitæ & morum particeps extitit. *meliùs legeretur *ſubſidium.*

Die 3. Sancti Areſti Epiſcopi.

Die 5. In Viennenſi ciuitate paſſio ſancti Ferreoli Martyris, qui gladialem accepit ſententiam ſub præſide Criſpino.

Die 7. In Galliis Edua ciuitate, natale ſanctæ Meluſiæ Reginæ.

Die 12. Auguſtoduno ſancti Eoanei Epiſcopi.

Die 13. Auguſtoduno depoſitio ſancti Nectari Epiſcopi. In Gallia ciuitate Turonis depoſitio ſancti Litoris Epiſcopi.

Die 18. Viennæ ſancti Ferreoli.

Eodem die in territorio Lingonicæ ciuitatis Monaſterio Setgeſtro, depoſitio ſancti Segonis Presbyteri & Confeſſoris.

Die 19. In territorio Lingonico depoſitio ſancti Sequani Abbatis.

Die 28. In Gallia ciuitate Genua depoſitio ſancti Solani Epiſcopi & Confeſſoris.
Die 29. Lugduno Galliæ depoſitio ſancti Annuendi Epiſcopi.
Die 30. Ipſo die Muſciago Monaſterio ſancti Amberii Epiſcopi.

OCTOBRIS.

Die 1. Petragorgis depoſitio ſancti Frontis Epiſcopi & Confeſſoris. Barto caſtro natale ſanctæ Germanæ Virginis, in territorio vrbis Lingonum. Gaudis ſancti Bauonis Confeſſoris.

Die 4. Autiſſiodoro depoſitio ſancti Marci Praſbyteri.

Die 6. Toloſano in Vico qui dicitur Pompiaco natale ſancti Pardulfi Epiſcopi & Confeſſoris.

** laudabiliter.* *Die 9.* Centula depoſitio ſancti Ricarij Sacerdotis, qui laudabile* viuens, ac miraculis coruſcans, priùs ſuis, poſtea in Britanniis verbum vitæ prædicauit.

Eodem die depoſitio ſancti viri præclariſſimi Sauini.

** inſignis.* *Die 11.* Eodem die depoſitio ſancti Firmini Epiſcopi Vcetiæ ciuitatis, cuius vita miraculis* dignis habetur.

** quod* *Die 13.* Ipſo die in pago Aruerni, Monaſterio, qui* vocatur Aureliacus, depoſitio ſancti Geraldi Confeſſoris, qui licèt in laïcali habitu, Chriſtianæ religionis viriliter inhærens, quemadmodum Domino charus extiterit, per miracula monſtratur quæ viuens geſſit, & multipliciùs poſt mortem operatur. Nam ab infantia Virgo fuit.

Die 14. Eodem die tranſitus ſancti Iuſti in eremo.

Die 16. In Cabdinaco caſtro natale Sanctorum Grati & Anſuti.

Die 21. In ipſo die tranſitus ſancti Viatoris lectoris.

Die 25. Eodem die Petragorgis ciuitate natale ſancti Frontis, qui Romæ à beato Petro Epiſcopus ordinatus, cum Georgio Presbytero ad prædicandum Euangelium miſſus eſt: cùmque tertio die itineris idem Georgius fuiſſet ingreſſus mortuus, mœrens Fronto reuerſus ad Petrum Apoſtolum, accepto baculo, & ſuper corpus defuncti poſito, ſocium de morte ſuſcepit. Sicque ad prædicandum ciuitatem magnam veniens, gentis illius multitudinem ad Chriſtum conuertit, & multis miraculis coruſcans clarus in pace quieuit.

Eodem die pago Virmandenſe dedicatio Eccleſiæ nonæ ſancti Quintini Martyris, & tranſlatio corporis ipſius.

Die 30. Toloſa ciuitate, tranſlatio ſancti Saturnini Epiſcopi & Martyris.

Die 31. In Galliis ciuitate Auguſta Vermandorum, paſſio ſancti Quintini.

NOVEMBRIS.

Die 1. In Caſtro Diuione natale ſancti Benigni Presbyteri, qui cum Andochio Presbytero, & Tyrſo Diacono miſſus eſt à ſancto Polycarpo Epiſcopo, ab Oriente in Galliam. Cuius prædicatione Comes Terentius comperta, vinctum eum & cæſum adduci præcepit. Et rurſus auditâ ſermonum eius conſtantiâ neruis duriſſimis cædi fecit. Poſthæc ad trochleas extenſus & cæſus, ac carcari mancipatus manè idola orando deſtruxit, & reductus eſt in carcerem. Cui ſubulas decem calentes in manibus fixerunt, & cum plumbo remiſſo pedes in lapide perforato fixerunt, & canes duodecim feroces cum eo incluſerunt, per ſex dies, & attulit panem cœleſtem Angelus, ſubulas abſtulit, & eum de plumbo & ferro eripuit. Quo facto columba niuea de carcere Chriſtianis aſpicientibus ad cœlos aſcendit, & odor ſuauiſſimus quaſi paradiſi factus eſt. Venit autẽ beata Leonilla, & conditum* aromatum, corpus non longè ab ipſo carcere ſepelinit.

Die 4. Auguſtoduno depoſitio ſancti Geneſi Epiſcopi & Confeſſoris, & ſancti Quarti, & ſancti Proculi Epiſcopi. Bituricas depoſitio ſancti Luſoris pueri & Confeſſoris, qui filius cuiuſdam Senatoris fertur in albis migraſſe: ad cuius ſepulcrum ſanctus Germanus Pariſiacæ vrbis Epiſcopus quadam vice, dum vigilias celebraret, & eius Clerici longæ ſtationis labore caſſi, quaſi pro reuclamina aliquo ſe ſupar ſepulcrum ſancti defixi vlnarum compages ſuſtentarent, illico beati Confeſſoris tumulus contremuit. Vnde idem Pontifex tremore perterritus, amonere deſuper ſomnolentos præcepit dicens: abſcedite ô ſegnes procul à tumulo, ne ſancto Dei moleſtiam infetatis, quibus amotis tremorem vllum non ſenſerunt deinceps. Scriptum in libro miraculorum Gregorij Turonenſis Epiſcopi.

Die 6. In Gallia ciuitate Rednas depoſitio ſancti Melani Epiſcopi & Confeſſoris.

Die 7. Depoſitio ſancti Reſtituti Tricaſtinæ ciuitatis Epiſcopi.

Die 9. In territorio Viuarenſi ſancti Montani Eremitæ.

Eodem die in territorio Agathenſi in Cæſarione, natale Sanctorum Martyrum Tyberij, Modeſti, & Florentiæ, qui tempore Diocletiani variis tormentis martyrium aumpleuerunt.

Die 13. Rodenis ciuitate, ſancti Amandi Epiſcopi & Confeſſoris. Et in Aureliaco Monaſterio tranſlatio ſancti Nemphaſij Epiſcopi & Confeſſoris.

Die 16. In vrbe Forouilienſi depoſitio ſancti Leontij Epiſcopi & Confeſſoris.

* rectiùs *Medriſinæ.* *Die 26.* Seſſionis depoſitio ſanctæ * Indetriſinæ Virginis.

Die 24. Ipſo die ſancti Marini Martyris.

DECEMBRIS.

Die 14. Lugduno ciuitate depoſitio ſancti Victoris Epiſcopi.

Die 19. Autiſſiodoro ciuitate depoſitio ſancti Gregorij Epiſcopi & Confeſſoris, qui tantæ (vt libet actionis eius pandit) ſobrietatis fuit, vt in medio mundo poſitus nouus effulgeret Eremita, ſéque ſæpiùs multis declarauit virtutibus.

Hæc omnia verbatim ex præfato antiquo Martyrologio manuſcripto Monaſterij ſancti Sabini de Leuitania ordinis ſancti Benedicti fideliſſimè transcripta ſunt Toloſæ 1636. diebus Paſchalibus, ſeu tempore Paſchali, à Domno ODONE *Monacho ſanctæ Mariæ deauratæ eiuſdem ordinis.*

EXCERPTVM

E' SACRIS

Pictauienſis Eccleſiæ Monimentis, nuper, poſt hoc opus fermè editum, ex Reuerendiſſimi Domini Epiſcopi munere acceptis, menſe Septembri, anno Sal. 1636.

26. IVLII.

GENEROSVS Romanus, cùm ad occiduas partes tranſiens in pagum Pictauenſem deueniſſet, Monaſterijque Henſionenſis celebritatem oculis percepiſſet, ibidem à ſancto Lemiegiſilo Abbate, habitum religioſum ſuſcepit. Poſt cuius obitum Generoſus (licèt reluctans admodum) eidem cœnobio præfectus eſt. Migrauitque deinceps ad Dominum, vt fertur, reparatæ ſalutis anno ſexcenteſimo vigeſimo primo.

Stylum tranſmiſſi ſcripti, nec in minimo apice, mutauimus. Nõnullos autem Sanctos prætermiſimus, quoniam in Martyrologio iſto, vel eius augmentis erant iam conſignati.

21. AVGVSTI.

Relatio reliquiarum dicta eſt hæc feſtiuitas: eo quòd Eccleſiæ Pictauienſis reliquiæ, Pictauium relatæ ſunt; quas Epiſcopus perſecutionem Principis ſui declinans, ſecum detulerat ad oppidum quoddam diœceſis Pictauienſis ad Epiſcopatum ſpectans, vulgari nomine Angla* nuncupatum.

* Ibi eſt hodie Monaſterium dictum *S. Mariæ crucis de Anglia.*

23. OCTOBRIS.

Benedictus Epiſcopus de Samaria, cum Preſbytero, & quadraginta ſociis, ob Paganorum ſæuitiam fugiens, venit apud Pictauos ad B. Hilarium, quem audierat è Phrygia regreſſum, & Eremum iuxta Caſtellum petiit vbi in excisa . . . . Deo ſeruiens vſque ad obitum permanſit, ibidémque ſepultus eſt.

1. DECEMBRIS.

Florentia Virgo, patriam deſerens, ſancto Hilario reuertenti ab exilio adhæſit. Et Pictauium vſque profecta eſt. Mox beatus Præſul ipſam cella vt enixè poſtulabat incluſit, vbi die noctúque vigiliis & orationibus incumbens, poſtmodum ſancta illius anima Calendis Decembris migrauit ad Dominum. Sanctus autem Hilarius corpus eius in eodem loco tradidit ſepulturæ. Quod demum Inſembertus Pictauorum Epiſcopus, in Pictauienſi Eccleſia, iuxta altare B. Virginis Mariæ ſummo cum honore collocauit.

S. IMPERIA, (*ſaincte Impere*) quæ Virgo an Martyr fuerit, neſcitur. Feſtum habet 6. Septembris. Et parœcialem Eccleſiam in vico de Mauprouuoir diœceſis Pictauienſis: vbi ſita eſt Abbatia S. Saluatoris de Carrofo.

S. GENARDVS cuius feſtum agitur 11. Octobris: patrocinio autem dicata eſt Eccleſia parœcialis in Archiprioratu de Mella ab Abbatia de Nobiliaco dependenti, in ſacra terminatione Præſulatus Pictauienſis.

S. ANNEMVNDVS Confeſſor Abbas Nobiliacenſis poſt ſanctum Iunianum, cuius indiuiduus comes & primarius diſcipulus fuit. Feſto colitur die 9. Iulij.

S. FERCINTA Virgo & Martyr, Toleti in Hiſpania recluſa vbi multa perpeſſa eſt à Daciano. Capellam Pictauis habet ſuæ memoriæ ſacram, cui colendæ addictus eſt dies 13. Nouembris.

S. VIRGANA (vulgò *ſaincte Vierge*) cuius titulum venerandum præfert parœcialis Eccleſia

Hi qui inferiùs cenſentur cœlites, depromptiſunt ex Catalogo patrio idiomate deſcripto, ad nos tranſmiſſo cũ aliis chartulis quem Latina phraſi, ea à textura huius operis ipſe indiculus diſcreparet, de verbo fere ad verbũ exprimere ſtuduimus.

ſita non longè à Toarcio in præſignata diœceſi. Qua in Eccleſia condita eſt ipſa B. Virgana pone ſummum altare, ſub lapide cui inſculpta cernitur colus inſtructa ſuo manipulo, cum fuſo, ad innuendum hanc ſanctam puellam gregis fuiſſe cuſtodem. Ceterùm Eccleſia in qua quieſcit nuncupationem iampridem ab ea ſortita eſt: cùm ipſa à fundatione titulo Dominæ noſtræ de alto nemore (vulgò *de hautbois*) cenſeretur. Colitur autem ſancta Virgana ibidem die 7. Ianuarij.

S. Annarivs Epiſcopus Pictauienſis (vulgò *ſainct Eanne*) quem parœcialis Eccleſia viciña oppido ſancti Maxentij diœceſis Pictauienſis tutelarem agnoſcit & colit annuis ſacris die 1. Nouembris.

S. Pecina (vulgò *ſaincte Pezaine*) celebris die 23. Iunij in parœcia ſui nominis prope Niortium einſdem diœceſis. Quo in vico, eſt caſtellana dynaſtia Epiſcopalis ditionis.

S. Fermerivs (vulgò *ſaincte Fraigne*) cuius natalis claret die 30. Auguſti. Eiúſque tutelæ Prioratus dicatus eſt ordinis S. Benedicti, quin & parœcialis Eccleſia in Engoliſmenſi tractu, diœceſis prælictæ Pictauienſis, vbi colitur 30. Auguſti.

S. Neomaoia Virgo (dicta à vulgo *ſaincte Neomoye*) quæ patrona eſt parœcialis Eccleſiæ ſui nominis, in qua natalem habet ſolemnem 13. Ianuarij. Non longè eſt vicus ille, à ſancti Maxentij oppido in ſæpè dicta diœceſi.

S. Citronivs, (vulgari lingua dictus, *ſainct Citroine*) prope Lodunum colitur in Eccleſia parœciali ſui nominis. Quæ feſtum eius agit quotannis, vt proprij patroni die 19 Nouembris.

S. Faziolvs (dictus à vulgò, *ſainct Fazion*) patrocinio ſuo illuſtrat & tuetur prioratum ſuæ inuocationis, Abbatiæ ſancti Cypriani Pictauienſis ſubiectum. Quieſcit apud Mellam, ſicut conſtat ex Litteris Apoſtolicis Pauli II. Pont. Max. die 24. Ianuarij anno *1467*. exaratis.

S. Pientivs, (vulgò *ſainct Pien*) Epiſcopus Pictauienſis, cùm luſtraret diœceſim vita apud Mellam functus eſt.

S. Lvpvs inuocatur in Litaniis Monaſterij ſancti Cypriani ſiti extra muros Pictauienſes. Item ſanctus Fortvnatvs, ſanctus Marinvs, ſanctus Rxverſntivs, ſancta Flavia, ſancta Serena: aliíque cœlites diœceſis tutelares.

Si qui autem alij Galliarum beati alumni & glorioſi opitulatores à nobis impoſterum comperiantur, in noua editione ſuperaddentur his Gallicanæ Eccleſiæ Faſtis, proprio cuique loco & die: vel in Commentariis proximè in lucem prodituris, congruo ſitu collocabuntur. Quam in rem, eruditorum (quibus Gallia noſtra affluit) opem, intuitu pietatis ſedulam, auctor profuſis affectibus efflagitat. Vtque indulgentiam erratorum, à ſuis Lectoribus candidè deprecatur: ſic orationum ſubſidia, ad Devm *& Sanctos eius, qui in hac collectione collaudantur, pro tantilla opera, quam in patria chariſſima decoramentum & præſidium præſtare auctor ipſe niſus eſt, ab iis enixè depoſcit.*

FINIS.

Omnia quæ hoc in opere continentur, ſanctæ Sedis Apoſtolicæ iudicio, ſummiſſa ſunto.

AO1 AG4730

K.41.